VINDICIAE ECCLESIAE ANGLICANAE; SIUE, DE LEGITIMO EJUSDEM...

Francis Mason

Digitized by Google

Digitized by Google

Coll. 395. - 45 C

non prestabile

1953

Digitized by Google

Digitized by Google

204. g. [illegible]. 7

Digitized by Google

XXVIII. 8. 13
K. 13.

Digitized by Google

Vindiciæ Eccleſiæ Anglicanæ;

SIVE,

DE LEGITIMO EJUSDEM MINISTERIO,

ID EST,

DE EPISCOPORUM

Succeſsione, Conſecratione, Ele-
ctione, & Confirmatione:

ITEM,

De Presbyterorum & Diaconorum Ordinatione,

LIBRI Quinque.

In quibus Eccleſia Anglicana à *Bellarmini*, *Sanderi*, *Briſtoi*, *Hardingi*, *Alani*, *Stapletoni*, *Parſonii*, *Kelliſoni*, *Eudæmonis*, *Becani*, aliorúmque Romaniſtarum calumniis & contumeliis vindicatur.

Editio tertia, priori Anglicanâ longè auctior & emendatior: cui inter alia acceſſerunt ad *Fitz-Herberti* Presbyteri, *Fitz-Simonis* Jeſuitæ, D.*Kelliſoni*, *Champnæi* Sorboniſtæ, *Fluddi*, & neſcio cujus Anonymi Exceptiones ſuis quæque locis intertextæ Reſponſiones.

Opus ex Idiomate Anglicano traductum, & locupletatum ab ipſo Authore FRANC. MASONO, in S.Theologia Bacchal. Archidiacono Norfolc. & Socio Colleg. Mertonenſis apud Oxonienſes.

LONDINI,

Typis *Felicis Kingſtoni*, ſumptibus *Dan.Frere*, & proſtant in Vico vulgò vocato, Little Britaine. 1646.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Beneuolo
S.

IAcuit hic Liber in tenebris tamdiu ab Authoris morte, vt ei imminere periculum videretur, ne ſitu,& blattis periret. Itaq; Reuerendiſſ.Pater, ac Dominus, D. Archiep. Cantuarienſis (cuius conſilijs inchoatus, & auxilijs perfectus eſt) mecum egit, vt rationem inirem, quî lucem aſpiceret: vtpote qui lucem eſſet allaturus Conſecrationib. & Ordinationib.eorum, quos Euangelium mundi Lucem appellat.Feci non inuitus,vt tanti viri hortatu tibi prodeſſem. Illud autem cumprimis curæ fuit, vt locos à *Maſono* allegatos diligenter perſcrutaremur & ad exemplarium fidem examinaremus ſicubi fortè impegiſſet; quod Aduerſarij ſolent nobis obijcere,ipſi eiuſdem criminis rei vel maximè peragendi. Inuenimus pleroſque omnes citatos optimâ fide: aliquos, ſed valdè paucos, eóſque leuioris momenti, inuenire non potuimus, cum, excuſſis Bibliothecis quamuis inſtructiſſimis, nuſquam occurrerent editiones illæ, quibus vſus eſt Author. Hæc ſumma. Quæ inuenimus, ſincera ſcimus eſſe omnia, & præſtabimus: reliqua eiuſdem eſſe monetæ non dubitamus. Quod ſi fortè aliquis error inopinanti obrepſerit (vt aliquando bonus dormitat Homerus) non erubeſcemus ingenuè hoc agnoſcere, ſiue Aduerſarius nos aliquis verè edocuerit, ſiue ipſi poſtea id noſtro Marte inuenerîmus. Namque libenter, ſecundùm *Flaccum*,

Hanc aliis veniam dabimus,petimúſque viciſſim.

Tu

Tu verò, Lector beneuole, fruere labore eruditiſſimi, & integerrimi viri, per quem magnoperè proficies in eis omnibus, quæ copioſiùs diſputantur in hoc libro; niſi animo fueris in Proteſtantes paulò iniquiore, partéſque fouere malueris. Vale, & Eccleſiam Anglicanam in Rege fœlicem, in Epiſcopis inconcuſſam, in doctrina veracem & Orthodoxã agnoſce, cole ac perpetuò florentem opta. Quod certè transfugæ quidam noſtrates, ſi ſaperent, facerent; ſi facerent, ſaperent.

NATHANAEL BRENT.

Digitized by Google

SERENISSIMO,
MAXIMOQVE PRINCIPI, AC DOMINO, D. NOSTRO IACOBO,

Dei gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Regi, fidei verè Catholicæ, *& Apoſtolicæ Defenſori, &c.*

ANnus *iam ferè tertius agitur, ex quo* Franciſcus Maſonus, *Sacellanus veſter, ad ſuperos hinc migrauit, ſuperſtite relicto huius libri autographo exemplari (cui tum acceſſerat propemodum ſuprema manus) dicato, vti par erat, ſacratiſſimo nomini Maieſtatis veſtræ. Operæ ſanè magni & ponderis & moliminis, noſtriſque temporibus, ſi quod aliud, cumprimis vtile.*

Quid enim frequentiùs habent in ore hodierni Romano-Catholici, *aut crepant vociferantiùs, quàm* hæreticis *(ſic enim indigitare placuit conſtantiſſimos puritatis antiquiſſimæ profeſſores Euangelicos)* Epiſcopos *eſſe nullos, aut ſaltem non*

Digitized by Google

legitimè & canonicè conſecratos? propterea nullos Preſbyteros, *aut* Operarios in meſſe Domini; nullam *proinde* Eccleſiam, *extra quam* nulla ſalus. *Quâ quidem calumniâ æmulos ſe profitentur illius* θεομάχου, *qui (os impurum) conuitijs exercitum Domini oneràſſe dicitur*, 1. *Sam.* 17. 26. *Nobis autem, vt nunc ſunt homines, meliora vel ſperare quî licet? Cum illis enim res eſt, quibus veridiſsimillimæ in nos calumniæ* piæ fraudes *ſunt, &* miſericordiæ *cenſentur* opera, *quæ acerbiſsima ediderunt in* Orthodoxos *monumenta (teſtatur* ſacra, *vt appellant*, domus Inquiſitionis) *pluſquam Ethnicæ crudelitatis.* Creuit Roma vetus Albæ ruinis, *lanienis recentior, exigui Ouilis Ieſu Chriſti.* Liu.lib.1.

Ac quò vehementiùs in Proteſtantes *odium concitent, quæ figmenta non ſunt commenti nonnulli aſſeclæ* Romani Pontificis, Kelliſonus, Champnæus, Norriſius, Fitz-Simon, Eudæmon (*veriùs* Cacodæmon) Iohannes, *& balatrones idgenus alij? Qui, vt Paraſitus ille Terentianus, imperârunt ſibi omnia aſſentari: eóque id commodiùs ſibi facere videntur, quò impotentiùs debacchantur in Eccleſias Reformatas huiuſce temporis, quóq; turpioribus reuerendiſs. Prælatos, Paſtores & Miniſtros noſtros maledictis proſcindunt. Quid enim ſibi vult ſæpè ſæpiùſque decantata, ſed fundamento prorſus nullo ſubnixa fabula de conſecratione Reuerendiſsimi, & nunquam ſa-*

tis

Digitized by Google

tis laudati viri, Domini Mathæi, *Archiepiſcopi Cantuarienſis, aliorúmque, in œnopolio Londinenſi, ad inſigne capitis Manni, in platea vocata* **Cheapeſide**: *Quam toties retulerunt ingenioſiſsimi ſequaces Mendaciorum patris, & architecti Diaboli, vt quod diuulgatum fuerat initio, tantummodò vt fucus fieret imperitæ plebeculæ, tandem obrepſerit ipſis autoribus totius fraudis, & apud reliquos Pontificios, præſertim Exteros, hiſtoriæ fidem obtinuerit. Sic animus paratus ad ſentiendum & loquendum malè de aduerſarijs, nuſquam non inuenit materiem.*

Iſtiuſmodi nugas, ſimiléſq; quamplurimos in religionis veros Reformatores, ab impoſtoribus Pontificijs conſutos dolos plurimis, & ſolidiſsimis diſsipauit & difflauit argumentis hoc elaboratiſsimè lucubratum Maſoni *opus* de Miniſterio Anglicano. *Ex quo liquidò apparebit, nullos vnquam, vbi vbi gentium, vllius Eccleſiæ Epiſcopos & Miniſtros magis Canonico & ſolenni ritu, idque perpetuò, conſecratos, & ordinatos fuiſſe, quàm Anglicanos noſtros, ex quo tempore pſeudo-Catholicis exulâſſe vera apud nos conſecratio, & ordinatio viſa eſt. Hic ſcopus, hæc meta totius operis: Incidunt tamen ſubinde, vt inter diſputandum ferè fit, aliæ nonnullæ inter nos & Romanenſes controuerſæ theſes, de Primatu ſedis Romanæ, de Regum in eccleſiaſticis cauſis autoritate, de Religionis antiquitate in hoc Regno, de Miſſæ Sacrificio, &c. quas tam enu-*

Digitized by Google

cleatè candidéque pertractat & diſcutit, vt omnes, quotquot ſunt perlecturi, non iniqui rerum æſtimatores, aduerſariorum fraudes penitus auerſari, & pedibus ire in Maſoni *ſententiam neceſſe ſit.*

Cui verò potiùs oportuit opus nuncupari, quo vocatio Miniſterij Anglicani *ſolidiſſimè propugnatur, quàm, qui conſtantiſſimus ſemper eiuſdem Cleri, & ſapientiſſimus defenſor & patronus extitit, Sereniſſimo Iacobo. Accipias igitur (Regum omnium literatiſſime, & ſapientiſſime) munus hoc poſthumum lætâ fronte; & vt omnes, quotquot vnquam fuerunt, monarchas longa & numeroſa Regum ſerie & proſapia ſuperas (quis enim, in tanto ſplendore ſanguinis, tot Maiorum indubitatas imagines ciere poteſt?) ſic protegas, & defendas Prælatos, & Miniſtros Eccleſiæ Dei (cui gubernandæ, ad maximum incrementum fœlicitatis noſtræ, præficeris) qui ab ipſis Apoſtolis, ſucceſſionibus haud interruptis, originem trahunt, ni Conſecrationes & Ordinationes eorum defecerint illis temporibus, de quibus vel dubitare Pontificij nefas arbitrantur.*

*Deus Opt. Max. Ma*tem. *veſtram Sereniſſimam, ſuámque ſobolem verè Regiam æternùm ſoſpitet.*

Maieſtatis veſtræ

ſubd. deuotiſſ.

Nathanael Brent.

SERENISSIMO,

POTENTISSIMOQVE PRINCIPI, DOMINO NOSTRO, IACOBO, *Dei gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ,* & Hiberniæ Regi, Fidei Defenſori, &c.

QVæ homines vulgò admirantur ſingula, ea licèt in Maieſtate veſtra (Rex Sereniſſime) concurrant & confluant vniuerſa, qualia ſunt Natalium ſplendor, Regnorum amplitudo, Prolis fœlicitas, Subditorum amor, denique

Pax à ſublimi deſcendens aureo cœlo:

Nihil tamen eſt, quod ampliorem apud omnes bonos & cordatos conciliat gloriam, quàm tanta rerum Diuinarum pariter ac humanarum ſcientia, cum vera pietate & religione coniuncta. Quis enim neſcit Maieſtatem veſtram vſque adeo literis delectari, vt ne cibus quidem quotidianus, niſi diſſertatione aliquâ Theologicâ, aut ſaltem Philoſophicâ; tanquam aromate, vel condimento quodam opiparo aſperſus palato ſapere videatur? Meritò itaq; Iacobi Solio, menſæque quadrat illud Reginæ

Sabææ

Digitized by Google

1 Reg. 10. 8. *Sabææ de Salomone elogium*: Beati ſerui tui, qui ſtant coram te ſemper, & audiunt Sapientiam tuam.

Ad magis publica vt accedam, quis non planè attonitus obſtupeſcat, conſpiciens Principem ab ipſis incunabilis in regendis Imperio populis verſatum, in florentiſſimis Academijs, ampliſſimiſque doctorum hominum conſeſſibus, tot acuta et ſelecta ingenia et aureo dicendi flumine, et accuratâ differendi facultate, et ſubtiliſſimâ difficillimarum quæſtionum enodatione tam longè ſuperare?

Verùm, vt hæc Muſarum domicilia, et puluerem Academicum tranſeamus, cùm omnes Angliæ Ordines Regem ſuum in Comitijs Regni Parliamentarijs de rebus maximis, et Reip. vtiliſſimis, non ſine omnium ſtupore audirent perorantem; quantis ſunt perfuſi gaudijs? quàm ſe beatos prædicabant?

Hæc magna quidem ſunt, & Rege Philoſopho digna; ſed ad maiora propero. Nam quod eſt in annulo gemma, illud ipſum eſt in Regia Maieſtate veſtra, inter tot naturæ dotes, tot literarum lumina, vera Pietas, ſeu Religio. Cuius radij non modò hæc Regna ſplendore colluſtrant, ſed ad exteros quoque longè latéque ſe diffundunt, adeò vt omnes Orthodoxæ Eccleſiæ Iacobum Magnæ Britanniæ Regem, tanquam Reip. Chriſtianæ φώσφορον *ſuſpiciant.*

Nec Orthodoxis modò, ſed Principibus etiam,

qui

qui adhuc à Pontifice ſtant, Lampadem prætuliſti. Cauſam enim omnium Regum communem contra Papam, & nobile par Cardinalium, Bellarminum & Perronium, tam ſolidè atque neruoſè calamo vindice egiſti, vt ſpes ſit Principes, etiam Pontificios, lucem breui aſpecturos, imò iam aſpicere, veráque ac recta de Principatu monentem amare, adeóque optare, vt vindicatum illud ius ſuum repetendi, exequendíque detur tandem opportunitas.

Cæterùm hoc Sidus cœleſte propiùs intuens, præ gaudio exultat Britannia veſtra, ſibijpſi gratulata, quòd ſub tanto Principe tam fœliciter floreat. Cuius tam fauſti Regiminis ſub Regni initio nobis ſpecimen dediſti, cùm ceu Conſtantinus alter, inter Epiſcopos & alios, vt quædam inter noſtros de ritibus nonnullis orta diſſidia conſopires, ſapientiſſimè diſceptans, omnium in Te oculos & animos raperes.

Et quo cœpiſti modo pergens porrò, naues tibi diuinitus commiſſas, ad ſacræ Scripturæ Cynoſuram peritiſſimè gubernas; quod diu facias precor, manum habens in clauo, oculos in aſtris. Nec gubernas modò, ſed defendis etiam, idq; non Sceptro tantùm & legibus, quod vobis cum Conſtantinis, Theodoſijs, & huiuſmodi Heroibus eſt commune, ſed calamo quoq;, quod non multis, opinor, Regibus contigit. Quare Fidei Defenſoris Titulus, iure hæreditario Regibus Angliæ delatus, in Maieſtatem

Digitized by Google

tem veſtram optimè quadrat, quum tanto Titulo res Tituli tam pulchrè & plenè reſpondeat.

Porrò (Rex ſereniſſime) ſi Fidei es Defenſor, ergo & fidelium, id eſt, Eccleſiæ; quòd ſi Eccleſiæ, etiam Miniſterij, ſine quo Eccleſia conſtare non poteſt. Ita ſacroſancti Miniſterij defenſionem Stylus veſter Regius ſuo ambitu includit. Quod munus magnificè præſtans, omnes Verbi Miniſtros doctos & pios, Regali dextrâ protegis, munificentiâ ornas, & amore pluſquam paterno complecteris. Epiſcopos verò, Eccleſiæ noſtræ Stellas, & Angelos, quo decet pium Principem, colis affectu; quinetiam eorum nonnullos, eruditione, pietate, ac rerum gerundarum experientiâ eminentiores, tanto proſequeris honore, vt Maieſtati Veſtræ ab intimis ſint conſilijs.

Quæ cùm ita ſint, Liber iſte, licèt exiliter & parum eleganter conſcriptus, in Sereniſſimum conſpectum veſtrum prodire geſtit, quippe qui Epiſcopos, atque adeò vniuerſum Miniſterium Anglicanum, Maieſtati veſtræ chariſſimum, à Pontificiorum calumnijs ex ipſis Archiuis verè vindicet. In quibus citandis tam anxius fui, & ſollicitus, vt Latimerus noſter mihi ſubinde in mentem veniret; qui quum, Pontificijs adhuc erroribus imbutus, vinum in Cœna Domini aqua diluendum eſſe putaret, non contentus ſemel, aut iterum aquam adhibuiſſe, tertia quoque vice infundere ſolebat: quum tamen ad ipſum Memento *ventum eſt,*

percuſſit

Digitized by Google

percuſſit eum cor ſuum, ne fortè non ſatis aquæ admiſcuiſſet. Et ego quoque (Rex ſereniſsime) in re diſsimili non diſsimili vſus ſum diligentia. Nam Regiſtrorum loca præcipua non ſemel, aut iterum legiſſe contentus, tertia, immò decima quoque vice inſpexi. Quum tamen ad Prælum, tanquam ad ipſum Memento *ventum eſt, percuſſit me cor meum, ne fortè non ſatis diligenter inſpexiſſem. Vnde operas Typographicas in prima huius operis editione aliquoties ceſſare feci, dum ego ad Archiua properans, locos integros proprijs oculis denuo perluſtrarem. Nec in hac ſecunda adornanda deerant ſecundæ curæ. Deum ſcilicet conſcientiæ inſpectorem ſanctè teſtor, me impensè operam dediſſe, vt Archiua ſincerè ac fideliter citarentur. Licèt igitur aduerſarij libros contra me pergant ſcribere (quod nonnulli factitârunt) poſſem tamen eoſdem vnà cum ſancto Iobo ſuper ſcapulas meas ponere, & illis, quaſi diademate, caput meum cingere.*

Dignare igitur (Rex ſereniſsime) ſupplici-ter oro, hanc meam Miniſterij Anglicani Apologiam, nunc Latinis indutam veſtibus, & ad Regiones tranſmarinas properantem, ſub alarum Veſtrarum vmbra protegere, eidémque nominis veſtri ſplendore gratiam apud omnes bonos & veritatis amantes, apud alios tutelam conciliare.

Quod ſupereſt, Deum Opt. Max. humiliter

precor, vt qui te Orthodoxæ Fidei, veræ Eccleſiæ, Sacrorúmque Myſtarum conſtituit Defenſorem, idem Vnctum ſuum potente dextrâ defendat, vt tanquam Cedrus in Libano altiſsima, & arbor in horto Dei nobiliſsima, cuius nec fructus deficiunt, nec folia defluunt, quia ad perennium aquarum riuos eſt ſata, & perpetuis fluentis irrigata, apud Anglos tuos ſicut in terreſtri Paradiſo diutiſsimè viuas, valeas, vigeas; tandémque plenus dierum, in cœleſtem Paradiſum migrans, vnà cum Chriſto æternùm regnes.

Ita precatur

Sereniſsimæ Maieſtatis veſtræ ſubditus, ſeruúſque humillimus,

Franciſcus Maſonus.

Digitized by Google

AMPLISSIMO PRÆSVLI DOMINO HENRICO DE GONDY,

Pariſienſi Epiſcopo, & Regis Chriſtianiſſimi
Conſiliario, Franciſcus Maſonus, Archidiaconus Norfolcienſis,
S. P. D.

QVam ingredior viam (Præſul ampliſſime) illam mihi exemplo ſuo ſignauit Antonius Champnæus, natione Anglus, Religione Romano-Catholicus, ordine Presbyter, & gradu Academico Doctor Sorbonicus. Qui cùm ſuperori anno librum contra Miniſterij Anglicani Apologiam, à me Anglicè conſcriptum, Anglicè adornâſſet, ſeipſum poſtea colligens, gloriæ ſuæ non ſatis conſultum putauit, ſi tam inſignis victoria, quam de me (vt ipſe iactitat) debellato reportârat, vnius Inſulæ anguſtijs concluderetur; ac proinde Latinitate donans alas addidit, vt per totam poſſet Europam longè latéque circumuolitare. Quæ cùm ita ſint, mihi quoque, etiamſi nulla alia acceſſiſſet ratio, opus meum qualecunque in linguam Latinam traducendi ſumma incubuit neceſſitas. Deinde Champnæus ſua dum vertit recognoſcens, quædam detrahenda, nonnulla mutanda, multa etiam addenda cenſuit. Et mihi quoque (Antiſtes clariſſime) non diſſimilis indulgenda eſt venia, præſertim cùm in hac editione ad ſex nouos Antagoniſtas, qui in me magno inuolârunt impetu, reſponſio ſit intertexenda. Porrò, Champnæus Reuerendiſſimum Archiepiſcopum Cantuarienſem, cuius auſpicijs Liber meus ante ſexennium in lucem prodijt, Epiſtolâ operi ſuo præfixâ compellauit; & ego viciſſim Amplitudinem tuam, cui Champnæus lucubrationes ſuas dicat, dedicátque, per Epiſtolam ſalutare ſtatui. Sed hoc intereſt: Champnæus Præſulem Cantuarienſem, totius Angliæ Primatem ac Metropolitanum, conuicijs atque dicterijs petulanter inceſſit; mihi tamen ſtat ſententia Epiſcopum Pariſienſim, quo decet honore ac reuerentiâ proſequi, nec vel vno quidem verbo violare. Denique Champ-

næus (quâ eſt confidentiâ) Archiepiſcopum Cantuarienſem totius huius controuerſiæ arbitrum conſtituit: Et ego par pari rependens in eadem cauſa Paternitatis tuæ candorem & iudicium appello. Quare, vt omnia Reuerentiæ tuæ liquidiùs innoteſcant, res paulo altiùs eſt repetenda, & quæ præcipuè inter nos diſputando ventilantur, ad pauca quædam capita ſunt reuocanda.

Qui ſub initio Regni glorioſiſſimæ Reginæ Elizabethæ, ex noſtris Academijs, atq; alijs huius Inſulę locis, religonis ergò, in trãſmarinas partes ſeſe receperunt, hanc impenſè dederunt operam, vt Eccleſiam Anglicanam ab ipſis, ſi fieri poſſet, fundamentis ſubruerent. Hinc Hardingus, Stapletonus, Alanus, Sanderus, Briſtous, & id genus alij, quorum veſtigijs inſiſtit Champnæus, nullos apud nos eſſe Epiſcopos, ac proinde nullos Miniſtros, Eccleſiam nullam magno hiatu ſtrenuè clamabant. Sed quo tandem vſi argumento? Hoc ſcilicet, quòd Primi noſtri ſub Elizabetha Regina Antiſtites, Parkerus, Grindallus, Sandeſius, Iuellus, & reliqui, à tribus Epiſcopis (ſic enim ſomniant) inaugurati non eſſent. Hinc duæ emergunt quæſtiones; altera iuris, facti altera, an tres ſimpliciter neceſſarij? an noſtri à tribus?

Pro elucidatione primæ liceat mihi, tua bona cum venia, ex priſcæ hiſtoriæ monumentis hæc tibi tria, quæ* poſtea fuſiùs ſunt diſceptanda, in memoriam reuocare. Nempe Pelagium Romanum Pontificem, eius nominis Primum, à Duobus tantùm Epiſcopis inauguratum fuiſſe, teſte [a] Anaſtaſio, aſtipulantibus [b] Baronio & [c] Binio. Deinde Euagrium, Patriarcham Antiochenum (quem duo Romani Pontifices, [d] Siricius, & [e] Innocentius Primus, atque [f] *Occidentales Antiſtites ferè vniuerſi*, pro legitimo habuerunt Epiſcopo,) à ſolo Paulino ordinatum fuiſſe, referente [g] Theodoreto. Denique Galliæ veſtræ florentiſſimæ primos Epiſcopos, à ſolo Dionyſio factos eſſe, vt tradit Iohannes [h] Maior. Hæc diligenter perpende, illuſtris Domine; Iámque an tres ſint ſimpliciter neceſſarij? te Iudicem ſtatuo.

Quæritur ſecundo in loco, an noſtri illi ſub *Elizabetha* Primi à tribus ſacrati? Hîc aduerſarij valdè tumultuantur, tréſque tunc in Regno Angliæ noſtram amplexos Religionem, qui manus imponerent, extitiſſe Epiſcopos vehementer negant. Sed præter nudam ſuam coniecturam, paleâ huc illuc volitante leuiorem, nihil planè afferunt. Ego è contra, præter [i] diplomata Regia, illo ipſo tempore ſub Magno Angliæ Sigillo emanantia, atque ad ſeptem Epiſcopos miſſa, Eccleſiæ Anglicanæ [k] Archiua, genuinam veritatem ſpirantia, omniúmque inſuper Regni [l] Ordinum, in celeberrimo conuentu Parliamentario confluentium, ampliſſimum & planè aureum teſtimonium, ante annos quinquaginta typis publicis impreſſum, in medium produco. Ita Reuerendiſſimæ dominationi tuæ iudicandum relinquo, quid cui præponderet; aurum, an palea.

Iſtis

* *Lib.1.c.8.*

[a] *Anaſt.in vit. Pelagy.1.*
[b] *Bar.an.555. n.10.*
[c] *Bin.t.2.p 617.*
[d] *Vid.Bar.an. 389.n 64.*
[e] *Vid.Bin.in not.in ep.17.Innoc.t.1.p.579.*
[f] *Bin. in not.in Concil. Capuan. t.1.p.536.*
[g] *Theod.l.5.c.23.*
[h] *Maior.in 4. ſenten.d.25.q.3. apud Gerſon. par.1.operum. fol.681.*
[i] *Infra.l.3.c.9. n.2.*
[k] *L.3.c.9.n.3. & cap.18.n.16.*
[l] *Vid.l.3.c.18. n.11.*

Iſtis Eccleſiæ Anglicanæ oppugnatoribus, qui in prima ſteterunt acie, noua ſucceſſit progenies, priori illa longè deterior. Hi enim non de conſecrantium duntaxat numero, ſed de conſecrationis etiam loco litem nouam intendentes, de noſtrorum Antiſtitum, in œnopolio, ſcilicet, ad Inſigne Capitis Equini, conſecratione, lepidam ſanè & oppidò elegantem adiecerunt fabulam. Hic ſibi mirificè placent, ſéq; ſuauiter oblectantes, quam ſibi ſomniant, ordinationē, ridiculam, ſcenicam, mimicam, vmbratilem, cauponariam, Tabernariam, & denique hippocephalicam appellant. Quamuis autem vix poſſum in animum inducere hanc fabulam, tan topere ab omni probabilitatis ſpecie remotam, illis ipſis, qui narrant, eſſe perſuaſam; in eandem tamen ſubinde relabuntur, ac partium ſtudio, tanquam tempeſtate quâdam delati, vt nos mordeant, hanc à ſe pictam ceruicem equinam, quaſi eburneam Pygmaleonis ſtatuam pro amaſia exoſculantur, & depereunt. Quinetiam quibus poſſunt, licèt euanidis, fucant coloribus, vt alios quoque (ſi quos inuenerint Midæis auribus donandos) in phalerati ſui Bucephali amorem rapiant. Champnæus has fabularum delicias, hæc mendaciorum opipara, & popinam olentia obſonia, ac bellaria Pariſienſis Epiſcopi menſæ auſus eſt imponere. Huic ego ridiculo commento Archiua illorum temporum oppono, Sole Meridiano ſplendidiora, quæ primos noſtros, regnante Elizabethâ, anteſignanos in capella Lambethana ſacratos eſſe liquidò demonſtrant. Quod, à me antè ſexennium literis conſignatum, quum Romæ agens accepiſſet Fitzherbertus, enixè [m] rogauit, vt Archiua iſta, toties à me & tam honorificè citata, viris quibuſdam Romano-Catholicis iudicio pollentibus oſtenderentur. Quod et [n] factum eſt à Reuerendiſſimo Archiepiſcopo Cantuarienſi; adeóque reperta ſunt omni omninò exceptione maiora. Porrò ſi tu quoque (vir Honoratiſſime) amicorum tuorum cuipiam huc ex Gallia tranſfretanti hæc eadem oſtendi volueris, dabitur ſpero hæc veræ antiquitatis, & antiquæ veritatis viua, & ſpirantia monumenta inſpiciendi, ac perluſtrandi copia, adeò certè clara atque illuſtria, vt radio ſolari deſcripta eſſe videantur. Tantum abeſt vt cuiuſquam, vel regidiſſimi Ariſtarchi conſpectum, aut obelum reformident. Horum luce diſcuſſis mendaciorum tenebris, totius rei veritas illicò ſplendeſcet. Hanc amplectere, & Champnæi, qui ad tam inſulſam fabulam defendendam, Amplitudinis tuæ quærit patrocinium, impudentiam deteſtare.

m Fitzherber. in append circa Regiſtr. à Maſo. no cit. n. 14.

n L. 3. c. 18. n. 6.

Neque verò hîc ſubſiſtit Champnæus: qui licèt ſatis perſpectum habeat, nos præter precationes, hortationes, examinationes, lectiones, conciones, etiam manuum impoſitionem, cum his verbis (*Accipe Spiritum Sanctum*) in conſecrandis Epiſcopis adhibere, vt nobis tamen vulnus ſcilicet lethale poſſit infligere, non oleum modò, ſed [o] annulos quoque & baculos (quorum vſus in Eccle-

o Champ. p. 421.

ſia

ſia noſtra iamdudum exoleuit) ad ordinis Epiſcopalis eſſentiam ſpectare contendit. Quæ quidem ceremoniæ, ſi duntaxat vt res adiaphoræ decori gratiâ retinerentur, admitti poterant: ſin nobis tanquam res neceſſariæ, & ordini Epiſcopali eſſentiales obtrudantur(quod à Champnæo factum eſt)quis æquo animo ferat? Lege ſi placet (Reuerende Antiſtes)quæ nos [p] infra ex Bellarmino, Gabriele Vaſquez & alijs pro noſtra ſententia propugnanda decerpſimus, & an iſtiuſmodi ceremoniæ adiectitiæ in tanto habendæ ſint pretio, vt ex illarum defectu conſecratio reddatur irrita, penes Amplitudinem veſtram iudicium eſto.

[p] L.2.c.14.n.7.

In his quæ hactenus delibauimus, quin pro me contra Champnæum ſententiam ſis laturus, nullus, dubito. Sed vnum præterea reſtat, ídque momenti maximi. Quamuis enim hæc vniuerſa, quæ diximus, de conſecrantium numero, conſecrationis loco, et eſſentia nobis concederentur, ſi tamen in hoc vno, quod ſupereſt, Champnæus victor euaſerit, nos, fateor, cauſâ cadimus. Etenim cùm Epiſcopus eſſe nequeat, qui non fuerit Presbyter, ſi Champnæus nos Presbyteros non eſſe probatum dederit, de Miniſterio Anglicano actum erit. Huc igitur ingenium torquet, hâc neruos intendit, vt poteſtatem offerendi ſacrificium externum, & propriè dictum ordini Presbyterali eſſentialem eſſe euincat. Nos è-contra huiuſmodi nullum noui Teſtamenti agnoſcimus ſacrificium, præter illud vnum, quod Chriſtus ipſe, in propria perſona, ſemel in ara Crucis immolauit. Tu verò (illuſtriſſime Domine) ſi aliter ſentias, Deus, ſpero, miſericors ſuo tibi tempore reuelabit. Interim illud obſecro apud te iterum atque iterum cogites, nempe qua in parte Euchariſtiæ conſiſtat huius, quod amplecteris, externi ſacrificij eſſentia. Hæc quæſtio à [q] Bellarmino tractatur, quem cauſæ Pontificiæ Atlantem iure dixeris. Verùm hîc *Atlas nunc ipſe laborat*, atque oneri ſuccumbit. Nam vt olim Diogenes lucernam meridie accendiſſe dicitur, vt in foro inter viros virum quæreret: ita Bellarminus, quaſi accenſâ meridianâ lampade, ſacrificium Miſſaticum in Miſſa quærit, nec reperit tamen. Qui cùm omnes Euchariſtiæ angulos, & receſſus diligenter rimatus eſſet, ſéque ipſum diu quæritando miſerè torſiſſet, ac defatigâſſet, tandem aliquando in hæc verba, perenni æri, aut viuaci Marmori incidenda, erupit; ſcilicet, [r] *Chriſtus ipſe aut conſecrando, & conſumendo* (id eſt, comedendo, vt ipſe [s] Bellarminus interpretatur) *ſacrificauit, aut nullo modo ſacrificauit. Nam (vt oſtendimus) nulla eſt alia Chriſti actio, quæ ſacrificium dici poſſet, neque ante, neque poſt conſecrationem.* Hæc ſi vera ſint, quæ Bellarminus tam fidenter protulit, ſalua res eſt, nos enim derepente ſacrifici euaſimus. Quis enim neſcit nos, perinde ac vos, dum ſacram cænam celebramus, & conſecrare & comedere? Porro ſi in his poſita ſit ſacrificandi actio, nos in ordinatione noſtra, vnà cum poteſtate miniſtrandi Euchariſtiam, & ſacrificandi quoqne poteſtatem

[q] *Bell. de miſſ. l.1.c.27.*
Ouid. Metamor. lib.2.

[r] *Ibid. § ſecundo Quia.*

[s] *Denique manducatio ſeu conſumptio. Ibid. denique & 7a propoſit.*

Digitized by Google

poteſtatem pariter accepimus. Deſinat igitur Champneus, deſinant cæteri aſſeclæ Pontificij ſacrificij defectum nobis in poſterum obijcere, quum illam ipſam ſacrificandi rationem in Euchariſtia accuratiſſimè obſeruemus, quam ſolam Chriſtus ipſe (Bellarmino teſte) exemplo ſuo docuit, & in Eccleſia perpetuò obſeruandam inſtituit. Sed quale demum eſt hoc ſacrificium? Num propriè dictum? Fieri non poteſt, Vbi enim oblatio? Vbi mactatio?

Sed vela contraham, quia in libris[1] ſubſequentibus hæc ſingula, ſuis quæque locis tractantur. Tuum erit (vir Reuerendiſſime) quæ vtrinque dicta ſunt, ad ſacræ Scripturæ normam ac perpendiculum exigere, & limati iudicij lance librare. Deus tibi pro diuite ſua gratia mentis oculos aperiat, vt poſſis omnia explorare, & quod bonum eſt, tenere. Vale.

[1] L.5.c.3.n.1. & 2.

B 5 SINGV-

SINGVLORVM CAPITVM

libri primi argumenta.

Cap. 1.

PRoœmium, in quo Ieſuitarum, & ſacerdotum Pontificiorum in lucrandis Proſelytis ingenium depingitur.

2. *Quid Papiſtæ in miniſterio Anglicano ſugillent : vnde totius controuerſiæ generalis in particulares controuerſias & quæſtiones naſcitur diſtributio.*
3. *Papiſtis, qui Anglorum Epiſcopos vt titulares, & non Canonicos perſtringunt, reſpondetur.*
4. *Prima controuerſia particularis de conſecratione Epiſcopali, in duas diuiditur quæſtiones; primam, An tres neceſſarij ? cuius ſtatus explicatur : alteram, An noſtri à tribus ?*
5. *Papiſtarum argumenta ab Apoſtolorum Canonibus, & epiſtolis Decretalibus deprompta.*
6. *Papiſtarum argumenta à Concilijs deſumpta.*
7. *Papiſtarum argumenta à Scripturis collecta.*
8. *Non eſt de abſoluta neceſſitate, vt tres Epiſcopi ad noui Antiſtitis ordinationem confluant.*

Libri ſecundi argumenta.

Cap. 1.

DE prima controuerſiæ quæſtione ſecunda, ſcilicet, an Epiſcoporum Angliæ conſecrationes ſint Canonicæ.

2. *De prima Inſulæ ad fidem Ieſu Chriſti conuerſione, Apoſtolorum tempore factâ.*
3. *De ſecunda conuerſione, quam appellant ſub Rege Lucio, & Eleutherio Papa.*
4. *De Auguſtino, primo Archiepiſcopo Cantuarienſi, à Gregorio Magno Pontifice Maximo, in Angliam miſſo.*
5. *De eiuſdem vita, & ordine Epiſcopali.*
6. *De Epiſcopis ab Auguſtino ad Cranmerum.*

7. *De*

Digitized by Google

7. *De Conſecratione Reuerendiſſimi Patris, ac beatiſſimi Martyris, Thomæ Cranmeri, Archiepiſcopi Cantuarienſis.*
8. *De Canonicis impedimentis, Cranmero à Champnæo obiectis, nempe bigamiâ, & actuali coniugio.*
9. *De Papalis iuriſdictionis per Henricum Octauum extirpatione, & huius rei explicandæ gratiâ, iterum de Cranmero.*
10. *Vtrùm Papæ renunciare ſit ſchiſma, aut hæreſis?*
11. *Vtrùm ſchiſma, aut hæreſis conſecrationem irritam reddant?*
12. *De Epiſcopis ſub Henr. 8. poſt exterminatum Pontificem creatis.*
13. *De Champnæi argumento, quo Cranmerum, & per Cranmeri latera, vniuerſam Eccleſiam Anglicanam confodere molitur.*
14. *De argumento Card: Perionij contra Eccleſiam Anglicanam.*
15. *De Epiſcopis regnante Eduardo Sexto conſecratis.*
16. *De hodierno Ordinali Anglicano, quod regnante Eduardo 6. emanauit, & de ordinantium intentione.*
17. *De ordinalium collatione.*
18. *De Epiſcopis regnante Mariâ conſecratis.*

Capitum libri tertij argumenta.

CAP. I.

AD Papiſtarum querelas de mulcta, & Epiſcopis indignè (vt calumniantur) tractatis reſponſio.
2. *Epiſcoporum Pontificiorum depoſitio, exemplo Abiatharis à Salomone eiecti, defenditur.*
3. *Champnæus in quæſtione de Primatu Regio, quomodò ſe gerat.*
4. *De primatu Regio, eiúſque iuramento.*
5. *Obiectiones contra Primatum Regium diluuntur.*
6. *Obiectiones contra veterum Epiſcoporum depoſitionem diluuntur.*
7. *Obiectiones generales contra Epiſcopos ſub initio Regni Elizabethæ creatos repelluntur.*
8. *De Reuerendiſſimo Patre Matthæo Parkero, olim Archiepiſcopo Cantuarienſi, & imprimis de loco, in quo ſacratus erat.*
9. *Iterum de eodem, eiúſque conſecratione.*
10. *De conſecratorum Parkeri conſecratoribus.*
11. *De Roberto Horno, olim Epiſcopo Wintonienſi.*
12. *De Epiſcopis in depoſitorum loca ſurrogatis.*
13. *Omnium Epiſcoporum quarundam ſedium maximè illuſtrium, qui regnante Elizabethâ ſacrati ſunt, breuis Synopſis.*
14. *De Prouinciæ Cantuarienſis Epiſcopis, qui conſecrationem ſub ſereniſſimo noſtro Rege Iacobo adepti ſunt; vbi etiam ex Prouincia Eboracenci datur ſpecimen.*
15. *Reuerendiſſimi in Deo Patris Georgij, nunc Archiepiſcopi Cantuarienſis,*

Digitized by Google

rienſis, linea epiſcopalis, ſeu ordinationis ſucceſsiua catena aurea,per ſingulos annulos oſtendens quomodò ab Epiſcopis ſub Henr. 8. ſacratis (qui aduerſarijs noſtris ſunt Canonici) originem duxerit.

16. *Ad duodecim Kelliſoni contra Epiſcopos noſtros,& Regiſtra,obiectiones, reſponſio.*

17. *De Regiſtrorum illibata fide contra Fitz-Simonem Ieſuitam,Champnæum,& demonſtratorem Anonymum.*

18. *Ad Fitzherbertum, circa Epiſcopos & Regiſtra,reſponſio.*

Capitum libri quarti argumenta.

Cap. I.

Iuriſdictio Epiſcopalis quomodo differat à Regali, & vnde fluat.

2. *Epiſcoporum Iuriſdictionem ſuperiori capite traditum quomodo oppugnet Champnæus.*

3. *Vtrùm S. Petrus omnis ſpiritualis Iuriſdictionis ſub Chriſto vnicus ſit fons, & ſcaturigo?*

4. *Vtrùm Papa Sancto Petro in toto ſuo iure ſuccedat Lege diuina?*

5. *De Epiſcoporum electione in Primitiua Eccleſia, quum Principes nondum eſſent Chriſtiani.*

6. *Ad argumenta quædam ex Concilijs & Hiſtorijs Eccleſiaſticis,contra electiones à Chriſtianis Regibus & Imperatoribus faciendas allata, reſponſio.*

7. *De Romanorum Epiſcoporum electione ſub Imperatoribus Chriſtianis,vſque ad tranſlationem Occidentalis Imperij à Græcis ad Francos.*

8. *De Epiſcoporum Romanorum electione à Carolo ad Othonem.*

9. *De Epiſcoporum Romanorum electione ab Othone ad Henricum.*

10. *De Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum electione.*

11. *De Epiſcoporum Hiſpanorum electione.*

12. *De Epiſcoporum Gallicanorum electione.*

13. *De Epiſcoporum Anglicanorum electione.*

14. *Quàm miſera olim conditio fuerit Angliæ, dum Epiſcopatus, & beneficia per Papales Prouiſiones concederentur.*

15. *Vtrùm ſit Pontificis Romani vniuerſos totius terrarum orbis Metropolitanos,& inter reliquos,Metropolitanos Angliæ confirmare?*

16. *An Papa in Angliæ Epiſcopos iuriſdictionem habeat, vt Patriarcha Occidentalis?*

Digitized by Google

Capitum libri quinti argumenta.

Cap. I.

De ſecunda controuerſia quæſtione prima, id eſt, de poteſtate ſacrificandi.

2. *Non eſſe in Euchariſtia ſacrificium propriè dictum, probatur ex Epiſtola ad Hebræos.*

3. *De Papiſtarum argumentis in genere, & in ſpecie, de argumento à Melchiſedech deducto.*

4. *De argumento ab agno Paſchali.*

5. *De argumento à quibuſdam locis Propheticis.*

6. *De argumento à verbis Inſtitutionis.*

7. *De argumento ab actionibus Chriſti.*

8. *De argumento à praxi Eccleſiæ, & à quibuſdam locis Apoſtolicis.*

9. *De argumento ab authoritate Patrum.*

10. *Secunda quæſtio de abſoluendi poteſtate proponitur, & explicatur.*

11. *Probatur ſententia noſtra quorundam authoritate, quos Papiſtæ pro ſuis vendicant.*

12. *De Bellarmini argumentis contra abſolutionem declaratoriam.*

13. *De tertia controuerſia particulari, nempe de Diaconis.*

14. *Quamuis ſacerdotum Papiſticorum vocatio ſit illegitima, noſtra tamen ab illis deducta, eſt legitima.*

Collatio huius Latinæ editionis cum priori Anglicana, ex qua quid in iſta ſit additum, facilè perſpicitur.

In primo libro nullæ factæ ſunt additiones notabiles. In reliquis quę habentur inſigniores, ſuccinctè in hac tabula per libros, capita, & numeros, ſeu ſectiones indicantur.

Lib.	Cap.	§.	
2.	2.	6.	*Quædam addita ſunt de Ioſepho Arimathenſi.*
	3.	3.	*De Flaminibus, & Archiflaminibus, quorum loco ſubſtituti ſunt Presbyteri & Epiſcopi.*
	4.	2.	*De tempore, quo huc miſſus Auguſtinus.*
		3.	*De modo, quo Britanniam ingreſſus eſt.*
		12.	*De Aidano, an rectè dici poſſit Northumbriam conuertiſſe; quod defenditur contra Fluddum.*

17.18. *De*

Lib. Cap. §.

17.18. *De Lethardo quem Cantianis prædicâſſe oſtenditur, & defenditur contra Fluddum.*

5. 5. *De venerabili Beda, quòd humanum quid paſſus, in Britannos eſſet iniquior.*

6. *De Charta Ethelberti.*

7. 2. *De Fitz-Simone Ieſuita, qui Becani in Cranmerum calumnias ineptè defendit.*

8. *Totum hoc caput de nouo adijcitur, in quo defenditur Cranmerus, qui iam in Epiſcopum promouendus, duas ſucceſſiuè habuerat vxores, etiam actu erat maritus, contra Champnæum.*

9. 29. *De corde Cranmeri contra Fluddum.*

11. 13. *De Innocentio, quem Champnæus defendere voluit, ſed non potuit.*

2. 13. *Hoc quoque caput totum additur; In quo Champnæus per Cranmeri latera Eccleſiam Anglicanam confodere conatur.*

14. *Et hoc totum eſt nouum, in quo reſpondetur ad argumenta Cardinalis Perionij contra Eccleſiam Anglicanam.*

15. 3. *De Latimero, quem ſub Henrico* 8. *conſecratum fuiſſe manifeſtum feci, contra Allanum & Kelliſonum.*

4. 5. 6. 7. 8. *De argumentis Champnæi contra Epiſcopos ſub Eduardo Sexto factos.*

16. 1. *De Ordinalis Anglicani emanatione, quæ defenditur contra Champnæum.*

2. 3. 4. 5. 6. 7. *Ordinale Anglicanum non repugnat S. Scripturis, nec ritui Apoſtolico, vt calumniatur Champnæus.*

8. *De ordinantium intentione, quam non eſſe ordini eſſentialem probamus contra Fitz-Simonem.*

17. *Hoc quoque integrum caput eſt recens ab incude, in quo ordinalia inter ſe conferuntur.*

Lib. 3. 3. *Et hoc caput vniuerſum nūc primum lucem conſpexit, in quo oſtenditur in quæſtione de Primatu Regio quàm ſophiſticè ſe gerat Champnæus.*

3. 4. 1. *De Primatu Regio ex Scripturis contra Champnæum.*

2. 3. 4. *Quòd de Concilijs Primatum Regium aſtruentibus ſcripſeram, defenditur contra Champnæum.*

6. *Leo Magnus Regium aſtruit ſuprematum, quod defenditur contra Champnæum.*

7. *Gregorius Magnus Regium agnoſcit ſuprematum, quod defenditur contra Champnæum.*

4. *Primatus*

Digitized by Google

Lib. Cap. §.

4. *Primatus* { 9. *Conſtantini.* 10. *Gratiani.* 11. *Theodoſij.* 12. *Martiani.* 13. *Iuſtiniani.* 14. *Caroli Magni.* 15. *Baſilij.* } *defenditur cõtra Champ.*

16. *Calumniæ Champnæi contra Regem Sereniſſimum diluuntur.*

5. *Per totum hoc caput multa adijciuntur ad ea refutanda, quæ contra Primatum Regium obiecit Champnæus.*

6. *Et hic paſſim multa interſeruntur ad exceptiones Champnæanas, contra veterum Epiſcoporum depoſitionem refellendas.*

7. 3. *De clauſula diſpenſatoria.*

4. *Epiſcopos Parliamentum non creauit, ſed veros eſſe declarauit, contra Champnæum.*

3. 8. *Per totum hoc caput multa paſſim interponuntur contra fabulam de Manno.*

5. *Honorarium teſtimonium Comitis Notingamiæ.*

6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Tota fabula cum omnibus ſuis circumſtantijs perpenditur, ac refellitur.*

9. 3. *Repellitur obiectio Champnæi, à Stylo ducta, quo Maſonus Parkeri conſecrationem deſcribit.*

6. *De cæremonijs in conſecratione Parkeri adhibitis, contra Kelliſonum.*

7. *De verborum formula, contra Fitz-Simonem.*

8. *De literarum Reginæ Patentium approbatione per Iuriſperitos, contra Champnæum.*

10. *Multa hic addita de* { *Barlöo. n.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *Ioh. Bedfordienſi. n.* 10. *Scorao, & Couerdalio. n.* 11. }

11. *Totum hoc caput de Reuerendo patre Roberto Horno, olim Epiſcopo Wintonienſi recens acceſſit, contra Stapletonum & Champnæum.*

16. *Et hoc quoque, in quo reſpondetur obiectionibus Kelliſoni contra noſtros Epiſcopos.*

17. *Et hoc quoque, in quo operam dedi, vt exceptionibus Fitzherberti contra Epiſcopos noſtros, & Regiſtra ſatisfacerem.*

Lib. 4. 2. *Et hoc quoque integrum caput eſt additum, in quo duplex Iuriſdictio in Epiſcopis noſtris, altera à Chriſto, à Rege altera defenditur, contra Champnæum.*

8. 2. 3. *De*

Digitized by Google

Lib.	Cap.	§.	
	8.	2. 3.	*De Canone Adrianus,& de Sigeberti defenſione,contra Baron. Bellarm. Biuium.*
	13.		*Hic multa interſeruntur de Epiſcoporum inueſtituris,per priſcos Reges factis; contra Parſonium.*
Lib.5.	2.		*Hoc caput totum eſt nouum, in quo probatur, Epiſtolam ad Hebræos Miſſam Pontificiam deſtruere.*
	3.		*Multa hic paſsim interſeruntur de Melchiſedech ad Champnæi obiectiones diluendas.*
	5.		*Multa hic adduntur de pura oblatione ad defendendam interpretationem noſtram, quam rodit Champnæus.*
	9.	1.	*Reſpectus commemorationis in nouo Teſtamento tollit ſacrificium, contra Champnæum.*
	14.		*Multa hic interſeruntur de ſacerdotio Papiſtico, ad probandum illud idem eſſe Semi-roſam, Semi-vrticam, contra Champnæum.*

Digitized by Google

DE MINISTERIO ANGLICANO
LIBER PRIMVS.

Interlocutores: { PHILODOXVS, Sacerdos pontificius. / ORTHODOXVS Eccleſiæ Anglicanæ Miniſter. }

CHAP. I.

Proæmium, in quo Ieſuitarum, & Sacerdotum Pontificiorum in lucrandis Proſelytis ingenium depingitur. Quod ingens opus duplici ratione moliuntur.

Nempe
- *Laudando*
  - *Romæ*
    - *Splendorem, & magnificentiam.* 1
    - *Fidem, ac religionem.* 2
  - *Romani Pontificis*
    - *In Anglos amorem.* 3
    - *Collegia Anglo-Romana.* 4
- *Vituperando Anglorum*
  - *Academias.* 5
  - *Eccleſiam, ac Religionem.* 6
  - *Miniſterium.* 7

PHIL.

FAllor? An *Orthodoxum*, antiqua mihi neceſſitudine coniunctum, videre videor? Salue, mi Orthodoxe; omnes te ſalutant Gratiæ, tuoque in Galliam aduentui congratulantur: Nobis enim aliquid affulget ſpei, te, quorundam amicorum tuorum exemplo, per iuga Alpina Romam contendere.

ORTH. Romam, mi Philodoxe? Hui, quid Romæ faciam? Mentiri neſcio.

PHIL. O lepidum caput! Sed, vt miſſis facetijs rem ſeriò tranſigamus, multa ſunt quæ te Romam, idque meritò, poſſint allicere.

Digitized by Google

Nam qui Romam vidit, omnia vidit, nihil eſt vſpiam terrarum quod vltra deſideret; Romam qui non vidit, licèt reliqua vniuerſa oculis perluſtrauerit, tamen, ſi rectè ratiocinamur, nihil penitus vidiſſe dicendus eſt. Roma Regina & domina vrbium, Naturæ Paradiſus, totiuſque terrarum Orbis compendium, & Epitome; in quâ omnia admiranda, viuis depicta coloribus, egregia pulchritudine reſplendent. Priſcis olim ſeculis ſeptem ferebantur mundi miracula; Templum Dianæ, Mauſoli Regis Sepulchrum, Solis Coloſſus, Iouis Olympici Simulachrum, Cyri Palatium, Muri Babylonici, & Egyptiæ Pyramides. Hæc enim, ſuo quæque tempore, emergentia noua & eximia, omnium in ſe oculos & animos rapuerunt. Sed quis talia iam vlterius ſuſpiciet, quum vna in vrbe tot ſpectacula non admiranda modò, ſed ſtupenda etiam intueri liceat? Conſtantius Imperator, Roſtra, Capitolium, Lauacra, Amphitheatrum, Pantheon, Vrbis Templum, Forumque pacis, aliaque decora Vrbis æternæ intuitus, miraculorum denſitate præſtringebatur: verùm cùm ad Traiani forum veniſſet, [a] *Hærebat planè attonitus per Giganteos contextus circumferens mentem, nec relatu effabiles, nec rurſus mortalibus appetendos.* Quamuis autem Tempus, *edax rerum*, hæc omnia iamdudum valdè corroſerit, ſi tamen hodiernam Romam cum illa antiqua componere velimus, verè illud viri docti vſurpare poſſumus; [b] *Non maior, ſed melior iam Roma, non cultior, ſed ſanctior*: liceret etiam adijcere, ſic inter reliquas ſplendere vrbes, *Vt Stellas inter tremulas micat aurea Luna.*

[a] *Ammian. Marcell. lib. 16.*

[b] *Lipſ. de magnit. Rom. in præfat. ad Lect.*

ORTH. Fac non minorem nunc eſſe tectorum Elegantiam, quàm olim Conſtantij fuit temporibus; Quid inde aſtrues? Hormiſda è Perſia oriundus, [c] *interrogatus, quid de Roma ſentiret, id tantùm ſibi placuiſſe aiebat, quod didiciſſet ibi quoque homines mori.* Et ſanè quamuis noſtra ex auro mœnia, ex Saphyro feneſtrę conſtruerentur, dum tamen in hac valle vanitatis viuitur, domos inhabitamus luteas, quarum in puluere poſitum eſt fundamentum. Det Deus, vt Ciuitatem quæramus illam habentem fundamenta, [d] *cuius artifex & conditor eſt Deus.* Det Deus, vt, quando terreſtre noſtrum Tabernaculum diſſolutum fuerit, domicilium non manu factum, ſed in Cœlo æternum habeamus.

[c] *Ammian. Marc. quo ſupra.*

[d] *Heb. 11. 10.*

PHIL. Rectè tu quidèm; & hac vnica ratione hoc aſſequi poteris, ſi in Eccleſiæ Romanæ gremium (extra quam nulla eſt ſpes ſalutis) te contuleris: Eſt enim terreſtris Paradiſus, & tutiſſimum animarum aſylum. Quamobrem ſi hùc te recipias, ter fœlix futurus es, & tranquillæ conſcientiæ dono pretioſo fruiturus.

ORTH. Tranquilla & ſerena conſcientia eſt gemma ſine dubio nobiliſſima; longè ſuperat Carbunculos pretium eius, nec puriſſimi auri lamina æſtimari poteſt. Verùm hic floſculus non naſcitur in hortis Romanis, ne in *Beluiderio* quidèm, Papali Paradiſo. Nulla enim eſt Religio quæ turbatam conſcientiam pacare poteſt, præter illam ſolam, quæ hominem fracti & contriti Spiritus, de peccatorum

torum ſuorum remiſſione, per merita Chriſti, fide apprehenſa, & cordi obſignata, certiorem reddit. At hodierna eccleſiæ Romanæ Religio, nullam niſi [a] *moralem coniecturalem & fallibilem*, id eſt, incertam certitudinem docet, quæ miſeras conſcientias mille moleſtiarum fluctibus immergit. Quamobrem quæ nunc eſt Romana Religio, non eſt doctrina conſolationis, ſed dubitationis ac diffidentiæ; tantumque abeſt à conſolando, vt ſit perpetua animarum tortura & Carnificina.

[a] *Vid. Bell. de iuſtif. l. 3. c. 2, 3. Et Rhemenſes in ep. ad Rom. c. 8. v. 38.*

Phil. Quicquid tibi videtur, tuâ tamen bonâ cum veniâ edico tibi, Religionem noſtram à Deo Patre Cœlitùs eſſe deriuatam, à Ieſu Chriſto reuelatam, à Spiritu ſancto inſpiratam, ab Apoſtolis plantatam, ſanguine Martyrum irrigatam, & miraculis confirmatam; quippe quæ antiquitate venerabilis, vniuerſalitate illuſtris, ſucceſſione certa, ordine decora, vnitate admirabilis.

Orth. De Arcula gloriaris, gemmulæ verò nuſquam apparent. Fides enim Romana olim per totum Terrarum orbem inclaruit, & voce ipſius [b] Apoſtoli eſt celebrata: verùm ex illo tempore, Roma frequentes & ingentes paſſa eſt mutationes. Nam, vt ratione ſtatus politici, per varias Regiminum formas, tanquam à vaſculo in vaſculum transfuſa, linguam amiſit, ſeptem montes reliquit, in Campum Martium ſe tranſtulit, antiquam formam & faciem exuit, adeoque ruderibus ſuis tumulata iacet, vt Iuſtus Lipſius, vnus ex amaſijs eius, ne murorum quidem antiquum tractum & ambitum deſignare poſſit, ità, ratione ſtatus Eccleſiaſtici, priſcam illam Romam in hac noua ſi quæſieris, oleum & operam perdideris. Nam (proh dolor) hominum traditiones ſcripto Dei verbo adæquauit, non ſine ſummâ diuinæ *Sapientiæ* blaſphemia; humana merita vnà cum pretioſis Chriſti meritis cõmiſcuit, non ſine ſumma diuinæ *Gratiæ* contumelia; cultum diuinum ſaxis & truncis communicauit, non ſine ſumma diuinæ *Gloriæ* irrogata iniuria. Ità hortus Chriſti herbis noxijs & venenatis eſt obſitus, & filia Sionis facta eſt meretrix Babylonica: quæ nihilo tamen ſecius ſe pro virgine venditat, quià quondàm erat virgo, fictiſque & fallacibus Antiquitatis, Vniuerſalitatis, Succeſſionis & Vnitatis ſe fucat coloribus; qui nihil ſunt aliud quàm tenuis ceruſſa, quæ ſole lucente illicò euaneſcet.

[b] *Rom. 1. 8.*

Phil. Spero equidem te hæc omnia diſputandi tantùm gratiâ protuliſſe. Quomodocunque tamen ſe res habet, vt tua meliùs 3
conſcientia & Iudicium informetur, experientiæ ſpeculum inſpicias velim. Anglorum Academiæ quales ſint ſatis ſuperque exploratum habes; nùnc ſi Seminaria noſtra ingredi volueris, non defuturos ſpondeo qui cunctis dubitationibus tuis cumulatè ſatisfaciant, & omnem tibi Conſcientiæ ſcrupulum penitùs eximant. Ego autèm, pro meo in te amore, curabo vt tibi ſingula ad victum cultumque ſpectantia in Anglo Romano noſtro Collegio abundè ſuppeditẽtur, omneſq; te pro meritis tuis, quo decet honore ac re-

Digitized by Google

nerentiâ proſequantur. Ipſe verò *Sanctiſſimus Pater*, ſummum *Caput vrbis & orbis*, ô quibus te miſericordiæ vlnis complectetur? O quàm te benignè, quaſi Columbam in Arcam Catholicæ Eccleſiæ reuolantem, recipiet, ob amorem eius in noſtram Gentem incomparabilem?

ORTH. Quam impenſè nos ament Romani Pontifices in Innocentio quarto licet perſpicere, qui Angliam noſtram, [c] *Hortum ſuum deliciarum* nuncupauit! Ecquis enim iſtiuſmodi hortum non adamaret? Quinetiam eandem [d] *putei inexhauſti* titulo inſigniuit. Quid? Nonne talis puteus amore digniſſimus eſt habendus? Huius tenerrimi amoris fructum ex verbis eiuſdem Innocentij licet colligere: ſcilicet, [e] *Vbi multa abundant, de multis multa poſſunt extorqueri.* Arethuſa, Armeniæ fluuius (vt fingunt Poëtæ) tellure abſorptus, mare ſubterlabitur, rurſuſque (ſi fas eſt credere) in Siciliâ caput attollit. Verùm (omni remoto figmento) ex Anglia, tanquam ex verberrimo fonte, aurei exorti ſunt fluuij, qui repentè diſparüerunt, emenſoque Oceano Romæ in Pontificis gazophylacio emerſerunt. Quiſquis autem Regni noſtri Chronicâ à Mathæo Pariſio, Thoma Walſingamio, alijſq; conſcripta perlegerit, næ is intelliget quantopere Pontifices Romani aurum & argentum Anglicanum deperierint. En vobis Pontificis amorem in Gentem noſtram incomparabilem.

[c] *Mat. Paris p. 683.*
[d] *Ibid.*
[e] *Ibid.*

PHIL. Hoc eſt ex colliculo montes extrüere. Etenim Papæ annui ex Anglia Reditus, quid erant aliud, quàm [f] *culex ad Elephantem?* Quos ſanè ſanctiſſimus pater parui pendebat, nec recipere dignatus eſſet, niſi eo tantùm nomine quod eſſent amoris pignora in ſanctam matrem Eccleſiam.

[f] *Harding. in confut. apolog.*

ORTH. Annua Pontificis ex Angliâ præda (vt narrat [g] Bonnerus) parum abfuit quin ipſius Coronæ Regiæ Reditus adæquaret. Cui malo niſi Deus maturè remedium adhibuiſſet, vniuerſa Anglia (etiamſi Oceanus) abſorpta iamdudùm penitus fuiſſet, & exhauſta. Tales veſter helluo deglutere ſolet Elephantes, qui tamen vobis nihil ſunt niſi Culices.

[g] *Præfat. in Gardin. de ver. obed.*

4 PHIL. Toto erras Cœlo. Non Argentum, ſed animas diligit Papa: quod vel hinc conſtare poteſt, quòd, ex quo vnum accepit ex Anglia Denariolum, multa impenderit aureorum millia in duobus Collegijs in Anglorum gratiam fundandis & dotandis. Tàm ſincerus eſt eius in Gentem Anglicanam amor.

ORTH. Anglicana veſtra Seminaria fundauit (ſi modò Xenodochij in Collegium tranſmutatio fundatio ſic dicenda) Gregorius decimus tertius. Sed quem obſecro in finem milites iſtos Hiſpanos & Italos, clauibus inſignitos, quorum [a] *Genebrardus* & [b] *Campana* meminerunt, in Hiberniam tranſmiſit? Nonne eo intuitu, vt rebellantibus aduerſus ſupremam ſuam Dominam Reginam [c] Elizabetham ſuppetias ferrent? Tam ſincerus fuit Gregorij in Gentem Anglicanam amor.

[a] *Genebrard. chron. l. 4.*
[b] *Campan. del. hiſtor. de mond. vol. 2. l. 1. anno 1580.*
[c] *Munitionem erigunt contra Angl. Genebrard. ibid.*

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. Sanctiſſimi Patris erga Anglos beneficentia & benignitas in nobiliſſimis illis Collegijs fundandis clariſſimè elucet.[a] *In quibus plures habemus diſputationes, lectiones, collationes, examinationes, repetitiones, inſtructiones, catechizationes, caſuū conſcientiæ & controuerſiarum reſolutiones, methodos, & modos ad deceptorum conuerſionem procedendi, & iſtiuſmodi alta exercitia, quam in veſtris duabus Academijs triginta ferè pulcherrima Collegia complectentibus. Præpoſiti autem & Profeſſores Collegiorum noſtrorum, Romani præſertim, ſunt quidem (auſim dicere) ex toto orbe Chriſtiano ſelectiſſimi & peritiſſimi. Nunc vt illam educationis partem attingam, quæ ad vitam & mores pertinet, præcipuus noſter in vtroque Collegio conatus eò tendit, vt in diſcipulis noſtris timorem Dei, pietatem, & ſalutis æternæ deſiderium accendamus: quod fit, per varia exercitia ſpiritualia, quotidiana conſcientiarum ſuarum examina, crebras Sacroſanctæ Euchariſtiæ celebrationes, frequentes precationes, rerumque ſpiritualium aſſiduam attentionem ac meditationem. Et hinc fit vt complures ex Anglia ingenioſiſſimi ad nos migrantes hic inſtituantur, ob hanc ſingularem educandi rationem fœliciſſimi.* E contra [e] Briſtous, in Academia olim enutritus Oxonienſi, narrat in veſtris Collegijs *pauculos reperiri, qui ſtudijs & literis operā impendunt, eoſque paucis huiuſce tantùm temporis quæſtionibus incumbere, idque ita leuiter, vt cum plebeijs Catholicis colloquia reformident*, aut ſi quando congrediantur; [f] *vulgus Catholicorum veſtris poſſe quibuſcunq; argumentis occurrere, etiam in rem veſtram plura quàm valeatis ipſi dicere.*

[a] Alanus Apolog. c. 5.

[e] Briſt. Quæſt. ſiue Interrog. 41

[f] Idem mot. 31.

ORTH. Quàm rationi ſit conſentaneum veſtra duo Collegia cum duabus noſtris florentiſſimis Academijs componere, iudicent Sapientes. Vos de exercitiorum veſtrorum varietate gloriari ſoletis: faxit Deus vt nos ſupernæ veritatis ſimplicitate, & bonæ conſcientiæ teſtimonio in Domino gloriemur. Quod verò ad Academiarum noſtrarum exercitia ſpectat, tu ipſe, ſi liuore occæcatus non eſſes, probè intelligere potuiſſes quàm ſint per totum Chriſtianum orbem celebria. Nec te latere poteſt, quales & quantos hæc Chriſti Caſtra Satellites produxerunt, qui cum ſuperbiſſimis Philiſtæis congredi valeant. Nec dubitamus quin ſemper habitura ſint Dauidem, qui Goliæ caput ſuo ipſius gladio amputet. Quam in nobis ſpem fouet & accendit ampliſſimus ille linguarum & artium Theſaurus, Bibliotheca Bodleiana longè Celeberrima, Oxoniæ decus, Angliæ gemma, exterorum ſtupor, totiuſque orbis terrarum Phœnix. Nobiliſſime Bodlæe, multi etiam in hoc genere inſigniter munifici extiterunt; tua verò magnificentia.

——tantùm ſupereminet omnes
Quantum lenta ſolent inter viburna Cupreſſi.

O beatam Radicem, ex qua talis pullulauit ſurculus! O beatum ſurculum, qui tam amænos protulit fructus! Huic nobiliſſimæ ſoboli Mater Deuonia, nutrix muſa Mertonenſis. O felicem Matrem, felicem Nutricē, felicem ſobolem! Benedic Domine operi manuum eius; ſit tanquam Armarium in Eccleſiæ tuæ ſalutem paratum, &,

Digitized by Google

tanquam pharetra ſagittarũ plena, quarum ictu omnes inimici tui palantes diffugiant, maneat & floreat in æternum, ad Euangelii tui propagationem, & ad extremam Antichriſti perniciem. Sed vt ad prælectores veſtros Romanos, quos ita laudibus in Cœlum tollis, veniamus, *Cui ſimiles ſunt, aut quibus eos aſſimilabo?* Similes ſunt Circulatoribus Italicis quos *Montibancos* appellant, qui exiguam olei phialam ſexcentis æſtimabunt aureis, cũ vix ſex valeat denariolos. Quicquid afferunt illud omne, tanquam ſingulare quiddam & admirandum, non alitèr eſt ſuſpiciendum quàm ſi in Phænicis nidulo repertum, indeque in Ieſuitarum, ſcilicet, Collegium, neſcio qua Angelorum operâ, tranſuectum fuiſſet. Hac blandiloquentiâ aureis pollicitationibus fucatâ, adoleſcentulos, ſorte ſua minimè contentos (huiuſmodi enim piſcatores aquâ delectantur turbida) illaqueant, ipſiſque, tanquam Anglorum ingenioſiſſimis, applaudunt. Quamdiù apud nos commorantur, plumbei ſunt & ſtipites; quamprimum verò in Seminaria veſtra Pontificia pedem tetulerint, illicò neſcio qua metamorphoſi (recocti credo) facti ſunt aurei. Verùm ſint veſtra viuendi inſtituta, vt prædicas, accurata, prælectores periti, auditores ingenioſi, & ſeduli; illud tantùm ſciſcitari libet, quonam tendat iſta tam rara & egregia educandi ratio?

[a] *Mart. Nauar. conſ. l. 3. de Regul. conſil. 1.*

PHIL. Hoc docet [a] Nauarrus his verbis: *Romæ in Collegio Anglorum eſt ſtatutum & conſtitutio Papalis, vt quicunque illud ingredi voluerit, teneatur iurare ſe poſt tot annos pro defenſione fidei Catholicæ in Angliam profecturum, illamque ibi publicè & priuatìm prædicaturum.* En tibi huius tam ſingularis educationis finem, fidem Catholicam, quam non ſua tantum cauſa ediſcunt, verùm etiam vt Angliam eiuſdem veritate imbuant. Hæc igitur omnia in chariſſimæ noſtræ Patriæ bonum ſpirituale cedunt.

[b] *Bellar. de verb. Dei in præfat. ad lectorem.*

[c] *Bellar. in reſponſ. ad Apol. p. 7.*

[d] *Ibid. p. 32.*

[e] *Pag. 69.*

ORTH. Quid tibi vis per *fidem Catholicam?* Bellarminus, cui à Gregorio decimo tertio ea Prouincia demandata eſt, vt controuerſias fidei alumnis Collegii [b] Anglici & Germanici in vrbe Roma explicaret, & pro officiis in Eccleſiam & Curiam Romanam præſtitis, ad dignitatem Cardinalitiam eſt euectus, his vtitur verbis; [c] *De fide Catholica, id eſt, de Primatu Sedis Apoſtolicæ, quem, in Scripturis ſanctis apertiſſimè fundatum, Catholici omnes vt fidei Orthodoxæ dogma certiſſimum habent.* Et rurſus affirmat Iuramentum fidelitatis in ſe complecti [d] *abnegationem fidei Catholicæ de primatu Eccleſiaſtico Romani pontificis.* Et iterum in [e] Epiſtola ad Blackwellum Archipreſbyterum: *Si* (inquit) *rem totam apud te diligentèr expendere volueris, videbis profectò non rem paruam quæ ob Iuramentum illud in diſcrimen adducitur, ſed vnum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus ac Religionis Catholicæ fundamentis. Audi enim quid Apoſtolus veſter magnus Gregorius ſcribat.* [f] *Apoſtolicæ ſedis reuerentia nullius præſumptione turbetur; tunc enim membrorum ſtatus integer perſeuerat, ſi caput fidei nulla pulſetur iniuria. Itaque, ſancto Gregorio teſte, cùm de Primatu fidei Apoſtolicæ vel turbando, vel minuendo, vel tollendo ſatagitur, de ipſo capite fidei amputando,*

[f] *Lib. 11. ep. 42. de quo loco vide Tort. Torti. pag. 339.*

tando, ac de totius corporis, omniumque membrorum ſtatu diſsipando ſatagitur. Sic ille. Quocircà non ſatis eſt Bellarmino nouum hoc fidei caput aliis æquare capitibus, ſed omnibus ſingularitèr atque ſupereminentèr præponere contendit. Ita Papæ *ſuprematus* factus eſt ſupremus fidei veſtræ Catholicæ articulus. Sed quouſque tandem ſe porrigit? Idem Romanus prælector ſic vos docuit: [g] *Si Princeps aliquis ex oue aut ariete fiat lupus, id eſt, ex Chriſtiano hæreticus, poteſt paſtor Eccleſiæ eum arcere per excommunicationem, & ſimul iubere populo, ne eum ſequantur, ac proinde priuare eum dominio in ſubditos.* Quin etiam docet poſſe Papam [h] *mutare Regna, & vni auferre, atque alteri conferre, tanquam ſummus princeps ſpiritualis, ſi id neceſſarium ſit ad animarum ſalutem.* Verùm quandò iudicabitur neceſſarium? Id enucleat Pius quintus in ſententia declaratoria contra Reginam Elizabetham. Cum enim pia illa Princeps, Papam & papales ſuperſtitiones è Regno eliminaſſet, Chriſtique Euangelium reuocaſſet, & in eodem protegendo conſtantiſſimè perſeueraſſet, ſacroſanctam quam profitebatur Religionem Pius impius appellauit *hæreſin*, & conſtantiam eius pertinaciam, ac proinde Regni Iure, nec non omni & quocunque dominio, dignitate & priuilegio priuatam declarauit, fidelitatis Iuramentum Subditis relaxauit, & quotquot illi tanquam principi obedirent, eos omnes *Anathemate* percuſſit. Hæc tamen Pio (ô ſpeculum pietatis!) ſunt arma Iuſtitiæ, ad quæ ſe contra eam de neceſſitate conuerſum conqueritur. Quamobrem ſi Princeps cultum Idololatricum & ſuperſtitioſum è regno ſuo extirpauerit, ſi in Religione reformanda feruentior extiterit, ſi in eadem profitenda ac protegenda conſtans permanſerit, vel hoc ipſum apud Papæ Tribunal priuationis cauſa iuſta, idonea, atque neceſſaria iudicabitur. Ita vos conſcientiam ac religionem prætexere ſoletis, reipſa tamen ad funeſtas faces, & flammas patriæ inferendas adoleſcentulos educatis. Hoccine eſt fidem Catholicam prædicare? Hoccine eſt dulciſſimæ patriæ bonum ſpirituale procurare? Hiccine eſt amor Papæ in Anglos incomparabilis? Porro vt beneuolentia admodũ exigua Angliam proſequitur, ita profectò vos ipſos non valdè diligit. Homo vafer & veterator aliud cogitat, aliud ſimulat, Nautæ nõ abſimilis, qui occidentem ſpectans, ad orientem Cymbam impellit. Ad munificentiam autem eius quod attinet, quam tantopere prædicatis:

Munera magna quidem mittit, ſed mittit in hamo,
Et Piſcatorem piſcis amare poteſt?

Vos verò dum eſcam captatis ineſcamini. Et vt Piſcatores minutos piſciculos hamo appendunt, vt his illecebris maiuſculos prædæ inhiantes illaqueare poſſint, ita Pontifex, peritiſsimus piſcandi artifex, vobis tanquam piſciculis vtitur ad Angliam capiendam, aureumque primatum eius ibidèm reſtituendum. Siquidem verè dici poteſt *aureus*, cum tot auri & argenti montes illi attulerit. Cæterum vt quàm lubrico & ancipiti in loco poſiti ſitis melius intelligatis,

[g] Bell. de Rom. Pontif. l. 5. c. 7. § Ergo tria.

[h] Ibid. c. 6. § Quantum ad perſonas.

Digitized by Google

ligatis, liceat mihi rem totam rudi fortaſſe, aptiſsima tamen ſimilitudine adumbrare. Simia caſtaneam igni iniectam videns, nec quo ſibi modo comparare poſsit ſatis intelligens, forte fortuna Catulum foco accubantem conſpexit, eiuſque pede, derepentè correpto, ex prunis ardentibus Caſtaneam extraxit. En vobis Speculum, impolitum quidem, certè non fallax, in quo veſtrum vobis vultum intueri licet. Caſtanea eſt aureus ille Pontificis Primatus; ardêtes prunæ, ſunt pericula; vos ipſi eſtis Pontificis Catuli: ipſe ſanctiſsimus pater nolens ſuos digitulos *crepitantibus vrere flammis*, veſtra vtitur opera, tanquam Catuli pede, ad Caſtaneam hanc ex igne flagrante eruendam; quantoperè vos torreant flammæ, parum penſi habet, modo inde ſperare poſsit ſe aliquando voto potiturum. Verum enimuero, quantumuis pleriſque veſtrum hac ipſa de cauſa non manus modo ſed corda etiam conflagrarunt, nondum tamen Caſtaneam conſecutus eſt: pro quo ſingulari in nos beneficio, Deo optimo maximo gratias agimus.

PHIL. Iam tandem te Eccleſiæ Anglicanæ Schiſmate & hæreſi non leuitèr tinctum, ſed penitus imbutum planè perſpicio. O Anglia, Anglia, chariſsima patria; tu olim celiberrima & florentiſsima eras Eccleſia; fides tua Gemmæ inſtar lucidiſsimæ fulgebat; zelus tuus flammantis inſtar Ignis ardebat; ſtellæ in firmamento ſcintillantes, ſplendorem tuum non æquabant: Nunc verò (proh dolor) ex quo obtinuit Caluiniſmus, fulgorem amiſiſti, gloria tua deliquium paſſa eſt, antiqui tui amoris ne ſcintilla quidem ſupereſt: nulla iam apud vos fides, religio nulla, nulla Eccleſia.

ORTH. Veſtigijs maiorum tuorum inſiſtis, & iniquitatis eorum menſuram complere pergis. Siquidem perpetua eorum fuit conſuetudo odioſas Religioni noſtræ maculas aſpergere, vt ſibi Proſelytas hoc ſtratagemate lucrari poſſent. Richardus Briſtous [a] *Religionem noſtram nullam eſſe ipſa experientia probari aſſeruit.* Cardinalis [b] Alanus *noſtram liturgiam, Sacramenta, & conciones iſtiuſmodi eſſe pronuntiat, quæ ſine dubio æternum afferunt exitium.* Gulielmus [c] Reinoldus in publicum promulgauit, *Religionem noſtram ipſa Turcicâ eſſe deteriorem.* Libelli, à Sandero & Parſonio editi, tam ſcatent calumnijs, quàm ſerpens veneno. Et vt Hardingum, Stapletonum, alioſque prætercam, nouiſsima viperarum progenies perinde eſt venenoſa ac ſuperior. Vnus, exempli gratia, prodeat pro omnibus, nimirum inſulſus ille libellator, hunc in modum vociferans: [d] *Proteſtantes nullā habent fidem, nullam ſpem, nullam charitatem, nullam pœnitentiam, nullam Iuſtificationem, nullam Eccleſiam, nullum Altare, nullum Sacrificium, nullum Sacerdotium, nullam religionem, Chriſtum nullum.* Quid de his ignitis Spiritibus dicam? Si ex inueterato loquantur odio, dicam cum Michaele Archangelo, [e] *Dominus increpet.* Sin potius (vti ſpero) ex ignorantiâ hæc effutiant, dicam cum Sancto Stephano proto-Martyre, [f] *Domine, ne ſtatuas eis hoc peccatum;*

[a] *Briſt. poſtul. 48*
[b] *Apol. c. 1. p. 25.*
[c] *Calu. Turciſ. l. 1 c. 7. & l. 4 c. 11. & paſſim.*
[d] *Quidam Art. ſeu rationes valida. art. 1.*
[e] *Ep. Iude. v. 9.*
[f] *Act. 7. 60.*

Digitized by Google

peccatum; vel cum beatiſſimo noſtro Saluatore, [c] *Pater, remitte eis,* [c *Luc. 23. 34.*]
nam neſciunt quid faciunt. Illa enim fides & Religio, quæ ſacris
Scripturis per omnia eſt conſentanea, eſt vera, ſancta, antiqua, Ca-
tholica, & Apoſtolica. Præterea, vbicunque terrarum viget ſince-
ra Euangelij prædicatio, & legitima Sacramentorum adminiſtra-
tio, ibi eſt vera Chriſti viſibilis Eccleſia: ſed hæc officia religioſè
præſtantur in Anglia; cur ergo negas nos veram habere Eccleſiam?

Phil. Quia legitimum, à quo hæc præſtari poſſint, non habe- 7
tis Miniſterium. Nulla enim omnino ſine paſtoribus poteſt eſſe
Eccleſia, vt [d] Cyprianus docet; qui Eccleſiam definit *plebem ſacer-* [d *L. 4. ep. 9.*]
doti adunatam, & gregem paſtori ſuo adhærentem: Et [e] Hieronymus, [e *Cont. Lucifer.*]
cum dicit, *non eſſe eccleſiam, quæ non habet Sacerdotes.* Hoc ipſum ex
[f] Paulo clariſſimè elucet, docente, Chriſtum dediſſe *quoſdam quidem* [f *Eph. 4. 11, 12.*]
Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios Euangeliſtas, alios, paſtores & doctores,
ad conſummationem Sanctorũ, in opus Miniſterij, in ædificationem corporis
Chriſti, donec occurramus omnes in vnitate fidei & agnitionis filij Dei in
virum perfectum, in menſura ætatis plenitudinis Chriſti. Vbi docet Apo-
ſtolus (vt eruditus noſter [g] Cardinalis obſeruauit) *manſura in Eccleſia* [g *Bell. de ecc. mil.*
miniſteria iſta paſtorum & doctorum vſque ad diem Iudicij. Tunc enim *lib. 3. c. 13. præ-*
Domino in vnitate fidei occurremus. Ecce, inquit pater [h] Heſſius, *Donec* *terea & l. 4. c. 8.*
numerus electorum in fine mundi compleatur, ſemper Eccleſia habebit pa- *ſed vt vis.*]
ſtores & doctores. Sed nec [i] Lutherus id negat, quin potius in libro [h *Heſſ. quæſt. 2.*
de Eccleſia & Conſilijs in notis Eccleſiæ ponit, *habere veros paſto-* *de Eccleſia p.*
res. Caluinus etiam aſſerit; *paſtoribus & doctoribus nunquam carere* *51. §. 37.*]
poſſe Eccleſiam. Quamobrem, poſito hoc principio tam illuſtri, & [i *Vide Bell. de*
omnibus approbato, ſic argumentor. Vbi non eſt verum Miniſte- *eccl. milit. l. 4.*
rium, ibi nec vera eſt Eccleſia. Apud Proteſtantes in Anglia non *c. 8.*]
eſt verum Miniſterium. Ergo nec vera Eccleſia. [k *Calu. Inſtit. l. 4.*
c. 3. §. 4.]

Cap.

Cap. II.

Quid Papiſtæ in Miniſterio Anglicano ſugillent.

Huius capitis duæ partes.
- *Papiſtarum calumnia in*
  - *genere, apud nos*
    - *nullum eſſe miniſterium.* 1
    - *vocationem nullam.* 2
  - *Specie, nobis nullos eſſe*
    - *Epiſcopos, quia* *Conſecratione* / *Iuriſdictione* *deſtituuntur.* 3
    - *Presbyteros, quia* *Sacrificandi* / *abſoluendi* *poteſtate carent.* 4
    - *Diaconos.* 5
- *Totius operis in Controuerſias & quæſtiones diſtributio.* 6

Orth.

DIc ergo tandem quid in miniſterio Anglicano improbandum cenſeas?

Phil. Non particulam vnam aut alteram, ſed vniuerſam eius molem & fabricam penitùs & ſimplicitèr repudio. Miniſtri veſtri (vt candidè tecum agam) reuera Miniſtri non ſunt, ſed merè Laici. Neque hæc eſt priuata mea ſententia, ſed commune omnium noſtrorum Theologorum iudicium. [a] Richardus Briſtous (vt ab eo exordiar) *Conſiderate* (iniquit) *quæ & qualis ſit illa Eccleſia, cuius Miniſtri nihil ſunt aliud quàm merè Laici, non miſſi, non vocati, non conſecrati: ideoque munus ſuum prætenſum, abſque cuiuſquam beneficio vel ſolatio Spirituali exequentes, imo ad ſuum & aliorum certam & magnam perniciem: indigni, vel eo ſolùm nomine quod ad munus tam ſtolidum vocati ſunt, qui vllo in Eccleſia Dei Miniſterio fungantur, ideoque, ſi forſan reſipuerint, & ad Eccleſiam Catholicam redierint, nullum apud nos ſortiuntur locum præterquam laicorum, nec vlla ratione admitti poſſunt ad officij alicuius Eccleſiaſtici adminiſtrationem: Imo hoc ipſum ne ſperare quidem poſſunt, niſi forſan noſtris ordinibus (quibus ante caruerunt) initientur.* [b] Thomas Hardingus; *In hac noua veſtra Eccleſia Epiſcopos,*

[a] *Motiu.21.*

[b] *Conf.Apol.*

Digitized by Google

Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, vel vllos alios inferiores ordines non habetis. Nicolaus Sanderus; [c] *Clerus in Anglia nouus partim ex apoſtatis noſtris, partim ex merè laicis factus.* [d] Howlettus; *Miniſtros Angliæ vel omnes vel certè quamplurimos merè eſſe Laicos, & non Sacerdotes, ac proinde in iſtiuſmodi rebus* (ſacris) *nullam omninò habere poteſtatem perſpicuum eſt.* Cardinalis Alanus, [e] cum cæteris Anglo-Rhemenſibus; *Veſtri noui Euangeliſtæ qui Eccleſias & Roſtra inuaſerunt, à Summo ad infimum ſunt omnes pſeudo-Prophetæ, currentes & vſurpantes ſine omni legitima vocatione.* [f] Doct. Stapletonus; *A nemine miſſi nec ordinati Cathedras Eccleſiaſticas inuaſerunt.* Doctor Kelliſonus; [g] *Quandoquidem inferiores Miniſtri ab his Epiſcopis ordinantur, & iſtiuſmodi patrum ſunt filij, ideo veri presbyteri non ſunt: quippe quia nec ordines nec iuriſdictionem habent.* [h] Guilielmus Rainoldus; *Nullus in tota Turcia paſtor ouium aut Boum, qui non meliori ratione & maiori iure, ordine, authoritate præfectum agat Gregis aut Armenti ſui, paucula Beſtias complectentis, quam veſtri magnifici illi Apoſtoli & Euangeliſtæ monſtrare poſſunt pro ſuo illo prophetico & Apoſtolico & Diuiniſſimo, maximaquè ſublimi officio regendi animas, reformandi Eccleſias, cæleſtemque veritatem docendi, &c.* [b] Author Trutinæ prudentialis: *Deus conterraneorum meorum chariſſimorum oculos aperiat, vt quemadmodum ex parte vident eorum Miniſtros nec rectam habere vocationem, nec legitimos ordines, ita etiam intelligant ſe nullam habere veram Religionem, quæ ſine paſtoribus & rectè vocatis & legitimè ordinatis cõſiſtere non poteſt.* Denique Sacerdotes Catholici in ſupplicatione [c] ad Regem noſtrum ſereniſſimum Iacobum: *Nec vlli Miniſtrorũ veſtrorum Proteſtantium ad Catholicã noſtrã fraternitatẽ accedentes, habentur alij quàm merè laici, ſacris ordinibus deſtituti.* Vides quàm vnanimis noſtrorum omnium ſit conſenſus. Neque hæc Anglorum tantùm, qui à patria ſua dulciſſima exulant, eſt opinio, ſed alij quoq; Catholici Doctores eiuſdem prorſus ſunt ſententiæ. Bellarminus; [d] *Noſtri temporis hæretici neutrum habent (id eſt) nec ordinationem nec ſucceſſionem: & propterea longè inuerecundius quàm vlli vnquàm hæretici ſibi nomen et munus Epiſcopi vſurpant.* Et [e] Poſnanienſes Theologi iiſdem ferè verbis vtuntur. Gregorius de Valenciã: [f] *Certè patet in Eccleſia Catholica Romana miniſtros Eccleſiaſticos eſſe legitimos, vtpote à veris Epiſcopis ritè ordinatos: in Synagogis autem Sectariorum Miniſtros legitimos non eſſe, ſiquidem non ſunt ab Epiſcopis legitimis ordinati, ac proinde Eccleſiam illos habere nullam, cum hæc carere non poſſit legitimis Miniſtris.* Franciſcus Turrianus: [g] *Illi* (Donatiſtæ & Luciferiani) *formam aliquam Eccleſiæ vtcunque habebant, quia Epiſcopos, licet Schiſmaticos, & cæteros Miniſtros quos Epiſcopi ordinant, habebant: Proteſtantes verò nullam penitùs formam Eccleſiæ habent, quia nullos penitùs Eccleſiæ neque verbi Miniſtros habent, ſed meros Laicos.* Matheus Lainoius ſolam Romanam Eccleſiam legitimam habere vocationem probauit. Et Doct. Tyræus de nouorum Miniſtrorum falſa vocatione librum conſcripſit, denique [h] Franciſcus Suarez, de Conuenticulo Angli-

[c] *Sand. de Schiſm. l. 3. p 299*
[d] *Howl. in breui diſcurſ. rat 7.*
[e] *Annotat. Rom. 10.15.*
[f] *Stapl. princ. doct. l. 13. c. 6.*
[g] *Kelliſon Repl. cont. Doct. Sutl. p. 31.*
[h] *Caluino Turciſ. l. 4 c. 15.*
[b] *Lib. 2 cap. 11.*
[c] *Suppl. an. 1604.*
[d] *De eccl. mil. l. 4. c. 8.*
[e] *Aſſert. de Chriſt. in Terr. Eccl. theſ. 60.*
[f] *Greg. de Val. tom. 4. diſp. 9. q. 3. punct. 2.*
[g] *De Jure Ordinand. l. 1. c. 7.*
[h] *Suarez defenſ. fid. Cath. l. 3. c. 14 p. 8.*

Digitized by Google

cano loquens,ſic ait, *In Epiſcopo non eſt, nec Epiſcopus in ipſo,nec Sacerdotes habet quorum glutino copuletur : niſi forte dicant miniſtros eſſe Sacerdotes,aut Regem eſſe Epiſcopum, quod ſatis eſt ridiculum,neque ab ipſis dicitur,quia ſacerdotes in Eccleſia eſſe non credunt, ſic vt & ſacrificium eſſe negant. Neque etiam de illis Miniſtris vere cogitari poteſt,cum legitime ordinati non ſint.* Et paulo poſt: *Hominum ergo Congregatio, quæ non vni Epiſcopo, ſed vni Regi temporali adhæret,neq; veros Epiſcopos habet,nec veros Sacerdotes,nullam Catholicæ Eccleſiæ ſpeciem, nedum veritatem præ ſe fert.* Sed ſatis teſtium produximus. Sacroſanctam quoque idem iudicare Romanam Eccleſiam ex praxi patet. Nam (vt ex Briſtoo accepiſti) Miniſtris veſtris ad nos remeantibus, nullius officij Eccleſiaſtici adminiſtrationem permittimus, niſi noſtris forte ordinibus initiari velint ; vnde liquidò conſtat,vos ipſius Eccleſiæ Catholicæ iudicio pro Miniſtris non habendos,ſed pro merè & verè Laicis.

ORTH. Miniſterium noſtrum eſt Diuinis Scripturis conſonum,ac proinde ſanctum. Nec dubitamus,quin cum Paſtor ille magnus apparuerit, qui multos ad Iuſtitiam erudiunt, futuri ſint ſplendidi tanquam Stellæ in ſempiterna ſæcula. Cæterùm quo nixus argumento miniſterium noſtrum inſimulas?

PHIL. Quiſquamne poteſt legitimus eſſe Miniſter ſine vocatione legitima?

[a] *Heb.5.4.* ORTH. Minime. [a] *Neque enim ſibijpſi quiſquam ſumit hunc honorem, ſed qui vocatur à Deo, ſicut & Aaron.* De Iohanne Baptiſta
[b] *Io.1.6.* [b] ſcriptum eſt : *fuit homo miſſus à Deo.* Ne Apoſtoli quidem prædi-
[c] *Mat.10.16.* cabant,niſi hac voce muniti : [c] *Ecce, ego mitto vos.* Et ſanctus Paulus
[d] *Rom.10.15.* clarè eloquitur : [d] *Quomodo prædicabunt,niſi mittantur?* Denique ip-
[e] *Jer.23.21.* ſe Dominus apud Ieremiam conqueritur, [e] *Se non mittente, Prophetas cucurriſſe,& non alloquente, prophetaſſe.* Quamobrem licèt Daniele & Salomone eſſes ſapientior, tibi tamen expectandum foret, donec te mitteret Dominus. Qui docere præſumit à Chriſto non vocatus, quomodo benedictionem à Chriſto ſperabit? *Ordo eſt*
[f] *Bez.ep.5.* (inquit [f] Beza) *in Eccleſia Dei conſtitutus à filio Dei, & ab omnibus veris Prophetis & Apoſtolis inuiolabiliter obſeruatus, vt nemo niſi vocatus*
[g] *Apolog.Eccl. Anglic.* *doceat in Eccleſia.* His conuenienter tenet Eccleſia Anglicana. [g] *Miniſtrum legitimè vocari oportere,& recte atque ordine præfici Eccleſiæ Dei: neminem autem ad ſacrum Miniſterium pro ſuo arbitrio atque libidine poſ-*
[h] *Artic.Rel.23.* *ſe ſe intrudere.* [h] *Non enim licet cuiquam ſumere ſibi munus publicè prædicandi,aut adminiſtrandi Sacramenta in Eccleſia,niſi prius fuerit ad hæc obeunda legitimè vocatus,& miſſus.*

PHIL. Si ſine legitima vocatione Miniſter legitimus eſſe nequeat,ſciſcitari libet quomodo Eccleſia Anglicana Miniſterium ſuum poſſit defendere? Nonne liceret mihi vos ſingulos eadem
[i] *Harding.confut.Apolog.* ratione compellare,qua olim Hardingus Iuellum? [i] *Quid ais, Domine? Teipſum geris perinde ac ſi eſſes Epiſcopus Sariſburienſis,verum quomodo vocationem tuam probare poteris? Quo iure Doctrinæ & Sacra-*

mentorum

Digitized by Google

mentorum adminiſtrationem vſurpas? Ecquid potes adducere quo miniſterium tuum tueri valeas? Quis te vocauit? Quis manus impoſuit? Quo exemplo fecit? Quomodo & à quo conſecratus es? Quis te miſit? Quis tibi hoc munus quod ſuſtines tradidit? Es ne Sacerdos vel non? Si non, qua fronte Epiſcopi nomen & officium vſurpare audes? Sin te eſſe reſpondeas, dic ſodes quiſnam te Sacris ordinibus initiauit?

ORTH. Quàm ſuauitèr deliras? Hoc enim quid eſt aliud, quàm aerem otioſo & inani verborum ſonitu ferire? Mitte pueriles velitationes, &, ſi quid habes aduerſus Miniſterium noſtrum, audiamus illicò.

PHIL. Quæro igitur ſitne *Vocatio* veſtra *interna*, an *externa*?

ORTH. Et *interna*, & *externa*.

PHIL. Vocatio legitima *externa* vel fit immediatè per vocem Chriſti, quemadmodum vocabantur Apoſtoli, vel mediatè per Eccleſiam.

ORTH. Nos à Deo per Eccleſiam vocati ſumus: [1] *Is enim eſt qui dat Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum.* [1] Eph.4.12.

PHIL. Qui à Deo per Eccleſiam vocantur, ius ſuum & poteſtatem, per ſucceſſionem legitimam, à Chriſto & Apoſtolis hauriunt. Si vos ab hoc fonte promanaſſe dicas, fac vt idipſum nobis tandem aliquando liquidò conſtare poſſit; Genealogiam veſtram propone & explica. Quod ſi præſtare nequeas, qui eſtis? Vnde veniſtis? Si Deum vos præter & extra communem ordinem excitaſſe dixeris, dabitis nobis veniam ſi ad hæc credenda tardiores ſimus. [a] *Multi ſeductores exierunt in mundum*, & Satan ſe transfigurat in Angelum lucis. Sed, vt rem totam paucis compingam, omnis legitima vocatio vel ordinaria eſt, vel extraordinaria: ſi veſtra ſit ordinaria, ſucceſſionem videamus; ſin extraordinaria, miraculum poſtulamus. Si quis poteſtatem extraordinariam, vtpote legati Regij officium, in ſe ſuſciperit, diploma Sigillo Regio munitum producat neceſſe eſt. Eodem planè modo ſi legationem à Chriſto vobis ipſis vendicare velitis, miraculum exigimus; hoc enim eſt cœleſtis Regis ſigillum verum, vt [b] Stapletoni verbis vtar: *In pullis Proteſtantium ab ouo excludendis nulla vocatio ordinaria, nec miſſio extraordinaria apparet. Ita tam putrido iacto fundamento, quicquid ſuperſtruitis corruat oportet.* [a] 2.Joh.7. [b] Fort.part.2. cap.3.

ORTH. Eccleſiæ Anglicanæ Miniſtri manuum impoſitionem, modo legitimo, à legitimis Epiſcopis, authoritate legitima præditis, deducunt, ac eorum propterea *vocatio* eſt *ordinaria.*

PHIL. Quin ipſorum Epiſcoporum poteſtas vnde manauit?

ORTH. A Deo, per manus Epiſcoporum præcedentium.

PHIL. Illi verò vnde fluxerunt?

ORTH. Cranmerus Archiepiſcopus, alijque heroico Spiritu homines, quorum opera ad Religionem in Anglia reformandum vſus eſt Dominus, eandem ſortiti ſunt *ordinationem*, eandemque *ſucceſſionem*, quibus vos tantopere gloriamini. Quocirca ſi hæc vo-

Digitized by Google

cationem veſtram ***ordinariam*** eſſe demonſtrant, illorum quoque ***ordinariam*** fuiſſe pari modo euincent.

PHIL. Non Cranmerus duntaxat, & Cranmeri ſimiles, qui ſub Henrico octauo vixerunt, ſed quotquot etiam ſub Eduardo ſexto, præcipuè verò qui ſub initio Regni Elizabethæ creati fuerunt, nobis ad Lydium lapidem ſunt examinandi; quales erant Parkerus, Grindallus, Sandeſius, Hornus, & eiuſdem farinæ alij, qui [c] *ſecundum ritum Catholicum* facti ſunt ſacerdotes, ſed ab Eccleſia, cùm nondum eſſent Epiſcopi, exilierunt.

[c] *Briſt. Antibar. motiu. Tom. 2. p. 266.*

ORTH. Quemadmodum qui primi regnante Eduardo conſecrati erant, ſpiritualem ſuam poteſtatem à manibus Epiſcoporum, qui ſub Henrico octauo extiterunt, per modum ſucceſſionis ſunt mutuati, eodem planè modo, qui incunte Elizabetha promouebantur, ſimilem poteſtatem ab Epiſcopis, ſub Henrico vel Eduardo conſtitutis, deriuarunt. Et qui hodie ſub ſereniſſimo noſtro Rege Iacobo ad Cathedras Epiſcopales ſunt euecti, ſimili gaudent ſucceſſione; vt publicis Eccleſiæ Tabulis, & Archiuis ſuo loco oſtendetur. Interim hoc idem in genere a [d] Cudſemio Papiſta (qui in Angliam anno 1608. eo animo commigrauit, vt Eccleſiæ noſtræ ſtatum, & Academiarum inſtituta, obſeruare poſſet) ingenuè agnoſcitur, his verbis: *Quod Caluiniana ſecta in Anglia ſtatum attinet, ille ita comparatus eſt, vt vel admodum longo tempore durare poſſet, vel etiam ſubitò & repentè mutari, propter Catholicum ibidem, in perpetua Epiſcoporum ſuorum ſerie, legitimaque Paſtorum ſucceſſione ab Eccleſia acceptà ordinem; ob cuius honorem Anglos Caluiniſtas, mitiore vocabulo, non hæreticos, ſed Schiſmaticos appellare ſolemus.* Ecce fatetur nos habere Catholicum ordinem, perpetuam Epiſcoporum ſeriem, & legitimam Paſtorum ſucceſſionem, eamque ab Eccleſia acceptam. Te tamèn, mi Philodoxe, admonitum velim, hanc ſucceſsionem ab Eccleſia Romana fluentem, ad nos duplici cum diſcrimine eſſe tranſmiſſam. Nam primo Cranmerus, & reliqui Religionis in Angliâ reſtauratores, ordines ſuos ab Epiſcopis Pontificijs more Pontificio, id eſt, multis corruptelis coinquinatos, acceperunt. Etenim homo ille peccati, filius perditionis, in Templo Dei ſedebat, & Antichriſtus Chriſti cathedram inuaſerat; adeo vt iam in Eccleſia Romana res bonæ & malæ, Religio & Superſtitio miſerè commiſcerentur. Quamprimum verò Deo optimo Maximo ſeruorum ſuorum oculos illuſtrare viſum eſt, illi ipſi, reſectis veſtrorum ordinum ſordibus, quod bonum erat retinuerunt, & poſteris per impoſitionem manuum tradiderunt. Quamobrem nos in ordinibus veſtris vobis ſuccedimus, non abſolutè quidem, ſed quatenus veſtri ſacris Scripturis ſunt conſentanei. In rebus bonis, à Chriſto fluentibus, veſtri ſumus hæredes, mala verò, ab Antichriſto hauſta vobis relinquentes, reijcimus penitùs, ac repudiamus. Secundo, Cranmerus & reliqui quendam ſucceſſionis corticem, ſed magna ex parte inanem illum quidem, & vera doctrina vacuum, à vobis

[d] *Cudſem. de deſp. Caluini cauſa, c. 11. p. 108.*

Digitized by Google

vobis acceperunt. Veſtra enim Eccleſia, ab Antichriſto faſcinata, pleriſque in rebus à veritate deflexit Euangelica; quam, quaſi poſtliminio reuerſam, vbi Deus per Scripturas ſeruis ſuis, pro diuite ſua gratia, reuelaſſet, fideles verbi diſpenſatores & viua voce prædicarunt, & ſuo ſanguine obſignarunt. Neque hoc erat ab ipſa Eccleſia, ſed ab Eccleſiæ corruptelis & ſordibus exilire; quemadmodum grana tritici, dum ventilantur, non ex horreo, ſed ex palea ſaliunt. Præterea licet Doctrina noſtra vobis extraordinaria videri ſoleat, eò quòd à doctrina in Eccleſia Romana hodierno die recepta tantoperè diſcrepet, ea ipſa tamen eſt quam Spiritus Sanctus Sacrarum literarum monumentis conſignauit, quamque Eccleſiæ Chriſti ad finem vſque ſæculi firmitèr tenendam propoſuit; quo palmario ſenſu verè & propriè *ordinaria* dici poteſt. Quapropter cum tam *doctrina* quàm *vocatio* noſtra ſit *ordinaria*, iniquè agit qui à nobis miracula efflagitat.

PHIL. Nos hæc omnia vlteriùs ventilaturos ſpondeo. *Interim vt* [a] *Tigellius ille* [b] *Horatianus, nihil habebat in vita ſua certi & conſtituti, ſed in contrarias ſemper affectiones diſtrahebatur; quoad inceſſum, aliquãdo celerrimè currebat tanquàm fugiens hoſtem, aliquando tardiſſimè mouebatur, velut qui Iunonis ſacra ferret; quoad Comitatum, habebat ſæpè ducentos, rurſus ſæpè duos ſeruos, & in ſermone, modò Reges atque Tetrarchas imitatus, omnia ſumma loquebatur, aliàs ad infima deſcendebat, de concha ſalis puri, & menſa tripede confabulans; vt nihil eſſet miſero illo in vita ratione magis impar & inæquale: non aliter iſti Doctores tui, aliàs humi repunt, mox nubes et ſidera captant, iam Miracula omnia reſpuunt, & irrident eos qui miracula poſcunt; ſubitò omnia Miracula ab orbe condito ſibi aſſumunt.*

[a] E Caluino Turciſ. l.4. c.13. p.92.
[b] Horat. l.1. Sat.3.

ORTH. Nec tamen quicquam hac in cauſa proferunt quod à ratione eſt alienum. Si de Doctrina noſtra quæratur, probare parati ſumus eandem nos docere, quã Moſes & Prophetæ, Chriſtus & Apoſtoli tum docuerunt, tum Miraculis confirmarunt. Quocirca vniuerſa Moſis, & Prophetarum, Chriſti, & Apoſtolorum Miracula noſtra ſunt, quia totidem eiuſdem doctrinæ, quam nos profitemur, ſunt ſigilla. Sin de *perſonis* noſtris agatur, in confeſſo eſt, nos miracula operari non poſſe; huiuſmodi nihil in nos ſuſcepimus; neque eſt neceſſarium, quippe cùm tam *vocatio* quàm *doctrina* noſtra ſit *ordinaria*.

PHIL. In Eccleſia Anglicana non reperiri *ordinariam vocationem* 3
probo. Inprimis autem notũ eſt, vos inferiores Ordines non agnoſcere. Quare vniuerſum Miniſterium veſtrum, quantũ quantum eſt, ex ſolis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis eſt conflatũ; qui tamen *ordinaria vocatione* carent ad vnum omnes. Ad Epiſcoporum enim *ordinariam* vocationem duo concurrant oportet, *Conſecratio*, & *Iuriſdictio*; quorum neutrum habent veſtri. Non *conſecrationem*, quia hæc à præcedentibus Epiſcopis, Ordinem Epiſcopalem verè atque canonicè habentibus, eſt petenda; veſtri autẽ hodierni ſuperinten-

 dentes,

Digitized by Google

dentes, iſtiuſmodi prognati ſunt parentibus qui *conſecrationem* vel nullam omninò, vel certè non ſatis validam ſunt conſecuti. Non *Iuriſdictionem*, quoniam nec eliguntur, nec confirmantur à ſanctiſſimo patre noſtro, Petri ſucceſſore, cui ſoli Chriſtus Claues, & in illis omnem Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudinem contulit. Anglorum igitur Epiſcopi reuera Epiſcopi non ſunt: ac proinde omnes qui ab his fontibus deriuantur ordines, vel hoc nomine, caſſi ſunt, ac irriti, & planè nulli.

4 Præterea veſtra Presbyterorum ordinatio eſt planè intolerabilis. Siquidem, iuxta Catholicæ Eccleſiæ ritum hæc Sacroſancta ſolennitas duabus conſtat partibus, quæ duplici officio ſacerdotali adamuſſim reſpondent, & decoris admodum ornantur ceremonijs: [g] *Epiſcopus enim cum aliquem ſacerdotem inſtituit primò manus ei, vnà cum omnibus Sacerdotibus qui adſunt,* [h] *imponit; deinde ſtolam humeris aptans, eam ante pectus in Crucis formam componit; poſtea manus ſacro oleo inungit; denique Calicem cum vino, & patinam cum hoſtia tradit, dicens, Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium Deo, miſſaſque celebrandi, tam pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Hæc eſt prima & præcipua huius ordinationis pars, qua *conſtituitur* [i] *interpres ac mediator Dei & hominum;* [k] *Rege ſuperior, Angelo beatior, Creatoris ſui Creator.* Hinc eſt, quòd Sacroſanctum Sacerdotium in tanto ſit pretio & honore, quum nullus Rex, Imperator nullus, nullus Angelus, aut Archangelus hoc tam ingens opus poſſit præſtare (id eſt) Corpus Chriſti vnà cum carne, ſanguine, & oſſibus, prout à Maria Virgine natum eſt, quinque duntaxat vocum prolatione conficere. Hæc omnia quæ diximus ante Miſſam geſta ſunt. Poſt verò, Epiſcopus imponit manus, dicens, [l] *accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeris, remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta ſunt.* [illegible] eſt ſecunda ordinationis pars, in qua alterum munus Sacerd[illegible]e, id eſt, *abſoluendi poteſtas* confertur. Iſti ſunt Sacroſancti Eccleſiæ Ritus, à quibus vos longiſſimè abeſſe intelligo. Vt Ceremonialium accidentalium (in quibus ſignum [m] crucis & Oleum repono) contemptum ſilentio præteream, Eccleſia Anglicana ipſis eſſentialibus Sacerdotij functionibus omninò caret. Nullum enim Miniſtris ſuis tremendum corporis & Sanguinis Chriſti Sacrificium immolandi concedit facultatem. Abſoluendi autem munus licet adhuc qualecunque retineat, iſtiuſmodi tamen, quod nulli prorſus inſeruit vſui. Neque enim apud vos viget auricularis *Confeſſio*, nec idonea imponitur *pœnitentia*, nec fit pro peccatis *Satisfactio*; ſed veram illam ac *Iudiciariam* abſoluendi formulam, in neſcio quam *declaratoriam* tranſmutaſtis.

5 Denique ne *Diaconi* quidem veri apud vos inueniuntur. Quod vel inde conſtat, quia in ipſa muneris ſui ſubſtantia deficiunt. Dicunt, fateor, Epiſcopi veſtri inter ordinandum, [n] Accipe authoritatem Exequendi officium *Diaconi*. Sed longè aliter ſe res habet. Diaconorum enim officium eſt, [o] *Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtere*, quod Angli

[g] *Catech. Trident. de ordin. ſacram. c. 5.*
[h] *Hoc falſum eſſe ex pontificali conſtat: manus enim non imponuntur niſi finita miſſa.*
[i] *Catechiſ. ibid.*
[k] *Boner. in orat. ad Synod. Lond.*
[l] *Pontifical. & Catechiſ. Trident.*
[m] *Bell. de Sacram. ord. c. 13.*
[n] *Form. ordin. in ord. Diac.*
[o] *Bell. de Cler. c. 13.*

Digitized by Google

Angli faſtidire ſolent,& conſpuere. Ex his conſtat ne vnum quidem in vniuerſâ Eccleſia Anglicana exiſtere Epiſcopum, Presbyterum, aut Diaconum, ordinariâ vocatione præditum. Vel igitùr ad *extraordinariam* (quàm tu ipſe repudias) eſt recurrendum, vel omnes Miniſtri Anglicani, quicquid prætexunt, erunt merè *Laici.* Hæc omnia & ſingula vobis coram in clarâ luce oſtendemus, modò Rabbinorum veſtrorum quiſquam, nobiſcum in diſputationum arenam & puluerem deſcendere audeat. [p] *Fatemur nos Scholas Academicas cupidè requirere, immo in Curiam, verbo Principis innixi, conuolabimus.* [q] Hoc, hoc eſt quod nos impensè efflagitamus.

[p] *Campian. rat.2.*
[q] *Idem. rat.4.*

ORTH. Satis, iam ſatis mundo innoteſcunt libelli veſtri iactabundi, & vaniloquentia pluſquam Thraſonica. Briſtous, & Parſonius, magnus ille Polypragmon, quam de nobis abiectè, de ſe magnificè loquantur exploratum habemus; nec memoria noſtra excidere poteſt Campianus, gloriosus ille Pyrgopolinices, qui in Angliam eâ ipsâ de causâ remeans, vt ibi, tanquàm nobilis aquilifer, Romani Pontificis inſignia ſplendidè explicaret, vtramque Academiam, Athleta bellicoſus, prouocauit. Cæterum arrogantis huius Duellatoris Pontificij ſucceſſus mihi in mentem reuocare ſolet Regis Iſraelis dictum ad Benhadadum Regem Syriæ: [r] *Non iactet ſe qui accingit ſe vt qui diſcingit.*

[r] *1.Reg.20.11.*

Sed, vt ad te redeam, quoniam contra Eccleſiam noſtram vociferaris, quaſi nulli nobis eſſent Epiſcopi, Præsbyteri, aut Diaconi, idcirco vniuerſalis de Miniſterio Anglicano controuerſia tres particulares complectetur; de Epiſcopis primam, alteram de Presbyteris, tertiam de Diaconis. Deinde quia Epiſcopos noſtros tum Conſecratione, tum Iuriſdictione ſpolias, ideo primæ particularis controuerſiæ gemini naſcuntur rami: alter de Epiſcopali conſecratione, de Iuriſdictione alter. Ad me verò quod attin[illegible], non is ſum, nec talem me profiteor, qui cum veſtris ad duellum prouocantibus ſingulari certamine congrediar. Eccleſia noſtra (Deo gratias) viris ad hoc magis idoneis ſatis inſtructa eſt, & inclytæ noſtræ Academiæ ſimiles ſunt [ſ] *Turri Dauidis, ædificata ad Armaria, de qua millena ſcuta pendent, omneſque vmbones potentum.* Fateor tamen ſummo dolore affici animum meum, dum vos Iſraelem, Dei viuentis Exercitum, tam ſuperciliosè laceſſentes video. Quamobrem, pro meo in Deum & Eccleſiam officio, non ſilebo. Te tamen hoc vnum admonitum velim, ſi tibi arroganter & contumeliosè diſputare ſit animus, tuam fore laurum & victoriam; vel ante congreſſum victas manus dabo. Sin verò in ſimplicitate cordis, veritatem inueſtigare, inuentam amplexari diſcupias; ſi hunc in finem rationes cum rationibus, argumenta cum argumentis humiliter, & in Spiritu lenitatis conferre volueris; ſi tanti apud te ſit Diuina veritas, vt eandem auræ populari, & omni mundanæ vanitati præponderare patiaris, age, in eâdem indagandâ communem nauemus operam; huius enim laboris tecum particeps ero. Deus nobis

[ſ] *Cant.4.4.*

Digitized by Google

bis Prudentiam & Gratiam impertire dignetur, vt quæ ſit eius voluntas intelligamus, & quod illi gratum ſit faciamus. Si tibi placeant iſtæ diſputandi leges, argumenta tua, ſuo quæque ordine, propone, & proſequere.

CHAP. III.

Papiſtis, qui Anglorum perſtringunt Epiſcopos, vt merè Nominales, & non Canonicos, reſpondetur.

Partes 2.
- *Obiectio. Anglorum Epiſcopos eſſe*
  - *merè nominales.* } 1
  - *non Canonicos.* }
- *Reſpon. quoad*
  - *Nomen, etiam rem nominis, id eſt,*
    - *certam ſedem*
      - *noſtri habent.* 2
      - *Pontificij pleriq; non item.* 3
    - *munus Epiſcopale;*
      - *noſtri diligenter & frequenter obeunt.* 4
      - *Pontificij non item.* 5
  - *Canones in*
    - *genere, quos Eccleſia*
      - *Anglicana religioſè obſeruat.* 6
      - *Romana prodigioſè violat.* 7
    - *Specie, de 3. conſecrantibus, qui*
      - *nobis*
        - *in ſummo pretio.* 8
        - *in vſu perpetuo.* 9
      - *illis non item.* 10

PHIL.

AB Epiſcopis veſtris exordiar; qui ſunt merè *Nominales*, & non *Canonici*. Merè *nominales*, quia, vt dicit [a] Suarez, *non ſunt* veri Epiſcopi, ſed nomine tantùm; *neque aliquid* (vt loquitur [b] Bellarminus) *de Epiſcopatu habent, præter nomen & opes.*

[a] *Suarez, def. fidei, pag. 84.* [b] *Bell. Apol. pag. 119.*

2 ORTH. *Nominalis* dici poteſt, qui, Epiſcopi nomen ſeu Titulum ſibi vendicans, caret interim vel poſſeſſione certę Eccleſiæ, vel ordine atq; Officio Epiſcopali. Priori modo ſi intelligas, longè falleris. Sūt enim apud nos in Anglia duo Archiepiſcopi,

quibus

Digitized by Google

quibus ſubſunt alij primariæ notæ Epiſcopi, numero viginti quatuor: Nempe *Cantuarienſi* viginti & vnus: *Eboracenſi* reliqui tres: vt de *Monæ* Inſulæ vel Sodorenſi Epiſcopo nihil dicam. Horum vnuſquiſque propriam habet *Diæceſin*,& in Diœceſi Vrbem, & in vrbe *Eccleſiam Cathedralem*, cui præſidet. Eorum etiam nonnullis Suffraganos apud Regiam Maieſtatem [c]nominandi datur facultas: quorum eſt *Epiſcopo* in munere ſuo Epiſcopali aſſiſtere; vnde *Epiſcopi ſecundarij* dici poſſunt. Horum tamen vſus noſtris temporibus non admodum fuit frequens,ſed paulatim rareſcit, & ferè euanuit. Iſti,ſi cum prioribus conferantur, Epiſcopi titulo tantùm tenùs videri poſſunt,quia proprias non habent Diœceſes: abſolutè tamen ſi loquamur,habent & Titulum,& rem Tituli; [*] Nempe, pro ſede Epiſcopali Oppidum illuſtre,lege Parliamentariâ illis deſignatum,in quo,& certis locis adiacentibus,munus ſuum Epiſcopale exercent,vnde & nomen ſuum ſortiuntur; vt *Suffraganeus Bedfordiæ,Colcaſtriæ,&c.* Quotquot igitur apud nos conſecrantur in Epiſcopos,ſiue *Primarios*, ſiue *Secundarios*, illi omnes ad certi loci adminiſtrationem deſtinati ſunt,ſecundum [d] Canonem ſextum *Concilij Chalcedonenſis.*

Verùm an hoc apud vos ſempèr obtineat,teſtis ſit celeberrimus 3
veſter [e] Panormitanus. *Multi ſunt* (inquit) *Epiſcopi ſine adminiſtratione Epiſcopatuum, vt ſunt illi qui vulgariter Nullatenenſes appellantur.* Sic ille. Nos verò,*Vtopianos* non iniuriâ indigitare poſſumus. Hi magnos,at inanes,præ ſe ferunt Titulos,in quibus ſibi ſuauiter adblandiuntur; quod nihil eſt aliud, quàm verum ſomnium,ac merum ludibrium. Tales cogitanti mihi, [f] Thraſylao, homini fanatico non videntur abſimiles, qui naues, quaſcunque ad portum Athenienſem appellentes aſpiceret,pro ſuis reputabat, merceſque aduectas in tabulas referebat exultabundus, quum tamen miſer ipſe Iro eſſet pauperior. Ex hoc lymphatico genere erant [g] Olaus Magnus, & cæcus quidam Robertus, Epiſcopi merè *Nominales*, ille Vpſalenſis, hic Armacanus,qui ambo ad Concilium [h] Tridentinum,vt numerum complerent,tranſmittebantur. Robertus Kingus,Cœnobij Oſnienſis Abbas vltimus,ſplendido Roanenſis Epiſcopi gaudebat titulo, cuius ſedes in Archiepiſcopi [i] Athenienſis prouincia ſita dicebatur: hoc tamen Epiſcopatu vmbratili relicto, ſe ad Oxonienſem, veras quidem Athenas, transferri paſſus eſt. Thomas Merkes,Epiſcopus Carliolenſis, à propria ſede, cuius prouentu commodè alebatur,ad Samoenſem in Græcia, vnde ne vnum quidem expectabat teruntium, arte Papali traductus eſt. Verùm,vt quidam eleganter obſeruauit, [k] *Tam fœlix fuit, vt nec inimici beneficio vſus, nec perſonati amici malitia læſus extiterit.* Antonius Beccus, Epiſcopus Dunelmenſis, in Patriarcham Hieroſolymitanum à Pontifice ſublimatus erat. Quinimò ſi Epiſcopatus Dunelmenſis vberiorem non [l] ſuppeditaſſet prouentum quàm Patriarchatus,tam glorioſo non obſtante Titulo,inediâ perijſſet. Pa-

[c] 26.H.8.c.14.
[*] Ibid.
[d] Bin.tom.2. pag.119.
[e] Panorm. de offic.ordin.c. quoniam,n.4.
[f] Athenæus dipnoſoph.l.2.
[g] Gentilletus in exam.
[h] Sleidan comment.l.17.
[i] Franc.Land. de Præſulib.
[k] Idem in Epiſc.Carliol.
[l] Leland. in comment.in Cygn.Cantionem.

Digitized by Google

[m] *Defenſ. part. 5. c. 6. diſt. 10.*

pa enim (referente [m] Iuello) à quatuor præcipuis Mundi Patriarchis relictus, totidem Sacellanos ſuos, vel quoſcunque alios deſignat, eoſque Patriarcharum titulis honeſtans, primum Conſtantinopolitanum, ſecundum Alexandrinum, tertium Antiochenum, quartum Hieroſolymitanum appellat. Quos quum vel nutu ſuo regere, atque hùc illùc, quo vult, flectere valeat, hoc tam dulci commento animum ſuum demulcens, totum terrarũ orbem regere ac gubernare ſibi videtur. Non diſſimili pompa Magnus ille Tartariæ Chanus hodierno die vtitur, qui cùm ipſe pranſus eſt, tubas inflare iubet, &, hoc ſigno dato, cæteris mundi Regibus ac Imperatoribus prandendi veniam concedit; quo delirio, totum ſibi mundum vendicare ac poſſidere videtur. Eodem planè modo Pontifex Romanus in pictis ſuis Patriarchis ſibi mirificè placet, & huic ſomnio ſuauitèr indulget. Ipſorum autem ambitioſa cerebra ventoſis inflantur titulis, veſicarum inſtar, fumo & flatibus intumeſcentium. Huiuſmodi Epiſcopi *Nullatenenſes* verè Nominales, merè Titulares rectè appellantur; qui tamen in Eccleſia Anglicana nequaquàm occurrunt, ſed in Romanâ.

4 Hactenùs de prima huius vocabuli ſignificatione. Sin altero quem produximus ſenſu accipias, age, videamus an hoc nobis Crimen poſſis impingere.

PHIL. Anglorum Epiſcopos *Nominales* voco, quia veri Epiſcopi non ſunt, *neque aliquid* (vt loquitur [n] Bellarminus) *de Epiſcopatu habent* (id eſt) de ordine ac officio Epiſcopali.

[n] *Apol. pro Reſp. ad lib. Reg. c. 7. p. 119.*

ORTH. Pro Epiſcopis noſtris Clariſſimus reſpondebit Epiſcopus. [o] *In noſtris* (inquit) *Epiſcopis res eſt, non Nomen ſolùm; & opus, non opes; adeóque quæ Epiſcopalis numeris ſunt obeunt, multò, quàm veſtri, & frequentiùs & diligentiùs.* Quod ſanè quàm veriſſimè dictum eſt. Nam, ſi retroacta tempora animo recolamus, à primis in hac Inſulâ iactis fidei fundamentis, nullum occurrit ſæculum, in quo Eccleſia Anglicana tam illuſtri doctiſſimorum Antiſtitum, verbum Dei tam ſedulò prædicantium, corona inſignita fuit. Ipſi etiam Archiepiſcopi, licèt ſummis impliciti negotijs, in hoc opus Chriſti, ad Dei gloriam, maxima cum laude, nec ſine ſingulari fructu diligentiſſimè incumbunt.

[o] *Elienſis Reſp. ad Apol. Bell. p. 168.*

5 Tales opinor Archiepiſcopi, vel Epiſcopi in regno Pontificio ſunt raræ aues, nigróque cygno ſimillimæ. Et, vt Cardinales taceam, Papam vix Bellarmini (credo) Atauus vnquam audiuit concionantem.

6 Sed quo demum fretus argumento, Præſulibus noſtris Ordinem ac Officium Epiſcopale derogas?

PHIL. Quia ſcilicet ſecundùm antiquos Canones ordinati non ſunt.

ORTH. Priſci Canones in Eccleſiâ Anglicanâ, quàm Romanâ, longè accuratiùs obſeruantur.

PHIL. Hic ego te verbis patris [p] Fitzſimonis adoriar. *Affirmas*

Digitized by Google

mas quidèm in Anglia antiquos hodie Canones, vt vbi maximè, vigere: quo nihil impudentius, nihil ineptius à memoria hominum dictum eſt.

ORTH. Valdè hic iraſcitur Ieſuita, *ſed vana eſt ſine viribus ira.*

PHIL. Immò ad te debellandum ſatis habet virium. Nam quod tu ſtruis, id tribus argumentis eſt demolitus; quæ ordine proponam. [q] Primò *oſtendunt Puritani, ſub finem ſui examinis, canones prorſus nullos vigere aut valere in Anglia, qui Regio calculo ac Sigillo non ſunt muniti.*

ORTH. Et meritò. Nonnè Sanctus Leo Imperatorem Martianum ſupplex orabat, vt [r] *Concilium ſecundum Epheſinum, in euerſionem fidei agitatum, caſſaret, & vt antiqua Nicena Synodi conſtituta permaneant, iuberet.* Quod & fecit Martianus. Quin & Carolina Concilia Capitula *ſua* [ſ] *principi ſupplenda, emendanda, perficienda præſentarunt.* Porrò Regem Angliæ *omnes habere libertates in Regno ſuo, quas Imperator* vendicabat in Imperio, erat vox vera & verè [t] Regia: Regi igitur Canones tum iniquos reſcindendi, tum ſanctos & æquabiles ſuo calculo & Sigillo muniendi, iuſta eſt & legitima poteſtas. Sed quale tandem eſt hoc argumentum? Canones in Anglia non vigent ſine authoritate Regia, ergo priſci Canones non adeò Religioſè obſeruantur in Anglia, ac Romæ. Quaſi verò Roma antiquos Canones non vaſtet quotidie, ac depopuletur, quos tamen Rex noſter ſereniſſimus ſummo in honore ac pretio habet. [u] *Prima* (inquit) *quatuor generalia Concilia, tanquam Catholica & orthodoxa, veneror ac recipio.* Et aliorum quoque Conciliorum ſanctiones piæ & ſalutares, ô quoties, & quanta cum gratia & dignitate, ab eodem citantur? Hactenùs primum Ieſuitæ argumentum eſt eliſum: proferatur ſecundum.

PHIL. Vos omnès Canones reijcitis, [x] *qui Regni ſtatutis, ſeu plebiſcitis aduerſantur.*

ORTH. Reſpublica & Eccleſia, tanquàm duæ ſorores, mutuo ſe amore proſequi & complecti debent. Quæ ergo in Republicâ benè ſunt conſtituta, contrarijs Canonibus infirmanda non ſunt. Quæ Chriſtianæ reipublicæ ſunt vtilia & ſalutaria, Eccleſiæ pernicioſa eſſe non poſſunt. Præterea, quatuor illa prima Concilia generalia longè celeberrima, publica noſtrorum ordinum ſanctione recepta ſunt; quod iam pridē faſſus eſt [y] Campianus his verbis: *Domi noſtra, Comitijs Regni, eadem Concilia priſtinū ius inuiolatamq; dignitatē obtinent.* Hoccine eſt priſcos Canones antiquare aut reijcere? Sed hoc quoque argumentum quam exangue eſt & frigidum? Canones, Regni Statutis contrarij, non recipiuntur in Anglia, ergo ſummæ eſt impudentiæ, ac imperitiæ aſſerere, priſcos Canones in Anglia meliùs obſeruari quàm Romæ; quaſi Regni Anglicani Statuta priſcis patrum ſanctionibus aduerſarentur, aut Romanorum Pontificum placita cum ijſdem conſpirarent. Quantò concinniùs & veriùs hoc modo conficeres argumentum? Canones, Tyrannidi

Papali

[q] *Ibid.*
[r] *Leo. Epiſt. 43.*
[ſ] *Vide Tort. Tort. p. 162.*
[t] *W. Rufus apud Matth. Paris, pag. 17.*
[u] *Praf. monitor. p. 43.*
[x] *Fitz. ibid.*
[y] *Rat. 4.*

Digitized by Google

Papali repugnantes, non recipiuntur Romæ, at priſci Canones Papali tyrannidi repugnant: Ergò priſci Canones Romæ ſilent & obmuteſcunt. Iam, ſecundo quoque retuſo telo, præſtolamur tertium.

[z] Fitz.p.309. PHIL. *Ius [z] Canonicum in Anglia eſt abrogatum, ſicut fuit, ſub initio reformationis, Witenbergæ combuſtum.*

ORTH. Abrogatum quidem ex parte, id eſt, quatenùs Regni Statutis, aut Regiæ prærogatiuæ aduerſatur, vel quatenùs eſt Pontificium (id eſt) Romani pontificis authoritate ſtabilitum: non tamen ſimplicitèr & abſolutè. Permulta enim in magno illo Iuris Canonici corpore occurrunt præclara & eximia, ex quibus Eccleſia noſtra, quæ ſibi expedire & conducere iudicat, tanquam Roſas, relictis ſpinis, ſeligere ſolet & decerpere. Ius ergo Canonicum tanti facimus, quanti debemus; non vti vos Romæ, vbi, vt eleganter doctiſſimus [a] Epiſcopus, *Racemus Iuris Canonici pluris eſt, quàm vindemia Theologiæ.*

[a] Elienſis in Reſp. ad Apolog. c.1.p.31.

[b] Fitz.ibid. PHIL. Abrogari conſtat. [b] *Alioquì profectò non ità omnia ſurſum deorſum conturbârentur, non ita (vt reliqua taceam) centum & quadraginta plus minus ſacrati presbyteri, à ſolo Schiſmatis huius exordio, ijq; non degradati, ſed in foro ſeculari, & à laicis condemnati, ferinum in modum dilaniarentur.*

ORTH. Elizabetham perſtringit impius Ieſuita; Reginam omnium, quas Sol vidit, clementiſſimam; ſub cuius Regno complures Sacerdotes, ob violatam Maieſtatem Regiam, morte plectebantur, idq; meritò. Age enim; nonne Salomon ſummo Sacerdoti læſæ Maieſtatis reo, dixit: [c] *Dignus es morte.* Vndè patet viros etiam Eccleſiaſticos, huic crimini obnoxios, mortem mereri. Præterea dum adiungit Salomon, *Attamen hoc die non afficiam te morte,* clarè demonſtrat, ſe, licet propter officia in Dauidem patrem ſuum præſtita, vitam illi ex miſericordia indulgeret, ex regulâ tamen Iuſtitiæ, ob admiſſum crimen morte mulctare potuiſſe. Sacerdotes igitur, ob crimina ſecularia, à ſeculari Iudice, in foro ſeculari, plecti poſſunt. De Eccleſiâ Anglicanâ hactenùs; de Romana deinceps eſt agendum.

[c] 1.Reg.2.26.

7 Quanto olim apud Maiores veſtros in pretio fuerunt Canones, teſtatur Baronius. [d] *Quæ tunc facies ſanctæ Eccleſiæ Romanæ? quàm fœdiſſima, quùm Romæ dominarêtur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ meretrices? quarum arbitrio mutarêtur ſedes, darentur Epiſcopi, &, quod auditu horrendum & infandum eſt, intruderentur in ſedem Petri earum amaſij, pſeudopontifices, qui non ſunt, niſi ad conſignanda tantùm tempora, in Catalogo Romanorũ Pontificum ſcripti. Quis enim à ſcortis huiuſmodi intruſos, ſine lege, legitimos dicere poſſet Romanos fuiſſe Pontifices? Nuſquam Cleri eligentis, vel poſtea conſentientis aliqua mentio; Canones omnes preſſi ſilentio; decreta Pontificum ſuffocata, proſcriptæ antiquæ traditiones, veteresque in eligendo ſummo Pontifice conſuetudines, ſacriq; ritus & priſtinus vſus prorſus extincti.* Hucuſq; Baronius. De poſterioribus autem ſæculis

[d] Baron.an.912. num.8.

culis

culis ſic amici veſtri conqueruntur. Budæus : [f] *Sacroſanctos Canones melioribus annis factos, vt ijs velut regulis vita Clericorum dirigeretur, & velut patrum præſcriptis poſteri formarentur, iam in amuſſes plumbeas euaſiſſe, quis non videt ? quales olim fuiſſe Canones Lesbiæ ſtructuræ tradit Ariſtoteles. Nam vt Canones plumbei & molles non ſtructuram operum tenore æquabili dirigunt, ſed, ex ſtructorum commodo & libidine flexiles, ſtructuræ accommodantur ; ſic Canones Pontificij, ex vſu Eccleſiæ antiſtitum flexibiles, plumbei, & cerei facti ſunt : vt iam diu inſtituta maiorum, & ſanctiones pontificiæ, non moribus regendis vſui eſſe, ſed, propemodùm dixeram, argentariæ factitandæ authoritatem accommodare videantur.* Franciſcus de Victoria, Ieſuita, & publicus in Academia Salmanticenſi profeſſor ; [g] *Videmus* (inquit) *quotidiè à Romana curia tam largas, immo omnino diſſolutas diſpenſationes profectas, vt Orbis ferre non poſſit, nec ſolùm in ſcandalum puſillorum, ſed maiorum.* Et rurſus : [h] *Nullus quærit diſpenſationem quin obtineat.* Porro, non obſcurè innuit eſſe Romæ expectantes, *an quis velit petere diſpenſationem omnium quæ legibus ſancita ſunt.* Si tu hæc, Philodoxe, ſigillatim cognoſcere volueris, lege Claudium Eſpenſæum, Theologum Pariſienſem, in Sancti Pauli ad Titum Epiſtolam, &, niſi frons ſit planè adamantina, te rubore pluſquam coccineo ſuffundet. Rem totam dicto Ruardi Tapperi, Cancellarij Louanienſis, obſignabo, conquerentis, [i] *Abuſus Romanæ Curiæ inexcuſabiles agnoſci oportere ; totum Eccleſiæ corpus contaminatum lapſu diſciplinæ ; venalia eſſe omnia per monſtroſas prouiſiones, regreſſus, & retrogreſſus, per commendationes Abbatiarum & Epiſcopatuum, per diſpenſationes ſuper pluralitate beneficiorum, & ſuper alijs plurimis, ſuper quibus nec Chriſtus ipſe diſpenſare poſſet.* En tibi quam bellè ac religioſè in Eccleſiâ Romanâ obſeruentur Canones. Tibi verò, Philodoxe, Eccleſiam Anglicanam, tanquam Maiorum inſtituta, & Sacrarum legum repagula perfringentem, criminanti, reſpondeo. Primò, omnes apud nos Antiſtites canonicè ordinari. Secundò, licet fortè in hunc vel illum canonem incurrere contingeret, non tamen ſequitur illicò Epiſcoporum noſtrorum ordinationem eſſe irritam. Non enim cuiuſcunque Canonis qualiſcunque violatio ſacrorum ordinum nullitatem ſecum ſemper trahit. Quod vt exemplis illuſtrem, in magno Concilio Sardicenſi cautum eſt, [k] *Ne quis priùs Epiſcopus ordinaretur, quàm Lectoris, Diaconi, & Presbyteri miniſterium peregerit ; vt ſi in vnoquoque gradu dignus exiſtimatus fuerit, ad Epiſcopatus faſtigium, per progreſſiones, poſſet aſcendere.* Volunt inſuper Sardicenſes patres, vt in vnoquoque gradu per tempus ſatis prolixum maneat, vt eius fides, probitas, conſtantia, & moderatio poſſint cognoſci. His tamen non obſtantibus, [l] Nectarius, non modò Laicus, ſed ne baptizatus quidem, in Patriarcham Conſtantinopolitanum eligitur, ſtatimque in generali Concilio [m] Conſtantinopolitano Epiſcopus conſtituitur. Similiter Sanctus [n] Ambroſius, [o] Tharaſius, [p] Nicephorus, [q] Euſebius Cæſarienſis, nonnulli etiam Romani Pontifices, verbi gratia, Petrus

[f] *De Aſſe l.5.*

[g] *Rel. 4. de poteſt. papæ pr. 6. p. 139.*

[h] *p. 148.*

[i] *Ruard. Tap. orat. 10. an. 1552.*

[k] *Concil. Sard. c. 10. Bin. t. 1. p. 437.*

[l] *Soz. l. 7. c. 8.*

[m] *Vide epiſt. Synod. Bin. t. 1. p. 529.*

[n] *Socr. l. 4.*

[o] *Zach. in Conc. 8. Bin. t. 3. p. 887*

[p] *Ibid.*

[q] *Ibid.*

Digitized by Google

trus [e] Moronæus, ex Laicis ad munus Epiſcopale, conglobatis ordinibus, ſunt prouecti. Mihi tamen fixum & perſuaſum eſt, nolle te, immò ne audere quidem, horum ordinationes irritas reddere. Quamobrem, cum liquidò conſtet non omnem Canonum violationem nullitatem inducere, explicandum eſt tibi porrò quoſnam intelligas Canones, & quo tandem modò à nobis violentur.

[e] Marc.Cor. Sacr.Cerem. l.1.ſ.2.

8 PHIL. Illos dico, qui Epiſcopum à tribus Epiſcopis ordinari iubent: quod inſtitutum patribus [f] Tridentinis traditio habetur Apoſtolica.

[f] Catech.Trid. de ord.Sacram. cap.5.

ORTH. De hoc Canone, ſiue ab Apoſtolis, ſiue à quocunque alio originem duxerit, nos perquam honorificè & ſentimus, & loquimur. Ecquid enim eſt, quod ad Eccleſiæ non modo incolumitatem, ſed & dignitatem etiam & ſplendorem magis conducit, quàm optimorum Epiſcoporum deſignatio? Ecquid magis periculoſum, quàm ſi ipſi fontes veneno inficerentur? Summa igitur danda eſt opera, vt Epiſcopi (qui omnium in Eccleſia ordinum, omnis Iuriſdictionis ſpiritualis, iuxta Deum, perennes ſunt fontes, & Scaturigines) ab omni labe puri & integri cuſtodiantur. Quod non aliâ ratione magis commodè & accuratè fieri poteſt, quàm ſi plures eiuſdem ordinis, doctrina & probitate præſtantes viri, in vnum confluant. Sic enim Sacroſancta fidei myſteria pura & illibata retinentur; ſic ſalutaris diſciplina ſuas vires & robur obtinet; Sic denique vnitas Spiritus ſeruatur in vinculo pacis.

9 Eximia igitur laude ornanda eſt noſtra Anglia, quæ hanc ſalutarem ſanctionem nō modò in *Ordinale* ſuum retulit, ſed authoritate etiam [t] Parlamentaria ſtabiliuit: vnde factum eſt, vt nobis in vſu ſit perpetuo, adeo vt aliter ordinatus (vel Sandero [u] teſte) apud nos Epiſcopus haberi nequeat. Age, Philodoxe, vniuerſos noſtros Prælatos ſub Eduardo Sexto, Elizabetha, & ſereniſſimo noſtro Rege Iacobo dignitate Epiſcopali decoratos, circumſpice, & luſtra oculis; ſi quempiam ex illis alitèr ordinatum comperias, eundem ex albo Epiſcoporum eradi, & expungi non inuiti patiemur.

[t] 25.H.8.cap.20

[u] De Schiſ.l.3. p.296.

10 Veſtra verò Eccleſia, quoties pro Epiſcopis Abbates ſubſtituit (quod aliquandò apud vos fieri ſuo loco probabitur) toties hunc clariſſimum & vtiliſſimum Canonem eludit & elidit.

CAP.

Cap. IIII.

Prima controuerſia particularis, de Conſecratione Epiſcopali, in duas diuiditur quæſtiones; primam, an tres Epiſcopi ad alium ordinandum ſint ſimpliciter neceſſarij; cuius Status ex Papiſtis explicatur. Alteram, an noſtri ordinentur à tribus.

- *Quæſtiones 2.*
  - *proponuntur*
    - *Prima, an tres Epiſcopi ad alium ordinandum ſint neceſſarij.* — 1
    - *Secunda, an Anglicani Epiſcopi ordinentur à tribus.*
  - *Explicantur.*
    - *Prima, hic expenditur*
      - *ordinatio ipſa qua*
        - *ordinaria.* 2
        - *ſucceſſiua.* 3
      - *neceſſitas,*
        - *quando incepit.* 4
        - *quanta ex*
          - *Pontificibus.* 5
          - *Iuriſtis.* 6
          - *Canoniſtis.* 7
          - *Ieſuitis.* 8
          - *Seminarioru alumnis.* 9
    - *Secunda, adductis aduerſariorum verbis*
      - *Bellarmini.* 10
      - *Stapletoni.* 11
      - *Sanderi.* 12

Phil.

EQuidem, Orthodoxe, te horum Canonum obſeruationem adeo vobis vendicare ſatis mirari nequeo. Ego enim ternarium *Conſecrantium* numerum, & à Canonibus efflagitari, & in ordinationibus veſtris deſiderari luce clariùs oſtendam.

Orth. Duæ igitur nobis diſcutiendæ ſunt quæſtiones: prior, an tres Epiſcopi ad alium conſecrandum ſint neceſſarij; poſterior, an Anglorum Epiſcopi à tribus conſecrentur.

Vt primæ quæſtionis ſtatus magis eluceſcat, concede mihi veniam paucula interrogandi. Ac primùm, quid de Amphilochio reſpondes? Quem non homines, ſed Angeli crearunt Epiſcopum, niſi forte ſuaui nobis fabella illudat [a] Nicephorus. 2

[a] l.11.c.20.

PHIL. Non videtur fabula, ſed res geſta; quæ tamen ab hoc inſtituto eſt prorſus aliena. Nos enim agimus de Conſecratione *ordinaria,* (id eſt) quæ ab hominibus tranſigitur; hæc autem facta eſt (vt verbis vtar [b] Bellarmini) *diuina diſpenſatione extraordinaria.*

[b] *De Eccl. Milit. l.4.c.8.*

3 Miſſa igitur hac creatione Angelica, nos accuratè defendimus, omnem Sacrationem Epiſcopalem ordinariam à tribus Epiſcopis eſſe celebrandam; à tribus, inquam, quorum ſinguli ab alijs tribus ſimiliter ſunt ordinati, & illi rurſus ab alijs tribus, donec ad Apoſtolos veniatur. Et hoc ſenſu omnis legitima conſecratio eſt *ſucceſsiua,* vt appellat [c] Stapletonus.

Ibid.
[c] *Princ. doctr. l.13.c.6.*

4 ORTH. Quid de beatis Apoſtolis es dicturus? Numquid Epiſcopi erant? & ſi Epiſcopi, an quâ Apoſtoli, vel vi alicuius conſecrationis, ab Apoſtolatu diſtinctæ? Et ſi hoc poſteriori modo, à quot vel à quibus ſunt ordinati?

PHIL. Chriſtus ipſe (vt narrat [d] Iohannes de Turrecremata, Cardinalis) Sanctum Petrum immediatè Epiſcopum ordinauit, Petrus verò reliquos Apoſtolos; primò Iohannem, dein Iacobum, & cæteros deinceps. Huic conſonat illuſtriſſimus Cardinalis [e] Bellarminus, *Viceſima ſecunda* (inquit) *eſt Petri prærogatiua, quòd ſolus Petrus à Chriſto ordinatus Epiſcopus fuerit, cæteri autem à Petro Epiſcopalem conſecrationem acceperint.*

[d] *Summa de Eccleſiâ l.2.c.32*
[e] *De Rom. Pont. l.1.c.23.*

ORTH. Hæc commenta ſi lancibus appendantur, leuiuſcula apparebunt. Interim, de Iohannis conſecratione, fueritnè ſatis valida & Canonica, ſententiam tuam expecto.

PHIL. Satis firma fuit & valida. Miror tamen qua ratione ductus, an ſit Canonica, perconteris, cùm peracta ſit vel ante natum Canonem. Prætèrea aliud eſt conſiderare Eccleſiam adhuc in cunis vagientem, aliud in ipſo ætatis flore conſtitutam. In Eccleſiæ infantia, cum Chriſtus, in gloriam aſcenſurus, Petrum ſacraſſet, omniſque Epiſcopalis ordinis fontem conſtituiſſet, qui deinceps omnium primus initiandus erat, is à ſolo Petro, qui proximè à duobus ad ſummum ſacrari potuit, neceſſitate poſtulante. Vbi autem Iacobus, frater Domini, à Petro, Iohanne, & altero Iacobo Epiſcopus Hieroſolymitanus ordinatus eſt, ipſi (teſte [f] Anacleto) *formam dabant, vt non minùs quàm à tribus Epiſcopis (reliquis omnibus aſſenſum præbentibus) vllatenùs Epiſcopus ordinetur.*

[f] *Anacl. ep. c.1. Bin. t.1. p.101.*

5 ORTH. Si Prouinciæ cuiuſpiam ſplendor vſque adeo obſcuretur, vt Catholicorum Antiſtitum numerum Canonicum ſuppeditare nequeat, quid tum demum fieri oportet?

PHIL. Hoc docet tum [g] Synodus Sardicenſis, dum Epiſcoporum defectum *ex proxima Prouincia* ſuppleri permittit, tum [h] Gregorius 7. qui cum in Affrica duo ſoli eſſent Epiſcopi, illis ordinandi copiam non fecit, ſed virum duntaxat idoneum eligendi, qui, Romam tranſmiſſus, à tribus ordinaretur.

[g] *Concil. Sardic. c.5. Bin. t.1. p.435.*
[h] *Greg. 7. ep. 19. Bin. t.3. p.1210.*

ORTH. Trium concurſus (ſi commodè intereſſe poſſint) à nobis laudatur vel maximè; quem tamen non ex præcepto Diuino,

Digitized by Google

ſed ex inſtituto Eccleſiæ, non vt quiddam ſimplicitèr neceſſarium, ſed vt commodum & decorum exigimus.

Phil. Immo requiritur ex neceſſitate, tum præcepti, quia (teſte Aniceto) [i] *inſtituente Domino fieri iubetur,* tum medij, quià non tantùm ad ordinationis Epiſcopalis *benè eſſe,* verùm etiam ad ipſum *eſſe* requiritur. [k] *Quòd Epiſcopi non ſunt* (inquit Damaſus) *qui à minus quàm à tribus ordinati ſunt Epiſcopis, omnibus patet.*

[i] *Epiſt. ad Gall. Epiſc. Bin. t. 1. p. 126*
[k] *Dam. ep. 5. Bin. t. 1. p. 502.*

Hæc Iuriſtarum quoque communis eſt ſententia (teſte Cardi- 6
nale de [l] Turrecremata) *Iuriſtæ* (inquit) *quaſi omnes ſunt huius opinionis, quod requiratur numerus ternarius Epiſcoporum: ita vt ſi quis à paucioribus conſecretur, dicatur nihil agi.*

[l] *In Gratian. t. 1. p. 491.*

Eiuſdem quoque ſententiæ ſunt eminentiſſimi Canoniſtæ, vt 7
patet his ex verbis, apud eundem Cardinalem, proxime ſequentibus. *Vnde Hugo, & Archidiaconus dicunt, vt Papa ſolus cum vno Epiſcopo non poſſet conſecrare, hac forma durante.* Verba autem Archidiaconi ſunt huiuſmodi. [m] *Eſt ergo de forma & ſubſtantia Sacramenti, quod ibi ſint tres Epiſcopi, & ſi ordinetur à minus, non eſt Epiſcopus, quià deeſt ſubſtantia ſiue forma, quæ exigitur in collatione illius ordinis.* Præterea vbi in Concilio Arelatenſi ſecundo dictum eſt, [n] *Nullus Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis comprouincialibus præſumat Epiſcopum ordinare;* [o] Gloſſa in hanc vocem (tribus) ſic ſe habet, *Quod dicit Tribus, eſt de ſubſtantia conſecrationis; aliàs non eſſet conſecratus, ſi eſſent pauciores.*

[m] *Arch. ſuper decret. part. 1. diſt. 66. pag. 88.*
[n] *Con. Arel. 2. c. 5. Bin. t. 1. p. 537.*
[o] *Decret. Greg. l. 1. tit. 6. c. 7. nec Epiſcopi.*

Orth. Hactenùs de Iuriſtis & Canoniſtis; nunc Ieſuitarum 8
expectamus ſententiam.

Phil. Franciſcus Turrianus, de Metropolitano & duobus Epiſcopis illi aſſiſtentibus verba faciens, [p] *Hi* (inquit) *ſunt tres prorſus neceſſarij.* Et [q] alibi hoc ipſum Damaſi dicto, à nobis paulò antè allato, confirmat [r] Gabriel Vaſques; ordinis Epiſcopalis materiam (quam ſtatuit eſſe impoſitionem manuum) à tribus Epiſcopis adhibendam eſſe docet, & quæ ab vno adhibetur, à non Miniſtro adhiberi.

[p] *Turrianus pro Can. Apoſt. l. 1. c. 22. fo. 75.*
[q] *De Eccl. & ordin. Miniſt. l. 1. c. 11.*
[r] *Vaſques t. 3. diſp. 240. c. 5. p. 729.*

Orth. Quodnam eſt Bellarmini hac de re Iudicium? Qui, ante ſuſceptum Petaſum, nobilis erat Ieſuita, licet nunc, vel inuitô Ignatio, factus ſit ExIeſuita.

Phil. *Dubium* (inquit [ſ] Bellarminus) *eſſe non poteſt, quin requirantur ordinariè tres ad minimum Epiſcopi, ad noui Epiſcopi conſecrationem, niſi fortè, ex diſpenſatione, cum Epiſcopo ordinante adſint Abbates infulati, qui vicem Epiſcoporum gerant; vt aliquando fieri ſolet, ob Epiſcoporum raritatem, vel ob aliam iuſtam cauſam,* vt eſt apud [t] Binnium.

[ſ] *De Eccleſia l. 4. c. 8.*
[t] *Bin. l. 1 p. 14.*

Orth. Cuius eſt hanc diſpenſationem largiri?

Phil. Summi Pontificis, vt rectè Binnius.

Orth. Verùm ſi ab vno ſolo ordinari Epiſcopum contingeret, nec Abbatibus exiſtentibus, nec diſpenſante Pontifice, quid hîc dicturus eſt Bellarminus?

Phil. [u] *Eccleſia* (inquit) *non poteſt eſſe ſine Epiſcopis, vt oſtendimus.*

[u] *De eccl. l. 4. c. 8*

Digitized by Google

mus. Apud Lutheranos non ſunt Epiſcopi. Nam non habent ordinationem, nec ſucceſſionem ab Apoſtolis; igitur apud eos non eſt Eccleſia. Et quidem quod nec Lutherus, qui habitus eſt Epiſcopus Wittinbergenſis, nec Zuinglius, qui habitus eſt Epiſcopus Tigurinus, nec qui in ipſo ſepulchri Epitaphio vocatur primus Baſileæ Epiſcopus, nec Caluinus, qui dictus eſt Epiſcopus Geneuenſis, nec vlli alij ordinati ſint à tribus Epiſcopis, neque ex diſpenſatione ab vno aſſiſtentibus Abbatibus, notiſſimum eſt, nec ipſi negant. Ergò ſaltèm Patribus Niceni & Carthaginenſis concilij, immo & ipſis Apoſtolis, qui ſtatuerunt Epiſcopum à tribus Epiſcopis debere ordinari, iſti non ſunt Epiſcopi. Sic Bellarminus, cui hoc argumentum videtur [u] inſolubile.

[u] *Ibid.*

9 ORTH. Quàm pulchrè hæc inter ſe cohæreant, ſuo loco conſtabit. Interim quæro, an hæc in Seminarijs veſtris recepta ſit doctrina? Circumfertur Parſoniana controuerſiarum epitome, ex Bellarmini & Maldonati dictatis collecta, quam ab vnoquoque in Anglicis Seminarijs exſcribendum curatis. Huius, ſi placet, ſententiam explica.

PHIL. *Sic habe.* [x] *Primus Canon Apoſtolorum hoc idem declarat. Scilicet, Epiſcopum non poſſe ordinari niſi à tribus Epiſcopis. Hinc ſequitur ineuitabiliter, hæreticos non habere vllos Paſtores, ſeu Epiſcopos, cùm primi illorum Epiſcopi, Caluinus, Lutherus, Zuinglius, nunquam fuerint ordinati ab alijs Epiſcopis.* Audin hoc? Concluſio hinc ſequitur ineuitabilis, quippe quæ ſolidiſſimo nitatur fundamento.

[x] *Epitome controuerſi. part. 1. cont. 4. q. 2.*

8 ORTH. Hoc fundamentum eſt putridum, & ruinam minatur.

PHIL. Minatur certè, ſed Eccleſiæ Anglicanæ, quam hoc quaſi Ariete demolimur.

ORTH. Aries iſte obtuſis eſt Cornibus; non ferit.

PHIL. Ferit vos vel maximè: eſt enim argumentum Achilleum.

ORTH. Vide ne veſter Achilles euadat Therſites. Sed de primæ quæſtionis ſtatu ſatis.

10 Verùm quid hæc ad Eccleſiam Anglicanam?

PHIL. Aculeata ſunt tela quæ vos pungunt. Bellarminus enim, hoc iacto fundamento, ſic infert: [y] *Nullam habent excuſationem Epiſcopi Anglicani, niſi fortè velint dicere* (quod veriſſimum eſt) *ſe veros Epiſcopos non eſſe, neque aliquid de Epiſcopatu habere, niſi, quà ſibi iniuſtè vſurpant, nomen & opes.* Si nihil præterea, ergò nec Characterem, nec Iuriſdictionem, nec ordinem, nec officium: nihil habent, nihil penitus præter nomen, & opes.

[y] *In Apol. pro reſp. ad lib. Reg. c. 7. p. 119.*

ORTH. Opes? Eheu? Siccine eorum opibus inuidere flumini innatantem aureo Cardinalem? Noſtri verò ſint opulenti, necne nihil dico; certè ſi Papæ quod libuit, facere licuiſſet, ſatis ſuperque iam diu fuiſſent inopes. Etenim, regnante Henrico 8. re tota ad calculos reuocata, compertum fuit, [z] *Centum ſexaginta librarum millia, quadraginta proximis annis, pro ſolis Epiſcoporum inueſtituris, Romanæ Curiæ perſoluta.* Sed qua fronte audet Bellarminus anteſignanos

[z] *Antiq. Brit. pag. 326.*

nanos

Digitized by Google

nanos noſtros tam petulantèr inſectari, quaſi nihil haberent quod ad Epiſcopos ſpectat? Quid? Eruditionem nullam? Nullam omninò. Non multi effluxerunt anni, ex quo ipſe Bellarminus, fulgentem deponens purpuram, ſub infauſta Torti ſpecie delituit: quem vnus ex Epiſcopis noſtris (eruditus necne iudicent eruditi) adoriens, ita torſit & retorſit, vt malè ominatam perſonam exuere, laruamque deponere coegerit; cuius duelli exitum omnes quotquot vſpiam ſunt Pontificij, non dicò lachrimis ab oculis ſtillantibus, ſed riuis ſanguineis affatim manantibus, meritò lugere poſſunt, dum fortiſſimũ eorũ Athletam tam miſerè ſtratum ac debellatum conſpiciunt. Nec docti modò ſunt Anglorum Epiſcopi, ſed celebres etiam Concionatores, in Chriſti vinea excolenda ſeduli & laborioſi; ac proinde Cardinalibus, Bellarmini fratribus, longè diſſimiles. Etenim Iulius [a] ſecundus dixit, ſe non poſſe, illæſa conſcientia, fratrem Ægidium in Cardinalium numerum referre, ne Cardianalis creatus, à concionando deſiſteret: qui tamen poſteà à [b] Leone decimo Cardinalis factus eſt, vt taceret. Siquidem in Eccleſia Romana opulenti Epiſcopi raro, rariùs Cardinales, Papæ rariſſimè concionantur. Hactenùs Bellarminum in nos inuolantem vidimus. Sed quo vtitur argumento? Hoc ſcilicet, quod Epiſcopi noſtri à tribus ordinati non ſint: hoc telo omnes huius temporis hæreticos (quo in numero nos collocat) conatur proſternere.

[a] *Rich. Paceus in lib. de fructu qui ex doct. percipitur: citatur à Rainaldo coll. cap. 7. Diuiſ. 6.*
[b] *Ibid.*

PHIL. Idem quoque in vos fortitèr & neruosè ſic contorquet [c] Stapletonus: *Num in Galliam, Hiſpaniam, aut Germaniam profecti ſunt, quandoquidem legitimum numerum eorum qui poſſent & vellent* manus imponere, *domi non habebant? Minimè gentium. Sed vt eorum Religio eſt contraria, intentio aliena, initium à vera fide apud nos plantata penitus diſcrepans, ita eorum progreſſus ab eadem diuerſi ſunt, & eidem planè repugnantes. Non per oſtium ingreſſi ſunt; clanculùm, tanquam latrones, ſine omni authoritate vel regimine ſpirituali, ſurrepſerunt. Hoc diſcrimen inter Proteſtantes, & noſtros veros Epiſcopos, primos ſcilicet Apoſtolos, tanti eſt momenti, vt ſicco pede tranſiliri non debeat. Nam cùm eorum authoritas probatur nihili eſſe, quicquid moliuntur in nihilum neceſſariò redigitur. Dico igitur, ex ſententiâ ſacræ Scripturæ, & Primitiuæ Eccleſiæ praxi, iſtos Epiſcopos non eſſe. Prætenſi veſtri Epiſcopi talem non habent ordinationem, nec talem manuum impoſitionem, qualis requiritur; nec vllam Presbyteros aut Miniſtros ordinandi poteſtatem: ideoque nec vos veri eſtis Miniſtri, nec illi omninò ſunt Epiſcopi.* 11

[c] *Fortalit. part. 2. cap. 7.*

ORTH. Quid ita? Canon iſte apud nos ſemper à primo Religionis in Anglia reformatæ momento inuiolabilitèr eſt obſeruatus; nec quiſquam eſt in toto regno Pontificio, qui hanc meam aſſertionem tam generalem vlla ex parte labefactare poſſit.

PHIL. Refert [d] Sanderus, vos ſub initium Regni Elizabethæ *nec tres, duoſue habuiſſe Epiſcopos:* eodem tamèn tempore noui veſtri ſuperintendentes cathedras eccleſiaſticas inuaſerunt. Quamob-

[d] *De Schiſ. l. 3. p. 197.*

rem adeo inhæret Miniſterio Anglicano hæc labes, vt omnis aqua Thameſina eam non poſſit eluere.

ORTH. Quin ſi hoc Sanderianum falſum ſit (vt eſt falſiſſimum) omnis vnda Tyberina, etiamſi in aquã benedictam conuerteretur, non poterit tamen Seminariorum veſtrorum alumnis calumniandi artem abluere. Hoc autem quàm longè à veritate abſit, ex tabulis authenticis ſuo loco docebimus: vnde conſtabit glorioſiſſimam Reginã Elizabetham diploma Regium ad ſeptem in ſuis ditionibus Epiſcopos miſiſſe, quatenus ipſi vel ipſorum quatuor, Matheo electo Cantuarienſi (qui primus regnante Elizabetha Cathedram conſcendit Epiſcopalem) munus confirmationis & conſecrationis impartirent. Quod & factum eſt ab ipſorum quatuor; quorum nomina & tituli infra dicentur. Interim dolens dico, inter eos qui Papæ ſtudẽt partibus, mentiendi & calumniandi peritos extitiſſe multos, qui verò Sanderum vel ſuperaret vel æquaret, ex noſtra gente adhuc prorſus extitiſſe neminem; cuius famoſum *de Schiſmate Anglicano* libellum doctiſſimus Epiſcopus,[b] *mendaciorum ſterquilinium* veriſsimè appellauit: Calumniarum quoq; Augæum ſtabulum non iniuria vocare potuiſſet. Nam adeo nobilem hoc in genere ſe præſtitit artificem, vt in poſterum, Anglicè non, *Maſter Doctor Sanders*, ſed *Maſter Doctour Sclanders*, ob incredibilem calumniandi peritiam, dici mereatur.

[b] *Tort. Torti, p. 363.*

PHIL. Id de quo agitur calumnia non eſt, ſed verum crimen; quod tu ab illo nunquam auertere poteris. Attende mi homo, [c] *Si vocationem veſtram ſatis ſolidis argumentis confirmare valeatis, nos cunctos Eccleſias veſtras adituros, & Religionem veſtram profeſſuros pollicemur.*

[c] *Pontificij in Caſtello Framlingamienſi olim incluſi.*

ORTH. Magnifici huius promiſsi memor eſto, ac interim argumentum proſequere.

PHIL. Ego illud ipſum proſequar, quod à Bellarmino *inſolubile*, à Parſonio *ineuitabile* dicitur: & ſic inſtitui poteſt. Omnes veri Epiſcopi à tribus Canonicè conſecrantur; Anglorum Epiſcopi à tribus canonicè non conſecrantur; Ergo Anglorum Epiſcopi non ſunt veri Epiſcopi.

ORTH. Anglorum Epiſcopos à tribus Canonicè conſecrari ſuo loco liquebit. Quin ſi fortè à paucioribus, vrgente neceſsitate, ſacrari contingeret, quid hinc incommodi? Ternarius Epiſcoporum numerus, ad *melius* duntaxàt *eſſe*, non ſimpliciter ad *eſſe* requiritur. Non eſt Epiſcopalis Conſecrationis pars eſſentialis, ſed ornamentum accidentale: pulchra quædam, non ſine ſingulari fructu, ſolennitas, non tamen eſt quicquam ſubſtantiale, vel abſolutè neceſſarium.

CAP.

Digitized by Google

CAP. V.

Papiſtarum Argumenta à Canonibus Apoſtolorum, & Decretalibus Epiſtolis deprompta; quod volunt non efficiunt.

Nam
- *Canones Apoſtolorum non*
  - *ſunt permagnæ authoritatis apud Aduerſarios ipſos.* 1
  - *probant tres eſſe ſimpliciter neceſſarios.* 2
- *Epiſtolæ decretales*
  - *Anacleti & Aniceti*
    - *pro ſuppoſititijs agnoſcuntur.* 3
    - *ſi veræ, non tamen euincunt. Hic perpenditur*
      - *Iacobi ordinatio.* 4
      - *papiſtarum illatio.* 5
  - *Damaſi, ordinem Epiſcopalem ab vno collatum irritum reddunt,*
    - *non quoad Sacramenti veritatē,* 6
    - *ſed quoad officij executionem.*

PHIL.

EGo ſententiam tuam varijs refellam Argumentis; quorum primum ab Apoſtolorum Canonibus deducetur, quos (vt rectè [a] Binnius) *authoritate Apoſtolorum conditos, eorumque traditione nobis traditos, Clemens Romanus, Sancti Petri diſcipulus Græcè conſcripſit.*

ORTH. Horum multi pietatem & antiquitatem redolent. Cæterùm ſi vniuerſi dicantur Apoſtolici, quaſi Apoſtolorum authoritate conditi, Eccleſia Romana meritò reprehenditur: Siquidem Canon 84. tertium Machabæorum librum, duas Clementis Epiſtolas, & octo Conſtitutionum libros eiuſdem Authoris, in canonicis Scripturis numerat; quæ tamen omnia Eccleſia Romana reijcit. Rurſus idem Canon *Eccleſiaſtici* & *Sapientiæ* libros, alioſque in Canone non recenſet, quos Eccleſia veſtra vt Canonicos amplectitur.

PHIL. *Probabile videtur* (inquit [b] Bellarminus) Canonem illum non eſſe Clementis. Eundemq; [c] *ſpurium* appellat Baronius; [d] Binnius *Apocryphum, ac ſurreptitium.*

[a] Bin.t.1.p.14.

[b] De verb. Dei, l.1.c.20.

[c] Ann.102.n.16.

[d] In not. in Can. Apoſt.

ORTH. Quid ergo reſpondes ad Canonem 65. qui Sabbato, præterquam vno ſolo, (id eſt) Paſchali (interprete [e] Binnio) ieiunare prohibet?

[e] Pag. 17.

PHIL. Reſpondeo cum [f] Baronio *magnam eſſe impoſturæ ſuſpicionem.*

[f] Ann. 102. n. 5.

ORTH. Porro [g] Gelaſius in Romano Concilio ſeptuaginta Epiſcoporum *librum Canonum Apoſtolorum apocryphum* eſſe ſtatuit. Quo ſenſu? *Eos libros* (inquit [h] Bellarminus) *vocat Apocryphos, qui ſunt editi ab authoribus hæreticis, vel certè ſuſpectis.*

[g] Diſt. 15. ſancta Rom.

[h] De verb. Dei l. 1. c. 20.

PHIL. Hunc librum non ideo obelo transfixit Gelaſius, quaſi vniuerſi Canones eſſent Apocryphi, ſed *hoc ipſum propter aliquos, vel corruptos, vel additos ab hæreticis, feciſſe videtur*, inquit idem [i] Bellarminus: cuius generis ſunt duo ſuperiores à te allati. *At Quinquaginta priores, quorum vltimus eſt de trinâ in baptiſmate merſione, præter Apoſtolicam & orthodoxam doctrinam, ab antiquis Pontificibus, Concilijs, & patribus approbatam, nihil continentes, velut authentici recipiuntur,* (Inquit [k] Binnius.)

[i] Ibid.

[k] Quo ſupra, p. 1.

ORTH. [l] Zephyrinus Pontifex ſeptuaginta, vel, vt alij legunt, ſexaginta numerauit. Quomodo hæc inter ſe conſentiunt?

[l] Ep. 1. Bin. t. 1. p. 134.

PHIL. *Scire oportet prædictas 60. vel 70. ſententias, quas Zephyrinus ab Apoſtolis præſcriptas eſſe refert, omnes 50. Canonibus, ſiue Capitulis Apoſtolorum contineri, ſic vt vno Canone plures ſententiæ comprehendantur*: vt aſſerit [m] Binnius, qui ad [n] Turrianum nos remittit.

[m] Quo ſupra, pag. 14.

[n] Pro Can. Apoſt. l. 1. c. 20.

ORTH. Turrianus non dicit plures ſententias in vno Canone contineri, ſed vnam ſententiam duobus, aliquando tribus comprehenſam eſſe Canonibus. Deinde 70. iſtæ ſententiæ tot ſunt Canones, teſte [o] Bellarmino, his verbis: *Zephyrinus decimus quintus à Petro, in Epiſtola prima, tradit, ſolùm ſeptuaginta Canones fuiſſe Apoſtolorum.*

[o] De verb Dei, l. 1. c. 20.

PHIL. *Apoſtolorum Canones* (inquit Sanctus [p] Leo) *numerant Patres inter Apocrypha, exceptis quinquaginta capitulis*, id eſt, Canonibus, vt rectè Binnius.

[p] Diſt. 16. Clementis.

ORTH. Ergo vt tranſeamus Canonem quintum, *inhibentem, ne Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus vxorem ſuam reijciat religionis prætextu*, & triceſsimum primum, in quo ſtatuitur, *Si quis Presbyter, aut Diaconus ab Epiſcopo ſit ſegregatus, non licere alij eum ſuſcipere, quàm qui eum ſegregauit.* Nonus ſic ſe habet; *Quicunque fideles ingrediuntur, & Sacras Scripturas audiunt, in precatione autem & ſanâ communione non permanent, ſegregari oportet.* In quem ſic Binnius: *Totum hoc decretum, non diuino, ſed humano iure conſtitutum, iam contraria conſuetudine eſt abrogatum.* Cui ſententiæ tres Ieſuitas, Bellarminum, Zuarem, Turrianum, ſuffragantes adducit. Ita Canonem, qui vobis eſt Apoſtolicus & authenticus, abrogari poſſe, trium nobilium Ieſuitarum hîc eſt nobilis confeſsio. Cæterùm quid de Epiſcopis ſtatuant, iam tandem aliquandò audiamus.

2

PHIL. Hæc ſunt verba, [q] *Epiſcopus ordinetur à duobus, vel tribus Epiſcopis.*

[q] Can. Apoſt. primus.

ORTH.

Digitized by Google

ORTH. A duobus,vel tribus? Ergo ordinatio à duobus præſtita,perinde eſt canonica,ac à tribus.

PHIL. Nequaquam. Canon, præter Metropolitanum, duos vel tres efflagitat,qui Metropolitano aſſiſtant, vt rectè [a] Bellarminus,& [b] Turrianus.

ORTH. Canon non dicit,ordinetur à duobus vel tribus aſſiſtentibus, *ſed à duobus vel tribus Epiſcopis:* neque habet hanc clauſulam (præter *Metropolitanum*) ſed abſolutè enunciat, *Epiſcopus ordinetur à duobus vel tribus Epiſcopis.* Quamobrem ſi ordinatio præſtetur à duobus Epiſcopis, Canoni ſatisfactum eſt. Hæc veſtri Pamelij eſt ſententia,qui ſic ſcribit: [c] *Accedere debebat conſecratio, ſiuè (quam Cyprianus vocat) manus impoſitio, per Epiſcopos qui conuenerant, quos, vt minimùm, duos eſſe oportebat.* Vbi animaduertas velim, Pamelium ſignantèr dicere non aſsiſtentes,ſed conuenientes duos eſſe oportere. Idem prorſus [d] Cardinalis veſtri de Turre-cremata eſt iudicium, qui hunc ipſum Canonem neruosè vrget, vt inde probet ternarium Epiſcoporum numerum non eſſe ſimplicitèr neceſſarium.

[a] De Eccl. mil. l.4.c.8.
[b] Turr. de eccl. & ordin. l.4.c.8
[c] Pamel. in Cypr. ep. 68.
[d] In Gratianum t.1.p.493.

PHIL. Geminum huius Canonis ſenſum Decretales Epiſtolæ nobis elucidabūt. Prodibunt primo in loco Anacletus & Anicetus. Anacletus epiſtola ſecunda ſic ait: [e] *Hieroſolymitarum primus Archiepiſcopus, Beatus Iacobus, qui iuſtus dicebatur, & ſecundum carnem Domini nuncupatus eſt frater, à Petro, Iohanne, & Iacobo Apoſtolis eſt ordinatus, ſucceſſoribus videlicet dantibus formam eorum, vt non minus quàm à tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus, vllatenus Epiſcopus ordinetur.* Similiter [f] Anicetus, *Scimus beatiſſimum Iacobum, qui dicebatur Iuſtus, qui etiam, ſecundùm carnem, Frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Iohanne, & Iacobo Apoſtolis, Hieroſolymorum Epiſcopum eſſe ordinatum: Si autem non minus quàm à tribus Apoſtolis tantus vir fuit ordinatus Epiſcopus, patet profectò eos formam (inſtituente Domino) tradidiſſe, non minus quàm à tribus Epiſcopis Epiſcopum ordinari debere.*

[e] Apud Bin. t.1. p.191. & diſt. 66. porro.
[f] Epiſt. ad Galliæ epiſ. Bin. t.1. p.126.

ORTH. Quas adducis Epiſtolas, iamdudum obſoletæ ſunt & antiquatæ. Sub venerandæ antiquitatis larua diù latuerunt, ſed tandem pro fictitijs & ſuppoſititijs à veſtris hominibus, [g] Bellarmino, Cuſano, Contiô agnoſcuntur. Hoc tamen quod ex illis retuliſti amplector, & recipio, non quatenus in illis Epiſtolis eſt proditum, ſed quatenùs hoc idem apud [h] Euſebium, [i] Hieronymum, alioſque patres occurrit. Euſebius ſic ait: *Hunc Iacobum quem & Iuſtum cognomento veteres, propter virtutis prærogatiuam, vocarunt, primum Epiſcopalem Hieroſolomitanæ Eccleſiæ ſedem ſortitum eſſe ſcribunt, Clemens hoc in Sexto Hypotypoſeon libro, ſic ſcribens, aſſerit. Petrus enim, inquit, & Iacobus, & Iohannes poſt aſſumptionem Seruatoris, quamuis ab ipſo quoque Domino alijs eſſent Prælati, gloriam tamen hanc ſibi ipſis non vendicarunt, ſed Iacobum Iuſtum Hieroſolymorum Epiſcopum conſtituerunt.* Et Hieronymus: *Iacobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus, poſt paſſionem Domini, ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus*

[g] Vid. Reinoldum in ſumma colloq. c.8. diu. 3.
[h] Hiſt. Eccleſ. l.2.c.1.
[i] In viris illuſtribus in Iacobo.

Digitized by Google

copus ordinatur. Hæc verà eſſe poſſunt, interim vt quod hinc velles elicere, non ſequatur.

4 Duo igitur hîc ventilanda; Iacobi ordinatio, & veſtra Illatio. Circa Ordinationem imprimis ſciſcitandum, quid ſibi velint patres, dum tres Apoſtolos Iacobum in Epiſcopum ordinaſſi perhibent?

PHIL. Ordinarunt (id eſt) omnem poteſtatem Epiſcopalem per impoſitionem manuum eidem contulerunt, vt ſolent noſtri, dum Antiſtites ſacrant.

ORTH. Ergo ſanctus Iacobus, ante hanc manuum impoſitionem, poteſtate Epiſcopali deſtitutus erat.

PHIL. Quidni?

ORTH. Nonne erat ex duodecim Chriſti Apoſtolis?

PHIL. Erat[k] *quorundam opinio, inter quos Nicephorus Calixtus eſt, tres (ſcilicet) fuiſſe Iacobos. Primum Zebedei filium; ſecundum Alphai, ambos ex duodecim Apoſtolis: tertium deinde hunc, cognomento Iuſtum, fratrem Domini dictum, extra numerum duodecim, et ita tertium decimum Apoſtolum. Alia tamen, ac verior Eccleſiæ ſententia eſt, quæ duos tantùm Iacobos agnoſcit, maiorem Zebedai filium, cui Iulij 25. diem feſtum agit, minorem fratrem Domini, cuius natalem vnà cum Philippi natali celebrat die primo Menſis Maij: de tertio autem nuſquam meminit. Quam ſententiam Hieronymus in libro contra Heluidium multis defendit, aſſerens duos tantum fuiſſe Iacobos, non tres, Iacobumque dictum Iuſtum, & fratrem Domini, eundem eſſe cum Iacobo Alphai, proptereaque ex duodecim numero fuiſſe, non tertium decimum; Pauli maximè innitens teſtimonio; Alium ex Apoſtolis* ([l] inquit) *non vidi quenquam niſi Iacobum fratrem Domini.*

[k] *Marianus Victorius in indice operibus Hier. præfixa, in voce Iacobus.*

[l] *Gal. 1. 19.*

ORTH. Nonne Apoſtoli poteſtate Apoſtolica à Chriſto ipſo immediatè erant ornati?

PHIL. Apoſtolica fateor, ſed nos de Epiſcopali agimus.

ORTH. Quaſi verò omnis Epiſcopalis poteſtas non includeretur in Apoſtolica? *Obſeruandum eſt* (inquit [m] Bellarminus) *in Apoſtolicâ authoritate contineri omnem Eccleſiaſticam.* Et [n] alibi idem probat teſtimonio ſancti Cyrilli, nitentis hoc dicto Chriſti: [o] *Sicut miſit me pater, ſic ego mitto vos.* Bellarmino, adiungam *Franciſcum de Victoria*, cuius hæc ſunt verba: [p] *Omnem poteſtatem quam Apoſtoli habuerunt, receperunt immediate à Chriſto.* Si omnem, ergò Epiſcopalem; Habuiſſe enim Epiſcopalem non negatur. Quamobrem qui aſſerunt Chriſtum in Epiſcopum ordinaſſe ſolum Petrum, Petrum autem reliquos Apoſtolos, ſua putidiſſima produnt commenta. Similiter qui dicunt Petrum, Iohannem, & Iacobum Zebedæi, Iacobum Alphæi ordinaſſe (id eſt) poteſtatem eidem Epiſcopalem contuliſſe, vigilantes ſomniant.

[m] *De bapt. & confir. l. 2. c. 12.*

[n] *De Rom. Pont. l. 4. c. 23.*

[o] *Ioh. 20. 21.*

[p] *Relect. 2. Quæſt. 2. concluſ. 3.*

PHIL. Certè Iacobus ex communi patrum ſententia fuit Epiſcopus.

ORTH. Fuit quidem, eaque ſententia, modò rectè intelligatur,

tur, eſt veriſsima: nam primò, ſancta Scriptura de Iuda dicit; [p] *Epiſcopatum eius accipiat alter*, (id eſt) Apoſtolatum. Si Iudæ Apoſtolatus dici poſſet Epiſcopatus, profectò omnes Apoſtoli dicentur Epiſcopi. Secundò, vox *(Epiſcopus)* ſpeculatorem vel ſuperintendentem ſignificat, ac proindè Apoſtolis appoſitiſſimè accommodatur, quippè qui ſpeculatores, vel ſuperintendentes in Eccleſia Chriſti ſunt eminentiſſimi. *p Acts 1.20.*

PHIL. Vnuſquiſque Apoſtolus, quà Apoſtolus, hoc tam generali ſenſu Epiſcopus dici poteſt. Cæterùm Iacobus, cum eſſet Apoſtolus, factus eſt Epiſcopus ſenſu reſtricto, qui iam obtinuit ſecundùm vſum Eccleſiæ, nempè Epiſcopus Hieroſolymitanus.

ORTH. Epiſcopi, ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem nuncupati, tres ſunt proprietates; prima, vt ordinem & poteſtatem Epiſcopalem per Epiſcoporum χειροθεσίαν accipiat: ſecunda, vt certam & fixam habeat ſedem, vbi hoc munus exequatur; tertia, vt reliquis Eccleſiæ illius Miniſtris ſingulari poteſtate ſupereminens, regat Eccleſiam ſuam, miniſtros ordinando, & cenſuras emittendo, vel relaxando. Quæ vltima proprietas in Apoſtolos ipſos eminenter, & per excellentiam quadrat, reliquæ non item. Quamuis enim in ampliſſimis ac frequentiſſimis ciuitatibus maximâ ex parte commorarentur, vt Iacobus Hieroſolymis, Iohannes Epheſi, attamen cùm eorum legatio ad *omnes* [q] *gentes* docendas extenderetur, non poterant vni certæ ſedi perinde alligari, ac qui illis in Eccleſiæ regimine ſucceſſerunt Epiſcopi. Quod ab [r] Epiphanio appoſitè exprimitur, qui, Petrum & Paulum pro Romanis agnoſcens Epiſcopis, addit *alios quoque Romæ Epiſcopos, ipſis ſuperſtitibus, conſtitutos fuiſſe, propterea quòd Apoſtoli ſæpè ad alias terras, propter Chriſti prædicationem, ablegarentur. Non potuit autem Vrbs Roma ſine Epiſcopo eſſe.* Quaſi dicat, munus Apoſtolicum omnes gentes ſpectat, aliorum verò Epiſcoporum officium certo loco & ſedi affigitur. Hoc ſacris Scripturis eſt conſentaneum, quæ Apoſtolos *lucem* [s] *mundi* appellant; ſeptem verò Aſiæ Epiſcopos ſeptem Eccleſiarum [t] ſeptem ſtellas, & Angelos vocant. Quamdiu autem in Ciuitatibus illis florentiſſimis commorati ſunt Apoſtoli, miniſtros ſacrarunt, cenſuras exercuerunt, aliaque omnia adminiſtrarunt officia epiſcopalia. Qua de cauſa à Patribus illarum Vrbium Epiſcopi meritò nominantur. Poteſtas tamen eorum Epiſcopalis non erat ab Apoſtolicâ ſeparata, ſed in eâdem, tanquam ramus in Arbore, incluſa, non ab hominibus per manuum impoſitionem accepta, ſed in ſanctos Dei homines immediatè à Ieſu Chriſto collata.

q Mat.28.
r Hær.27.
s Mat.5.14.
t Apoc.1.20.

PHIL. Quorſum igitur hæc ordinatio, ſi nullam ordinato poteſtatem contulit?

ORTH. Gloſſa in Ius Canonicum ſic interpretatur: [u] *Vel dic, quòd tantùm viſibili vnctione hi tres conſecrarunt eum, ſed prius erat inuiſibiliter vnctus à Domino: vel dic, quòd non ordinauerunt eum, ſed tantùm formam ordinandi alijs oſtenderunt: vel dic, quòd non Epiſcopum, ſed*

u In diſtinct. 66. Porro.

in

in Archiepiſcopum eum ordinauerunt: vel dic, quòd ordinauerunt (id eſt) inthronizauerunt eum ad adminiſtrationem certi loci; prius enim erat Epiſcopus ſine Titulo. Hactenus gloſſa. Et quidem, vt Prophetæ ac doctores Antiocheni manus in Paulum & Barnabam, cum ieiunio & orationibus, imponebant, non vt nouam aliquam Apoſtolo poteſtatem impertirent, ſed vt ſegregarent in opus ad quod Spiritus Sanctus aſſumpſit eos; ita fieri poteſt vt [x] Apoſtoli Iacobo manus impoſuerint, non ad dandam Epiſcopalem poteſtatem (hanc enim à Chriſto in Apoſtolatu acceperat) ſed vt communi aſſenſu Eccleſiæ Hieroſolymitanæ regimen illi aſsignarent, illumque & labores eius diuinæ gratiæ commendarent. Et hanc manuum impoſitionem Antiqui Patres (niſi fallor) ordinationem, largè & impropriè, dixerunt. Sed ſi fingamus Iacobum propriè ordinatum, quid vos inde aſtruitis?

[x] Acts 13. 2.

PHIL. Hanc ordinationem omnibus futuris ſeculis, tanquam Archetypum, & conſecrationum Ideam, proponi ex teſtimonijs ſuperioribus conſtat: vnde ſequitur Epiſcopum à paucioribus quàm à tribus ordinandum non eſſe.

ORTH. Exemplar pulchrum eſſe poteſt, & elegans, interim vt poſteri, vel ſi maximè vellent, illud ipſum, ob mediorum defectum, ad viuum imitari vel exprimere nequeant. Quoties poſt blandientem ſolem atra ingruit tempeſtas? Quoties poſt dulcem pacem, perſecutio Eccleſiam vaſtat & depopulatur? Quando igitur idoneus ſuppetit Epiſcoporum numerus, hoc Exemplar nobis mirificè placet: ſi quando verò nubila & turbulenta incidant tempora, ſi quando Eccleſia, tanquam luna, deliquium patiatur, hæc Sanctio, vt alia omnia Eccleſiaſtica conſtituta, neceſsitati cedere debet & ſuccumbere.

5 PHIL. Oppoſitum planè ex Anacleto patet, affirmante, *Hos Apoſtolos ſucceſſoribus formam dediſſe, vt non minùs quàm à tribus Epiſcopis vllatenùs ordinetur Epiſcopus.* Si non *vllatenùs*, ergo nec vrgente neceſsitate. Quid hoc eſt aliud, quàm ternarium Epiſcoporum numerum in hoc negotio eſſe eſſentialem?

ORTH. Similis planè vox in Iure Canonico ſic vſurpatur: [y] *Archiepiſcopus ab omnibus ſuæ Prouinciæ Epiſcopis ordinetur: hoc autem nullatenùs liceat immutari.* Vbi ex voce *nullatenùs* non licet colligere, omnium concurſum eſſe quiddam eſſentiale; vt ingenuè agnoſcit Cardinalis de [z] Turre-cremata.

[y] Diſt. 66. Archiepiſc.

[z] In Gratian. t. 1. p. 493.

PHIL. Quod in iure Canonico ſequitur, tuæ interpretationi repugnat; nempe, *ſin aliter præſumptum fuerit, viribus carere non dubium eſt*; quià *irrita eſt ſecùs facta ordinatio.*

ORTH. Quomodò irrita? quoad officij executionem (inquit [a] Gloſſator.) Vndè [b] Hugo, *Epiſcopus tamen erit, licet ab omnibus non conſecretur, ſed repelletur ab officio Epiſcopali, niſi diſpenſetur cum illo.* Ergo, ſecundùm Hugonem, ordinatio non eſt irrita quoad internam poteſtatem, ſed quoad externam executionem. Si tamen reſipuerit,

[a] In d. 66.

[b] Apud Turre-cr. quo ſupra.

Digitized by Google

rit, poteſt, ex Hugonis ſententia, in ſinum Eccleſiæ recipi, non vi nouæ ordinationis, ſed gratioſæ diſpenſationis. Vnde euincitur hanc culpam, iuxtà Hugonem, non hærere in ſubſtantia ordinis, ſed ex accidente contingere.

PHIL. Quod *Epiſcopi non ſint* (inquit [a] Damaſus) *qui à minùs quàm à tribus ordinati ſunt Epiſcopis, omnibus patet; quia prohibitum eſt* 6
à ſanctis Patribus, vt qui ab vno vel duobus ordinati ſunt Epiſcopis, neque nominentur Epiſcopi. Si nomen non habent, qualiter officium habebunt? Quare quicquid inter Epiſcopos vel de rebus ſolum modo ad eos pertinentibus egerint, neceſſe eſt vt irritum fiat, quia quod non habent, dare non poſſunt.

[a] Ep. 5. Bin. t. 1. p. 502.

ORTH. Cardinalis veſter reſponſum ſuppeditat. *Vbicunque* (inquit Iohannes de [b] Turre-cremata) *reperitur, quòd irrita ſit talis ordinatio, aut quòd non valeat, quia fit à paucioribus, intelligendum eſt, non quantum ad veritatem Sacramenti, ſed quantum ad executionem officij.* Qui leges eccleſiaſticas ſpontè & pertinacitèr violant, illos ab officij epiſcopalis executione repellendos eſſe dictat ratio. Quis enim tales ad clauum Eccleſiæ ſedere, vel in Eccleſia, honoribus, aut loco aliquo ſplendido potiri æquo animo ferat? Penes Eccleſiam igitur eſt hos à munere exercendo reijcere, licet ipſis inſculptum Characterem, aut intrinſecam in ordinatione acceptam poteſtatem abradere penes Eccleſiam non ſit. Quamuis autem ipſorum ordines, in Schiſmate accepti, veri ſint quoad poteſtatem internam, eorum tamen exercitium & praxin, diſciplinæ gratia, impedire aliquandò expedit. Cæterùm eſt penes Eccleſiam, Canonum rigorem relaxare, pœnitentibus veniam indulgere, & iiſdem tum ordines ſuos, tum honores permittere: Si verò defectus non à Schiſmate, non ab arrogantia & peruicacia, ſed à ſola neceſſitate naſcatur, nulla intercedente violatione ſpontanea, ipſa neceſſitas veniam apud æquos iudices facilè conſequetur. Hactenùs de loco Damaſi. Cuius verba ſi ita rigidè premas, vt inde abſolutam ordinum nullitatem elicias, profectò Eccleſiæ veſtræ tum doctrinæ, tum praxi ſunt contradictura, vt ſuo loco patebit.

[b] Quo ſupra.

Cap. VI.

Papiſtarum argumenta à Concilijs deſumpta.

De Concilijs in
- *genere, quæ à Romano-catholicis*
  - *verbo vendicantur.* 1
  - *reipſa violantur; vt conſtat in Niceno.* 2
- *Specie, hîc allatis, vbi*
  - *Obiectio. Canones tres efflagitant.* 3
  - *Reſ.*
    - *1. at* *non ex neceſſitate, ſed ex honeſtate.* 4
    - *2. neceſſitati cedunt.* 5

Phil.

SEntentia noſtra ex ſacris Concilijs confirmari poteſt. Spero autem vt in cæteris, quæ nobis vobiſcum intercedunt, controuerſijs, ita in hac quoque, vbi ad Concilia ventum eſt, vos ſtatim debellatos iri. Incipiam autem à primo illo Niceno celeberrimo; cuius Canon quartus, tres Epiſcopos diſertè efflagitat.

[a] Camp. rat. 4.

Orth. Exclamat quidam [a] Ieſuita glorioſus, *Concilia generalia mea ſunt, primum, vltimum, media.* Quod an verè dictum ſit vt exploremus, hoc ipſum Nicenum, in quo tantopere gloriamini, pauliſper inſpiciamus.

[b] Bellar. de Eccl. milit. l. 4. c. 8.
[c] Tom. 1. p. 14.
[d] Can. 5.
[e] Can. 6.

Primò, quod ſpectat ad hunc ipſum canonem, quem, quaſi à nobis violatum, in prima acie collocas, ſanctè affirmare poſſum, tam religioſè apud Anglos, quàm vſpiam Terrarum, obſeruatum eſſe; eundemque violatum eſſe ab Eccleſia Romana, in qua vnus aliquandò Epiſcopus Epiſcopum ſacrat, fatentibus [b] Bellarmino & [c] Binnio. Secundò, iuxta eundem canonem, poteſtas confirmandi Epiſcopos ſpectat ad Metropolitanum. At Eccleſia Romana à Papa approbatum approbat, licet à ſuo Metropolitano non ſit probatus, & à Papa improbatum improbat, quamuis à Metropolitano legitimè ſit probatus. Tertio, Niceni canones cauent, [d] *Ne qui ab alijs excommunicantur, ab alijs recipiantur.* At Pontifex Romanus aperit & claudit, ſoluit & ligat, pro ſua libidine. Quartò, Niceni canones ſanciunt, vt [e] *antiqua conſuetudo obſeruetur per Aegyptum, Lybiam*

Digitized by Google

biam,& Pentapolin,ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum animum habeat poteſtatem,quia vrbis Romæ Epiſcopi parilis mos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam,cæteraſque Prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſijs. Quæ verba non obſcurè innuunt, cuique Patriarchæ in propria Prouincia deberi poteſtatis præeminentiam, vt Romano in ſua, cuius conſuetudo laudatur, & tanquam exemplar, ad quam reliquæ Prouinciæ ſe componant,proponitur. At Pontifex Romanus omnes Canones & conſuetudines ſibi obſiſtentes vili pendit. Non ſatis eſt illi vt emineat, tanquam Epiſcopus inter ſuos Presbyteros,vel tanquam Metropolitanus inter ſuos Epiſcopos, vel tanquam Patriarcha inter ſuos Metropolitanos, niſi Primatus ſui vngues per totum orbem Chriſtianum extendat. Quintò, Niceni canones neminem ad Præsbyteratum ſine [f] examinatione admittendum decernunt,temeréque admiſſos è ſuo gradu [g] deturbant: At Romanus Pontifex ad Presbyteratum, Epiſcopatum, (addo etiam) & ad Cardinalatum, pueros aliquandò, & infantes promouet. Ferdinandus Medices,Florentinus,à Sixto quinto in Cardinalium numerum cooptatus eſt, cùm nondum decimum tertium ætatis ſuæ annum compleuiſſet. Iohannes Medices, qui poſteà, factus Pontifex Maximus,Leo decimus dictus eſt, Galero decoratus eſt,cum decimum tertium vix excederet; & tamen amplo ac inſigni Archiepiſcopatu in Gallia,integro ante hoc quinquennio, etiamnùm puer,eſt honeſtatus. Odettus Caſtilioneus, quùm vndecim tantum eſſet annorum,Cardinalis creatus eſt: in Epiſcopum tamen Bellouacenſem electus eſt antequam Cardinalis fieret. Alphonſus,Emanuelis Luſitani Regis filius,quum ſeptem eſſet annorum, oſtro & Petaſo eſt indutus: Epiſcopus tamen fuit,antequam crearetur Cardinalis. Hi ſunt qui ex officio Papam eligunt,electo aſſiſtunt, &,tanquam Orbis terrarum Iudices,aſſident. Et,quod adhuc magis eſt mirabile,ſi Glabro Rodulpho, Monacho Cluniacenſi(qui tunc vixit)fides eſt adhibenda,*Benedictus nonus puer decennis, creatus eſt Pontifex Maximus.* Hæc Exempla à doctiſſimo [i] Rainaldo deprompſi,cuius fontibus hîc hortulum meum irrigaui. Deus bone,quales iſti Cardinales? Quales Epiſcopi? Sed,præ cæteris, Benedictus nonus, qualis, ô qualis Papa? Beatam ſanè Romam,cui talis contigit Eccleſiæ Catholicæ Pater, Conciliorum generalium Moderator,ſacrarum Scripturarum expoſitor, orbis chriſtiani iudex ſupremus, & totius mundi oraculum. Huic autem praxi veſtra ad amuſſim congruit doctrina. *Ordines* (inquit [k] Toletus) *etiam maiores,etiam Presbyteratum poſſe conferri Infantibus nondum vſum rationis habentibus,eſt communis doctrina Theologorum & Canoniſtarum.* Sextò,per Canones Nicenos inter [l] Presbyteros ſedere non licet Diaconis,ſed vt Epiſcopis Presbyteri, ita Presbyteris Diaconi ſunt inferiores. At Pontifex Romanus Diaconos ſuos (modo petaſo & purpura fulgeant) non ſolùm Epiſcopis, ſed Archiepiſcopis etiam,atque ipſis Patriarchis præpoſuit. Noli hîc

[f] *Can.9.*
[g] *Can.10.*
[i] *Apolog Tinſ. um,n.26.*
[k] *Tolet. de inſtruct.Sacerd. l.1.c.61.n.3.*
[l] *Can.18.*

Digitized by Google

Cardinalium veſtrorum natales mihi obtendere; ego antiquitatem eorum heſternam nihil moror. Fac verum eſſe, quod valdè vult [m] Bellarminus, nempè ſub Silueſtro (id eſt) Concilij Niceni tempore, ſeptem Cardinales Diaconos Romæ extitiſſe: hoc tamen Pontificis cauſam nihil iuuat. Concilium enim ne Cardinales quidem excipit, ſed abſolutè enunciat. *Diaconos* (ſint Cardinales necne) *Epiſcoporum eſſe Miniſtros, Presbyteris verò minores.* Monet inſuper *vt intra ſuas menſuras permaneant.* Septimò, Niceni [n] canones prohibent, ne Epiſcopus quempiam, ad alium pertinentem Epiſcopum, ſibi recipiat, & in Eccleſia ſua ordinet, ſine conſenſu proprij Epiſcopi: Pontifex autem Romanus quoſcunque, vndicunquè, vbicunquè inaugurat, nec cuiuſquam conſenſum præſtolatur. Denique canones Niceni turpe lucrum vetant. Quo aucupij genere quàm inſignitèr excellat eius ſanctitas (ô Sanctitatem!) luculentèr deſcribit Claudius [o] Eſpencæus, Theologus Pariſienſis, ex impuro quodam libro, Romæ impreſſo & venali, qui inſcribitur, *Taxa Cameræ, ſeu Cancellariæ Apoſtolicæ*; vndè licet ediſcere, quo pretio pro quocunque commiſſo aut committendo flagitio homines impunitatem ſuam poſſint redimere, ſiue ſit adulterium, ſiue ſimonia, ſiue periurium, ſiue inceſtus, ſiue quid aliud his omnibus magis turpe aut nefandum. Quamobrē, Philodoxe, ſi Charta poſsit erubeſcere, reor quidē illius libri paginas vel coccino rubicundiores fore. Si quis pecuniam attulerit, cuiuſcunque facinoris redemptionem, diſpenſationis titulo conſequetur. Lamina aurea Pontificis gratiam conciliat, & ſancti Petri ſeram reſerare ſolet clauis aurea; omnia Romæ lance ponderantur aurea: ſola paupertas habetur irregularitas, nec vllum peccatum maius quàm carere nummis. Tanti iam Romæ fiunt Niceni canones. Sed verba Concilij parumper expendamus.

[m] *De Cleric. c.* 16.
[n] *Can.* 16. *&* 17.
[o] *In Tit. c.* 1.

3 PHIL. [p] *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus* (ſi fieri poteſt) *qui ſunt in Prouincia Epiſcopis ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, ſiue vrgente neceſſitate, ſiue itineris longitudine, certè omni modo tres Epiſcopi debent in vnum eſſe congregati, ita vt etiam eorum qui abſentes ſunt conſenſum & ſententiam per literas teneant, & ita faciant ordinationem.* Similiter Concilium quartum [q] Carthiaginienſe: *Epiſcopus cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput & ceruicem eius, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant.* Et Concilium ſecundum [a] Arelatenſe: *Nullus Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis comprouincialibus, præſumat Epiſcopum ordinare, ita vt alij comprouinciales epiſtolis admoneantur, vt ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificant.* Concilium ſextum [b] Carthaginienſe: *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui ſunt intra Prouinciam Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter vrgentem neceſſitatē, aut propter longitudinem itineris, omninò tres in vnum conuenientes, conſentientibus & his qui abſentes ſunt Epiſcopis, &* ſpon-

[p] *Conc. Nicenum.* 1. *can.* 4.
[q] *Con. Carth.* 4. *c.* 2. *Bin. t.* 1. *p.* 553.
[a] *Con.* 2. *Arel. c.* 5. *Bin. t.* 1. *p.* 537.
[b] *Cap.* 4. *Bin. t.* 1. *p.* 617.

Digitized by Google

ſpondentibus per ſcripta, tunc manus impoſitionem facere poſſunt. Concilium [c] Bracarenſe ſecundum: *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio conſtitui; ſed ſi hoc aut pro neceſſitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus tres colligantur, & omnium præſentium vel abſentium ſubſcriptiones teneantur, & ſic poſtea ordinatio fiat.* Ecce tibi Concilia vno quaſi ore tres ordinatores omnimodò efflagitant; & inter reliqua Nicenum. Hoc igitur poſtulant, non vt arbitrarium quidpiam, aut adiaphorum, ſed planè vt neceſſarium. [c] Cap. 2. Bin. t. 2. p. 669.

ORTH. Quid ſi conſecratio à tribus præſentibus celebretur, nulla prorſus abſentium ratione habita?

PHIL. Abſentium conſenſus de honeſtate tantùm requiritur, non etiam de neceſsitate.

ORTH. Atqui trium concurſus Niceno canoni non ſatisfacit, qui abſentium quoque conſenſum, eodem planè verborum tenore & rigore, exigit. *Certè omnimodo tres Epiſcopi debent in vnum eſſe congregati, ita etiam vt eorum qui abſentes ſunt, conſenſum & ſententiam per literas teneant, & ita fiat Ordinatio.* Quare ſi poſteriorem clauſulam, vt quiddam ex honeſtate tantùm, vel congruitate requiſitum, interpretetis, cur priorem tam rigidè vrges, & premis, tanquam abſolutè neceſſariam? Præterea hi canones emiſsi ſunt florente Eccleſia, cum orbis chriſtianus ingenti ſanctorum Epiſcoporum numero vbique abundaret: Tu verò eoſdem contra Eccleſiam producis, quæ, paulò antè deliquium paſſa, vix dum è tenebris & vmbra euaſerat. Hæc reſponſa ad argumentum tuum refellendum, ſatis in ſe habent momenti. Vt tibi tamen cumulatiùs ſatisfaciam, placet allata teſtimonia inter ſe componere, vt veritas ex mutua illorum collatione magis eluceſcat. Primùm erat canon apoſtolis aſcriptus; qui, cum pauci adhuc eſſent Epiſcopi, tribus vel duobus contentus fuit. Succedunt decretales epiſtolæ, quæ, cum crebriores iam eſſent Epiſcopi, tres ad minimum, & reliquorum præterea conſenſum poſtulant. Concilium Nicenum primum, Arelatenſe ſecundum, Carthaginenſe ſextum, & Bracarenſe ſecundum, abſentium quoque conſenſum exigunt. Quartum tamen Carthaginienſe abſentium ne meminit quidem, nec canon quidem Apoſtolorum. Vnde orta eſt hæc varietas? Ipſa temporum ac perſonarum obſeruatio ſatis demonſtrat, hanc rem, in medio relictam, ab Eccleſiæ pendere arbitrio, & hoc vel illo modo pro rerum varietate diſponi poſſe. Hæc luculenta fluit interpretatio, & ſingula mirificè inter ſe cohærent. At ſi veſtram ſequamur expoſitionem, adducta ſe inuicem collident teſtimonia, &, tanquam Cadmæi fratres, mutuis ſe vulneribus conficient. Anacletus tres ad minimum exigit; itidem Concilia allegata. Sed nunquid ex abſoluta neceſſitate? Ergo qui à paucioribus conſecratur, non eſt Epiſcopus. At canones Apoſtolorum pro Epiſcopo agnoſcunt vel à duobus ordinatum.

Hinc conſtat, venerandam antiquitatem hoc Eccleſiæ non vt neceſſarium obtruſiſſe, ſed tanquàm decorum & honeſtum propoſuiſſe.

5 Quæ cùm ita ſint, ſatis elucet, canones eccleſiaſticos eiuſmodi eſſe naturæ & conditionis, vt mutari poſſent, ſi exigat neceſſitas. Neq; hoc eſt eccleſiæ diſciplinā negligere, ſed ipſius neceſſitatis, duriſſimæ dominæ, mandato & imperio cedere. Sic enim de vniuerſis ſanctionibus Eccleſiaſticis ſtatuunt Antiqui. *Priſcis* (inquit [d] Gelaſius) *pro ſui reuerentia, manentibus conſtitutis, quæ, vbi nulla vel rerum vel temporum perurget anguſtia, regulariter conuenit cuſtodire.* Et ſanctus [e] Leo, *Vbi neceſſitas non eſt, nullo modo ſanctorum patrum inſtituta violentur.* Et rurſus, [f] *Omittendum, & inculpabile iudicandum, quod intulit neceſſitas.* Et [g] Felix Papa ait, *Alitèr tractandam neceſſitatis rationem, aliter voluntatis.* Et, ex ſcriptoribus veſtris recentioribus, [h] Andradius Ieſuita dicit, *Humanas leges, ſummo etiam conſilio editas, temporum varietate variari, hominumque neceſſitatibus inuerti, & mutari poſſe, atque adeo diſpenſabiles eſſe. Hinc ideo fit, vt Diuus* [i] *Auguſtinus humanas leges temporales vocet, quia, quamuis iuſtæ ſint, commutari tamen per tempora iuſtè poſſunt.* Hactenus Andradius. Denique [k] Binnius; *Pro temporum* (inquit) *neceſſitate rigor Canonum relaxatur.*

[d] *Gelaſ. ep. 9. Bin. t. 2. p. 244.*
[e] *Apud Bernardum de precept. & diſp.*
[f] *Citatur Ioh. 8. ep. 8. Bin. t. 3. p. 997.*
[g] *Ibid. apud Binnium.*
[h] *And. de general. concil. authoritate, lib. 1. defenſ. fid. Trident. pag. 115, 116.*
[i] *De lib. arbitr. lib. 1. c. 6.*
[k] *Bin. t. 2. p. 243. in margine.*

CAP. VII.

Argumenta quæ à Scripturis mutuantur Papiſtæ.

Refelluntur in
- *Genere, quia eadem concluſio non poteſt & traditione & Scripturis probari.* 1
- *Specie,*
  - *primum, ab ordinatione Timothei.* 2
  - *Secundum, à Paulo & Barnaba.* 3

PHIL.

Miſſis ergo Canonibus, idem ex Scripturis euincam.

ORTH. Ex Scripturis? Quì fieri poteſt? Nonne [a] ſuperius dixeras eſſe traditionem Apoſtolicam?

[a] *c. 4. n. 8.*

PHIL. Dixi.

ORTH. Nonne vt Scriptura eſt verbum Dei ſcriptum, ita traditio, vobis definientibus, eſt verbum Dei non Scriptum?

PHIL. Eſto, quid indè efficies?

ORTH.

Digitized by Google

Orth. Ergo ſi dogma in ſacris litteris ſit ſcriptum, non eſt traditio, vel ſi ſit traditio, in volumine Biblico non ſcribitur. Neque enim fieri poteſt, vt ſit verbum Dei & ſcriptum & non ſcriptum.

Phil. Trium epiſcoporum concurſus, quamuis ſit traditio, ac proinde in ſacris Scripturis non exprimatur, poteſt tamen ex iiſdem colligi.

Orth. Cameleontis inſtar alium atque alium induis colorem, hic tamen eſt planè euanidus. [b] Bellarminus enim, lapides Sionis demoliendo, Babylonem ædificat, dum ex Scripturarum inſufficientia, traditionum neceſſitatem aſtruere conatur. Scripturas autem minimè ſufficere inde probare nititur, quia multa (vt ipſe opinatur) & ſcitu & creditu ſunt neceſſaria, quæ tamen ex Scripturis probari aut colligi nullo modo poſſunt. Vnde perſpicuum eſt, Bellarminum traditiones appellare non ſcriptas, quia nullo modo in verbo Dei ſcripto continentur, nec expreſsè, nec implicitè, nec directè, nec per conſequens. Verùm quanam ratione hoc ex Scripturis poſſis elicere, geſtio ſcire.

[b] *De verb. Dei, l.4.c.4.*

Phil. Paulus Timotheum ſuum ſic monet, [c] *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij.*

[c] 2 *1. Tim. 4. 14.*

Orth. Vnicum hunc locum producit Bellarminus, qui tamen, vel ſuo ipſius judicio, non valde ad inſtitutum facit. Solet enim Scripturas in prima acie collocare, poſt has humana teſtimonia: Hic verò Canones & Decretalia primò prodeunt; Scripturæ autem à Tergo ſequuntur. Sed quomodo ex hoc loco argumentaris.

Phil. Hunc in modum. Timotheus in Epiſcopum conſecratus eſt, per impoſitionem manuum presbyterij, teſte Paulo. Sed hoc Presbyterium erat cætus presbyterorum. Ergò Tymotheus conſecratus eſt in epiſcopum à cætu presbyterorum. At iſti non erant Presbyteri inferiores, ſed ſuperiores, quos Epiſcopos appellamus; vt ex Chryſoſtomo, Theophylacto, & Oecumenio in hunc locum, eſt manifeſtum. Ergo Timotheus à cætu Epiſcoporum conſecratus eſt. At cætus tres ad minimum complectitur: Ergo Timotheus à tribus ad minimum Epiſcopis eſt conſecratus. Porrò hæc Timothei conſecratio nobis, vt exemplar neceſſarium, perpetuum, & inuiolabile proponitur. Omnes igitur Epiſcopi à Tribus ad omnimum Epiſcopis neceſſariò ſunt ſacrandi.

Orth. Sanctus Paulus hoc in loco Timotheum ad munus ſuum ſedulò præſtandum tribus incitat argumentis. Primò, quia ad hoc ſacro-ſanctum Miniſterium per Spiritum Prophetiæ eſt deſignatus. Secundò, quia in ordinatione ſua gratiam accepiſſet. Tertiò, quia ad hoc munus miniſterio Eccleſiæ eſt inauguratus, ſcilicet per impoſitionem manuum Presbyterij. De quo quidem Presbyterio, diligentiùs hîc inquirere non eſt animus. Ad propoſitum

propoſitum meum ſatis erit, ſi argumenti ſui debilitatem ita patefaciam, vt conſtare poſſet te hinc argumentum ſolidum non poſſe contextere.

PHIL. Hem, quid velis intelligo: Apoſtolum ſcilicet de neſcio quibus laicis loqui Presbyteris. Sed miſſa fac quæſo huiuſmodi commenta, quæ venerabilis ignorat antiquitas.

ORTH. Ne metuas. Etenim hoc presbyterium Timotheo manus impoſuit, quod laicis non licet; verùm quid ſignificet hoc Presbyterium vlteriùs explica.

PHIL. Quid aliud denotat, quàm Presbyterorum cætum?

ORTH. πρεσβυτέριον non modò cætum, ſed munus etiam Presbyterorum deſignat. Exempli gratia. [o] Euſebius narrat Epiſcopos Cæſarienſem & Hieroſolymitanum Origeni manus impoſuiſſe εἰς πρεσβυτέριον: id eſt, vt eiſdem Presbyteri munus & ordinem impenderent. Idemque refert, Epiſcopum Cæſarienſem rogaſſe Originem, vt Scripturas interpretaretur, ὅτ᾽ οὔπω πρεσβυτερίου χειροτονίας ἠξίωτο τυγχάνειν. id eſt, cùm nondũ Presbyteratus ordinationem conſecutus eſſet. Item Originem non diu pòſt impetraſſe, τὴν τοῦ πρεσβυτερίου χειροθεσίαν: id eſt, manuum impoſitionem, quâ fieret Presbyter. Prætereà etiam πρεσβυτερίου ſimiliter vſurpatur. Socrates dicit, Proclum, ab Attico in ordine Diaconatus conſtitutum, viſum eſſe dignum πρεσβυτερίου, id eſt, ordine vel officio Presbyterali. Hanc vocis ſignificationem amplectuntur Hieronymus, Primaſius, Anſelmus in hunc locum, dum presbyterium Presbyteratus, vel Epiſcopatus vocabulo interpretantur. Et Nicolaus de lyra: [p] *Presbyterium* (inquit) *eſt dignitas vel officium Presbyteri.* Ipſi etiam Anglo-Rhemenſes idem confitentur, dum hoc in loco Presbyterium reddunt Anglicè *Prieſthood*; quæ dictio non denotat Presbyterorum cœtum, ſed officium ac ordinem. Hæc ſi ita ſe habeant, de argumento tuo actum eſt. Quod enim ab vno ſolo Presbytero perficitur, perindè à Presbyterio hoc ſenſu ſumpto (id eſt) ab ordine vel officio presbyterali præſtitum dici poteſt, ac ſi à mille perficeretur. Porrò, hæc expoſitio ſcripturarum collatione firmari videtur. Hoc enim vocabulum, in nouo Teſtamento pro miniſtro eccleſiaſtico acceptum, ſignificationem habet aliquando ſtrictiorem, & ſic inferiores deſignat Presbyteros. Vt apud Paulum: [q] *Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus Teſtibus*; aliquandò ampliorem, & ſic non modò ad Epiſcopos, ſed etiam ad ipſos Apoſtolos ſe porrigit. Beatus [r] Iohannes Presbyterum ſe appellat. Et ſanctus Petrus ſe vocat [ſ] Compresbyterum. Eodem ſenſu Paulus Apoſtolus Presbyter dici poteſt, eiuſque officium Presbyterium. Paulum autem Timotheo manus impoſuiſſe liquidò conſtat. Sic enim ſcribit. [t] *Commonefacio vt exuſcites illud donum quod eſt in te, per impoſitionem manuum mearum.* Quamobrem cùm Presbyterium ſignificet munus ſeu officium Presbyteri, & ſanctus Paulus (cuius manibus ſacratus fuit Timotheus) dici poſſit Presbyter, non eſt à ratione

alienum

[o] *Vide Th. Bilſon Epiſc. Winton. de perpet. Eccl. gubernat. Latinè, p. 118.*

[p] *In hunc locum.*

[q] 1. *Tim.* 5. 19.

[r] 2. *Ioh.* 1. 3. *Ioh.* 1.

[ſ] 1. *Pet.* 5. 1.

[t] 2. *Tim.* 1. 6.

Digitized by Google

alienum hanc Timothei ordinationem, quam hîc Presbyterio aſſignat Scriptura, ſolius Pauli manibus fuiſſe peractam. Hoc cogitanti mihi innuere videtur Sanctus Ambroſius, his verbis: [a] *Gratiam dari ordinatoris ſignificat per Prophetiam, & manuum impoſitionem.* Non dicit ordinatorum, ſed ordinatoris. Quin & rem ita ſe habere fidem facit manuum Paulinarum efficacitas, quæ hoc ipſum ſolæ plenè atque cumulatè, ſine aliarum adminiculo, perficere poterant. Deinde ipſa verba Paulina hoc videntur euincere. Quorſum enim hanc gratiam ſolis ſuis manibus in ſolidum tribueret, alijs ne nominatis quidem, ſi alij quoque huius honoris vnà cum Paulo fuiſſent participes? [a] *In 1. Tim. 4.*

Denique hæc eſt Dionyſij Carthuſiani ſententia, his verbis expreſſa: *Manuum Presbyterij (id eſt) manuum mearum qui te ordinaui Epiſcopum.* Sed, vt vobis gratificemur, fac hoc in loco, per Preſbyterium, cœtum Epiſcoporum intelligi, vt placet Chryſoſtomo, Theophylacto, & Oecumenio. Verùm reſponde, quot grana efficiunt áceruum? Quot homines cœtum?

PHIL. Dicamus quod tres.

ORTH. Hoc poſito, ex Bellarmini opinione, per Presbyterium intelligentis *Cœtum* [g] *Epiſcoporum, qui ſimul cum ordinante imponebant manus ſuper caput ordinandi*; conſequens eſt Timotheum à quatuor epiſcopis ordinatum fuiſſe. Quocircà, ſi hoc exemplum ſit pro norma & regula perpetua, & inuiolabili, omnes Epiſcopi à quatuor erunt ordinandi; quo gladio veſtros ipſorũ Epiſcopos iugulabis. [g] *De Eccl. mil. l. 4. c. 8.*

PHIL. Videtur vel duos ſolos nomine cætus inſigniri poſſe.

ORTH. Si hoc darem, tua tamen vacillat concluſio. Vnde enim conſtabit adfuiſſe cœtum præter ordinantem, *Qui vnà cum ordinante manus imponerent.*

PHIL. Id Bellarminus ex patribus allatis abundè elucidauit.

ORTH. Vel potiùs lectoribus ſuis fucum fecit. Chryſoſtomus (vt ab eo exordiar) ſic inquit: *Non de Presbyteris hoc in loco, ſed de Epiſcopis loquitur, neque enim profectò Presbyteri ipſum ordinarunt.* Theophylactus, *cum impoſitione manuum Presbyterij (id eſt) Epiſcoporum: nam Presbyteri non ordinarunt Epiſcopum.* Oecumenius, *Per Presbyterium intelligit Epiſcopos. Non enim erat Presbyterorum Epiſcopo manus imponere.* Ita patres citati per Presbyterium Epiſcopos quidem intelligunt: de numero tamẽ nihil ſtatuunt. Tantùm abeſt, vt Epiſcoporum cœtum vnà cum ordinante manus Timotheo impoſuiſſe aſſerant; quod tamen ex illis aſtruere conatur Bellarminus. Cæterùm de numero Doctoris Angelici accipe ſententiam; qui vbi duas propoſuiſſet huius loci lectiones, nempe Presbyteri & Presbyterij, ſic ait: [b] *Quæſtio eſt, cùm Epiſcopus debeat ordinari à tribus, quarè hîc dicatur ſingulari numero Presbyteri? Reſpondeo, hoc ideo dicit; quia etſi conueniunt multi, tamen vnus eſt principalis, & alij coaſſiſtentes. Tamen poteſt dici, quòd hæc conſtitutio nondum erat, & tunc pauci erant Epiſcopi, qui nõ poterant congregari.* Ita Doctori veſtro Angelico probabile [b] *Th. Aquinas in 1. ad Tim. 4. lect. 3.*

Digitized by Google

probabile videtur, Timotheum à tribus non eſſe ordinatum. Cui concordat Cardinalis de Turre-cremata: [i] *Petrus dicitur ſolus conſecraſſe beatum Iohannem Euangeliſtam, Paulus Timotheum, Titum, & Dionyſium.* Et [k] Iohannes Maior: *Paulus non quæſiuit duos pro ordinatione Titi, & Timothei.*

[i] *In Gratianis.* 2 p. 493.
[k] *Maior in 4. Sent. diſt. 24. q. 3.*

3

PHIL. Ex alio loco idem probabitur: [l] *Erant in Eccleſia, quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas & Simeon, qui vocabatur Niger, & Lucius Greneſis, & Manahen, qui erat Herodis Tetrarchæ collactaneus, & Saulus: miniſtrantibus autem illis, & ieiunantibus, dixit Spiritus ſanctus, ſegregate mihi Saulum & Barnabam, in opus ad quod aſſumpſi eos.* Ecce non modò Barnabas, ſed & Saulus quoque (id eſt) Paulus Apoſtolus in Epiſcopum ſacratus eſt, idque à tribus Epiſcopis, Simeone, Lucio & Manahen. Quamuis eſſet Apoſtolus, non ab hominibus neque per homines, viſum eſt tamen diuino numini, vt, per impoſitionem manuum trium Epiſcoporum, epiſcopus ordinaretur. Quod ideò factum eſt, vt eccleſiaſtica diſciplina, in deſignandis per homines miniſtris, conſeruari poſſit.

[l] *Acts* 13. 1.

ORTH. Nec erant Epiſcopi, nec Paulo & Barnabæ munus contulerunt epiſcopale.

PHIL. Oſtendit [m] Turrianus, per *Doctores* intelligi Presbyteros, per Prophetas, Epiſcopos; & inſuper Paulum & Barnabam fuiſſe doctores ſiue Presbyteros, tres verò reliquos Prophetas ſiue epiſcopos, qui Paulum & Barnabam à presbyteratu ad epiſcopatum euexerunt.

[m] *De Eccl. & ordin. l. 2. p. 302.*

ORTH. Hæc Turriani ſomnia ſunt, quibus reſpondere non eſt operæprætium, cum contextus ſacer ſimpliciter dicat, fuiſſe in Eccleſia Antiochena Prophetas, & Doctores, Barnabam, Simeonem, Lucium, Manahen, & Saulum; ex his quinque primum duntaxat & vltimum fuiſſe Doctores, tres autem intermedios extitiſſe Prophetas qua ratione ducti opinabimur? Multò probabiliùs & textui conuenientiùs [n] Lorinus Ieſuita, vtrumque titulum omnibus & ſingulis accomodat. Vnde ſequitur Saulum & Barnabam & Doctoribus, & Prophetis eſſe accenſendos. Quarè ſi Prophetarum nomine intelligendi ſint epiſcopi, vt placet Turriano, Saulus & Barnabas, ante hanc manuum impoſitionem, erant Epiſcopi, & per conſequens Turrianus, qui eoſdem hîc factos eſſe Epiſcopos ſomniat, ad reordinationis ſcopulum allidit. Deindè Paulus erat Apoſtolus, non ab hominibus, ſed à Ieſu Chriſto; Apoſtolatus autem omnem poteſtatem Eccleſiaſticam, ac proindè (vt [o] antea ex Bellarmino & Franciſco de Victoria deduximus) omnem Epiſcopalem complectitur. Gratiam igitur epiſcopalem ab hominibus accipere non potuit. Quamobrem hæc manuum impoſitio non eò ſpectabat, vt epiſcopalem gratiam eis largiretur, ſed (docente Scriptura) vt [p] ſegregarentur in opus, ad quod Spiritus ſanctus aſſumpſit eos, & vt [q] commendarentur, (precibus ſcilicet &

[n] *In Act.* 13. 14.
[o] *Cap. 5. n. 4.*
[p] *Vid. Act.* 13. v. 2.
[q] *Vid. Act.* 14. 26.

& ieiunio) gratiæ Dei, ad opus quod impleuerunt. Cui veritati teſtimonium perhibet [f] Suarez Ieſuita, & affirmando *hanc manuum impoſitionem ſibi videri tantùm deprecatoriam, non etiam conſecratoriam*, & negando Paulum & Barnabam hoc in loco in Epiſcopos, vel Presbyteros, aut ordinatos eſſe, aut confirmatos. Quod etiam [g] Aloyſius de Leon, alijque recentiores, videntur ſentire. Sed de his hactenus. Plura veſtros homines ex Scriptura in hanc ſententiam depromere argumenta non comperio; hæc autem ad inſtitutum veſtrum parum eſſe appoſita ſatis liquet. Quin ſi maximè eſſent accommodata, exempla tamen, vt regula inuiolabilis, vrgeri non debent, cum ipſa materia ſubiecta ſe contingentem eſſe, & variabilem planè loquatur. Ità ratiunculas veſtras lance librauimus, eaſdemque leuiculas eſſe deprehendimus.

[f] *T.3.q.72.diſp.34.ſect.1.§.Vnde eſt tertia. p.409.C.Edit. venet.1597.*

[g] *Apud Lorinum in Act.13 3.*

PHIL. Tu verò veritatem pro vobis ſtare quomodo ſuades?

CAP. VIII.

Non eſt de abſoluta neceſſitate vt tres Epiſcopi ad noui antiſtitis ordinationem confluant.

Probatur à

- *Romanæ ipſius Eccleſiæ*
  - *Praxi.* 1
  - *Doctrina.* 2
- *Concilijs*
  - *Carthaginienſi quarto.* 3
  - *Arauſicano primo.* 4
- *Exemplis*
  - *Patriarcharum*
    - *Dioſcori Alexandrini.* 5
    - *Pelagij primi, Romani.* 6
    - *Euagrij Antiocheni.* 7
  - *Epiſcoporum Galliæ.* 8
- *Teſtimonijs Papiſtarum.* 9

ORTH.

TErnarium Epiſcoporum numerum non eſſe eſſentialem, vel abſolutè neceſſarium, nobis fidem facit ſacræ Scripturæ, in re quæ tanti futura eſſet momenti, tam altum ſilentium. Cæterùm quum hoc argumenti genus, à ſacris oraculis negatiuè ductum, apud te tantilli ſit ponderis, experiamur

riamur an aliæ fortè occurrant rationes, quæ hominem non pertinacem à tam rigidâ neceſſitate defendenda poſſet auellere. Et primò ad ipſius Eccleſiæ Romanæ praxin prouoco; in qua aliquandò vſuvenit (teſtantibus [a] Bellarmino & [b] Binnio) vt vnus ſolus Epiſcopus, duobus infulatis Abbatibus aſſiſtentibus, & vicem Epiſcoporum ſupplentibus, Epiſcopum ordinet. Si vnus aliquandò ſufficiat, nec ternarius nec binarius numerus erit de ordinationis eſſentia, vel ex abſoluta neceſſitate.

[a] *De Eccl. mil. l. 4. c. 8.*
[b] *Tom. 1. p. 14.*

Phil. Hoc fieri aliquandò fateor, ſed [c] diſpenſante Pontifice.

[c] *Bin. ibid.*

2 Orth. Si cum ternario vel binario diſpenſare poſſit Pontifex, neq; hic, neque ille ad ordinationis eſſentiam pertinere poteſt. Quod vt fiat illuſtrius, percontari libet an ordinatio epiſcopalis ſit ſacramentum necne?

Phil. Eſt Sacramentum verè & propriè dictum, vt rectè docet Concilium [d] Tridentinum. Nam ad hoc tria requiruntur (fatentibus aduerſarijs) *Symbolum* externum, *Promiſſio* gratiæ, & *mandatum*, ſeu inſtitutio diuina; Quæ omnia in ordinatione epiſcopali reperiuntur, vt eruditè ex Scripturis probauit doctiſſimus [e] Cardinalis: qui [f] inſuper oſtendit, etiam illas Scripturas, quibus Catholici probant ordinationem eſſe Sacramentum, de ordinatione epiſcopali debere intelligi: vnde audacter aſſerit, non poſſe nos, ſi modò ordinatio epiſcopalis non ſit ſacramentum, ex Scripturis apertè probare, ordinationem eſſe Sacramentum.

[d] *Seſſ. 23. de Sacr. ord. can. 3.*
[e] *Bell. de Sacr. ord. c. 2.*
[f] *Cap. 5.*

Orth. Si Sacramenti vocabulum ad quoduis externum ſignum à Deo inſtitutum, cui Diuinæ gratiæ promiſſio annectitur, extendamus, ſacrum Ordinem Sacramentum dici poſſe, vnà cum Sancto [g] Auguſtino & alijs agnoſcimus. Sin ſtrictè ſumatur, *Pro ſigillo* [h] *Iuſtitiæ fidei*, vel pro *ſigno gratiæ iuſtificantis*, quod promiſſioni de peccatorum remiſſione appenditur, hoc ſenſu duo tantùm noui Teſtamenti ſunt Sacramenta, nempe *Baptiſmus, & cæna Domini*; idque iuxta [i] Auguſtinum: *Percuſſum eſt* (inquit) *eius latus (vt Euangelium loquitur) & ſtatim manauit ſanguis & aqua, quæ ſunt Eccleſiæ gemina Sacramenta. Aqua, in qua eſt ſponſa purificata, ſanguis ex quo inuenitur eſſe dotata.* Ac proinde *Ordo* hoc ſenſu pro Sacramento haberi non poteſt. Siquidem in Baptiſmo & cæna Domini, ſaluifica iuſtificationis ſeu remiſſionis peccatorum gratia, per ſanguinem Chriſti parta, dignè recipientibus ſignificatur, obſignatur, & exhibetur. At gratia, in ordinatione collata, eſt alterius conditionis, non tam ad recipientis, quàm ad gregis (in cuius gratiam recipitur) bonum collimans. Miniſtri enim euangelici ſunt ſal Domini ad alios condiendos, lampades ad alios illuminandos, fiſtulæ ſeu canales quibus aqua, ſaliens ad vitam æternam, ad alios irrigandos tranſmittitur. Verùm ſi ſit Sacramentum propriè dictum, vt Eccleſia veſtra docet, dic porrò ecquam habet Pontifex diſpenſandi poteſtatem in Sacramentis?

[g] *Contr. epiſt. parmen. l. 2. c. 13.*
[h] *Rom. 4. 11.*
[i] *De Symb. ad Catech. l. 2. c. 6.*

Phil.

Phil. *Sacroſancta*[k] *Synodus Tridentina declarat hanc poteſtatem perpetuò in Eccleſia fuiſſe, vt in Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, ea ſtatuere poſſit vel mutare, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & Locorum varietate, magis expedire iudicauerit.* Hinc apparet, Pontificem in rebus duntaxat adiaphoris, & quæ ordinis eſſentiam non attingunt, diſpenſare poſſe. [k] Seſſ.21.c.2.

Orth. Cur igitur ſacrum calicem ex cæna Domini diſpenſando ſuſtulit? An Sacramenti dimidium auferre poteſt, ſalua interim ſubſtantia? Sed animaduerte, qualis ex tuis præmiſſis ſua ſponte fluat concluſio. Etenim ſi, ſecundum Eccleſiæ veſtræ doctrinam, epiſcopalis ordinatio ſit Sacramentum, & in Sacramentorum ſubſtantia diſpenſare non liceat, ergo epiſcopalis ordinationis ſubſtantia in diſpenſationem non cadit. At, vobis fatentibus, ternarius Epiſcoporum numerus (addo etiam & binarius) eſt diſpenſabilis, ac proinde nec hic, nec ille eſt de epiſcopalis ordinationis ſubſtantia.

Nunc priſca, ſi placet, ſæcula animo recolamus, & quænam illorum fuerit ſententia, inueſtigemus. Incipio à Concilio Carthaginienſi quarto, cui, anno Chriſti trecentiſſimo nonageſimo octauo, ſanctus interfuit & ſubſcripſit Auguſtinus. Huius Concilij verba à te [l] ſuperiùs allata idem confirmant, in quibus *duo Epiſcopi Euangeliorum codicem ſuper caput & ceruicem ordinandi iubentur tenere, vno ſuper eum fundente benedictionem.* Quid eſt benedictionem fundere, niſi verba proferre, quibus ſpiritualis poteſtas & benedictio confertur? Siquidem, vt rectè [m] Bellarminus, *conuenit inter omnes huius ſacramenti formam* (eſſentialem intelligit) *eſſe verba, quæ dicuntur, dum ſignum ſenſibile exhibetur.* Quare cùm vnus ſolus, ex præſcripto Cncilij, verba hæc formalia enunciet, idem ſolus, ex Concilij ſententia, formam ordinis eſſentialem conferre, & per conſequens ordinare dicendus eſt; reliqui duo (ſi propriè loqui velimus) non tam ordinant, quàm ordinanti aſſiſtunt. Hoc eruditi veſtri [n] Cardinalis interpretationi eſt conſentaneum; cuius hæc ſunt verba. *Tenent librum, &c. Ergo videtur, quod nihil agatur per illos Epiſcopos, quod ſit ad ſubſtantiam conſecrationis pertinens. Ergo eorum aſſiſtentia non pertinet ad ſubſtantiam ordinationis, ſed magis ad quandam ſolennitatem.* 3

[l] c.6.n.3.

[m] De ord. Sacr.c.9.

[n] Ioh. de Turrecremata in Gratian.p.493.

Anno Chriſti quadringenteſimo quadrageſimo primo, celebratum eſt in Gallia Concilium Arauſicanum primum, cui Sanctus Hilarius interfuit, in quo ſic ſancitum eſt: [o] *Duo ſi præſumpſerint ordinare Epiſcopum in noſtris Prouincijs, placuit de præſumptoribus, vt, ſicubi contigerit duos Epiſcopos inuitum Epiſcopum facere, authoribus damnatis, vnius eorum Eccleſiæ, ipſe, qui vim paſſus eſt, ſubſtituatur, ſi tamen vita reſpondet, & alter in alterius deiecti loco nihilominùs ordinetur. Si voluntarium duo fecerint, & ipſe damnabitur, quo cautiùs, ea quæ ſunt antiquitùs inſtituta ſeruentur.* Duo hic caſus incidunt; quia ordinatus 4

[o] Conc. Arauſ.c.21.Bin.t.1.p.1010.

Digitized by Google

dinatus vel ſpontè, vel inuitus, euectus eſt. Si inuitus, Epiſcopali tum ordine tum dignitate fruebatur; quippè qui violati Canonis reus non eſſet; ſin ſciens, volenſque conſenſum ſuum præbuit, à munere Epiſcopali erat reijciendus. Quod non ideo factum eſt, quaſi poteſtate deſtitutus eſſet Epiſcopali, ſed diſciplinæ gratia. Nam ſi duo Epiſcopi poteſtatem præſularem in reluctantem inſtillare poterant, quin eandem in conſentientem poſſint infundere, nemo ambigit. At primùm fatentur Patres Arauſicani, dum reluctantem pro Epiſcopo agnoſcunt, & in alterius deiecti Epiſcopi Cathedram ſubſtituunt: de conſentiente igitur, quin ſimilem in ordinatione acceperit poteſtatem, dubitare non poterant. Verùm quum vtrique, quoad acceptam poteſtatem, perinde ſe haberent, viſum eſt tamen, ad tenendam diſciplinam, alterum amplecti, & honoribus amplificare, alterum reijcere ac repudiare.

p Diſt. 64. De abiectione.

PHIL. Canon iſte eſt palea, vt ex p Gratiano manifeſtum eſt.

q Am. 441. n. 3.
r Ibid.

ORTH. Si hunc innuat Gratianus, eundem fœdiſſimè violauit. Sed vt tu ipſe ſentias non eſſe paleam, celeberrimi veſtri Baronij accipe ſententiam, his verbis: q *Nobilis quidem iſta dicenda Synodus, clariſſimorum Antiſtitum illuſtrata corona.* Et rurſus; r *Florebant quidem dictæ Galliarum Prouinciæ, ſi quæ aliæ Chriſtiani orbis oræ, his temporibus, Epiſcopis æquè ſanctiſſimis & doctiſſimis, quorum ſolerti vigilantia, in ſuo permanebant robore leges Eccleſiaſticæ.* Et s rurſus, *Ita igitur clariſſimi Antiſtites Synodum Arauſicanam, licet paucorum Epiſcoporum numero congregatam, reddidere in omnibus celebrem & illuſtrem.*

s Am. 441. n. 15

t Ibid.

Et nequis fortè miretur, cur tantis efferat laudibus, hanc reddit rationem: t *Porro, vt tot inſignes doctrina & ſanctitate viri in iiſdem Prouincijs inuenirentur, id præſtitiſſe videtur celeberrimum Lerinenſis Inſulæ, proximè adiacentis Terræ, cœnobium, ſanctiſſimorum Epiſcoporum Seminarium.* Quod adhuc vlteriùs, adductis Sydonij Apollinaris carminibus, celebrat. Baronium ſuus concomitabitur Binnius, qui ex Baronij Vindemia vnas ſolit u colligere. *Hæc* (inquit) *Synodus, clariſſimorum Antiſtitum illuſtrata corona, nobiliſſima eſt, in ea quindecim Epiſcopi Narbonenſis & Lugdunenſis Prouinciæ, ſuo more conuenientes, viginti nouem Canones, ad iura & diſciplinam Eccleſiæ ſpectantes, ſanxerunt.* Huius igitur nobiliſſimæ Synodi authoritate conſtat, Epiſcopum eſſe poſſe qui à duobus tantum, idque inuitus, ordinatur; vnde conficitur, ternarium Epiſcoporum numerum non eſſe conſecrationi Epiſcopali eſſentialem, aut abſolutè neceſſarium. Hactenùs de *Concilijs*: nunc antiquæ Hiſtoriæ exempla eruamus.

u In not. in hoc concil. t. 1. p. 1011.

5 Dioſcorus, Patriarcha Alexandrinus, à duobus tantùm Epiſcopis ſacratus fuit, poteſtate tamen epiſcopali erat inſtructus. Prius membrum conſtat ex Epiſcoporum Ponti Synodali x epiſtola; *Ordinationem ſuam à damnatis Epiſcopis, & hoc duobus, accepit.*

x Apud Bin. t. 2. p. 173.

PHIL. Nonnè eandem nefandam atque imaginariam appellant, eidemque Nicenorum patrum authoritatem opponunt, qui

tres

tres epiſcopos corporaliter adeſſe in huiuſmodi diſpenſationibus omninò proſpiciunt?

O r t h. Rectè tu quidem. Sed hoc rationis meæ priorem partem magis corroborat, nempe à duobus tantùm eſſe ordinatum.

P h i l. Poſteriorem tamen eneruat. Nam ſi hæc ordinatio *imaginaria* fuit, vt patres Pontici loquuntur, ergo non realis, ſed (ſi rem ipſam ſpectes) planè nulla.

O r t h. Nullo modo æquum eſſe cenſebant hominem ſceleratum, qui tam apertè & petulanter Canones violaſſet, tantò honore debere potiri. Idcirco eius ordinationem nullam eſſe ſtatuebant, non tamen ſimpliciter, & quoad *Characterem*, ſed quoad *Executionem.*

P h i l. Hoc quid eſt aliud quàm patrum authoritati illudere, & fucum facere? Nonnè hanc ordinationem appellant imaginariam? Quid apertiùs, quid liquidiùs dici potuit?

O r t h. Dioſcorus, in ipſis [y] actis concilij *Chalcedonenſis*, magnæ Alexandrinæ ciuitatis reuerendiſſimus Epiſcopus nominatur. Eodem quoque titulo ab accuſatore ſuo [z] Euſebio, Doryleo Epiſcopo, honeſtatur. Immò à [a] Theodoſio Imperatore, & ab ipſo Concilio in epiſtola [b] Synodali. Prætereà, vt Dioſcori Characterem epiſcopalem agnouerunt, ita Anatolium à Dioſcoro conſecratum amplexi ſunt; vt patet ex verbis [c] Thraſij Patriarchæ, in ſecundo Niceno concilio, quod vobis eſt ſeptimum Generale. *Tharaſius beatiſſimus Patriarcha dixit; Quid de Anatolio dicitis? Nonne princeps erat quartæ ſynodi? Tamen ab impio Dioſcoro creatus eſt Epiſcopus, idque præſente Eutyche. Ergo & nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum & Anatolius receptus eſt.* Quinetiam à Leone primo eſt approbatus, & in communionem receptus. Approbatus his verbis; [d] *Leo Epiſcopus, Anatolio Epiſcopo.* In communionem receptus, illis. [e] *In qua* (communionis integritate) *ſocietatem tuæ dilectionis amplectimur.* Quamobrem, cùm Anatolius, quem Dioſcorus ordinauit, à Pontifice Romano, & duobus Concilijs Generalibus pro Epiſcopo ſit agnitus, Dioſcorum quoque, quamuis hominem ſceleratum, & à duobus duntaxat ordinatum, Epiſcopum tamen fuiſſe fateamini neceſſe eſt.

[y] *Vide Bin. t. 2. p. 1.*
[z] *In epiſtola ad Imperatorem. Bin. t. 2. p. 5.*
[a] *Epiſt. ad Dioſc. Bin. t. 2. p. 7.*
[b] *Bin. t. 2. p. 72.*
[c] *Bin. t. 3. p. 307.*
[d] *Leo epiſt. 40.*
[e] *Ibidem.*

Nunc transfretemus, ſi placet, &, relictâ Alexandriâ, Romam petamus. Hîc autem nobis occurrit *Pelagius primus,* qui vtrum legitimus fuerit epiſcopus, necne, mihi expedias velim.

P h i l. Ab [f] Adriano Pontifice eſt laudatus, &, ſummo omnium concenſu, in Pontificum Romanorum catalogum aſcriptus.

O r t h. A tribus tamen epiſcopis non eſt conſecratus; teſte [g] Anaſtaſio: cuius hæc ſunt verba, in hiſtoria [h] Baroniana, & conciliorum editione [i] Biniana citata. *Dum non eſſent epiſcopi qui eum ordinarent, inuenti ſunt duo Epiſcopi, Iohannes de Peruſio, & Bonus de Ferentino, & Andreas presbyter de Oſtia, & ordinauerunt eum Pontificem.*

[f] *In epiſt. ad Car. magn. vide Binium in not. in vitam Pelagij. 1. t. 2. p. 626.*
[g] *Anaſt. in vit. Pelagij 1.*
[h] *Bar. an. 555. n. 10.*
[i] *Bin. t. 2. p. 626. 627.*

In

In quem locum ſic Binius; *Cùm Pelagius quintam ſynodum approbaſſet, tantoperè omnes Occidentales epiſcopos offendit, vt non potuerit ſufficientes reperire Antiſtites, à quibus ſecundùm conſtitutionem Apoſtolicam ordinaretur, ideoque neceſſum fuit, iuſſu Pelagij, presbyterum Oſtienſem (quod nunquam anteà acciderat) loco epiſcopi munus illud obire.* Hîc liquidiſſima eſt confeſſio, Epiſcopum Romanum, in caſu neceſſitatis, à duobus tantùm Epiſcopis, & vno presbytero ordinatum eſſe. Conſtat tamen ex eodem Anaſtaſio, eodem in loco, eundem Pelagium nouem feciſſe diaconos, viginti ſex presbyteros, Epiſcopos per diuerſa loca numero quadraginta nouem. Quocirca ſi tres Epiſcopi ſunt ſimpliciter neceſſarij, Pelagij conſecratio ſimpliciter nulla fuit. Eadem eſt omnium ratio, qui ab eodem fluxerunt. Ità vaſtus & ingens ſe aperit in eccleſia Romana nullitatum Oceanus; vel ſi Pelagij ordinatio non ſit nulla, certè ex trium defectu nullitatem concludere non licebit.

7 Hactenus tres non eſſe neceſſarios manifeſtum fecimus; nunc porrò, an duo abſolutè requirantur videamus. Euagrius, Patriarcha Antiochenus, à Paulino ſolo ordinatus eſt; quem tamen verum & legitimum fuiſſe Epiſcopum inficiari non potes.

P h i l. Argumentum tuum duobus conſtat membris, quorum vtrumq; mihi parũ videtur probabile: de primo primùm agamus.

O r t h. *Solus Paulinus* (inquit [h] Theodoretus) *eum* (Euagrium) *multis canonibus præteritis, creauerat. Nam non permittunt hi morituro ſuffectionem, ac cunctos prouinciæ iubent conuocari epiſcopos, crearique vetant vllum, niſi tribus epiſcopis præſentibus. Sed horum illi nihil ſcire volebant, communitatemque admittebant Euagrij, & aduerſus Flauianum Imperatoris exaſperabant aures.*

[h] *Theod. l. 5. c. 23.*

P h i l. Reſpondeo cum [i] Baronio, *Hæc quæ dicit Theodoretus de ordinatione Euagrij facta viuente Paulino, repugnant omninò his quæ à Socrate & Sozomeno dicuntur, affirmantibus non niſi poſt Paulini obitum tentaſſe auditores eius ſubrogare in locum ipſius Euagrium.*

[i] *Bar. an. 389. n. 64.*

O r t h. Solet Baronius (proh pudor) quicquid in hiſtorijs palato eius non ſapit, cum faſtidio reijcere. In hac, de qua agitur, neſcio quam Hiſtoricorum diſcordiam comminiſcitur, vbi tamen ſumma eſt concordia. Theodoretus enim de Euagrij Ordinatione, viuente Paulino facta, loquitur, [k] Socrates & [l] Sozomenus, non de Euagrij Ordinatione, (nam de populo & auditoribus agunt, quorum non eſt ordinare) ſed de eiuſdem vel electione, vel inthronizatione, poſt mortem Paulini.

[k] *Soc. l. 5. c. 15.*
[l] *Soz. l. 7. c. 15.*

P h i l. Quin alterum mihi membrum expedias, videlicet, Euagrium agnitum eſſe pro vero & legitimo Epiſcopo.

O r t h. *Pro Euagrio* (inquit [m] Baronius) *Syricius Theodoſium interpellauit. Pontifex* (inquit [n] Binnius) *& cum eo ferè occidentales vniuerſi, contra Flauianum, ſicut antè Paulini, ità nunc Euagrij partibus ſteterunt, atque Imperatorem contra Flauianum per literas animârunt.* Præterea Alexander, Epiſcopus Antiochenus, Romanæ Eccleſiæ

[m] *Bar. quo ſupr.*
[n] *In not. in concil. Capuanum, t. 1. p. 536.*

Com-

Digitized by Google

Communionem ſub hac conditione ab Innocentio primo impetrauit, vt eos qui ab Euagrio, Paulini ſucceſſore, eſſent ordinati cum ordinibus & honoribus reciperet, teſte [l] Binio.) Hîc illuſtre habes exemplum Epiſcopi ab vno ſolo ordinati; qui tamen à duobus ſummis Pontificibus Romanis, & vniuerſis ferè Occidentalibus eſt approbatus.

8. Hactenus de tribus Patriarchis, Alexandrino, Romano, Antiocheno. Nunc domum, per Gallias, redeamus. De quibus ſic [m] Iohannes Maior, Doctor Pariſienſis; *Ruſticus & Elutherius, qui cum beato Dionyſio ad Gallias venerunt, non erant Epiſcopi, ſed Galliæ Epiſcopos ſolus Dionyſius ordinauit.*

Ab exemplis, ad veſtrorum teſtimonia breuiter delibanda me conferam. [n] Iohannes Maior; *Dico eſſe conſtitutionem humanam, quòd Epiſcopus ordinetur à tribus.* [o] Petrus de Palude; *In eccleſia vnus Epiſcopus ſufficit ad alium conſecrandum, nec eſt, niſi propter ſolennitatem, ab eccleſia inuentum, vt tres concurrant.* [p] Cardinalis de Turre-cremata, in hoc argumento ſatis eſt copioſus, idemque quatuordecim rationibus confirmat: præſertim verò authoritate Beati Gregorij, de cuius ſententia, libro [q] ſequenti, vberior erit dicendi locus.

PHIL. Non deſunt tamen, qui aliter ſentiant.

[l] *In not. in Epiſt. 17. Innoc. 1. t. 1. p. 579.*

[m] *Ioh. Maior. in 4 ſent. diſt. 25. q. 3. Inter opera Gerſonis Pariſijs 1606. p. 681.*

[n] *Quo ſupra.*

[o] *De poteſtate Eccleſ.*

[p] *In Grat. p. 492.*

[q] *Lib. 2. c. 6. n. 1.*

Digitized by Google

Digitized by Google

QVIS CANONICVS SIT DICENDVS.

Lib. II.

Cap. I.

De primæ Controuerſiæ quæſtione ſecunda; ſcilicet, an Conſecrationes Epiſcoporum Angliæ ſint Canonicæ.

- *Epiſcopi Canonici*
  - *Qui dicendi, ſcilicet, qui ſacrantur*
    - *A tribus Epiſcopis.* 1
    - *ordinatione ſucceſſiua.* 2
  - *An noſtri. Quod tractatur in*
    - *Genere; hic de*
      - *Ternario*
        - *A noſtris obſeruato.* 3
        - *A Papiſtis violato.* 4
      - *Succeſſione, quam Papiſtæ*
        - *Nobis ſuperciliosè derogant.* 5
        - *Sibi arrogant, quoad*
          - *Epiſcoporũ ſeriem.* 6
          - *Sacerdotium.* 7
          - *Eccleſiam.* 8
          - *Ordinationem ſucceſſiuam.* 9
    - *Specie, in ſubſequentibus.*

ORTH.

VT non modò candidè, ſed liberaliter etiam tecum agam, fingamus, diſputandi gratia, ad noui Epiſcopi proucctionem, tres debere concurrere, lege, ſi placet, æterna & inuiolabili, idque ex neceſſitate adeò abſoluta, vt quilibet ternarij defectus nullitatem inducat. Sed quid hinc aut vobis lucri, aut nobis damni enaſcetur?

PHIL. Sanè non exiguum. Ex hoc enim fonte fluit hæc conclusio,

cluſio,ſcilicèt,Anglicanos Epiſcopos canonicos, & veros Epiſcopos non eſſe.

ORTH. Ne quid lateat ambigui, dic explicatè, quis tibi dicatur *Canonicus*.

PHIL. *Canonicus* per excellentiam dici poteſt,in quo inaugurando omnes obſeruantur Canones. Hîc autem,Deus bone, qualis & quantus eſt,in quo tot bonarum literarum laudes, tot virtutum flores,tanquam gemmæ & ſtellæ coruſcant? Sed hîc obſeruandum eſt verum eſſe poſſe Epiſcopũ,qui tamen hoc ſenſu non ſit vſquequàq; Canonicus. Ego verò cũ veſtros canonicos eſſe nego,non hoc illuſtri ſenſu,ſed ſtrictiori & anguſtiori vocabulum ſumo: eumque appello canonicum, in quo promouendo nobilis ille,quem attigimus,de tribus ordinantibus Canon valet, vigetque. Ad canonicum igitur hoc ſenſu conſtituendum, duo concurrunt; *Ternarius* Epiſcoporum confluentium numerus,& *ſucceſſio*. De quibus primò in genere agemus,ad ſpecialem conſiderationem poſteà deſcenſuri.

2 Vt quis igitur dicatur Canonicus, [a] *Requiritur vt ordinetur à tribus huiuſmodi Epiſcopis, qui & ipſi (ſinguli) ſint ab alijs tribus ſimiliter ordinati,& illi rurſus ab alijs tribus,donec ad Apoſtolos veniatur.* Nam, vt rectè [b] Stapletonus; *Chriſti Eccleſia illa ſola eſt, quæ ſuos paſtores & Epiſcopos perpetuâ ſucceſſione poteſt oſtendere.* Et rurſus, [c] *Vbicunque talis perpetua ſucceſſio,non in iiſdem locis,ſed in eadem legitima & ſucceſſiua Vocatione,Miſſione,& Ordinatione oſtendi poteſt, ibi vera eſt Chriſti Eccleſia catholica,id eſt,eccleſiæ catholicæ pars & membrum.*

[a] *Vid. Bell. de eccl. milit. l 4. c 8.*
[b] *Stapl. princ. doctr l 13. c. 6.*
[c] *Ibidem.*

3 ORTH. Huius Canonis Eccleſia Anglicana (ſi qua alia) eſt obſeruantiſſima,in qua duo ſemper Præſules (vt te *Ordinale* noſtrum edocere potuit) conſecrandum præſentare ſolent; ipſe autem Metropolitanus,vel ſaltem alius Antiſtes eius authoritate nixus, benedictionem fundit, reliquis omnibus qui adſunt epiſcopis, vnà cum Metropolitano,manus imponentibus. Ab hac via regia Eccleſia noſtra,quicquid obganniunt aduerſarij, nunquàm deuiauit, nunquàm deflexit.

4 Verùm an ſic Roma? An illa ad hanc ſe normam ſemper componit? Nunquàmne exorbitauit? Nunquàmne pro Epiſcopo Abbatem vel Presbyterum ſubſtituit? Sed de *ternario* in genere ſatis. Nolo actum agere. Si placet ad *ſucceſſionem* perge.

PHIL. [d] Si veſtri homines vllam omninò Epiſcoporum ſucceſſionem, vel in Anglia, vel vſpiàm terrarum poſſint oſtendere, certè non aliter quàm olim Donatiſtæ; de quibus ſic ſcripſit [e] Optatus: *Miſſus eſt Victor; erat ibi filius ſine patre, tyro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo.* Et Paulò poſt; *Igitur quia Claudianus Luciniano, Lucinianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori ſucceſſiſſe videntur; ſi Victori diceretur, vbi ſederit? nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret, nec*

[d] *Vid. Stapl. fortalit. Fidei. part. 2. c. 1.*
[e] *Optat. l. 2. contr. Parm.*

cathedram

Digitized by Google

cathedram aliquam niſi peſtilentia oſtenderet. Similiter & ego dico(inquit[f] Stapletonus) *ſi Antiſtitum ſuorum ſucceſſionem ante exortum Martinum Lutherum vel in Prouincia tempore Albigenſium, vel Beringarij tempore apud Andegauenſes, vel fratrum pauperum apud Lugdunenſes, vel Huſſi apud Bohemos, vel Wicliffi aut Ouldcaſtellij apud Anglos demonſtrare poſſint, certè paucorum tantũ, qui & ipſi vera ſucceſſione carent, repentè exorti, & ſubitò effracti, vt in Donatiſtarum Romæ latentium mendicâ ſucceſſione ex Optato accepiſti. Rurſus autẽ affirmo, qualis Victor inter Donatiſtas erat, tales inter Proteſtantes Wittenbergenſes Lutherus, inter Sacramentarios Zurichianos Zuinglius, inter Geneuenſes Caluinus, inter Anabaptiſtas Bernardus Rotmannus extitit. Sic inter nos Iuellus, Grindallus, Hornus, & eiuſmodi Pſeudoepiſcopi derepentè exorti ſunt, ſine patribus, ſine maioribus, ſine magiſtris in vlla recta linea ſucceſſionis.* Huculq; Stapletonus. Quin, Orthodoxe, ſi quos habetis ritè ſuccedentes Epiſcopos, archiua veſtra diſcutite, Regiſtra euoluite, tabulas quàm poteſtis clariſſimas producite, & omnia Antiquitatum monumenta explicate, vt toti mundo innoteſcant. Quod ipſum non præſtitiſtis adhuc, immò nec poteſtis quidem. Liceret igitur mihi Eccleſiam vobis inſultantem introducere, vt olim contra ſui temporis hæreticos fecit[g] Tertullianus. *Qui eſtis? Quando, & vnde veniſtis? Quid in meo agitis, non mei? Quo (Luthere) iure ſyluam meam cædis? Quâ licentia (Caluine) fontes meos tranſuertis? Mea eſt poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo origines firmas, ab ipſis authoribus quorum fuit res. Ego ſum hæres Apoſtolorum. Sicut cauerunt teſtamento, ſicut fidei commiſerunt, ſicut adiurauerunt, ita teneo.*

[f] *Ibidem.*

[g] *De præſcrip. c.37.*

Orth. Vt ſingulis interrogatis ordine reſpondeam. Nos diuinâ gratiâ ſumus filij Dei, &, cùm viſum eſt illi qui lucem è tenebris facit ſplendeſcere, à vobis ipſis exorti ſumus; immò adhuc veſtri eſſe volumus, modò vos ſitis Chriſti. Sin minùs, ſcitote vineam non eſſe veſtram, ſed Ieſu Chriſti, ex qua nos nihil præter vepreta & ſenticeta eruncauimus. Neque nos ſacros fontes aliorſum tranſuertimus, quanquam eoſdem percolare, & à veſtris fæcibus perpurgare coacti fuimus, vt aquam vitæ ex ſalutis fontibus haurire & bibere liceret. Quicquid vos ex legitimâ poſſeſſione, ex antiquâ & iuſtâ præſcriptione tenetis, quicquid vel ordinis vel doctrinæ ad vos iure hæreditario deſcendit, cuius origines & luculenta teſtimonia ex Scripturis oſtendi poſſunt, illud omne nobis vobiſcum eſt commune, & in hoc vobis non inuiti ſuccedimus. Quotquot verò Religionis articuli inter nos controuertuntur, in eis omnibus ad authenticas tabulas, & ſcriptum Chriſti teſtamentum prouocamus; illud inter nos iudicet, illud vniuerſas controuerſias dirimat.

Phil. Nos Romanorum pontificum ſeriem ab ipſo Petro, 6
ad ſanctiſſimum vſque patrem noſtrum Paulum Quintum aſſiduè
contexîmus. *Habemus* (inquit[h] Stapletonus) *omnium epiſcoporum,*
quos annis penè mille Anglia habuit, paratum Catalogum & ordinem à

[h] *Princ.doct. l.13.c.7.*

Polydoro

Polydoro Virgilio deſcriptum: Idem in Gallia, immò de omnibus ferè Chriſtiani orbis prouincijs collegit Antonius Democharis. Hiſtoria maiorum, eccleſiarum regiſtra, & tabulæ publicæ, immò ipſamet templa & Collegiorum eccleſiaſticorum monumenta vetuſtiſſima, quæ nunquam Epiſcopis & paſtoribus carebant, ſucceſſionis perpetuæ in Eccleſia noſtra luculenta & irrefragabilia ſunt documenta. Hactenus *Stapletonus*. Qui etiam *totius Europæ, ſeu Patriarchatus Romani, adeoque Occidentalis eccleſiæ totius, Catalogum quendam vetuſtiſſimum manuſcriptum ex bibliotheca Monaſterij Aquicinctenſis ſe tranſcripſiſſe affirmat.* O fœlicem olim Angliam, aureę catenę quàm ſimillimam, cuius omnes annuli ita inter ſe apti erant & connexi, vt à ſummo, id eſt, à beato Petro, ad imum vſque, id eſt, ad vltimum Angliæ epiſcopum deſcendere, indeq; iiſdem gradibus reuertendo, aſcendere licuit! At nunc (proh dolor) ex quo Schiſma obtinuit, pro annulis aureis plumbeos conferruminaſtis; ita vt iam tota catena rupturis, hiatibus, & lacunis planè fatiſcat. Paucis fortaſſe gradibus per ſcalam plumbeam ſcandere dabitur, vndè tamen præcipites ruere oportet. In *ſucceſſionis* ſcala aurea nulla vobis ſtatio, nullus locus conceditur; per quam tamen nos ad ſanctum Petrum, atque adeò ad ipſum Chriſtum ſcandimus. Eccleſia enim Romana, eaque ſola, canonicos habet Epiſcopos; extra quam omnes, quotquot ſunt, ficti ſunt & fucati.

ORTH. Rem acu tangis. Omnes Papæ anſeres ſunt olores, reliquorum olores ſunt planè anſeres.

PHIL. Quando Eccleſiæ Iudaicæ cum Samaritanis de Templo intercedebat quæſtio, vtrùm ſcilicet illud Hieroſolymitanum, an iſtud in monte Garizim Domino approbaretur, o Andronichus ſummorum Pontificum ab Aarone vſque ſucceſſionem in medium protulit; vndè Ptolomæus rex Ægypti pro templo Hieroſolymitano ſententiam tulit. Age, nunquid hæc iuſta fuit ſententia?

o Ex Ioſeph. antiq. l. 13. c. 6.

ORTH. Iuſtiſsima. Dominus ſoli p Aaroni & filijs eius ſacerdotium commiſit, nec quiſquam alius hoc ſibi munus iure vendicare potuit. Locus autem à Domino electus, in quo Aaron & filij eius hoc munere fungerentur, erat primo portatile *Tabernaculum*; poſtea verò Templum illud Hieroſolymitanum. q *Elegit tribum Iuda, montem Sionis, quem dilexit, & ædificauit ſimile excelſis palatijs ſanctuarium ſuum.*

p Exod. 28. 1.

q Pſal. 78. 68.

PHIL. Rectè tu quidem. Iam vt pergamus porro; Nos, qui ſumus eccleſiæ Romanæ filij, ſuper Simonem Petrum, tanquam ſuper montem Sionis, extructi ſumus: Vos ſuper Cranmerum, tanquam ſuper montem Garizim. Nos eccleſiam habemus, quæ à Chriſto ipſo traxit originem, vobis vltra Cranmerum aſcendere non datur. Si igitur rediuiuus exiſteret rex Ptolomæus, nonne pro nobis aduerſus vos liquidam ſententiam ferret?

ORTH. Nequaquam; ſiue presbyteratum veſtrum ſpectaret, ſiue eccleſiam. Nam presbyteratus, quem contulerunt Apoſtoli, nihil

Digitized by Google

nihil erat aliud, quàm poteſtas quædam ſpiritualis adminiſtrandi verbum & ſacramenta, quæ, ad poſteros ſucceſsiuè per impoſitionem manuum tranſmiſſa, etiam hodiè in eccleſia Romana, vt ſuo loco docebimus, reperitur; ratione cuius vos Apoſtolis, Cranmerus vobis, nos Cramnero, vobis, & Apoſtolis ſuccedimus. Sed, præter hoc ſacroſanctum munus à Domino inſtitutum, vos aliud cerebri veſtri figmentum adieciſtis, poteſtatem ſcilicet offerendi ſacrificium propriè dictum, & propriè *propitiatorium* pro viuis & defunctis. In qua fieri non poteſt, vt vos Apoſtolis ſuccedatis, cùm nec ipſi (vt poſtea liquebit) tales fuerint Sacerdotes, nec vllum vnquam iſtiuſmodi ſacerdotium poſteris tradiderint.

Porrò Ptolomæus (ſi nunc in viuis ageret) ne eccleſiam quidem 8
veſtram huius ſucceſsionis intuitu approbaret. Hoc enim argumentum, ab externâ ſucceſsione deductum, quàm eneruc ſit & elumbe, ex Græcorum conſideratione erit manifeſtum. Apud quos [r] Bellarminus negat eſſe Eccleſiam, *Quia in tribus plenarijs* [r] *De eccleſ. mil. l.4.c.8.*
Concilijs de ſchiſmate & hæreſi legitimè ſunt conuicti. Eccleſia tamen Conſtantinopolitana à Sancto Andræa Apoſtolo originem ſuam ducit, vt teſtatur [s] Nicephorus, & vſque ad [t] Ieremiam, qui in noſtro vixit ſæculo, ſucceſsionis filum ſolet extendere. Quid quod [s] *Lib.8.c.6.* [t] *Geneb. chron. l.4.*
Eccleſia Alexandrina hanc ſibi ſucceſsionem æquè vendicat, nec minùs verè quàm Romana? [u] Baronius refert legationem à Gabriele Patriarcha ad Clementem Octauum miſſam, in cuius titulo ſe *nonageſimum ſeptimum Patriarcham, Sancti Marci ſucceſſorem*, indigitat. Si dixeris lineam Conſtantinopolitanam & Alexandrinam ſæpiùs interciſam, nonne & Romanorum Pontificum ſeriès perinde eſt interrupta? Eſt ſententia [x] Genebrardi, quinquaginta pontifices, centum & quinquaginta ferè annorum ſpatio, *Non Apoſtolicos fuiſſe, ſed Apotacticos & Apoſtaticos.* Queritur [y] Baronius, *Pſeudopontifices in ſedem Sancti Petri à Meritricibus intruſos?* Dicit [z] Platina: *Eò licentia factioſum quemque & potentem, quamuis ignobilem, deueniſſe, vt corruptis ſuffragijs tantam dignitatem Pontificatus conſequeretur.* Prætereo Papas hæreticos, Papam fœminini generis, Antipapas quandoque duos, quandoque tres ſimul exiſtentes; ita vt verus pontifex, niſi ex viribus & victorijs internoſci non potuerit. Qui bello fuit inferior cauſa cecidit, qui in acie laurum reportauit, triplici diademate redimitus inceſsit, eiuſque cauſam ambitioſa ingenia calamo tuebantur. Ita Pontificum titulus, non tam electionis iure, quàm viribus, & vaniloquentiâ nitebatur. [u] *Tom.6. in fine in corolla de legatione Alexandrin. Num. VI.* [x] *Chron. l.4.* [y] *An.912.n.8.* [z] *In vit. Clem.2.*

Ecquid eſt obſecro, mi *Philodoxe*, ecquid eſt, quod hac tam nobili ſucceſsione tantopere gloriemini? Si dixeris, vos non tam in lo- 9
corum aut perſonarum, quàm in vocationis, miſsionis, ordinationis ſucceſsione inſiſtere, quorſum illud ex Polydoro Virgilio, aut ex Demochare, aut ex antiquo monumento in Monaſterio reperto, in quibus perſonarum, ſibi inuicem in his aut in illis locis ſuccedentium, ſeries duntaxat deſcribitur, ſucceſsiuę ordinationis non item. Quin

Digitized by Google

Quin ſi hanc quoque à primis temporibus daretur deducere, non tamen inde eccleſiam Romanam veram & catholicam eſſe efficeres. Nihil enim obſtat quin Conſtantinopolitana & Alexandrina tales habeant ordinationes perinde ac Romana. Præterea, quod ſuperiùs attuliſti exemplum teipſum iugulat. Manaſſes, ſummus Pontifex templi in monte Garizim poſiti, erat *frater* [p] *Iaddi*, ſummi Pontificis Hieroſolymitani, ſimilemque ab Aarone ſacerdotij ſucceſſionem habuit: Eccleſia tamen Samaritana nihiloſeciùs erat ſchiſmatica, templumque eorum dictum eſt *templum* [q] *tranſgreſſorum*. Denique ponamus in locum Epiſcopi catholici atque canonici nuper defuncti, virum idoneum & Catholicum, canonicè electum eſſe & conſecratum; fieri tamen poteſt, vt euadat hæreticus, verbi gratia, Arrianus, & gregem ſuum in ſimilem ſecum pernitiem trahat. Nunquid tu hîc dicturus es hunc gregem, Arianiſmo contaminatum, verum eſſe eccleſiæ veſtræ catholicæ membrum? Hîc tamen eſt localis & perſonalis ſucceſſio, imo illa ipſa ſucceſſiuæ ordinationis catena aurea. Quamobrem quod aſſerit [r] Stapletonus, ſcilicet, *Vbicunque talis reperitur ſucceſſio, ibi quoque eſſe veram Chriſti Eccleſiam Catholicam*, defendi non poteſt. Multò verius [ſ] Bellarminus; *Non colligitur neceſſariò ibi eſſe Eccleſiam, vbi eſt ſucceſſio*. Nam præter hanc externam, requiritur interna doctrinæ Apôſtolicæ ſucceſſio ad veram eccleſiam conſtituendam. [t] Irenæus Apoſtolorum ſucceſſores huiuſmodi eſſe deſcribit; *Qui, cum Epiſcopatus ſucceſſionē, chariſma veritatis certum, ſecundum placitum Patris, acceperunt*. Et hoc ſucceſſionis genus *principalem ſucceſſionem* appellat. [u] Nazianzenus, cum dixiſſet Athanaſium *modo Apoſtolico ad Marci thronum eſſe euectum, quippe qui non minùs pietatis, quàm principatus eſſet ſucceſſor*, paulò pòſt adiungit; *quæ quidem propriè ſucceſſio exiſtimanda eſt. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiuſdem quoque throni ſocius eſt; qui autem contrariam ſententiam tuetur, aduerſarius quoque, etiam in throno, cenſeri debet; atque hac quidem nomen, illa verò rem ipſam & veritatem habet ſucceſſionis.*

p *Sig. de rep. Heb. l.2. c.6.*

q *Ibidem.*

r *Prin. doctr. l.13. c.6.*

ſ *De eccleſ. mil. l.4. c.8.*

t *Iren. l.4. c.43.*

u *Naz. orat. 21.*

Quamobrem, veſtram Eccleſiam in chariſmate veritatis ſuccedere probetis oportet, alioqui aduerſarij, vel in throno, cenſeri debetis.

PHIL. Id nos liquidò, vbi res poſtulat, demonſtrabimus. Interim quamuis non licèt affirmatiuè concludere, vbi eſt ſucceſſiua ordinatio, ibi quoque eſſe Eccleſiam, licet tamen negatiuè inferre, vbi non eſt, ibi non eſſe.

ORTH. Sciſcitari libet, an Pelagius, Pontifex eius nominis primus, hac aurea catena decoratus fuit.

PHIL. Profectò, & vel hac ratione beatis ſucceſſit Apoſtolis.

ORTH. A duobus tamen duntaxat Epiſcopis ſacratus eſt, vt ſuperiùs oſtenſum eſt. Percontor ſecundo in loco, nunquid Euagrius Antiochenus hac gemma ornatus incederet?

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. Quidni? Numeratur inter Sancti Petri in Eccleſia Antiochena ſucceſſores: cumque pro vero Epiſcopo habuerunt non modò reliqui Occidentales Antiſtites ferè vniuerſi, ſed etiam Saricius,& Innocentius primus,Pontifices maximi.

ORTH. A ſolo tamen Paulino inauguratum conſtat.Quamobrem verus & legitimus eſſe poteſt epiſcopus, genus ſuum ac originem ab ipſis Apoſtolis,per ſucceſſiuam ordinationem,repetens, qui tamen ab vno ſolo Antiſtite eſt conſecratus. Cæterùm,Philodoxe,hîc te rogatum velim,ne mea verba in alienum ſenſum rapias. Non enim hoc aſſero,quaſi quiſpiam ex Anglicanis Epiſcopis proteſtantibus,à primis Eccleſiæ reformatæ temporibus ad hunc vſque diem,ab vno ſolo ordinatus eſſet. Etenim oſtendere parati ſumus,illorum ordines,non modò ex rei natura ſatis eſſe validos, verùm etiam ſecundum rigorem Canonis ſatis exquiſitos.

PHIL. Sin minùs, profectò vt qui ſucceſſionem ab Aarone producere non poterant,*à Sacerdotio* [a] *deponebantur*; ita ſi vobiſcum perinde agatur, ob violatam auream illam ſucceſſionis catenam, æquo animo ferendum. [a] *Nehem. 7. 64.*

ORTH. Quandoquidem nos, de aurea illa ſucceſſionis catena violata,inſimulare non deſinis, age,eandem verſa manibus,& volue, à ſummo ad imum explora; ſingulos annulos intuere,& quos mihi narras hiatus,lacunas, rupturas diſtinctè explica. Cæterùm, quoniam vos Eccleſiæ veſtræ, in Anglia olim florentis, ſucceſſionem tantoperè venditatis, æquum eſt inprimis vt in ſolem & lucem producatur hæc veſtra tam ſplendida ac glorioſa ſucceſſio.

PHIL. Nos epiſcoporum nomina fidem noſtram amplectentium,ab Auguſtino ad Cranmerum vſque recenſere poſſumus.

ORTH. Quid hoc ad id de quo agitur? Aliud eſt Epiſcopos nominare,aliud eorum ſucceſſiuam *ordinationem* ob oculos ponere. Hoc à nobis exigitis; an penes vos eſt hoc ipſum præſtare? Sin minùs, ſecundum veſtram ipſorum ſententiam, à ſacerdotio deponendi eſtis?

PHIL. Hoc quoque præſtare poſſumus, modò id nobis concedatur,quod candor & æquitas efflagitant. Animaduertas enim velim Catholicos,qui olim in Anglia floruerunt, Epiſcopos,à Saxonibus,Saxones à Gallis,Gallos à Romanis, Romanos ab omnibus ferè gentibus ſuos ordines deducere. Quamobrem infinitus ferè Archiuorum numerus eſſet eruendus & euoluendus, ſi vel vnius Epiſcopi, qui his poſteriobus vixit ſæculis, ſucceſſiua ordinatio ſigillatim ſit explicanda. Quamuis autem eccleſia, per omnia ſæcula,epiſcoporum ſuorum Conſecrationes in publicas Tabulas referri diligenter curauerit,fieri tamen poteſt vt nonnullæ,Regiſtrariorum negligentia,omiſſæ fuerint, nonnullæ, in Archiuis repoſitæ,temporis iniuria deperierint, nonnullæ etiam, cum ab inimicis poſſideantur,à nobis inſpici non poſſint. Sed quid inde? Leges eccleſiaſticæ, in omnibus ſæculis & gentibus,tres poſtulauerunt,&

Digitized by Google

perpetua Chriſtiani Orbis praxis hunc numerum ſemper accuratè obſeruauit. Quotieſcunque igitur legimus aliquem ab eccleſia pro Epiſcopo habitum,& Epiſcopali munere ſine contradictione fungentem,ſacros ordines conferendo, Concilijs ſubſcribendo, cæteraque epiſcopalia officia exequendo, eundem à tribus Epiſcopis fuiſſe conſecratum,iuſta ratione & iure optimo, exiſtimare oportet; præſertim vbi nec fama publica, nec ratio probabilis, nec vlla ſpargitur in contrarium vel leuiſſima ſuſpicio. Coercenda enim ſunt laſciua ingenia, ne in venerandam Antiquitatem petulantiùs inuolent, vel curioſiùs inquirant. Alioqui enim,cùm Epiſcopus eſſe nequeat qui non eſt presbyter, vir moroſus eum Epiſcopum eſſe negaret,de cuius presbyteratu non eſt certior factus, per literas Epiſcopi teſtimoniales ſigillo munitas. Præterea,cùm presbyter eſſe non poſſit qui non eſt baptizatus, homo proteruus neminem pro presbytero agnoſceret, niſi vbi, & à quo baptizatus ſit liquidò intelligat. Verùm hæc non eſt ferenda curioſitas,neque harum rerum à nobis exigenda eſt probatio, ſed, cùm nihil in contrarium adduci poſsit, hæc omnia ſecundum leges eccleſiæ, & vniuerſalem Chriſtiani Orbis praxin fuiſſe peracta ſupponere debemus.

ORTH. Rectè mones. Illud tantùm poſtulamus,vt quam vobis ipſis veniam expoſcitis,nobis quoque (prout decet viros æquitatis amantes) indulgeatis. Iam, vt ordine progrediamur,quoniam omnes qui Cranmerum anteceſſerunt pro veſtris vendicatis, agite igitur,aureæ huius Catenæ annulos à prima noſtræ Inſulæ conuerſione,ad Cranmerum vſque deducite, & nos à Cranmero ad hodiernum vſque diem extenſuros ſpondeo.

Prima

Digitized by Google

Prima Britanniæ conuerſio.

Cap. II.

De prima Inſulæ ad fidem Chriſti conuerſione.

Si loquamur
- *abſolutè, in*
  - *genere, Britannia conuerſa eſt diluculò.* 1
  - *Specie quæritur, an cõuerſa ſit ab*
    - *Apoſtolo, nempe à*
      - *Petro.* 2
      - *Paulo.* 3
      - *Sim. Zelote.* 4
    - *Apoſtolico viro*
      - *Ariſtobulo.* 5
      - *Ioſepho.* 6
- *comparatè*
  - *Britannia prius conuerſa quàm Roma, tum*
    - *priuatim.* 7
    - *publicè.* 8
  - *Roma publicam fidei profeſſionem debet Conſtantino Britanno.* 9

Phil.

Magna Britannia, dulciſſima noſtra patria, tribus vicibus ad fidem Chriſti, à tribus Romanis Epiſcopis, Sancto Petro, Sancto Eleutherio, & Sancto Gregorio eſt conuerſa. Ex quibus Sanctus Petrus [a] *in propria perſona* hanc Inſulam ſalutauit; Eleutherius, & Gregorius, per Legatos.

[a] Parſ.3.conu. part.1.c.1.n.16

Orth. Prima conuerſio duobus modis tractari ſolet; in genere, vel in ſpecie. In genere ſi agamus, Chriſtianam fidem nobis diluculò eluxiſſe clariſſimè liquet. Qua de re ſic [b] Theodoretus: *Neque Aethiopes, qui ſunt Aegyptijs Thebis conterminì, neque etiam multæ Iſmaeliticæ nationes, non Zabi, non Sanni, non Abaſgi, neque plurimi alij Barbari, Romanorum dominatu accepto, vllis Romanis legibus in ſuis conuentionibus vtuntur. At noſtri illi Piſcatores ac Publicani, Sutorque ille noſter, cunctis nationibus legem Euangelicam detulerunt, neque ſolùm Romani, quique ſub Romano viuunt imperio, ſed Scythas quoque ac Sauromatas, Indos præterea, Aethiopes, Perſas, Seres,*

[b] Theod. de curand. Græc. affect. l.9.

Digitized by Google

Hircanos, Britannos, Cymmerios, & Germanos, & , vt ſemel dicatur, omne hominum genus, nationeſque omnes induxerunt vt Crucifixi legem acciperent. Non armis vſi, non infinita vi militum dilectorum, non immanitatis Perſicæ violentia, ſed verborum ſuaſu, oſtenſa legum, quas prædicabant, vtilitate. Hactenus Theodoretus. Et ante eum Sanctus [c] Hieronymus: *Et Gallia & Britannia, & Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Chriſtum adorant, vnam obſeruant regulam veritatis.* Et, ante Hieronymum, [d] Chryſoſtomus: *Vbicunque ieris, ad Indos, ad Mauros, ad Britannos, ad Hiſpanos, vſque ad vltimum finem terrarum, inuenies; In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et, ante Chryſoſtomum, [e] Athanaſius: *Quibus Nicani Concilij patribus aſſentiuntur omnes vbique eccleſiæ in Hiſpania, Britannia, Gallia.* Et, ante Athanaſium, [f] Origines: *Quando terra Britanniæ, ante aduentum Chriſti, in vnius Dei conſenſit religionem? Quando terra Maurorum, quandò totus ſemel orbis? Nunc verò propter eccleſias quæ mundi limites tenent, vniuerſa Terra cum lætitia clamat ad Dominum Iſrael, & capax eſt bonorum ſecundum fines ſuos.* Et ante Origenem [g] Tertullianus; *Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto verè ſubdita.* His aſtipulatur Gildas, ſcriptor gentis noſtræ antiquiſſimus, qui (vt eſt apud [h] Polydorum Virgilium) teſtis eſt, Britannos, *iam inde ab initio orti Euangelij, Chriſtianam recepiſſe religionem.* Ita, ſub ipſo Euangelij crepuſculo, in tenebris & vmbra mortis ſedentibus lex ſempiterna affulſit, & Sol iuſtitiæ radios ſuos ſalutares communicauit. Sic Britannia, eremus quondam, ſterilis, ac ſolitudo, verſa eſt in hortum fertilem ac florentem; quæque olim arida fuit ac ſiticuloſa, rore cœleſti vbertim eſt irrigata. Vndè ex parte impletum eſt quod prædixit Pſalmiſta: [i] *Dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam; & poſſeſſionem tuam, Terminos Terræ.*

2 Hactenus in genere. In ſpecie verò, quinam fuerint canales illi aurei, per quos hæc æternæ vitæ aqua ad nos transfuſa eſt, non adeò conſtat.

PHIL. Variæ hac de re doctorum ſunt ſententiæ. Alij Sancto Petro, Sancto Paulo alij, alij Simoni Zeloti, nonnulli Ariſtobulo, complures Ioſepho Arimathæo huius rei gloriam tranſcribunt. Omnium verò ſolidiſſima ac veriſſima videtur opinio, quæ Sancto Petro hunc honorem tribuit.

ORTH. Vtinam, Philodoxe, hoc dictum præſtare poſſis; quàm Anglorum genti eſſet honorificum, à tam nobili ſtemmate genus deducere!

PHIL. Pater [k] Parſonius plurimis argumentis corroborauit, inprimis autem Simeonis [l] Metaphraſtis authoritate.

ORTH. Simeonis parùm admodum valet authoritas, teſte [m] Baronio, ſic dicente: *Si qua fides adhibenda eſt Metaphraſti.* Et rurſus: [n] *In alijs multis, ibi ab ipſo poſitis, errare eum certum eſt.*

PHIL. *Hæc de Petro ſententia aliquatenus confirmata* [o] *videtur, ex eo quod Innocentius, Romanus Pontifex eius nominis primus, ante annos mille*

[c] *Epiſt. ad Euagr. 85.*
[d] *Chryſoſt. in ſerm. de Pentecoſte, Tom. 3.*
[e] *Athanaſ. epiſt. Synod. apud Theodor l. 4. c. 3.*
[f] *Origen. Hom. 4. in Ezech. 10. 1. Oper. pag 723.*
[g] *Tertul. aduerſus Iudæos, c. 7.*
[h] *Polydor. Virg. Hiſt. Ang. l. 2. p. 37.*
[i] *Pſal. 2. 8.*
[k] *Parſ. 3. conu. part. 1. c. 1. n. 20.*
[l] *Metaph. apud Surium 23. Junij pag. 862.*
[m] *Anno 44. n. 38.*
[n] *Ibid. n. 54.*
[o] *Parſ. ibidem.*

Digitized by Google

mille ducentos, conſcripſit; ſcilicet, primas Eccleſias per Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, Siciliam & Inſulas interiacentes à Sancto Petro, vel eius diſcipulis, aut ſucceſſoribus eſſe fundatas.

ORTH. Perſonatus ille *Parſonius* languidè & frigidè hoc proponit: neque enim audet dicere *confirmatam*, ſed *aliquatenus confirmatam*; nec eſſe, ſed *videri*. Sed audiamus ipſum [a] Innocentium: *Manifeſtum in omnem Italiam, Galliam, Hiſpaniam, Africam, atque Siciliam, Inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe eccleſias, niſi eos quos Venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes.* Quid hoc ad noſtram Britanniam? Num eam nominat *Innocentius?* Profectò qui *Siciliam*, quintę eius parti vix parem, commemorat, idem ſi *Britanniam*, Inſulam omnium quas nouit antiquitas longè nobiliſſimam, intellexiſſet, ſilentio, vt eſt credibile, non obuoluiſſet. Sed fortè (dicet aliquis) *Inſularum interiacentium* nomine eam complectitur: fieri non poteſt. Priſca enim ſæcula *Britanniam*, tanquam *terram aliam ſub ſole iacentem, & orbem extra orbem poſitum* habuerunt, neque regionibus ab Innocentio recenſitis interiacet, ſed Galliæ & Germaniæ, interfuſo Oceano, obiacet. Quarè verba Innocentiana de Britannia intelligi ipſe locorum ſitus non patitur. Verùm cum ex altera parte maris Mediterranei, Italiam, Galliam, Hiſpaniam nominaſſet, ex altera Africam, accedit ad Siciliam, Inſulaſque interiacentes, id eſt reliquas hìc illìc in mari Mediterraneo ſparſas. Sed fingamus, diſputandi gratia, Innocentium his verbis Britanniam quoque noſtram deſignare voluiſſe; quid indè concludes? Non dicit vniuerſas has eccleſias à ſolo Petro fundatas, ſed *nullum in his regionibus inſtituiſſe eccleſias, niſi quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt ſacerdotes.* Largiamur igitur eccleſiam Britannicam ab aliquo Romano Pontifice, Petri ſcilicet ſucceſſore, fuiſſe inſtitutam. Quid inde ſequetur? Vos ipſi affirmatis, Petrum vſque ad obitum ſuum, Romanum extitiſſe Epiſcopum: Suffraganeos igitur adhuc viuus habere potuit, [b] *Succeſſorem verò niſi mortuus habere non potuit.* Ergo cum nullus Petro in Romana Cathedra ſuccedat, niſi mortuo, efficitur eccleſiam Britannicam non fuiſſe inſtitutam, niſi Petro mortuo. At [c] Parſonius Petrum huc veniſſe, atque Inſulam in propria perſona conuertiſſe, probare voluit. Quocirca hic locus nihil ad inſtitutum.

PHIL. [d] Scribit etiam Gulielmus Eyſingrenius centuria prima, *Primas Chriſtianas Angliæ Eccleſias à ſancto Petro, ſub Nerone, eſſe fundatas.*

ORTH. Miſeret me Parſonij, qui, hac in cauſa omnes ingenij neruos intendens, argumenta tam elumbia cogitur emendicare. Eyſingrenius enim, qui heri vixit, aut nudiuſtertiùs (nam librum ſuum anno milleſſimo quingenteſſimo ſexageſimo ſexto edidit) permagnæ authoritatis, in huiuſmodi præſertim rebus ad antiquitatem ſpectantibus, eſſe non poteſt. Tantò tamen eſt minoris, quòd baculo nitatur arundineo, qualis eſt Metaphraſtes. Sic enim ait;

[a] *Innocen. 1. ad Decentiū, ep. 1. Bin. t. 1. p. 571.*

[b] *Bellar. de Eccles. mil. c. 8. non ſucceditur niſi Epiſcopis defunctis aut legitime depoſitis.*

[c] *Parſon. 3. conu. l. 1. c. 1.*

[d] *Eyſing. cent. 1. part. 7. diſt. 8.*

Digitized by Google

Metaphraſtes affirmat, complures eccleſias per Britanniam à Sancto Petro, Apoſtolorum anteſignano, eſſe fundatas.

e Parſ. ibid.
f Gild. epiſt. 2. de excid.

Phil. [e] Huc reſpexiſſe videri poteſt [f] Gildas, qui cum Britannicis ſui temporis Sacerdotibus, de nequitia & vitæ turpitudine (propter quam vindicandam ira Dei Anglo-Saxones introduxiſſet) expoſtulans, inter alia crimina hoc illis impingit, *quòd ſedem Petri Apoſtoli inuerecundis pedibus vſurpaſſent:* innuens Petrum vel totius eccleſiæ Britannicæ prima fundamenta ieciſſe, vel aliquod ſaltem orarium, aut ſacram Ædiculam poſuiſſe.

Orth. Neque huic argumento confidit Parſonius. Non enim dicit, hoc affirmauit Gildas, ſed *huc reſpexit*; imo nec huc reſpexit, ſed *huc videtur reſpexiſſe*; imo nec videtur, ſed *videri poteſt*. Quare, vel ſuo ipſius iudicio, quod hinc vult aſtruere, non inde fluit ex neceſſitate, ſed colligitur tantùm ex probabilitate. Cuilibet tamen verba Gildæ æquâ lance ponderanti, hæc collectio Parſoniana ne probabilis quidem videri poteſt. Sic enim Gildas de Sacerdotibus Britannicis: *Sedem Petri Apoſtoli inuerecundis pedibus vſurpantes, ſed, merito cupiditatis, in Iudæ Traditoris peſtilentem Cathedram decidentes.* Si Iudæ cathedra Iudam in Anglia fuiſſe non innuat, cur Petri ſedes Petrum hîc fuiſſe arguet? Si Iudæ cathedra illis metaphoricè tribuatur ob cupiditatem, quidni veris paſtoribus Petri ſedes, ob ſinceritatem? Deinde idem Gildas paulò pòſt, Epiſcopos, qui ſacros ordines in Simoniacos contulerant, increpans, ſic ait; *Nicolaum in locum Stephani Martyris ſtatuunt.* Nunquid hæc verba ſignificant vel Nicolaum Diaconum, vel Stephanum Proto-Martyrem localiter in Anglia fuiſſe? Nunquid vel totius eccleſiæ Anglicanæ fundamenta ieciſſe, vel ſaltem aliquod orarium, aut ſacram Ædiculam hîc poſuiſſe.

Phil. Quid ergo ſibi vult Gildas?

Orth. Nempe Eccleſias, quæ à viris olim ſanctiſſimis, Petri & Stephani doctrinam & pietatem redolentibus, regebantur, nunc ab impuris homunculis, quales erant Iudas, & Nicolaus Diaconus, pollutas eſſe, & conſpurcatas.

g Parſ. ibidem.
h Apud Surium Ian. 5. pag. 131.

Phil. [g] *Alredus Rienuallus, Abbas Anglicanus, ordinis Ciſtercienſis, ante annos quingentos reuelationem quandam vel apparitionem* [h] *conſcripſit:* In qua narrat, beatum Petrum viro *cuidam Sancto (regnante Eduardo Confeſſore) apparuiſſe, eidemque retuliſſe, quomodo ipſe in Anglia Verbum Dei prædicaſſet, & ex conſequenti quanto amore & beneuolentia illam eccleſiam & gentem complexus fuiſſet.*

Orth. Cùm rem idoneis teſtimonijs firmare non poteſtis, ad reuelationes, & ſomnia, id eſt, ad aniles fabulas, nugas & quiſquilias, veſtro more confugitis. Hoc tamen delirium non eò tendit, quò delirat Parſonius. Refert enim eo loco Alredus, Sanctum Petrum, tempore Eduardi Confeſſoris, cuidam recluſo, qui in ſpecu ſubterraneo complures annos latitaſſet, viſione nocturnâ apparuiſſe, & in mandatis dediſſe, vt regi ſignificaret, ſe cum *voto eius de*

Digitized by Google

de peregrinatione ad terram Sanctam diſpenſaſſe, eiuſque vice per Pontificem mandaſſe, vt Monaſterium extrueret, quod hunc in modum deſcribit: *Eſt mihi locus in Occidentali parte Londoniæ à me electus, mihi dilectus, quem quondam mihi proprijs manibus conſecraui, mea nobilitaui præſentia, diuinis etiam miraculis illuſtraui; Thorneia nomen eſt loci.* Hæc ſunt quæ retulit Alredus. De Petri autem in Anglia prædicatione, quam memorat Parſonius, ne verbum quidem.

PHIL. Nonne dicit Sanctum Petrum proprijs manibus Thorneiam conſecraſſe, præſentia nobilitaſſe, & miraculis illuſtraſſe? Quid hæc ſibi volunt?

ORTH. Hæc nihil ad Rhombum. Regnante enim apud Cantianos Ethelberto, Sebertus rex Orientalium Saxonum, *extra muros Londoniæ in Occidentali parte, in honorem Sancti Petri, Monaſterium inſigne fundauit, & multis poſſeſſionibus ditauit. Nocte autem dedicationem eiuſdem eccleſiæ precedente (vt fabulatur Alredus) piſcatori cuidam Thameſini fluuij (qui idem Monaſterium præterfluit) vlteriori ripa in habitu peregrino Sanctus Petrus apparens, promiſſa mercede tranſportari ſe ab eodem & petijt, & promeruit. Egreſſus autem de nauicula, eccleſiam (piſcatore cernente) ingreditur; & ecce ſubitò lux cæleſtis emicuit, miroque ſplendore illuſtrans omnia, noctem conuertit in diem. Adſuit cum Apoſtolo multitudo Ciuium ſupernorum, ingredientium, melodiaque cæleſtis inſonuit, indicibilis ordoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus, quæ ad Eccleſiæ dedicationem ſpectant, ſolennijs, redit ad Piſcatorem piſcium piſcator egregius hominum: quem dum diuini luminis fulgore perterritum, & alienatum pene ſenſibus reperiſſet, & blanda conſolatione reddit hominē ſibi, & ait, Laxa nunc retia in capturam. Paruit imperanti piſcator, & mox implet rete piſcium maxima multitudo. Omnes erant eiuſdem generis piſces, præter vnum miræ enormitatis eſocium; quibus ad ripam extractis, dixit Apoſtolus, Hunc, qui præ cæteris pretio & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer piſcem Epiſcopo: pro nautica verò mercede cætera tibi tolle.* En miraculum; Petri præſentiam, & eccleſiæ dedicationem proprijs manibus peractam, ſed de prædicatione altum ſilentium. Vel ſi fortè tunc prædicauit, profectò cùm iam quingentis atque eò amplius annis fato ſuo functus eſſet prædicaſſe dicendus eſt. Sed quid fabulæ putidiſſimæ immoror? Vel quid hoc ad id de quo agitur? Quamuis igitur Sanctus Petrus, piſcator admodum egregius, innumerabiles per totum orbem alueos ſcrutatus, multa ceperit animarum millia, in Oceanum tamen Britannicum ſua vnquam demiſiſſe retia, nondum vllo idoneo teſtimonio probauit Parſonius.

Alred. Riuall. in vita Ed. Conf.

PHIL. Si fortè gentem noſtram in propria perſona non conuertit, ſaltem hoc idem per legatos ſuos præſtitit. 3

ORTH. Si hoc à Sancto Paulo, vel à Simone Chananæo factum fuit, vt quibuſdam placet, liberè & audacter affirmare licet, à Sancto Petro per legatos ſuos præſtitum non eſſe. Iſti enim Apoſtoli

erant ęquè ac Petrus,& ad omnes gentes,nō à Petro,ſed à Chriſto legabátur.Pro Pauli aduentu [a] Parſonius [b] Theodoreti,[c] Sophronij, & Venantij Fortunati teſtimonia protulit. Quibus Arnoldum Mirmianum adiungit,qui Sanctum Paulum anno Chriſti quinquageſimo nono,id eſt,Neronis imperatoris quarto,Britanniam acceſſiſſe affirmat. Et ſanè huc aliquando appuliſſe non eſt incredibile, quippe qui Gentium eſſet Apoſtolus, laboribus ad miraculum vſque abundans,fecialis nobilis,ad promulgandum annum acceptum Iehouę paratiſſimus,ſtella lucida,ab oriente ad occidentem celeriter tranſcurrens,tuba denique canora, benedictum nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti vbique buccinans. Pro cuius in Britanniam ingreſſu non adeò multa extare teſtimonia ait Parſonius; quæ tamen ipſe attulit longè ſunt clariora, maioriſque ponderis & ſoliditatis,quàm quibus Petri aduentum molitur aſtruere. Vt reliqua mittamus, quid aptiùs,quid apertius dici potuit,quàm illud * Venantij Fortunati?

[a *Parſ 3.conu. part.1.c.1.n.22.*]
[b *Vide verba eius hoc c.n 1.*]
[c *Serm.de natiu.Apoſt.*]

Tranſit & Oceanum vel qua facit Inſula portum,
Quaſque Britannus habet terras,atque vltima Thule.

[* *Venant.de vit. Sanct.Mart.l.3. in fine.*]

4 Proximus eſt Simon Zelotes; qui (vt eſt apud [d] Nicephorum) *cùm ſpiritum ſanctum à cælo deſcendentem accepiſſet, Aegyptum,Cyrenen, Africam,Mauritaniam,& totam Libyam tranſiuit, ibique Euangelium prædicauit,idemque ad Oceanum vſque Occiduum,inſulaſque Britannicas detulit.* [e] Dorotheus etiam (quem, vt ſcriptorem valdè antiquum, laudat [f] Parſonius) *in Britannia crucifixum,occiſum, & ſepultum* narrat; [illegible] quod Græcorum quoque refert [g] Menologium. Quæ teſtimonia quantulacunque ſint,ijs tamen omnibus, quæ pro Petri aduentu congeſſit Parſonius,longè præponderant. Sed iam tempus poſtulat,vt ab Apoſtolis ad viros Apoſtolicos,Ariſtobulum,& Ioſephum conuertatur oratio.

[d *Niceph.l.2. c.40.*]
[e *Dor. in ſynopſi.*]
[f *3.Conu.part.1. c 1.n.23.*]
[g *Men.Maij 10.*]

5 PHIL. [h] *De Ariſtobulo Sancti Petri diſcipulo,teſtimonium perhibent prædicti authores,Mirmianus, Dorotheus, &, ex Græco Menologio,* [i] *Baronius; nempe quòd à Sancto Petro in Britanniam miſſus eſſet, & ibidem Epiſcopus conſtitutus.*

[h *Parſ.3.conu. par.1.c.1.n.24.*]
[i *Baron annot. in Martyrologium Rom.ad 28. Octob.*]

ORTH. Cum Dorotheo quàm bellè agatis ex eiuſdem verbis ſatis elucere poteſt. *Ariſtobulus* (inquit) *& ipſe ab Apoſtolo ad Romanos commemoratus,Epiſcopus Britanniæ factus eſt.* Quibus verbis Ariſtobulum non vt Petri diſcipulum nobis depingit, ſed potiùs vt Pauli Apoſtoli ad Romanos, id eſt, Sancti Pauli meminit, Sancti Petri non item. Hunc tamen locum adducit Parſonius,vt inde probet Ariſtobulum à Sancto Petro (ô frontem hominis) in Britanniam fuiſſe tranſmiſſum. Cæterùm ſi Ariſtobulus fuit primus Britannorum epiſcopus, Britannia primum ſuum Epiſcopum non tam Petro,quàm Paulo acceptum referre debet. Sed Ariſtobulo valedicamus,ſalutemus Ioſephum.

6 PHIL. [k] *De Ioſepho Arimathæo,quomodo in Galliam venerit,ac inde in Britanniam,ſiue à Sancto Philippo,vt quibuſdam placet,ſiue (vt alij volunt)*

[k *Parſ.quo ſupr.n.25.*]

Digitized by Google

volunt) à Sancto Petro, huc illuc tranſeunte, miſſus, & quomodo in inſula Auellonia (vbi nunc Glaſconia) locum conſecutus ſit, in quo ipſe cum decem ſocijs ſuis vitam Eremiticam exercuit, quamuis nullum probatum aut antiquum ſcriptorem hæc aſſerentem reperiam, quia tamen recentiores per ducentos, ac eò ampliùs, annos, & in ijs [a] *Iohannes Capgrauius, ex ordine Dominicano vir doctus, & poſt eum alij multi eadem, tanquam ex traditione accepta, amplectuntur, non eſt animus rem ſubtiliùs ventilare, ſed potiùs cæleſtem prouidentiam admirari, & ſummis laudibus celebrare.* [a] *In ſanctor. catalogo.*

ORTH. Et nos, ſublatis in cœlum oculis pariter & animis, idem facimus. Sed quorſum Parſonius Ioſephi gloriæ tantopere derogat, quaſi hæc narratio authorem Capgrauio antiquiorem non agnoſceret! Tria igitur adducam argumentorum genera. Primum à Capgrauio, alijſque authoribus Capgrauio antiquioribus: ſecundum ab antiquis monumentis, quæ in Ioſephi memoriam priſca ſtatuerunt ſæcula: tertium à chartis, ſeu diplomatis regijs. Verba [b] Capgrauij hæc ſunt: *Eodem anno quo ad Sanctum Philippum in Gallias venerant, ab eo in Britanniam miſſi ſunt.* Et rurſus. *Ioſeph cum filio ſuo ac decem alijs ſocijs peragrantes Britanniam, regnante tunc in eadem Rege Aruirago, anno ab incarnatione Domini 63. fidem Chriſti fiducialiter prædicabant. Rex, viſa eorum vita modeſtia, quandam Inſulam, ſyluis, rubis, ac paludibus circundatam, quæ ab incolis Inſ.witri in, id eſt, Inſula Vitrea dicebatur, in lateribus ſuæ regionis habitandam conceſſit.* Sed, relicto Capgrauio, ad alios tranſeo. Quo ſæculo exarata ſit manuſcripta illa Anglorum hiſtoria, quam, ex bibliotheca Vaticana, citat [c] Baronius, haud equidem ſcio: ſed in illa traditum eſt, *Ioſephum ex Gallia in Britanniam nauigaſſe, illicque poſt prædicatum Euangelium diem clauſiſſe.* Certè Gulielmus [d] Malmesburienſis, Capgrauio ducentis annis antiquior, in libro de Monaſterio Glaſconienſi, *antiquam eius loci eccleſiam à Ioſepho, quem huc miſit Philippus, conſtructam narrat.* Extat inſuper Sancti Patricij (ſi modò Patricij) qui Capgrauiū noningentis anteceſſit annis, epiſtola, à [e] Lelando citata, in qua ſic legitur: *Oſtenderunt mihi fratres ſcripta ſanctorum Fugatij & Damiani, in quibus continebatur, quòd duodecim diſcipuli ſanctorum Philippi & Iacobi ipſam vetuſtam eccleſiam conſtruxerant, & quòd tres Reges Pagani, ipſis duodecim totidem terræ poſſeſſiones dederant.* Si hæc ſit genuina Patricij epiſtola, non deeſt nobis qui hoc aſſerat antiquus ſcriptor, Patricius ſcilicet, immò Patricio ducentis annis antiquiores, Fugatius & Damianus. Sed ego huius fidem non præſtabo; liberum hîc cuique permitto iudicium. Nunc, ad ſecundum argumentorum genus nos conuertentes, inſulam ipſam conſulamus. Nulla hîc Petri, nulla penitus reliquorum ſigna aut indicia; Sancti verò Ioſephi non leuiter preſſa, ſed ad æternitatem fixa viſuntur veſtigia. Primo, *Rex Inas, ante annos noningentos, Glaſconiæ, in memoriam Sancti Ioſephi qui ibi vixerat, monaſterium condidit,* fatente [f] Parſonio. Secundo, in eiuſdem Monaſterij eccleſia reperitur Elogium in æs inciſum, & columnæ affixum, quod reuerendus

[b] *In ſancto Ioſepho.*

[c] *Bar. an. 35. n. 5.*

[d] *Apud Camdenum in Somerſetſheir.*

[e] *Leland. in aſſert. Arthur. f. 20*

[f] *3. Conuerſ. part. 1. c. 2. n. 2.*

pater

Digitized by Google

pater [g] Franciſcus, nuper Landauenſis, nunc Herefordenſis, & legit ipſe, & nobis integrum legendum exhibuit. Quod eſt huiuſmodi. *Anno poſt paſsionem Domini triceſimo, duodecim Sancti (ex quibus Ioſephus ab Arimathaa primus erat) huc venerunt, qui eccleſiam huius Regni primam in hoc loco conſtruxerunt, &c.* Et poſteà, quum *Cancellum* a Dauide Meneuenſi Archiepiſcopo adiectum retuliſſet, author hæc ſubiungit: *Et ne locus aut quantitas prioris eccleſia per tales augmentationes obliuioni tradatur, erigitur hac columna in linea per duos orientales angulos eiuſdem eccleſia verſus meridiem protracta, & pradictum Cancellum ab ea abſcindente. Et erat longitudo ab illa linea verſus occidentem 90. pedum, latitudo verò eius 26. pedum, diſtantia centri illius columna à puncto medio inter pradictos angulos 48. pedum.* Accedit denique ad hoc confirmandum tertium argumentorum genus, noſtrorum ſcilicet Regum ſplendidiſſima teſtimonia. *Henricus ſecundus* Monaſterium Glaſconienſe, quod ſuo tempore conflagrauerat, reſtaurauit, omneſque chartas, eius antiquitatem ac Priuilegia explicantes, ſumma cum diligentia conquiri iuſſit. Vnde complures, nempe Kenwalli, Balredi, Kentwini, Bringwalthij, Edwardi, Elfredi, Edgari, atque adeo ipſius Arthuri, ac aliorum præterea Regum ad eum allatæ ſunt. Quibus lectis, Henricus in ſuo diplomate pro Cænobio Glaſconienſi (quod Iohannes [h] Stous ſe vidiſſe ac legiſſe profitetur) affirmat, hanc eccleſiam in quibuſdam chartis dici, *à diſcipulis Domini fundatam*; in alijs, *Sanctorum Matrem*, in alijs *Sanctorum tumulum ac ſepulchrum* appellari. Hoc idem porrò conſtare poteſt ex alio teſtimonio longè ampliſſimo, [i] diplomate ſcilicet adhuc extante, quod Eduardus tertius ſigillo ſuo decorauit. Vides quot & quanti huius rei gloriam Ioſepho tribuunt. Hic eſt nobilis ille decurio, qui in horto ſepulchrum excidit, vt inter vitæ delicias de morte cogitaret: Chriſti corpus vnguentis delibutum ſepeliuit; & poſtea factus eſt reſurrectionis præco; in Britanniam delatus, apud Glaſconienſes gratiſſima Euangelij diffudit aromata, totamque inſulam repleuit odorum ſuauitate. Vtrùm verò omnium primus regionem noſtram Euangelij fulgore illuſtrauerit, vt affirmant [k] Sanderus, [l] Georg. Maior, [m] Suares, haud equidem ſcio: Verum ſi primus, ſequitur, primum Euangelij apud nos Præconem ab Arimathæa veniſſe, non à Roma, à Sancto Philippo miſſum, non à Sancto Petro.

Phil. [n] *Glaſconiam euangelium Roma acceptum referre inde patet, quòd Inas Rex, ante annos circiter nongentos, cùm in memoriam Sancti Ioſephi & ſociorum eius, qui vitam ſolitariam ibi duxiſſent, prima Monaſterij Glaſconienſis fundamenta poneret, hos verſiculos in eccleſia ſcribi curauit.*

Anglia plaude lubens, mittit tibi Roma ſalutem,
Fulgor Apoſtolicus Glaſconiam irradiat.

Quibus verbis appoſitè vti non poterat, niſi ſancti, hîc primò incolentes, aduentum ſuum ad Romanos & Apoſtolos, à quibus miſſi ſunt, aliquo modo retuliſſent.

Orth.

[g] *De prima Britan. conuerſ. cap. 2.*

[h] *Stous Annal.*

[i] *Vid. Iohan. Speed, in hiſt. mag. Brit. l. 6. c. 9. n. 21.*

[k] *In præfat. ad lib. de ſchiſ.*

[l] *Georg. Maior antiq. Britan. p. 3.*

[m] *Defenſ. fid. cath. in indice rerum in voce Angli.*

[n] *Parſ. quo ſupra.*

Digitized by Google

Orth. Si Rex Inas in Sancti Ioſephi, illic aliquando degentis, memoriam, tam illuſtre condidit Monaſterium, Ioſephum in Anglia fuiſſe nobile habemus documentum: at Romæ vnquam fuiſſe, vel huc à Romano pontifice miſſum, ſanè nec nobis reperire, nec vobis adhuc probare contigit. Refert [o] Malmesburienſis epiſcopum Meneuenſem, Deui nomine, quum *antiqua ædicula, à Ioſepho poſita, vetuſtati tandem aliquando concederet, nouam eodem loco conſtruxiſſe, & cùm hæc quoque ano fatiſceret, duodecim viros à Boreali Britanniæ parte profectos eandem reſtauraſſe.* Quam demolitus Rex Inas, nouam, eamque magnificam Chriſto, *Petro, & Paulo* erexit, in qua inſculpti reperiuntur verſiculi, quorum duodecim primi Petrum & Paulum, inter ſe collatos, ad cœlum tollunt, & poſt illos duodecim hoc à te allatum ſequitur diſtichum. In quo poëta Angliam ad plauſum prouocat, hoc argumento, quoniam Roma eidem *ſalutem mittit*; id eſt, *ſalutat eam* quaſi eiuſdem gloriæ participem, quum iam duabus Eccleſijs, Glaſconiæ, atque Romæ, ijdem Apoſtoli, vt Patroni, præſideant. Sin per *ſalutem miſſam*, nouo *Latiniſmo*, Doctrinæ ſalutaris & Apoſtolicæ fulgorem poëta intelligat, prout tu intelligere videris, non eſt æquum, vt hæc verba ad Ioſephi & reliquorum ſanctorū, hic olim æuo Britannico incolentium, tempora referantur; Angliam enim hic alloquitur, non Britanniam; & Inæ tempora & dona expreſſè mox memorat. Aut ad Auguſtinum & ſocios eius (quorum recentior erat memoria) verba magis concinnè aptari poſſent. Neque enim dubito, quin tu dicturus ſis eos totam Angliam, ac proinde Glaſconiam, lampade Euangelica illuminaſſe. Mihi tamen, vt quod ſentiam loquar, non tam doctrinæ quam patrocinij fulgorem inuere videtur poëta, qui, ſecundùm erraticam eius ſæculi opinionem, ſanctos, quorum nominibus Templa inſigniuntur, eorundem templorum Præſides & *cuſtodes* extitiſſe inſinuet. Quod & ex proximis verſibus, niſi fallor, ſatis liquidò apparet.

A facie hoſtili duo propugnacula ſurgunt,
Quos fidei turres, Vrbs, caput orbis, habet.
Hæc pius egregiè Rex Ina refertus amore,
Dona ſuo populo non moritura dedit.

Quæ verba liquidum habent ſenſum, Regem Inam (cuius munificentia hoc pulcherrimum *Petro & Paulo* conſtructum eſt templum) hac dedicatione efficiſſe, vt, qui Romanæ eccleſiæ Fundatores perhibentur, etiam Glaſconiæ efficerentur propugnacula, ac cuſtodes. Sed fidem Chriſtianam huc primò à Roma eſſe delatam (quod vult Parſonius) ex his verbis non potes exculpere, quæ ad Inæ tantùm recentem beneficentiam author apertiſſimè refert.

Immò quid ſi Brittannia noſtra luce Euangelica illuſtrata fuerit, aliquantò priùs quàm ipſa Roma? Quis enim eccleſiæ Romanæ primus Fundator? Nonne Sanctus [p] Petrus? Petrus autem quando

[o] *Apud Cambd. quo ſuprà.*

[p] *Bellarm. de Rom. pontif. l.2. c.2.*

Digitized by Google

quando Romam acceſſit! Illuc veniſſe anno Domini quadrageſimo quarto, qui erat Claudij Imperatoris ſecundus, ex communi omnium ſententia tradit [q] Baronius. Videamus porrò quo tempore Dominus huic Inſulæ radios euangelij ſalutares indulſerit. Hic autem ſtellæ cuiuſdam præeuntis, nobiſque viam ſignantis, ductum ſequemur, id eſt, Gildæ, *Sapientis* cognomento meritò ob multiplicem rerum ſcientiam inſignis, & inter Gentis noſtræ Scriptores, omnium antiquiſſimi. Ille igitur hac nobis luce præluxit: [r] *Interea glaciali frigore rigenti Inſula, quæ velut longiore terrarum receſſu Soli viſibili non eſt proxima, verus ille (non de firmamento ſolum temporali, ſed de ſumma etiam cælorum arce, tempora cuncta excedente, vniuerſo orbi præfulgidum ſui lumen oſtendens) Chriſtus ſuos radios, id eſt, ſua præcepta indulget, tempore, vt ſcimus, ſummo Tiberij Cæſaris, quo abſq; vllo impedimento eius propagatur religio.* Vbi obſerua Gildam hæc ex certa protuliſſe *ſcientia.* Tiberius autem mortuus eſt anno Chriſti triceſimo nono, ſecundum [ſ] Baronium; vnde ſequitur, Britanniam fidem Chriſti accepiſſe toto quinquennio antequàm Petrus Romam vidiſſet.

[q] *An.44.n.xxv.*

[r] *Gildas ſapiens de excidio Brit.*

[ſ] *Vide annum 39.& 40.*

Phil. Verba Gildæ valdè obſcura ſunt, & perplexa, quæ tamen ſatis commodè interpretatur [t] Parſonius; quaſi dicat, verum & viſibilem ſolem, qui ſeipſum tempore Tiberij Cæſaris toti mundo oſtenderat, huic glaciali Inſulæ ſuos radios indulſiſſe, *intereà,* dum bella (de quibus Gildas) gererentur, id eſt, tempore Claudij Cæſaris. Nulla enim bella, regnante Tiberio, in Britannia gerebantur.

[t] *3.Conuerſ. part.1.c.1.n.13.*

Orth. Quamuis Imperante Tiberio, Britannorum complures tributa ſoluerent, & ſummam cum Romanis colerent amicitiam, non deſunt tamen qui Guiderium & Aruiragum, Cunobilini filios, & tributi præſtationem detrectaſſe, & ſe contra Tiberium, Caligulam, & Claudium armaſſe tradunt. Quare ex iſta voce (*Intereà*) ſolidum argumentum colligi non poteſt. Prætereà hunc ſenſum Parſonianum ipſa verborum ſeries, atque ſyntaxis grammatica planè reſpuunt. Nam verba ſic ſunt ordinanda. Chriſtus, verus ille Sol, oſtendens vniuerſo orbi præfulgidum ſui lumen, indulget Inſulæ rigenti glaciali frigore (id eſt, Britanniæ) ſuos radios, id eſt præcepta, tempore (vt ſcimus) Tiberij Cæſaris ſummo, id eſt *vltimo,* vt apud [u] Horatium poëtam:

Prima dicte mihi, ſummâ dicende Camæna.

Denique verba ſubſequentia horum obſcuritati magnam lucem afferunt; quæ ſic ſe habent: *Quo* (ſcilicet, extremo Tiberij Cæſaris tempore) *abſque vllo impedimento eius* (nempe Chriſti) *propagatur religio,* indicta (Senatu nolente) à principe (Tiberio ſcilicet) morte delatoribus militum eiuſdem, (id eſt Chriſtianorum.) Qua de re ſic ex Tertulliano [x] Euſebius: *Tiberius, cuius tempore nomen Chriſtianorum in ſæculum introiuit, nunciatum ſibi ex Syria Paleſtina, quod illic veritatem ipſius diuinitatis reuelauerat, detulit ad Senatum cum prærogatiua ſuffragij*

[u] *Epiſt.lib.1.*

[x] *Hiſt.eccleſ. l.2.c.2.*

Digitized by Google

fragijſui; Senatus, quia non ipſe probauerat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Ita factum eſt, vt ſermo Euangelicus liberè, & abſque impedimento, vbique terrarum peruaderet, & repentè nulla ferè interpoſita mora, tanquam ſolis iubar terrarum orbem ſuo ſplendore colluſtraret. Hæc in annum Tiberij Imperatoris decimum octauum retulit [y] Baronius. Emiſſum igitur hoc edictum, quatuor aut quinque annis ante mortem Tiberij. Quamobrem quum Gildas, de tempore recepti in hac Inſula Euangelij agens, Tiberiani huius edicti mentionem faciat, eiuſdem beneficio Chriſtianam religionem *ſine vllo impedimento* vbique per orbem propagatam eſſe prædicans, ſine dubio Britanniam quoque hoc ipſo tempore luce Euangelica colluſtratam fuiſſe ſignificat. Hæc interpretatio fluit clara, dilucida, liquida, & verba ipſa hunc ſenſum efflagitant: Hoc omni carebit controuerſia, modò Gildæ Gildam interpretari liceat. Docet enim (vt ex [z] Polydoro diximus) Britannos Chriſtianam accepiſſe religionem *ſub initio orti euangelij*; quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet, hoc imperante Tiberio factum fuiſſe. Ex his apparet, Euangelium in Britannia citiùs quàm Romæ emicuiſſe; adeoque Petrum vel euangelium hîc in Britannia primùm non accendiſſe, vel hîc accendiſſe, antequam Romæ.

y *An.34.n.229.*
z *Polydor. Virg. hiſtor. Angl. l.2.p.37.*

PHIL. Euangelium, tam exiguo temporis interuallo, tam longè vltra Oceanum transfuſum eſſe non eſt credibile.

ORTH. Conſtat ex [a] ſcripturis, poſt lapidatum Stephanum, ingentem exortam fuiſſe perſecutionem, qua diſperſi diſcipuli, huc illuc tranſcurrentes, verbum Dei euangelizabant; & (vt ait [b] Athanaſius) *vniuerſum Orbem peragrantes viuifica doctrinæ virtutes efficaciaſque ſeminarunt.* Colligere poſſumus (inquit [c] Baronius) *hoc quoque tempore Lazarum, Mariam Magdalenam, Martham, & Marcellam, non tantum Hieroſolymis pulſos eſſe, ſed vnà cum Maximino naui abſque remigio impoſitos, in certum periculum mari fuiſſe creditos. Quos diuina prouidentia Maſſiliam tradunt appuliſſe, comitemque ferunt eiuſdem diſcriminis Ioſephum ab Arimathæa, quem tradunt ex Gallia in Britanniam nauigaſſe, illicque poſt prædicatum euangelium, diem clauſiſſe extremum.* Hæc diſperſio facta eſt anno Tiberij 19. [d] imperaſſe autem fertur 22. annos, ſex menſes, & viginti dies. Reſtabat igitur à diſperſione ad obitum Tiberij integrum fere quadriennium, quo temporis ſpatio Ioſephus huc nauigare potuit. Quæ mihi Baronij ſentẽtia probabilior videtur illâ Capgrauij & aliorum, qui eius aduentum in annum Domini ſexageſimum tertium diſtulerunt. Sed eſto; huc acceſſerit anno 63. id eſt, Neronis ſeptimo: Petrus autem, ſi huc omninò, tamen poſt Ioſephum appulit. Agè enim, quo hîc anno acceſſit Petrus?

a *Act.8.1.*
b *Athanaſ. homil. de ſemente.*
c *An.35.n.5.*
d *Baro. an.39.n.1*

PHIL. Petrum edicto Claudiano Roma pulſum anno Domini 51. Claudij autem Imperatoris nono, ad exteras Orbis oras prædicationem euangelij conuertiſſe exiſtimat [e] Baronius. Illius enim munus erat, vt *qui complures orientis prouincias prædicando euangelium*

e *Baronius an. 51.n.23. & an. 58.n.51.*

Digitized by Google

Quid, quòd ipſe Conſtantinus magnus (qui primus ex Auguſtis tam Romanos, quàm prouinciarum præfectos & incolas, beneficijs, & edictis ſalutaribus ad fidem Chriſtianam allexit) in noſtra Britannia natus ſit? Sic enim Gallicanus, orator Panegyricus, in oratione coram ipſo Conſtantino, & ampliſſimo Romanorum conuentu, dum Conſtantini cum Fauſta nuptiæ celebrarentur, habita teſtatur, de Conſtantio patre & Conſtantino filio ſic loquens: *Liberauit ille Britannias ſeruitute, tu etiam nobiles illinc oriundo feciſti.* Quibus recitatis exclamat [l] Baronius; *Quid igitur ijs apertius dici poteſt? Quibus adeo manifeſtis velle refragari, quis non extremæ ducet eſſe dementiæ?* [l] *Ann. 306. n. 16*

PHIL. Iuſtus [m] Lipſius in Bythinia natum contendit. [m] *De magnit. Rom. l. 4. c. 11.*

ORTH. An fidem non habet Panegyriſtæ, qui, ipſo audiente Conſtantino, hæc protulit?

PHIL. Habet profectò, ſed in hanc ſententiam, *non Ipſum ibi, ſed Imperium eius ortum, non Conſtantinum, ſed Principem*; hæc eius mens eſt; *Tu nobiles feciſti Britannias, quòd illic ortus, factuſq; es Imperator.*

ORTH. Immò *Britannam Helenam in Britannia ipſum peperiſſe certum eſt*, inquit [n] Baronius; ad quem te remitto. Hæc ſi ita ſint, publicam fidei receptionem non Britannia cuilibet Romano, ſed ipſa Roma Conſtantino Britanno acceptam referre debet. [n] *Ibidem.*

Digitized by Google

Rex Lucius.

Cap. III.

De ſecunda conuerſione quam appellant ſub Rege Lucio & Eleutherio papa.

Regnante Lucio quæritur,
- primò, quid hic factum?
  - Fides
    - non plantata,
    - ſed rigata et propagata. 1
  - Epiſcopi inſtituti
    - quot. 2
    - quorum loco. 3
    - qua authoritate. 4
- deinde in Britannia
  - qualis tunc fides. 5
  - quales epiſcopi. 6

Phil.

DVæ [a] iam *alia ſequuntur eiuſdem Inſulæ conuerſiones, magis inſignes & publicæ, ſub duobus illuſtribus Romanis Epiſcopis, idque ſingulari ipſorum induſtria, à toto orbe Chriſtiano agnitæ, & in tabulas relatæ, quæ tantoperè Romæ noſtræ calumniatoribus fel concitare, & bilem mouere ſolent, vt omnes intendant ingenij neruos quo fidem illis poſſent detrahere.* Harum prior ſub Eleutherio Pontifice, & Rege Lucio contigit.

Orth. Hæc non tam plantatio, quàm [b] rigatio; nec tam Inſulæ conuerſio, quàm noua Prædicatorum in ſubſidium miſſio, & vlterior euangelij propagatio eſt dicenda. Iohannes enim [c] Capgrauius (quem [d] Parſonius *viri docti* inſignit encomio) Eluanum Glaſconienſem, prima illa euangelij ſemina à Ioſepho ſata, per latos Britanniæ campos ſparſiſſe memorat. In antiquis etiam Martyrologijs, in eccleſia veſtra legi ſolitis, ſic ſcribitur. [e] *Lucius nunquam ſe Chriſtianæ religioni infenſum exhibuit, hoſtemue, ſed, quòd Chriſtianorum miracula, ſimul & vitæ integritatem admiraretur, in eoſdem propenſior videbatur, amplexuſque fuiſſet iam antea Chriſtianam religionem, niſi auitæ, velut nexibus, obligatus eſſet ſuperſtitione, niſi etiam conſpexiſſet*

a Parſ.3.conuerſ.part.1.c.4.n.1.2.
b Vide Lancelot. Elienſ.reſp. ad apolog.Bell. p.31.
c Vide antiq. Brit.p.5.
d 3.Conu.part.1 c.1.n.25.
e Apud Baronium an.183. n.4.

Digitized by Google

ſpexiſſet Chriſtianos ab Ethnicis ipſis vt infames vileſque haberi, & à Romanis ipſis (apud quos ſumma rerum eſſe videbatur) & gladio & iniurijs aſſiduè lacerari. Comperit tamen poſtea, nouitque ex legatis Cæſaris, Senatores etiam aliquos Chriſtianos factos eſſe, & inter alios Pertinacem quendam, atque Trebellium, Imperatoremque ipſum Marcum Aurelium (victoria eorum precibus obtenta) benignè habuiſſe Chriſtianos. Quibus hic alijſque perceptis, Lucius legationem miſit ad Eleutherium, Romanum pontificem, Eluanum, & Meduinum Britannos, rogans per eos Eleutherium, vt per ſe ſuoſque Miniſtros, ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam aditum pateſaceret, quod & obtinuit. Nam idem pontifex Fugatium & Donatianum, aliter Damianum, in Britanniam miſit, qui Regem, & alios Chriſtiana religione imbutos initiarent myſterijs; quod & nauiter impleuerunt. Refert etiam [f] Capgrauius, Eluanum ab Eleutherio Britanniæ epiſcopum, Meduinum verò Doctorem, qui per totam inſulam fidem prædicaret Chriſtianam, eſſe conſtitutum. Vndè patet, non fuiſſe neophytos, ſed inſignes Theologos, & *rerum diuinarum peritos*, vt à veſtro [g] Hiſtorico appellantur; ex quo etiam conſtat, vt eruditos Theologos, qui ſemen Euangelij per totam Inſulam ſeminaſſent, ita & Chriſtianos, [h] miraculis claros, illo ipſo tempore hîc floruiſſe.

[f] *Vid. antiq. Brit. p. 5.*

[g] *Rich. Vitus Baſinſtoch. hiſt. l. 5.*

[h] *Ibidem.*

Phil. Paucos fortaſsè priuatos homines Chriſtiana hîc religione imbutos non nego; Regem tamen, aut alium quempiam authoritate regia adductum, fidem amplexum eſſe, parum eſt credibile. Siquidem Rex Lucius, vt eſt apud [i] Bedam, ad Eleutherium miſit, *obſecrans vt, per eius mandatum, Chriſtianus efficeretur.* Ergo nondum erat Chriſtianus.

[i] *Hiſt. eccleſ. l. 1. c. 4.*

Orth. Miſit quidem *diuina luce mentem perfuſus,* vt eleganter [k] Baronius; vel, vt [l] Binius, *diuino lumine illuſtratus*, &c, vt [m] Vitus, *incitatus ad amorem veræ fidei, rectæque religionis aſpirabat.* Quare, vel ante hanc legationem, factus eſt Chriſtianus baptiſmo flaminis, ardentique flagrabat deſiderio vt fieret quoque Chriſtianus baptiſmo fluminis. Ità ipſe iam tum ſcholam Chriſti ingreſſus, vt totum mox regnum ſubſequeretur ſedulò curauit. Quod ſanè animum cælitùs irradiatum, & diuinâ gratiâ perfuſum luculenter arguit. [n] *Serenauerant enim eius mentem Sanctorum miracula.* Quamobrem Eleutherius fidem hîc non accendit, ſed accenſam fouit: Inſulam non conuertit, ſed longè antea conuerſam ampliori iubare colluſtrauit.

[k] *An. 183.*

[l] *Bin. in not. in vit. Eleuth. t. 1. p. 129.*

[m] *Rich. Vitus Hiſt. Britan. l. 5.*

[n] *Pont. Virun. Brit. hiſt. l. 4. in fine.*

Phil. Næ vos ſummæ ingratitudinis poſtulandi, qui tot be- 2
neficia, tot amoris vincula & pignora, quibus Romæ obſtricti eſtis, diſſimulanda ducitis.

Orth. Immo ſingularem Dei benedictionem inde ad nos delatam ingenuè agnoſcimus. Nam Eleutherius Fugatium & Damianum, peritos operarios, in meſſem Britannicam immiſit, quibus, cum Eluano & Meduino communem operam nauantibus, vera hîc, ad Dei gloriam, & multarum animarum æternam ſalutem,

Digitized by Google

tem, propagata eſt Religio. Tunc Rex ipſe cum pleriſque ſubditis ſuis, lauacro tincti ſunt ſalutari: tunc, amotis Druidibus, eorum loco Chriſtiani paſtores paſſim ſunt conſtituti; tunc templa, in deorum gentilium honorem deſtinata, vnius Dei cultui ſunt dicata: ita Idolatriæ ſua detracta ſunt ſpolia, & cecidit Dagon coram arcâ Iſraelis. In cuius rei vberiorem intelligentiam, obſeruandum eſt Britanniam à Romanis antiquitùs in tres diuiſam eſſe [o] Prouincias; quarum prima dicta eſt Flauia Cæſarienſis, cuius Metropolis Eboracum; altera Britannia prima, cuius Metropolis Londinum; tertia Britannia ſecunda, cuius Metropolis Vrbs Legionum. Porrò, vt reliquis Ciuitatibus, vigente pagana ſuperſtitione, ſui perhibentur fuiſſe *Flamines*, ita his tribus, præ cæteris illuſtribus, ſui [p] *Archiflamines*. Qua de re audiamus Dicetum, Decanum quondàm Londinenſem, antiquum & nobilem, vt perhibent, hiſtoricum. Huius librum, fateor, nondum mihi videre contigit, ſed eius verba à ſcriptore noſtrate, Anglicè citata, ſic Latinè reddi poſſunt. [q] *Templa, quæ in honorem Deorum ſuorum, qui multi erant, fuiſſent fundata, tunc vni & ſoli vero Deo dicabantur. Nam in Britannia erant viginti Octo Flamines, & tres Archiflamines, quorum loco totidem Epiſcopi, & Archiepiſcopi ſunt conſtituti. Archiepiſcopo Londinenſi Loegria, & Cornubia ſuberant prouinciæ; Eboracenſi Deira, & Albania; Legionenſi Cambria.* Idem prorſus tradit Gulielmus [r] Redus, cuius verba, quia liber paſſim non eſt obuius, hùc placet tranſcribere. *Erant* (inquit) *in Britannia, quæ & Anglia dicitur, viginti & Octo pontifices Paganorum, nec non & tres Archiflamines, quorum poteſtati cæteri ſubmittebantur. Prædam Sancti Idolatriæ eripuerunt, ex præcepto Apoſtolico. Vbi erant Archiflamines Archiepiſcopos poſuerunt. Sedes autem Archiepiſcoporum in tribus nobilibus vrbibus erant, Londini, Eboraci, & in vrbe Legionum.* Quibus conſonat Antiquitatum Britannicarum author in his verbis. [s] *Sub Lucio Rege in tribus Britanniæ prouincijs, Loegria, Albania, atque Cambria, tres metropoles inſtitutæ ſunt. Quarum Albanenſis ſeptem epiſcopis præfuit; Cambria Legionenſis (ad Meneuiam tranſlata poſtea) totidem. In Loegria autem Londinenſis (quoniam ea prouincia maior & nobilior inſulæ pars fuit) quatuordecim diœceſes regebat. Diœceſes autem Cambriæ hæ fuerunt, Herefordenſis, Tauenſis, Paternenſis, Banchorenſis, Eluitenſis, Wiccenſis, ac Morganenſis. In vrbe Legionum ſedes Metropolitana à Lucio ad Arthuri Regis tempora durauit, tumque, ſub epiſcopo Dauide, Meneuiam migrauit.* Hæc vniuerſa (non inficior) à Gulielmo Paruo penitus negantur; quem tamen [t] Lelandus triplici teſtimonio confutauit. Primum eſt Aſſerij Meneuenſis, qui Regi Alfredo præceptor fuit; ſecundum Giraldi, in dialogo Sylueſtri; tertium eſt Ptolomei Lucenſis, qui, in vita Eleutherij, affirmat tres Britanniæ Proto-flamines in totidem Archiepiſcopos fuiſſe conuerſos. De ſedibus autem ſic [u] Lelandus. *Londinum Trinouantum, & Eboracum Brigantum hac indubiè ſplendebant dignitate. Vbi igitur ſedes tertia? Vbi niſi in Cambria? Quæ parte vt*

ego

[o] *Notitia prouinc. occid. f. 115*

[p] *Rob. Baldock Decanus olim London. in antiquo Regiſtro ſtatutorum ecclef. S. Pauli London.*

[q] *Iohannes de Diceto M.S. in Bibliotheca Regia ad annum 178. citante. Io. Spede in hiſt. mag. Britan. l. 6. c. 9. n. 18.*

[r] *Gul. Redus M.S. de vit. pontif. in Eleutherio p. 3. ex bibliotheca Tho. Alani de Aula Gloceſt. apud Oxonienſes.*

[s] *Antiq. Brit. p. 9*

[t] *In aſſertione Arthurij.*

[u] *Ibidem.*

Digitized by Google

ego ſileam, teſtis luculentus eſt Tritemius, in compendio Annalium. Quamuis autem Britannia poſt Nicenum Concilium in quinque eſſet diſtributa Prouincias, Valentia, & maxima Cæſarienſi ſuperioribus adiectis, Archiepiſcopatus tamen noui non erigebantur. Cuius rei hæc opinor eſt ratio, quòd nouæ iſtæ Prouinciæ eſſent ſuperiorum membra, ac proinde Archiepiſcopatus diſtinctos habere non poterant, niſi ſuperiorum (ſub quorum ambitu & iuriſdictione ab origine erant) minuta dignitate, quod per [x] Canonem Nicenum non licuit, ſancientem *vt in Antiochia, cæteriſque Prouincijs ſuæ dignitates & priuilegia ſeruentur eccleſijs.* Hæc quę diximus, licet à magno ſcriptorum torrente recepta ſint, à nonnullis tamen, ſcio, in dubium vocantur.

Lucius (inquiunt) quomodo Rex eſſe potuit, quum Britannia illo ipſo tempore in Prouinciæ formam eſſet redacta? Sed hoc ex 3
Cornelio Tacito diluitur, qui dicit [y] *veterem ac receptam eſſe Populi Romani conſuetudinem, vt haberet inſtrumenta ſeruitutis & Reges. Lucius* autem ex eorum numero fuiſſe perhibetur, qui Romanis [z] tributum penderent. Quod eò videtur probabilius, quia tanta illi cum legatis Cæſareis intercedebat familiaritas. Alij Regem eſſe cum [a] Beda, teſte verè venerabili & antiquo, neceſſariò agnoſcunt, ſed, hîc acriùs inſurgentes, fidenter affirmant nec totam Britanniam, nec illam partem quæ nunc Anglia dicitur, illis temporibus ſub vnius fuiſſe Imperio. Quomodo igitur tot Epiſcopatuum fundatio vni Lucio tribui poteſt? Reſpondeo, Fieri potuiſſe vt, dum Lucius hoc ingens opus in ſuo regno magno conatu moliretur, reliqui quoque Reguli, eius exemplo accenſi, in idem opus incumberent, interim vt totius rei gloria in Lucium, vtpotè primum, ac primarium redundaret: quo nomine, idem [b] Beda eum agnoſcit Britannicæ fidei fundatorem, quæ ibi pura, & intaminata pacificè permanſit, vſque ad exortas ſub Diocleſiano tempeſtates. Sed id demum illos peſſimè habet, quod Epiſcopi noſtri, atque Archiepiſcopi ſedes ſuas ad Flaminum, atque Archiflaminum Ethnicorum numerum aptatas habuiſſe dicantur. Verùm quid obſecro inde naſcetur incommodi, ſi pulſis idolorum cultoribus, veri Dei adoratores ſuccedant? Neque enim vlli loci Epiſcopatibus erigendis aptiores, quàm maximæ & frequentiſſimæ Ciuitates. Ipſi Apoſtoli in nobiliſſimis vrbibus, in quibus fuerant aliquando Flamines & Archiflamines, aut ſacrorum Præſides eorum non diſſimiles, Epiſcopos conſtituerunt. Atqui in vnâ vrbe apud Paganos multi Flamines, in ſingulis apud Chriſtianos ſinguli ſolent eſſe Epiſcopi. Eſto; verùm licet in vna vrbe multi Flamines, vnus tamen reliquis præminebat, qui vocatus eſt Pontifex. *Sacerdotes gentilium* (ait [c] Iſidorus) *Flamines dicebantur.* Et poſteà. *Flamines, Pontifices idolorum.* Et paulo ante. *Pontifex Princeps ſacerdotum eſt, quaſi via ſequentium: ipſe Summus Sacerdos, & Pontifex Maximus nuncupatur.* Quocircà hoc vocabulum non ſolùm inferiorem denotat Flaminem, ſed & Pontificem,

[x] *can.6.*
[y] *In vita Agric.*
[z] *Pontic. Virunnius l.4.*
[a] *Bed. eccleſ. hiſt. l.1. c.4.*
[b] *Beda ibidem.*
[c] *Iſid. orig. l.7. c.12.*

tificem,qui erat Flaminum primus. Hic autem in vna Ciuitate vnicus erat. Quare Dicetus,ſcribens *viginti octo in Britannia fuiſſe Flamines*,intelligit ſuperiores,qui Pontifices appellabantur. Quod luculenter expreſſit Gulielmus [d] Redus, dicens,*viginti octo in Britannia fuiſſe Pontifices,& tres Archiflamines*. Sed & hic quoque ſe opponunt,& Archiflaminum,vel Protoflaminum ne nomen quidem illo ſæculo auditum vehementer contendunt. Quod etſi citiùs dicitur,quàm probatur, tamen de vocabulis non dimicabo; verùm rem ipſam ſi ſpectemus, vt inter Flamines primus erat Pontifex, ita & inter Pontifices qui reliquis præcellebant,Primi pontificum, vel Pontifices maximi dicebantur. Quo ſenſu *Coyfi* à [e] Beda *pontificum primus* appellatur,quod perinde eſt ac ſi Archiflamen,vel Protoflamen diceretur. Cæterùm de his quæ in abſtruſo antiquitatis gremio latent recondita litigare non libet. Hæc quæ diximus non tam affirmandi,quàm veritatem indagandi,atque aliòs ad hoc ipſum excitandi animo dicta ſunto.

[d] *Loco ſupra citat.*

[e] *Hiſt. Angl. eccl.l.2.c.13.*

4 Phil. Nonne vniuerſas has ſedes epiſcopales vel erexit, vel ſaltem confirmauit Pontificis Romani authoritas?

Orth. Nequaquam. Neque huiuſmodi quicquam hoc illi ſæculo tributum.

Phil. Quorſum igitur ad Eleutherium miſit Lucius?

Orth. Duas ad ipſum adornaſſe videtur Legationes; in prima obſecrans,*vt per eius mandatum Chriſtianus efficeretur*. In ſecunda rogans,vt leges Cæſareas ad ſe tranſmitteret. Has enim diſtinctas fuiſſe res ipſa loquitur. De prima venerabilis Beda; de ſecunda, poſt ſuſceptam in regno fidem, & legem Chriſti peracta,ipſe Eleutherius in epiſtola ad Lucium; quæ ſic incipit: Petiſtis à nobis,&c.

Phil. Hunc epiſtolam fictitiam eſſe ex ipſo titulo apparet,qui talis eſt. *Anno Domini 169. à paſſione Chriſti ſcripſit Eleutherius Papa Lucio Regi Britanniæ,ad correctionem Regis & procerum regni.* Si ſcripta erat anno 169. à paſſione Domini,ergo anno 202. vel 203. à natiuitate eiuſdem: ſed hoc fieri nequit, cùm Eleutherius mortuus ſit anno Domini 184.vt omnes conſentiunt.

Orth. Primò,hunc titulum non ab Eleutherio, ſed ab alio neſcio quo adiectum eſſe eſt pluſquam probabile. Quare par & æquum non eſt,vt alienus error epiſtolæ Eleutherianæ præiudicet. Secundò,nihil frequentius apud homines, præſertim tranſcriptores, quàm lapſus Chronologici. Vis vt in hac ipſa Britanniæ noſtræ conuerſione (quam appellant) quod dixi illuſtrem? Dabo operam; quod tamen non meis ſed doctiſsimi præſulis verbis ſum præſtiturus. [f] *De tempore huius conuerſionis adeo non conſpirant,vt inter antiquos vix quiſquam poſſit oſtendi qui ab omnibus alijs non diſſentiat. Hiſtoria nempe Landauenſis annum Domini deſignat 156.quo ipſo anno Regem prædictum obijſſe tradit Monumetenſis. Nennio placet nuncios prædictos Romam amandatos anno 163. non ad Eleutherium, ſed ad Euariſtum,*

[f] *Franc. Landauenſis de conuerſ. Britan. c.3.p.24.*

Digitized by Google

riſtum. Manuſcriptum quoddam anonymum, quod penes me eſt, annum habet 164. *Gulielmus Malmesburienſis de hac re ſic loquitur. Fluxerunt anni ab aduentu diſcipulorum Sancti Philippi in Britanniam, vſque ad tempus quo Phaganus & Deruuianus huc appulerunt, anni* 103. *Vnde conſtabit huc adueniſſe anno* 165. *Henricus de Erfordia hæc omnia accidiſſe dicit anno* 169. *Marianus Scotus* 177. *Balæus* 179. *Polidorus Virgilius* 182. *Baronius* 183. *Hiſtoria Roffenſis* 185. *Flores hiſtoriarum* 187. *Ac denique Martinus Polonus (ne plures enumerando lectori ſim moleſtus)* 188. Sic ille. Si tot errores Chronologici hiſtoriæ huius veritatē non euacuent, profectò vnus error, qui in titulū, à neſcio quo præfixum, irrepſit, huius epiſtolæ authoritatem non eneruauit. Sed vt dixi, non deſunt qui in tranſcriptores quicquid hîc eſt culpæ transfundunt. Nam ſi pro anno *169.* à paſſione, ſcribatur anno *179.* à natiuitate, hæc ſententia proximè ad veritatem videtur accedere.

PHIL. Aliud quoque occurrit in hoc titulo, quod vos mordet. Dicitur enim hæc epiſtola ab Eleutherio conſcripta *ad correctionem Regis & procerum regni.* [g] Quod *probat, Papam habitum eſſe eorum ſuperiorem, etiam illis temporibus, eoſdemque papali tum correctioni fuiſſe obnoxios.* [g Parſ.3.conu. part.1.c.4 n.16.]

ORTH. Papali correctioni? Quali demum? An Eleutherius de Regibus ſolio deturbandis, aut regno exuendis, cogitauit vnquam? Profectò hic modus Reges corrigendi Hildebrandicus illo ſeculo nondum innotuit.

PHIL. Quomodo igitur Regem, et proceres correxit?

ORTH. Hoc patet ex ipſa epiſtola. Lucius leges Cæſareas ad ſe tranſmitti rogauit; in hoc Lucium *corrigendum*, hoc eſt, ſano conſilio *dirigendum*, & in *rectum* tramitem ducendum duxit Eleutherius, quia leges Cæſaris ſemper reprobari poſſunt. Quarè à Cæſareis ad ſacras & diuinas eum reuocauit, quaſi dixerit, *ad legem & teſtimonium*, quibus & Reges, & populi regendi, & corrigendi ſunt; populi ſcilicèt à Regibus, Reges ipſi à Deo. Sic Reges ſemper corrigat ſiue Papa, ſiue Epiſcopus omnis; & ſe ab ijſdem corrigi, non inuiti, opinor, patientur. [Eſa.8.20.]

PHIL. De titulo ſatis: ipſam iam expectamus epiſtolam, quam veſtri nobis non niſi mutilatam & delumbatam adhuc Latinè tradiderunt.

ORTH. Hanc à veſtris tantoperè deſideratam, hîc integram placet ſubijcere; quæ ſic ſe habet.

[h] *Petiſtis à nobis leges Romanas & Cæſaris vobis tranſmitti quibus in regno Britanniæ vti uoluiſtis. Leges Romanas & Cæſaris ſemper reprobare poſſumus, legem Dei nequaquam. Suſcepiſtis enim nuper (miſeratione diuina) in Regno Britanniæ legem & fidem Chriſti. Habetis penes vos in regno vtramque paginam. Ex illis (Dei gratia) per conſilium Regni veſtri ſume legem, & per illam* (Dei)[i] *de patientia veſtrûm rege Britanniæ regnū. Vicarius verò Dei eſtis in regno, iuxta prophetam regem; Domini eſt terra*

[h Vid. Sped. l.6. c.19.n.8. Hanc epiſtolam M.S. integram reperit Ioh. Spedus inter vetuſtiſſima ciuitatis Londinenſis archiua authentica: quam nunc in bibliotheca Domini Rob. Cotton antiquitatum ſtudioſiſſimi videre eſt.]

k Id eſt, odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus cæteris.

ra & plenitudo eius; orbis terrarum, & vniuerſi qui habitant in eo. Et rurſum, iuxtà prophetam regem, Dilexiſti iuſtitiam & [k] o. i. p̄p̄. u. *te Deus tuus.* o. l. p̄. cō. cōē. *Et rurſum, iuxta prophetam regem: Deus iudicium tuum, &c. Non enim dixit iudicium, neque iuſtitiam Cæſaris. Filij enim Regis gentes Chriſtianæ & populi regni ſunt; qui ſub veſtra protectione & pace in regno degunt, & conſiſtunt, iuxta Euangelium: quemadmodum gallina congregat pullos ſub alis. Gentes verò regni Britanniæ, & populi veſtri ſunt, quos diuiſos debetis in vnum, ad concordiam, & pacem, & ad fidem, & legem Chriſti, ad Sanctam eccleſiam congregare, reuocare, fouere, manutenere, protegere, regere, & ab iniurioſis & malitioſis, & ab inimicis ſemper defendere. Væ regno cuius Rex puer eſt, & cuius principes manè comedunt. Non voco regem propter paruam & nimiam ætatem, ſed propter ſtultitiam, & iniquitatem, & inſanitatem. Iuxta prophetam Regem; Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos, &c. per comeſtionem, intelligimus gulam: per gulam, luxuriam: per luxuriam, omnia turpia, & peruerſa, & mala. Iuxta Salomonem Regem: In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Rex dicitur à regendo, non à regno; Rex eris, dum benè regis: quod niſi feceris, nomen Regis non in te conſtabit, & nomen Regis perdes; quod abſit. Det vobis omnipotens Deus Regnum Britanniæ ſic regere, vt poſſitis cum eo regnare in æternùm, cuius vicarius eſtis in Regno prædicto, cui cum patre, &c.*

5 Hîc Eleutherius probat Lucium eſſe Vicarium Dei in regno ſuo. Primò, quia Domini eſt terra & plenitudo eius; quare Reges non poſſident regna ſua tanquam proprio iure, ſed tanquam Dei Vicarij, & eius in terris vicem gerentes. Secundò, quia vt Dauid typicè, & Chriſtus quoad veritatem vnctus eſt in Regem, ad promouendam iuſtitiam, & profligandam iniquitatem: ita Reges à Domino præ cæteris mortalibus eundem in finem in ſolio collocantur, qui illa ipſa de cauſa leges diuinas humanis anteferre debent, vt earum adminiculo ſubditos ſuos, non ſolùm in cauſis ciuilibus, ſed etiam in eccleſiaſticis regere poſſint, nempè congregando ad fidem, & legem Chriſti, & ſanctam Eccleſiam. Qui ità populos ſuos regunt, regnabunt cum eo in cœlis, cuius vicarij ſunt in terris. Agnoſcit igitur Eleutherius, Regem in regendo populo ſuo, eſſe etiam in rebus Eccleſiaſticis *Dei Vicarium*, ac proindè gubernatorem, iuxtà Deum, ſupremum. Quocircà vt rebus huius regni ſe non immiſcuit Eleutherius Papa, ità nec rebus eccleſiæ, ſed hæc negotia, tàm *ciuilia* quàm *eccleſiaſtica*, Regi, vtpotè *Dei Vicario*, in ſuis ditionibus peragenda reliquit. Videtur igitur Lucius, doctiſſimorum virorum adiutus conſilio, talem eccleſiaſtici regiminis formam, qualis verbo Dei & eccleſiæ praxi erat conſentanea, & quibus viſum eſt locis, authoritate ſua Regia inſtituiſſe. Nullus tamen dubito, quin Eleutherius & quid faciendũ duceret, ſi Dominus eorum laboribus benediceret, benignè admonuerit, & epiſcopatus, magno iam molimine erigendos, ſingulari cum gaudio approbauerit: Quæ tamen approbatio, non à Iuriſdictione, ſed

à pietate

Digitized by Google

à pietate Chriſtiana eſt profecta. Cæremoniarum longo poſtea æuo diſcrepantia,& Auguſtini Monachi à Papa miſſi reiectio, Britannos colla ſua Romano Pontifici nondum ſubdidiſſe illuſtria ſunt documenta. Et ſanè,vt [l] Cypri eccleſiæ à propria regebantur Synodo,ita Britanniam (orbem extra orbem poſitum) à proprijs Primatibus & Synodis fuiſſe gubernatam, nec cuiquam extraneo præſuli ſubditam,eſt admodum credibile. [l] *Conc epheſ.t.1. c.4.Bin.t.1. p.768.*

PHIL. Quid igitur Regem impulit vt Romam mitteret, cùm Gallia,alijque loci, Roma longè propinquiores, tot epiſcopis abundarent?

ORTH. Eccleſia Romana, in Imperiali vrbe à Petro & Paulo plantata,& Martyrum ſanguine mox rigata, tantâ doctiſſimorum hominum coronâ floruit,vt præ cæteris voto regio ſatisfactura videretur. Deindè Romani ante hunc diem, per magnam Inſulæ partem,aquilam ſuam auream circumtulerant, & illuſtres victorias reportârant. Hadrianus imperator (vt author eſt Ælius [m] Spartianus)murum in Britannia per octoginta millia paſſuum duxerat; alium inſuper Ceſpititium (qui Barbaros à Romanis diuideret) ſuperinduxerat Antoninus Pius,vt narrat Iulius [n] Capitolinus. Vniuerſi autem citra hunc habitantes murũ Britanni, in Romanorum erant ditione, illiſque tributa pendebant. Ex quo numero Rex Lucius fuiſſe perhibetur,cuius [o] pater,Romæ nutritus,cũ Romanis amicitiam coluiſſe, & tributũ ſoluiſſe dicitur. Prætereà quum iam Romæ cum Britannia tam frequentia intercederent commercia, Rex Lucius ſatis commodè Romam mittere, & de voto conſequendo valdè confidere potuit. Denique ipſos Cæſaris hîc legatos (ex quibus Senatores quoſdam Chriſtiana religione fuiſſe imbutos audiuerat) Chriſti fidem induiſſe, & Lucio vt Chriſtianus fieret, & Romam mitteret authores fuiſſe,non eſt improbabile.

[m] *In Hadriano.*

[n] *Capitolin. in Pio.*

[o] *Vid. ponti. Virunniam lib.4.*

PHIL. Tu interim rationem palmariam prætermiſiſti. Quum enim nulla tunc temporis eſſet in Britannia eccleſiæ forma nec facies,cuius tandem ad eccleſias plantandas,& epiſcopatus erigendos,imploraret auxilium,præterquam Romani pontificis? A quo, tanquam à fonte perenni, omnis eccleſiaſticæ poteſtatis dimanat plenitudo. Particularis epiſcopus in ſuam diœceſin iuriſdictionem obtinet,Archiepiſcopus in propriam prouinciam,Patriarchis etiam ſui ſunt fines & limites,quibus circumſcribuntur. Romanus verò pontifex eſt inſtar Oceani qui circundat terram,vel cœli cœlorum, quod ſuo ambitu vniuerſa complectitur. Pontifex igitur Romanus præ reliquis omnibus Epiſcopis Regi Lucio erat conſulendus.

ORTH. Quem tandem de India conuertenda conſuluit Frumentius? Cuius hiſtoriam operæpretium erit attexere. Tyrius quidam Philoſophus,Indiam appellens, à barbaris eſt peremptus, cum omnibus ſuis comitibus,præter duos puerulos, qui,egreſſi nauigio, lectiones ſub arbore meditabantur. Hos Rex educandos

curauit;

Digitized by Google

curauit; cumque adoleſcerent, eorum alterum, Ædeſium nomine, ſibi pincernam fecit, alteri verò, id eſt, Frumentio, rationes ſuas & ſcrinia commiſit. Rege mortuo, Regina vtrunque, ſed præcipuè Frumentium exorauit, vt ſecum (propter filioli Regis infantiam) regni ſollicitudinem ſuſciperent. Dum regni gubernacula Frumentius haberet in manibus, requirere ſolicitus cepit ſi qui inter negotiatores Romanos Chriſtiani eſſent, eoſque quàm potuit benignè habuit, monens vt ſacros conuentus inter ſe haberent, ad quos Romano ritu orandi cauſa confluerent, illiſque loca, ædificia, aliaque neceſſaria præſtitit. Quum Rex adoleuiſſet, eidem tradunt regni gubernacula, Indiamque relinquentes, Ædeſius Tyrum, Frumentius Alexandriam ſe contulit. Hic rem omnem, vt geſta eſt, Athanaſio exponit, enixè rogans vt virum aliquem dignum illuc epiſcopum mitteret. Tum Athanaſius, in concilio ſacerdotum, ſic ait: Quem alium inueniemus virum talem in quo ſit ſpiritus Dei, ſicut in hoc ipſo? Et quis hæc ita poſſit implere? Frumentium igitur creauit epiſcopum, cui tanta data eſſe à Domino gratia virtutum dicitur, vt ſigna per eum Apoſtolica fierent, & infinitus barbarorum numerus conuerteretur ad fidem.[p] Hæc hiſtoria à Ruffino, qui tum vixit, eſt literis conſignata, non ex rumoribus vulgi, ſed ipſo Ædeſio (qui poſtea Tyri factus eſt Presbyter) referente; à quo [q] Socrates, [r] Theodoretus & [ſ] Sozomenus mutuantur. En tibi epiſcopum ad Indos ab Athanaſio miſſum, non conſulto Romano Pontifice. Aliud quoque huius rei illuſtre habemus documentum in Pantæno, philoſopho Chriſtiano, longè omnium doctiſſimo; qui, vt Brachmannas conuerteret, ad Indiam miſſus eſt. A quo tandem? An ab Eleutherio, qui hoc ipſo tempore eccleſiam gubernabat Romanam? Nequaquam; ſed à Demetrio, Patriarcha Alexandrino, vt refert [t] Hieronymus; qui Eleutherij hac in cauſa ne meminit quidem. Quamobrem quòd Lucius ad Eleutherium miſerit, hoc non factum eſt ex neceſſitate, ſed quia maxime commodum & oportunum videbatur. Sed de fide hîc propagata, & Epiſcopis inſtitutis ſatis. Videamus porrò qualis tunc fides, quales Epiſcopi.

[p] *Ruffin. l.1.c.9.*
[q] *Lib.1.c.15.*
[r] *Theod.l.1.c.22*
[ſ] *L.2.c.23.*
[t] *Hieron in Catalog. vir. Illuſt.*

PHIL. [u] *Quæ ab Auguſtino introducta eſt fides, ea in omnibus articulis, ad religionis ſubſtantiam ſpectantibus, eadem eſt quam ante eius aduentum profitebantur Britanni, quæ ab Eleutherio, immo ab ipſis Apoſtolis accepta, vſque ad Ethelbertum eſt retenta, & ab Ethelberto ad Henricum vſque octauum perpetuò conſeruata.*

[u] *Parſ.3.conuerſ.part.1.c.9.n.6.*

ORTH. Eandem ſub Apoſtolis & Eleutherio viguiſſe libenter damus, neque vlteriùs à vobis diſceſſuri ſumus quàm vos ab Eleutherio; ſub quo quæ floruit fides, verè erat Catholica, verè Apoſtolica; pro qua mortem oppetentes [x] Albanus, Iulius, Aaron, innumerique alij Martyrij gloria coruſcant. Hæc fides pura atque illibata permanſit, vſque ad tempora Arianæ Veſaniæ, quandò fatale venenum, reliquo corrupto orbe, etiam in hanc Inſulam virus ſuum transfudit.

[x] *Bed.l.1.c.7.*

Digitized by Google

tranſfudit. Quâ hæreſibus via trans Oceanum patefacta, paulò pòſt Pelagiana quoque lues Britanniam corripuit. Verùm Britanni, ſalubre inuenientes conſilium, à [o] Gallicanis Antiſtitibus auxilium implorant. Illi, collecta magna ſynodo, reuerendos Epiſcopos, Germanum atque Lupum, viros planè Apoſtolicos, huc tranſmittunt. Ita, hæreſi debellata, vincit ac triumphat veritas. Cumque iterum Pelagianæ peſtis renaſcerentur virgulta, huc Germanus cum [p] Seuero renauigans, funditùs euulſit ac eradicauit: atque vt omnem renaſcendi ſpem præcideret in poſterum, dirigendis in *Academia* [q] *Oxonienſi* ſtudijs Theologicis, boniſque Artibus ſtabiliendis operam ſtrenuè impendit. Ita fides Britannorum, ab vmbra emergens, diu pòſt priſtino nitore reſplenduit. Cæterùm, ſi (quod dicis) fides Auguſtini & Britannorum in omnibus articulis, ad religionis ſubſtantiam ſpectantibus, vna eademque extitit, profectò Paſchatis, ſecundum Romanum ritum, celebratio, ad religionis ſubſtantiam non ſpectat. Præterea, ſi eadem Apoſtolis & Britannis fuit fides, Papæ *Primatus* non erat Apoſtolis fidei articulus; nam Britannis proculdubiò non fuit. Sed de Britannorum fide ſatis; ſupereſt vt in eorum epiſcopos inquiramus.

[o] *Bed. l. 1. c. 17.*
[p] *Bed. l. 1. c. 21.*
[q] *Aſſerius in vita Alfredi. pag. 16.*

PHIL. Per totum orbem erant olim approbati, ac proinde pro legitimis ſunt habendi. 6

ORTH. Rectiſſimè. Nam Concilio Ariminenſi anno 359. celebrato, intererant tres ex Britannia epiſcopi, vt author eſt Sulpitius [r] Seuerus. Ad magnum concilium Sardicenſe, anno 347. habitum, nonnulli ex Britannia profecti ſunt epiſcopi, vt teſtatur [ſ] Athanaſius. Concilio Arelatenſi in Gallia, anno 314. interfuit, & ſubſcripſit [t] Reſtitulus, Epiſcopus Londinenſis. Porrò ſi Britannici tunc Epiſcopi erant legitimi, ergò, iuxta veſtram ſententiam, à tribus erant ordinati. Sed vnde tot nacti ſunt? Ante Lucij legationem non dabis, credo, epiſcopali florentem dignitate hîc extitiſſe quenquam. Ariſtobulus enim, ſi noſtræ gentis fuit Epiſcopus, alios tamen creaſſe, & poſt ſe reliquiſſe non legitur. Immò hoc facere, cùm ſolus eſſet, ſi vobis credimus, non potuit. Ex duobus Romam miſſis alter duntaxat, nempe Eluanus, ad epiſcopatum eſt euectus. Fugatius autem & Damianus, quos huc miſit Eleutherius, hoc honore decorati non ſunt. Nec de quoquam alio, è Gallia aut aliunde huc adducto, qui Eluano aſſiſteret, accepimus. Quocirca vniuerſos Britanniæ epiſcopos ſoli Eluano ſuam referre originem eſt pluſquàm veriſimile.

[r] *Hiſt. Sacr. lib. 2. non longè à fine.*
[ſ] *Athanaſ. apol. 2. in principio. pag. 377 edit. Baſil.*
[t] *Vid. Bin. t. 1. p. 265.*

PHIL. Hoc noſtros non mordet; quippè qui non à Britannis, ſed à Saxonibus originem repetant.

ORTH. Mordeat vos necne aliorum eſto iudicium. Veſtros certè epiſcopos ſi non eneruet, rigidam tamen de trium neceſſitate ſententiam labefactat. Hinc enim ſequitur, legitimum eſſe poſſe qui non eſt canonicus. Sed, miſſis Britannis, ad Saxones accedamus.

Digitized by Google

Gregorius an dicendus Anglorum Apoſtolus.

Cap. IV.

De Auguſtino, primo Archiepiſcopo Cantuarienſi, à Gregorio magno, pontifice maximo, in Angliam miſſo.

- *Anglorum Apoſtolus*
  - *Gregorius magnus non fuit, quia non eſt in Angliam miſſus.* 1
  - *Auguſtinus quo ſenſu*
    - *non fuit*
      - *Primò, quia*
        - *licèt miſſus, Angliamque ingreſſus, hic de*
          - *Miſſionis tempore.* 2
          - *modo ingreſſus.* 3
        - *Non tamen immediatè à Chriſto.* 4
      - *Secundò, quia prima fundamenta non poſuit*
        - *In Inſula; quoniam antea Chriſtiani erant*
          - *Britanni.* 5
          - *Scoti.* 6
          - *Picti.* 7
        - *apud Anglos ſumptos*
          - *ſtrictè*
            - *Orientales, quos conuertit Fœlix.* 8
            - *Mediterraneos, quos conuertit Finanus, & alij.* 9
            - *Boreales, quos conuertit*
              - *non Auguſtinus.* 10
              - *ſed*
                - *Paulinus.* 11
                - *Aidanus.* 12
          - *latè*
            - *Saxones*
              - *Orientales, quos conuertit* { *Melitus.* / *Ceaddus.* } 13
              - *Occidentales, quos conuertit Byrinus* 14
              - *Auſtrales, quos conuertit Wilfridus.* 15
            - *Iutas*
              - *Vectuarios, quos conuertit Hildila.* 16
              - *Cantuarios, quibus prædicaſſe Lethardum,*
                - *oſtenditur.* 17
                - *defenditur.* 18
    - *fuit; quia Chriſto multa animarū millia à Paganiſmo lucratus eſt.* 19

Phil.

TAndem aliquando ventum eſt ad beatum Gregorium, *quem* (vt [a] Bedæ verbis vtar) *rectè noſtrum appellare poſſumus, & debemus, Apoſtolum, quia noſtram gentem, eatenus idolis mancipatam, Chriſti fecit eccleſiam, ita vt Apoſtolicum illum de eo liceat nobis proferre ſermonem; quia* [b] *etſi alijs non eſt Apoſtolus*

[a] Bed. hiſt. eccl. l.2.c.1.

[b] 1.Cor.9.2.

lus, ſed tamen nobis eſt; nam ſignaculum Apoſtolatus eius nos ſumus in Domino.

ORTH. Si Gregorius verè fuiſſet Apoſtolus, non [c] domi ſedere, & alios mittere, ſed ire ipſe debebat. Non dicit Chriſtus, *Sedete & mittite*; ſed *Ite, prædicate.* Quamobrem Apoſtoli dicti ſunt, non quòd alios mittant, ſed quòd ipſi mittantur. Hic igitur titulus in Gregorium, niſi valdè impropriè, quadrare non poteſt.

[c] *Vide Tort. Tort. p. 325.*

PHIL. Quamuis Gregorius, iam pontifex, alium mitteret, ante pontificatum tamen & mitti voluit, & parùm abfuit quin ipſe mitteretur. Cùm adhuc eſſet apoſtolicæ ſedis [d] Archidiaconus, per forum Romanum tranſiens, *vidit [e] pueros venales candidi corporis, venuſti vultus, capillorum quoque formâ egregiâ: quos cùm aſpiceret, interrogauit de qua regione vel terra eſſent allati; dictumque eſt quòd de Britannia Inſula, cuius incolæ tales eſſent aſpectu: rurſus interrogauit, vtrùm ijdem inſulani Chriſtiani, an Paganis adhuc erroribus eſſent implicati; dictumque eſt quòd eſſent Pagani. At ille intimo ex corde longa trahens ſuſpiria, Heu proh dolor, inquit, quid tam lucidi vultus homines tenebrarum auctor poſsidet; tantaque gratia frontis conſpicui mentem ab interna gratia vacuam geſtant? Rurſus interrogauit quod eſſet vocabulum gentis illius; reſponſum eſt quod Angli vocarentur. At ille, benè, inquit, nam & Angelicam habent faciem, & tales Angelorum in cælis decet eſſe cohæredes. Quod (ait) habet nomen ipſa prouincia, de quâ iſti ſunt allati? Reſponſum eſt quòd Deiri vocarentur ijdem prouinciales; at ille, benè, inquit Deiri, de ira eruti, & ad miſericordiam Chriſti vocati. Rex prouinciæ illius quomodo vocatur? Reſponſum eſt quòd Elle diceretur; At ille, alludens ad nomen, ait, Alleluia, laudem Dei Creatoris, illis in partibus oportet cantari. Accedenſque ad pontificem Romanæ & Apoſtolicæ ſedis, rogauit vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi miniſtros, per quos ad Chriſtum conuerteretur, mitteret, ſeipſum paratum eſſe in hoc opus (Domino cooperante) perficiendum, ſi tamen Apoſtolico Papæ hoc vt fieret placeret. Quod dum perficere non poſſet, quia etſi pontifex concedere illi quod petierat voluit, non tamen ciues Romani, vt tam longè ab vrbe ſecederet, potuere permittere, mox vt ipſe Pontificatus officio functus eſt, perfecit opus diu deſideratum, alios quidem prædicatores mittens, ſed ipſe prædicationem, vt fructificaret, ſuis exhortationibus ac precibus adiuuans.*

[d] *Malmesb. de geſt. Reg. Angl. l. 1. p. 17.*
[e] *Bed. quo ſupra.*

Verùm ſi Gregorius ideo Apoſtolus dici non poſſit, quia non eſt miſſus, quid de Auguſtino reſpondes, qui non modò miſſus eſt, 2
ſed & Angliam ingreſſus? Quod vt fiat manifeſtiùs, oſtendam tibi & miſſionis tempus & modum ingreſſus. [f] Gregorius, anno Domini 595. Candido presbytero, qui tum in Gallijs Sancti Petri patrimonium curabat, in mandatis dedit, vt Anglos pueros paganos annorum ſeptendecim aut octodecim, quales tum ibi venales exponebantur, coemeret, & Romã tranſmitteret, quos fide Chriſti imbutos monaſterio benè inſtruendos committeret. Gregorius verò, vbi [g] velut è terrâ promiſſionis, decerptos fructus in vrbem delatos videt; *exarſit magis animo ad vniuerſam Anglorum gentem ecclesiæ*

[f] *Ex Gregor. l. 5. ep. 10. Ind. 14. & Baron. an. 595. n. 72. 73. inter ſe collatis.*
[g] *Bar. an. 596. n. 10.*

cleſia coniungendam, cuius dulces primitias Domino obtuliſſet. Itaq; ann. 596. *Auguſtinum, & Mellitum, cum alijs quibuſdam illis adiunctis ſocijs, mittit in Angliam. Sed* [i] *quid accidit? Cùm hos Gregorius miſiſſet latantes, dum eſſent in via, humanum quid paſſi, difficultatem immenſa molis operis cogitatione voluentes, deſpondent animum, cùm iam perueniſſent in Gallias. Cuius rei cauſâ ſtatuunt, vt Auguſtinus Romam ad Gregorium rediret, qui id pontifici diſſuadeat; at tantùm abeſt, vt Gregorius illorum diſſuaſione à captis deſiſteret, vt vehementiori impetu animi ad opus proſequendum aſſurgeret, remitteretque Auguſtinum; & ad eos qui remanſerant, literas daret, quibus eos hortatus eſt inchoatum opus perficere.* Scripſit etiam eodem [k] tempore per eundem, in eorum gratiam, ad Regem Francorum, & Reginam Brunichildem. Pergunt igitur, & anno 597. in Angliam, vt teſtatur [l] Beda, venerunt, qui fuit annus plus minùs 150. aduentus Anglorum in Britanniam.

[i] *N. 11.*

[k] *Vt colligitur ex Joh. Diac. in vit. Gregorij, l. 2. c. 35.*

[l] *In breuic. vel epitom. hiſt. Angl.*

De tempore diximus; iam de modo ingreſſus pauca adijciamus; quem ſic deſcribit [m] Beda. *Fertur quòd, appropinquantes ciuitati, more ſuo cum cruce ſancta & imagine magni Regis Domini noſtri Ieſu Chriſti, hanc Letaniam conſonâ voce modularentur: Deprecamur te Domine, in omni miſericordia tua, vt auferatur furor tuus, & ira tua à ciuitate iſta, & de domo ſancta tua, quoniam peccauimus. Alleluia.* Iure igitur vos nomine Romanæ eccleſiæ compellat [n] Baronius verbis Apoſtoli. [o] *Ipſi de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos, & quomodò conuerſi eſtis ad Deum à ſimulacris, ſeruire Deo viuo & vero, & quomodò* [p] *euangelium noſtrum non fuit in ſermone tantùm, ſed in virtute, in Spiritu ſancto, in plenitudine multa.* Reuoca igitur in memoriam, Orthodoxe, à quo, per quos, & quomodò Euangelium acceperitis, nempe à Romano Pontifice, per Monachos, præcedente crucis vexillo & imagine Saluatoris, à quibus vos quantoperè deuietis, & videt & altis ſuſpirijs conqueritur Baronius.

3

[m] *L. 1. c. 26.*

[n] *An. 597. n. 23.*

[o] *1. Theſ. 1. 9.*

[p] *Verſ. 5.*

Orth. Exclamat & vociferatur, *obſtupeſcite cæli*; ſed ſine cauſa. Nos enim ſubinde memoria recolimus, à quo, per quos, & quomodò euangelium accepерimus. A quo? Inter alios à Gregorio magno, qui vobis eſt Paruus. Pontifex quidem fuit, ſed veſtris iam Pontificibus longè diſsimilis. Vide obſecro, an Vniuerſalem epiſcopum ſe vocarit Gregorius, quod hodiè Romæ fit: an Imperatorem Dominum ſuum iam vocaret Pontifex, quod fecit Gregorius. Per quos? Certè per Monachos, ſed diuinis rebus vacantes, non (quales iam veſtri) otioſos, ventricoſos, luxurioſos, de quibus homo [q] Italus, nec à veſtra religione alienus, *incredibile dictu eſt* (inquit) *quantum à maioribus ſuis degenerauerunt.* Quomodo? Cum letania, crucis vexillo, & imagine Saluatoris. Letania tam nobis probatur, quàm vobis; neque nos crucis ſignum in Vexillo depictum (modò abſit ſuperſtitio) auerſamur. In Imaginum autem vſu nobis cum Auguſtino magis conuenit, quàm vobis. Nam ſententia [r] Gregorij (& per conſequens Auguſtini) ex his eius verbis ad Serenum epiſcopum percipitur: *Perlatum ad nos fuerat, quod, inconſiderato*

[q] *Pol. virg. hiſt. Angl. l. 6. p. 119*

[r] *Epiſt. l. 9. ep. 9. ind. 4.*

rato Zelo ſuccenſus, ſanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione ne adorari debuiſſent, confregeris; & quidem quia eas adorari vetuiſſes, omninò laudauimus, fregiſſe verò reprehendimus. Aliud eſt enim picturam adorare, aliud, per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum addiſcere. En tibi, vſum Imaginum hiſtoricum laudat, & nos vnà laudamus; cultum reprehendit, & nos pariter reprehendimus. At eccleſia iam Romana, heu, quàm miſerè ab hac doctrina deflexit?

PHIL. Videris mihi à quęſtionis meta aliquantulum deflectere. 4 Vt igitur maturè in viam redeamus, nonne luce clarius eſt miſſum eſſe Auguſtinum?

ORTH. Miſſus eſt, fateor, non tamen vt Apoſtolus. Apoſtoli enim [f] nec ab hominibus, nec per homines miſſi ſunt, ſed immediatè à Chriſto. Num ſic, Auguſtinus? [f] Gal. 1. 1.

PHIL. Non ſic, fateor. Opus tamē perfecit planè Apoſtolicum. 5

ORTH. Apoſtolorum eſt eccleſias [t] plantare, & prima fidei [u] fundamenta ponere; at Auguſtinus hic prima fundamenta non iecit, quin ſuper alieno fundamento extruxit. [t] 1. Cor. 3. 6. [u] Rom. 15. 20.

PHIL. Quid audio? Nonne nos ad fidem Chriſti perduxit Auguſtinus? Oh quàm publica & ſplendida fuit hæc *Inſulæ conuerſio*, vt rectè appellat [x] Parſonius? [x] 3. Conuerſ. p. 1. c. 4. n. 1.

ORTH. Inſulæ, Philodoxe? Certè Parſonio os nimis redundauit, cùm hæc tam temerè effutiret. Hæc Inſula in [y] quatuor linguas, videlicet Britonum, Scotorum, Pictorum, & Anglorum antiquitiùs eſt diuiſa. Ex his quot tandem conuertit Auguſtinus? Britanni, Apoſtolorum tempore fidem amplexi, eandem iam tum illibatam retinuerunt. Florebant apud illos, eo ipſo tempore quo huc appulit Auguſtinus, [z] ſeptem epiſcopi, & Archiepiſcopus, fidem Chriſtianam tum profitentes, tum docentes, ac inſuper duo monachorum millia in monaſterio Banchorenſi: vt cæterorum fidelium numerum magnum eſſe neceſſe ſit. [y] Bed. l. 3. c. 6. [z] Bed. l. 2. c. 2.

Scoti autem euangeliū non ab Auguſtino, ſed ante natum Auguſtinum à Palladio acceperunt. 6 Imo licet [a] Palladius primus illis datus ſit Epiſcopus, tempore Celeſtini, fidem tamen Chriſtianam longè ante Palladiū didicerunt, vt ex Sedulio oſtendit [b] Baronius. [a] Bed. l. 1. c. 13. [b] Baron. an. 429. n. 4.

Ad Pictos verò quod attinet, [c] anno 565. id eſt, ante appulſum Auguſtini 32. 7 [d] venit de Hybernia *Columbanus Britanniam, prædicaturus Verbum Dei prouincijs ſeptentrionalium Pictorum, hoc eſt, eis qui, arduis atque horrentibus montium iugis, ab auſtralibus eorum ſunt regionibus ſequeſtrati; namque ipſi auſtrales Picti qui intra eoſdem montes habent ſedes, multo antè tempore (vt perhibent) relicto errore idolatriæ, fidem veritatis acceperant, prædicante eis verbum Nyma, epiſcopo reuerendiſſimo & ſanctiſſimo viro, de natione Britonum.* [c] Bed. in epit. [d] Bed. l. 3. c. 4.

PHILODOXVS. Angli tamen ab Auguſtino conuerſi ſunt. 8

ORTHODOXVS. Ex tribus Germaniæ populis huc accerſitis, nempe Anglis, Saxonibus, & Iutis, Angli longè erant numeroſiſſimi; quippe qui Angliæ Orientalis, Mediterraneæ, & Borealis ampliſſima Regna poſſiderent. Anglia

Digitized by Google

orientalis Comitatum Suffolcienſem, Norfolcienſem, Cantabrigienſem,& Inſulam Elienſem complectebatur; Anglia Mediterranea,ſiue Regnum Merciæ,longè latéque diffundebatur, per Comitatum Ceſtrienſem,Notinghamienſem,Darbienſem,Staffordienſem,Salopienſem,Northantonienſem,Leiceſtrienſem, Lincolnienſem, Huntingdonienſem, Rotlandenienſem, Warwicenſem, Wigornienſem,Oxenfordienſem,Glouceſtrenſem,Buckinghamienſem,Bedfordienſem,Herefordienſem, & ex parte Hertfordienſem. Anglia borealis (ſic enim Northumbriam appellat [a] Baronius) ab Humbro æſtuario ad fretum vſque Scoticum pertingens, Comitatum Eboracenſem,Dunelmenſem, Lancaſtrenſem, Cumbrienſem,Weſtmorienſem, & anguſtè ſumptum Northumbrienſem ſuo ſinu recipiebat. Ex his tribus potentiſſimis regnis nè vnum quidem primâ Euangelij luce ab Auguſtino eſt perfuſum. Nam orientalium Anglorum totam prouinciam ad fidem fœliciter perduxit [b] Fœlix,natione Gallus, Burgundia oriundus.

[a] *Bar.an.635. n.VII.*

[b] *Bed.l.2.c.15.*

9 [c] Angli Mediterranei, ſub principe [d] Peada, fidem & veritatis ſacramenta perceperunt; qui cum Alchifledam,filiam Oſwi Regis Nordhumbrorum,ſibi in coniugem dari poſtularet,*non aliter quod petebat impetrare potuit,niſi fidem Chriſti ac baptiſmum ipſe,cum gente cui præerat,acciperet. At ille audita prædicatione veritatis, & promiſſione regni cæleſtis, ſpeque reſurrectionis ac futuræ immortalitatis, libenter ſe Chriſtianum fieri velle confeſſus eſt,etiamſi virginem non acciperet.* Nam veritatem cœleſtem adeo eſt admiratus,eiuſdemque ſuauitate tantoperè delectatus, vt præ omni gaudio & ſplendore mundano in delicijs habuerit. Ita Chriſto ſponſæ beneficio deſponſatus, & à Finano Scoto baptiſmo ablutus,acceptis quatuor presbyteris,qui ad docendam baptizandamque gentem ſuam videbantur idonei, multo cum gaudio reuerſus eſt.

[c] *Bed.l.3.c.21.*

[d] *Aliàs Penda.*

10 De duobus Anglorum Regnis diximus ; ſupereſt tertium: Nordhumbrorum ſcilicet,quod nec ipſum Auguſtini lampade eſt illuſtratum.

PHIL. Imo Auguſtinum vno die decem hominum millia in Fluuio Swala baptizaſſe refert [e] Ranulphus Ceſtrenſis.

[e] *Polych.l.5.c.10*

ORTH. Tot vno die,nempe in Dominicæ natiuitatis ſolennitate,ſacro fonte ab Auguſtino ablutos eſſe, teſtis locuples eſt ipſe [f] Gregorius. Nam omnes eo anno,id eſt, anno 597. quo Angliam ingreſſus eſt,audientes verbum Dei, ſequenti natalis Domini die, baptizatos eſſe rectè obſeruauit [g] Baronius; quos tamen Cantianos,non Northumbrios fuiſſe exiſtimare oportet.

[f] *Greg.l.7. ep.30.ind.1.*

[g] *Bar.an.597. n.26.*

PHIL. Imo Northumbrios,non Cantianos fuiſſe res ipſa loquitur,quoniam in Fluuio Swala tincti perhibentur aqua ſalutari.

ORTH. Aliquis irrepſit error,ſiue in nomine fluuij,ſiue in nomine hominis. Tot millia ab Auguſtino ſunt baptizata,ſed non in Swala.Tot fortè in Swala,ſed non ab Auguſtino. Swala enim eſt Northumbriorum fluuius,qui Cataractum præterfluit. Prima au-

tem

Digitized by Google

tem de Northumbriorum gente, Sacroſancto lauacro abluta fuit [h] Zanfleda, Regis Edwini filia; quod contigit anno 626. id eſt, poſt mortem Auguſtini.

[h] *Bed.l.2.c.9. Baron.an.626, n.15.*

Phil. Hic duplicem tibi litem intendit noſter I.R. primam, 11
quia Bedæ & [i] omnibus hiſtorijs contradixiſti; alteram, quoniam
publica noſtra monumenta [k] corrupiſti.

[i] *Purg.triumph. p.174.175.*
[k] *p.175.*

Orth. I.R. Quiſnam ille? Hem, agnoſco animal, quod Edwardus Hobbeus, eques nuper auratus ornatiſſimus, ſtrigili non ita pridem perfricuit. Nec immeritò. Siccine enim Cumanam beſtiam (parce pudor, ſi te violem) pelle leonina laruatam incedere? Quis enim neſcit his literis I.R. Regem Iacobum, omnium ſereniſſimum ac glorioſiſſimum, ſolere deſignari? Sed detracta perſona (nam in tenebris dimicare non lubet) ipſe *Fluddus* (ſic enim appellatur) nobis compareat. Cuius atrociſſimæ criminationes ſunt diluendæ. Et vt à priore incipiam, vnde conſtat me Bedæ & omnibus hiſtorijs contradicere?

Phil. Illi Nordhumbriam à Paulino conuerſam tradunt.

Orth. An ego vel verbulo vnquam negaui?

Phil. Túne igitur Paulino hanc palmam tribuis?

Orth. Tribuo profectò. Nihil enim eius laudi detractum, nihil delibatum volo. Fruſtrà igitur Fluddus in hoc probando oleum & operam perdidit.

Phil. Tu Aidano hanc gloriam vendicas?

Orth. Vendico ſanè ex parte.

Phil. Ex parte? Immò in ſolidum. Nam hæc tua ſunt verba in editione Anglicana, ſi Latinè reddantur: *Northumbria conuerſa eſt in diebus Regis Oſwaldi, Aidani Scoti miniſterio.* Vide quid ſit tanto in Pontificem & Eccleſiam Romanam odio flagrare. Hoc enim, teſte Fluddo, *te occæcauit, & à veritate tranſuerſum rapuit.*

Orth. Si Fluddus errata tunc typographica conſuluiſſet, hanc mihi fortaſſe labem non aſperſiſſet. Sic enim illic habetur, *Pro Northumbria legatur pars Northumbriæ.* Ita Fluddus cum errore typographico, id eſt, cum vmbrâ ſuâ dimicat. Quid? Num ſcriptum ſibi confutandum proponet, & errata, per operas inuecta, inſpicere non dignabitur? Vbi candor? Vbi ingenuitas? Vel inſpiciet, & diſſimulabit? Heu: vbi probitas? Vbi conſcientia?

Phil. Tu Paulini nè meminiſti quidem.

Orth. Rectè mones. Cuius ſilentij hanc reddo rationem. Northumbria bis à Paganiſmo ad fidem Chriſti eſt traducta. Primò, per Paulinum, regnante Edwino; deinde per Aidanum, regnante Oſwaldo. Sed attende; fides à Paulino accenſa infra biennium poſt Edwini mortem penitùs extincta eſt, adeo vt (horreſco referens) ab eodem baptizati ad paganiſmum relaberentur. Quæ autem ab Aidano eſt reaccenſa, ad hunc vſque diem viuit vigetque. Quamobrem cùm Parſonius triplicem tantoperè iactet conuerſionem, idque eo nomine, vt nos, nos inquam, qui iam viuimus, erga

Digitized by Google

Romam ingratos arguat,quippe cui Chriſtianiſmum noſtrum acceptum referre debeamus; quis non videt expedire magis,atque ad inſtitutum facere, vt de Chriſtianiſmo noſtro per Aidanum accepto, qui adhuc obtinet,quàm de priori illo per Paulinum, qui ſtatim euanuit,ſermonem inſtituerem?

Phil. Num vterque igitur Northumbriam conuertit?

Orth. Quidni? Nonne vos Britanniæ conuerſionem Sancto Petro tribuitis? Eandem tamen ab Eleutherio conuerſam prædicatis. Num hæc contradictionem implicant? Idem tibi de Paulino,& Aidano reſponſum puta.

Phil. Tua de Aidano ſententia omnibus repugnat hiſtoricis; *Ille enim* [p] *Northumbrios non conuertit, ſed conuerſionem à Paulino duntaxat incohoatam abſoluit.*

[p] Purg.triumph. p.175.

Orth. Nonne Baronius cenſendus in hiſtoricorum numero?

Phil. Vel maximè. Atque adeò ſeculi,in quo vixit,flos & Phænix,qui omnes hiſtoricos legebat,& ad vnguem callebat.

Orth. Hæc ſunt [q] Baronij verba: *Vir Apoſtolicus Aidanus, qui Apoſtolico munere Gentem illam ad fidem conuertit.*

[q] Bar.an.634. n.13.

Phil. Quam dicit Gentem?

Orth. Illam ipſam,ſcilicet cui præerat Oſwaldus; id eſt, Northumbriam. Iam dic mihi,dulce caput,nunquid Baronius ex odio in Romanos contradicit Bedæ,& omnibus hiſtoricis? Quamobrem ſi ita exaraſſem vt fingit Fluddus, me tamen ſuo ſcuto defenderet Baronius. Sed ego longè parciùs,& cautiùs locutus ſum: non dixi Northumbriam, non gentem illam, ſed tantùm partem Northumbriæ. Quid eſt hîc quod vel inimicus falſi inſimulare poſſet? Hæc eſt mea genuina ſententia; quæ vt fiat lucidior,Hiſtoria paulò altiùs eſt repetenda. [r] Northumbria in duas prouincias,Deiorum ſcilicet,& Berniciorum,antiquitùs eſt diuiſa; quarum prima ab Humbro æſtuario ad Teſin Fluuium, altera à Teſi ad fretum Scoticum porrigitur. In vtraque primum euangelij Trophæum erexit,non Auguſtinus,ſed Paulinus,idq; poſt mortem Auguſtini. [s] Ordinatus enim eſt Epiſcopus à Iuſto Archiepiſcopo Cantuarienſi anno Domini 625.duodecimo Kalendas Auguſti; et vnà cum Edelburga,Ethelberti Cantuariorum Regis filia, Edwini Nordhumbrorum Regis coniuge,Eboracum eſt miſſus. Anno ſequente, Eanfleda Edwini filia [t] baptizata eſt die ſancto Pentecoſtes, prima de gente Nordhumbrorum, cum duodecim alijs de familia eius. Poſt hæc Paulinus in Verbo diligenter quidem, ſed tamen fruſtra laborauit. Nam Deus huius ſæculi excæcauit mentes infidelium, ne illis fulgeret illuminatio euangelij gloriæ Chriſti, vſque dum [u] Rex ipſe conuerteretur; quod contigit anno Dom.627. Paulinus ex eo tempore per ſex annos continuos,id eſt,vſq; ad Edwini obitum, Verbũ Dei (annuente & fauente Domino) ingenti cum fructu prædicabat, credebantque,& baptizabantur multa hominũ millia, in

[r] Bed.l.3.c.1.

[s] Bed.l.2.c.9.& Bar.an.625.n.7.

[t] Bed.ibid.Bar. 626.n.15.

[u] Bed.l.2.c.14. Bar.an.627. n.30.

in quibus erat [b] Coyfi gentilium Archiflamen, qui non modò credebat, ſed etiam ſuperſtitionis ſuæ priſtinæ ſacra primus polluebat.

[a] *Bed.l.2.c.13.*

Occiſo Edwino, & recedente Paulino, regnarunt in prouincia 11
Deirorum Oſrichus, in Berniciorum, Eanfridus, quorum vterque (referente [c] Beda) *ſacramenta regni Cæleſtis, quibus initiatus erat, anathematizando perdidit*, & (vt loquitur [d] Baronius) cùm Chriſtiani eſſent, *ſanctum eiurauere baptiſmum, & redditi ſunt Gentiles, idolorum cultum in ſuis populis reuocantes.* Hos cùm Ceduälla Rex interfeciſſet, Nordhumbrorum prouincias crudeliſsimus tyrannus tragica cæde dilacerauit. Hunc tamen, diuina ope ſuffultus, iuſto prælio ſuperauit Oſwaldus, ante quod tempus [e] *nullum fidei Chriſtianæ ſignum, nulla eccleſia, nullum altare in tota Berniciorum gente erectum eſt.* [f] Oſwaldus, vbi regnum ſuſcepit, *deſiderans totam, cui præeſſe cæpit, gentem fidei Chriſtianæ gratia imbui, miſit ad maiores natu Scotorum, petens vt ſibi mitteretur Antiſtes, cuius doctrina ac miniſterio gens, quam regebat, Anglorum dominicæ fidei & dona diſceret & ſuſciperet ſacramenta.* Miſſus autem eſt [g] Aidanus, cuius laboribus ita benedixit Dominus, vt [h] ſeptem perpetuis diebus *mortalium amplius quàm quindecim millia ſacro ac luſtrico fonte abluerit.* Ecquis iam partem Northumbriæ ab eo conuerſam eſſe dubitabit? Sed de prima criminatione hactenus: propone ſecundam.

[a] *Bed.l.3.c.1.*
[b] *An.633.n.69.*
[c] *Bed.l.3.c.2.*
[d] *Bed.l.3.c.3.*
[e] *Bed.l.3.c.5.*
[f] *Hect.Boetius Scot.hiſt.l.9. fol.175.*

PHIL. Te vt falſarium accuſat, propter publica corrupta monumenta.

ORTH. Monumenta publica? Quænam illa?

PHIL. Bedæ intelligit Hiſtoriam eccleſiaſticam, ad quam digitum intendis, nec tamen probat quod volebas.

ORTH. Egregiè. Ergo ſi Baronius in aliquâ hiſtoria per incogitantiam lapſus fuerit, illicò publica monumenta corrupiſſe dicendus eſt, & falſarium agere. Durus ſanè ſermo, & ſtrigili caſtigandus. Sed agè, rem ipſam introſpiciamus. Hæc mea erant verba: *Pars Northumbriæ conuerſa eſt in diebus Oſwaldi Regis, Aidani Scoti miniſterio.* In margine autem hæc apponebam, Bed.l.3.c.5. & 6. Quæ iam ad examen ſunt reuocanda. Caput quintum tres locos ad hunc ſcopum collimantes ſuppeditat. quorum vnus ſic ſe habet, *Ferunt autem, quia cùm de prouincia Scotorum Rex Oſwaldus poſtulaſſet Antiſtitem, qui ſibi ſuæque genti verbum fidei miniſtraret, miſſus fuerit primò alius auſterioris animi vir, qui cùm aliquandiu genti Anglorum prædicans nihil proficeret, nec libenter à populo audiretur, redierit in patriam, atque in conuentu ſeniorum retulerit, quia nihil prodeſſe docendo genti ad quam miſſus erat potuiſſet, eò quòd eſſent homines indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis.* Alter locus: *Ipſum Aidanum ad erudiendos incredulos, & indoctos mitti debere decernunt.* Tertius locus, qui tamen apud Bedam eſt primus: *Vbicunque aliquos vel diuites vel pauperes incedens aſpexit, confeſtim ad hos diuertens, vel ad fidei ſuſcipiendæ ſacramentum* (id eſt, ad Baptiſmum) *ſi infideles eſſent, inuitaret, vel, ſi fideles, in ipſa eos fide*

Digitized by Google

fide confortaret. Caput ſextum hunc vnicum habet locum noſtro inſtituto inſeruientem. *Huius igitur reuerendiſſimi antiſtitis doctrinâ Rex Oſwaldus, cum eâ cui praerat gente Anglorum, inſtitutus, non ſolùm incognita progenitoribus ſuis regna cælorum ſperare didicit, ſed, &c.*

Quo in loco duo obſeruanda; doctrina, & doctrinæ fructus. Doctrinâ & Rex, & gens imbuebantur; cuius fructus in Rege erat ſpes vitæ æternæ. Et quoniam hic amœniſſimus fructus ex doctrinâ fide receptâ naſcebatur, ideo dubitari non poteſt quin ex gente, quoque quotquot crediderant, eiuſdem ſpei, quoad fidei menſuram, eſſent participes. Hactenus Bedæ verba in aſpectum lucemque protulimus; videamus porrò an id efficiant quod volebam. Si in ea regione *homines erant indomabiles, & duræ ac barbaræ mentis,* ſi *increduli,* ſi *infideles,* quos tamẽ ad *fidem* & *baptiſmum* inuitauit Aidanus; ſi Rex cum gente ab eodem *fidei doctrina inſtituti regna cælorum ſperare didicerunt,* adeo vt ſeptem dierum ſpatio (vt ſupra meminimus) *quindecim Northumbrorum millia baptizarentur,* certè aliquam Northumbriæ partem ab eo conuerſam fuiſſe non malè colligitur. Quod ipſum, ante me, ex iiſdem Bedæ locis collegit [a] Baronius. Ita liquet me Bedæ & Hiſtoricis non contradixiſſe, nec vllum monumentum corrupiſſe, ſed, teſte & duce Baronio, verum & genuinum authoris ſenſum eruiſſe. Hanc tamen mihi maculam inurere voluit Fluddus, homo ad maledicendum proiectiſſimus, vt inde me Regiſtra corrupiſſe imperitis probabiliùs perſuaderet. Ita enim comparatum eſt apud aſſeclas Pontificios, modò dicant quòd mordeat, & quòd nobis infamiam, licet iniuſtiſſimam, irrogare poſſit, verumne an falſum parum penſi habent. Sed Fluddum iam ad tempus dimittamus; de Northumbris autem & Anglis hæc dicta ſunto.

[a] *An. 634. n. 13.*

Phil. Quamuis tres populi, è Germania acciti, proprijs inter ſe diſtinguantur nominibus, vniuerſos tamen, tum Saxones, tum Iutas, Anglorum nomine comprehendi eſt notiſſimum.

13 Orth. Supereſt igitur vt de Saxonibus & Iutis diſſeramus. [b] Saxones erant orientales, occidentales, & auſtrales. Sub orientalium ditione erat Eſſexia, Middleſexia, & pars Hertfordiæ. Sub occidentaliũ, Cornwallia, Deuonia, Dorſetia, Somerſetia, Wiltonia, Hamptonia, & Bercheria: ſub Auſtralium Suthſexia, & Suthreia. Ex his orientales primùm à [c] Mellito, anno Domini 604. conuerſi ſunt, &, redeunte paganiſmo, iterum per [d] Ceaddum epiſcopum, regnante Sigiberto, ad fidem ſunt reducti.

[b] *Cambdenus in Brit.*
[c] *Bed. l. 2. c. 3.*
[d] *Malmesb. de geſt. pontif. l. 2. ſtatim ab initio; fol 134. edit. D. Sauil.*

14 Occidentales à [e] Byrino, anno 635. ad Chriſti fidem ſunt conuerſi.

[e] *Bed. l. 4. c. 13. Bar. an. 681. n. 61.*

Auſtrales prima fidei Chriſtianæ elementa à Sancto [f] Wilfrido,
15 anno 681. acceperunt.

[f] *Bed. l. 4. c. 16.*

Porrò Iutæ ſunt Vectuarij, vel Cantuarij. Vecta inſula, omnium
16 prouinciarum vltima, ſub Rege Ceadwalla, miniſterio Hildilæ à Wilfrido miſſi, Chriſtiana religione eſt imbuta.

Phil.

Digitized by Google

Phil. Vt reliquos ſilentio prætercam, certè Iutæ Cantuarij 17
æternæ vitæ aquam ab Auguſtini hydria hauſerunt; vnde etiam au ei eiuſdem latices ad Saxones vbertim ſunt effuſi.

Orth. Auguſtinum, & ſocios eiuſdem, multa animarum millia Chriſto lucrifeciſſe, ad omnipotentis Dei gloriam, candidè & ingenuè agnoſcimus; eoſdem tamen, abſolutè & ſimpliciter, prima inter Iutas Cantuarios poſuiſſe fidei fundamenta pro certo & indubitato ſtatuere non audemus. Nam propè ipſam Cantuariam Vrbem Regalem, etiam quando huc appulit Auguſtinus, erat [a] eccleſia, *in honorem Sancti Martini antiquiùs facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent, in qua Regina*, nomine Berta, vel (vt eſt apud [b] Gregorium) Aldiberga, de [c] Regia Francorum Proſapia oriunda, cum Lethardo Epiſcopo (quem ei parentes adiutorē fidei dederant) orare conſueuit. Ita veriſimillimum eſt Lethardum Gallum aliquot in fundamento lapides collocaſſe, vel ante appulſum Auguſtini. Si igitur qui prima in regno aliquo religionis ponit fundamenta Apoſtolus ſit dicendus, hoc ſenſu non Auguſtinus, ſed potiùs Lethardus Apoſtoli Cantiani titulo (vt videtur) eſt inſigniendus. Nihilominùs quandoquidem Lethardo aliquot tantùm botros ibi colligere contigit, integram autem & ingentem vindemiam Auguſtino reſeruauit diuina prouidentia, idcircò vocem Apoſtoli dilatemus, vt ad Auguſtinum quoque ſe porrigat.

[a] Bed. l. 1. c. 27.
[b] L. 9. epiſt. 59. ind. 4.
[c] Bed. l. 1. c. 26.

Phil. In iuſtam reprehenſionem incurris, quia te in *deſperatas abſurditates* incidiſſe oſtendit [d] Fluddus.

[d] Purg. triumph. p. 173.

Orth. Cedò quas?

Phil. Apoſtoli Cantiani titulum, Auguſtino detractum, in 18
Lethardum transfers.

Orth. Nonnè, verbis nouiſſimè prolatis, Apoſtoli vocem Auguſtino explicatè & enucleatè accommodaui?

Phil. Primum tamen fundamentum ſtatuendi gloriam Lethardo tranſcribis, quod à ratione eſt alienum. Quamuis enim Cantuariæ euangelizaret, non tamen Cantuarijs, aut Cantianis, ſed Reginæ & eius comitibus, id eſt, ſolis Gallis, vt eſt veriſimile. Tu vero eum Cantianos euangelio irradiaſſe, vel aliqua inter eos fidei fundamenta iecisse quomodo oſtendes?

Orth. Ad huius concluſionis illationem paulatim & gradatim aſcendam. Primò igitur conſideremus quid ſit fundamentum ponere. Secundò, an aliquod apud Anglos, ante aduentum Auguſtini, fundamentum ſit poſitum. Tertiò, an apud Cantianos. Quartò, à quo. Primum ex Diuo Paulo eſt liquidum, qui ad [e] Romanos profitetur, ſe *ambiuiſſe prædicare Euangelium vbi nondum nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alieno fundamento ædificaret.* Ergo ponere fundamentum, eſt Chriſtum, vbi nondùm erat nominatus, prædicare; eundem autem, vbi priùs erat nominatus, annuntiare, eſt ſuper fundamento alieno ædificare.

[e] Rom. 15. 20.

Nunc

Nunc an aliquod ante Auguſtini appulſum inter Anglos iactum ſit fundamentum diſquiramus. [m] Gregorius ad Regem Gallorum ſic ſcripſit: *Peruenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Chriſtianam, miſerante Domino, deſideranter velle conuerti, ſed ſacerdotes tuos è vicino negligere, & deſideria eorum ceſſare ſua adhortatione ſuccendere.* Et ad Reginam [n] Brunicheldem, *Indicamus ad nos perueniſſe Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Chriſtianam, ſed ſacerdotes, qui in vicino ſunt, paſtoralem erga eos ſollicitudinem non habere.* Quando ſcriptæ ſunt iſtæ epiſtolæ? Anno 596. vt antea ex Baronio, & Iohanne Diacono docuiſti; id eſt, cum Auguſtinus, & ſocij eius nondum vnum pedem in Angliam intuliſſent. Ergò gentem Anglorum ante appulſum Auguſtini *deſideranter voluiſſe conuerti, & fieri Chriſtianam*, id eſt, baptizari, Gregorium teſtem habemus ampliſsimum. At *ignoti* nulla cupido. Ergò aliquo cœleſti radio, vel ſaltem aliqua lucis euangelicæ ſtricturâ ſunt illuſtrati; ergò Chriſtus apud eos nominatus, &, per conſequens, aliquod iactum eſt fundamentum, ſi Gregorio credamus, cuius authoritas, cum eo tempore vixerit, pontifex maximus fuerit, & Auguſtinum ipſum huc miſerit, reliquis omnibus poſteriorum ætatum Hiſtoricis (ſi qui fortè diſſentiant) præponderare, præſertim apud vos, meritò debet. Iam tertio loco diſquiramus an hoc iactum ſit apud Cantianos. Cuius quæſtionis enodatio ex vero ſenſu verborum Gregorij dependet. Quid ergò ſibi vult, cùm dicit, *Anglorum gentem deſideranter velle conuerti?* An gentem Anglorum vniuerſam, vel particularem aliquam intelligit? Si vniuerſam, ergo & Cantium; ſi particularem, cedò quam? An nobiliſsimam? Ergo Cantium, *Cuius Rex ad* [o] *confinium vſque Humbri fines imperij tetenderat.* Quid multis? Cantium intelligi vel inde apparet, quòd Gregorius ſacerdotes Gallicanos in vicino eſſe dicat. Certum autem eſt, gentem Anglorum Galliæ finitimam & viciniſsimam eſſe Cantium. Ergò hæc interpretatio verbis Gregorianis maximè eſt conſentanea. Apud Cantianos igitur auditum Chriſti nomen, & aliquod fidei iactum eſt fundamentum, vel ante acceſſum Auguſtini. Sed, vt ad quartum & vltimum accedamus, cuius hoc miniſterio factum ſit quærendum reſtat. Populi intra Inſulam Anglis contermini erant Britanni, vel Scoti. Num horum aliquos hoc munere functos arbitraris?

PHIL. [p] *Britanni, qui reſidui erant in Inſulà, tantum hoc illis bonum inuidebant, reliqui verò proximi Chriſtiani eoſdem aſsiduis bellis vrgebant, vt non illis vitam afferre gratia, ſed quam à natura haberent auferre pro viribus laborarent, vel, dempta libertate, ducerent ſub iugo captiuos, ac venundarent.*

ORTH. Quid igitur aliud cogitandum relinquitur, niſi hanc lucem à Lethardi lampade (qui illo ipſo tempore apud Cantianos fidem Chriſtianam publicè docebat) reſplenduiſſe? Huius igitur operâ auditum Chriſti nomen, & aliquod religionis iactum eſſe fundamentum eſt credibile.

[m] L.5.ep.58. ind.14.

[n] Ibid.ep.59.

[o] Bed.l.1.c.26.

[p] Bar.an.596. n.9.

PHIL.

PHIL. Hoc [a] Fluddus tribus conuellit argumentis. Primò quia Rex Auguſtino prædicandi licentiam conceſſit; vnde colligimus nemini ſine licentia Regia prædicare licuiſſe, nedum Lethardo, ne ſe & Reginam periculo inuolueret.

[a] *Purg. triumph. p.173.*

ORTH. Quàm futile? Quaſi Lethardus, qui Reginæ (cui Rex religionis ſuæ ritum inuiolatum ſeruandi [b] licentiam indulſerat) datus eſt adiutor fidei, authoritate Regia non eſſet munitus.

[b] *Bed. l.1. c.26.*

PHIL. Secundò, [c] Si quos conuertiſſet, cùm ipſe in aula Regia degeret, veriſimile eſt fuiſſe Nobiles, qui Regem latere non poterant, quem ad idolorum templa concomitari ſolebant, quod iam Chriſtianis non licuit.

[c] *Flud. p.174.*

ORTH. Primò, Nobiles fuerint, an ignobiles neſcio; certè qualeſcunque Domino Deo noſtro vocare viſum eſt. Deinde hoc Regi innoteſceret necne parum intereſt, quandoquidem Reginæ & prædicatorem, & eccleſiam publicam permiſerat. Præterea, Beda cum dixiſſet, iuſſiſſe Ethelbertum, *vt Auguſtino & ſocijs neceſſaria miniſtrarentur,* ſtatim reddidit rationem cur eos tam benignè habuerit, his verbis; *nam & antea fama ad eum Chriſtianæ religionis peruenerat, vtpotè qui & vxorem habebat Chriſtianam, &c.* Ergo fama Chriſtianæ religionis, quam à Regina & Lethardo acceperat, erat in cauſa cur Auguſtino & ſocijs benefaceret. Quod etiam disertè teſtatur [d] Malmesburienſis. *His addebatur Lethardi Epiſcopi, qui cum Regina venerat, cælebs admodum vita, quæ Regem ad Chriſti Domini cognitionem etiam tacens inuitabat; quo factum eſt, vt poſtea beato Auguſtino prædicanti, Regis animus, iam emollitus, facilè cederet.* Ergo tantùm abeſt vt Rex infenſo eſſet animo in Chriſtianos, vt, vel ante aduentum Auguſtini, à Lethardo emollitus eſſet. Quod adhuc clarius ſic expreſſit Polydorus: *Qui* [e] *ambo* (Lethardus & Regina) *cùm in regia ſuæ religionis ritum quotidie ſeruarent, haud dubiè principis animum in alta caligine hærentem, ſenſim cæleſtis lucis radijs illuſtrare cœperunt, duxeruntque ad euangelicam diſciplinam, quam ille libens mox recepit. Auguſtinus & Mellitus in Cantium delati, ab ipſo Ethelberto, iam tum vxoris & Lethardi ſanctis monitis ita benè inſtituto, vt à Chriſtiano nomine nequaquam abhorreret, perbenignè accepti ſunt.* Quibus ex locis ſiue Polidorus ipſe, ſiue alius (quiſquis fuit author Indicis hiſtoriæ Anglicanæ ante 70 annos, Polydoro, adhuc viuente ipſo & vidente, adiuncti) Lethardum Cantij fuiſſe Apoſtolum colligit. Nam in voce *Lethardus* ſic ſcribit: *Lethardus Cantij Apoſtolus.* [f] Quem Lethardum ibi fuiſſe ante Auguſtini aduentum Capgrauius affirmat.

[d] *L.1. de geſt. Reg. Angl. cap.1. fol 4. edit. Sauil.*

[e] *Polid. Virg. hiſt. Angl. l.4. p.63.*

[f] *Capgr. in vita ſanct. Auguſt.*

PHIL. Tertiò, Si qui a Lethardo conuerſi, & latenter baptizati eſſent, profectò veniente Auguſtino ſe declaraſſent: quod Beda non tacuiſſet.

ORTH. Primò, ego Cantianos à Lethardo baptizatos nuſquàm dixi. Secundò, à Bedæ, vel cuiuſquam Hiſtorici ſilentio, in huiuſmodi parergis, non licet concludere. Tertiò, cùm nondum appu-

Digitized by Google

liſſet Auguſtinus, Anglorum nonnullos fidem ſuam declaraſſe manifeſtum eſt. Alioqui enim quomodo *ad Gregorium peruenire potuit, eos deſideranter velle conuerti.* Hactenus Fluddi ratiunculas, vel potiùs leuiſſimi hominis inanes coniecturas ventilaui, quibus fretus, cœlum terræ miſcet, meque, cautè & modeſtè loquentem, deſperatas abſurditates protuliſſe petulanter exclamat. Firmum tamen & fixum manet quod dixi.

Ex his perſpicuum euadit, quo ſenſu Auguſtinum eſſe vel non eſſe Cantianorum Apoſtolum aſſeruerim. Nam triplicem innuo vocis Apoſtoli ſignificationem; primam, cùm quis ad hoc munus defungendum immediatè à Chriſto mittitur; alteram, cum quis, licet non immediatè miſſus, opus tamen facit Apoſtoli, id eſt, prima iacit inter Paganos fidei fundamenta; tertiam, cum quis nec immediatè miſſus, nec ſimpliciter prima ponens fundamenta, copioſam tamen Chriſto vindemiam, id eſt, multa animarum millia colligit. Primo ſenſu Auguſtinum Apoſtolum eſſe dicendum abſolutè nego. Secundo, probabiliter negari poſſe puto, & hunc titulum hoc ſenſu, in Lethardum potiùs quadrare arbitror. Tertiò hunc honorem Auguſtino libenter concedo. Sit igitur Apoſtolus, non repugno; ſed quorum tandem? Non totius Inſulæ, non dulciſſimæ noſtrę patrię, non Britannorum, non Scotorum, non Pictorum, non Anglorum, non Saxonum, ne Iutarum quidem omnium, ſed Cantianorum tantùm. Horum hoc ſenſu & ſit & dicatur Apoſtolus per me licebit. Placet igitur, in veſtram gratiam, vocabulum adhuc magis amplificare, vt non modò ad miſſos, ſed ad mittentes etiam, Eleutherium ſcilicet atque Gregorium, accommodari poſſit, licet valdè impropriè.

Phil. Hoc titulo exornare illos non eſt nouum aut inſolens.

Cap.

Cap. V.

De Auguſtini vita & ordine epiſcopali.

- *De Auguſtini*
  - *vita, eiuſque*
    - *laude.* 1
    - *labe*
      - *Primâ, quod Britannis non aſſurgeret, cauſa*
        - *In ipſo Auguſtino, quia arrogans.* 2
        - *non in Britannis, qui nec*
          - *haeretici.* 3
          - *ſchiſmatici.* 4
      - *Secundâ, quod videtur fax belli, quod*
        - *oſtenditur.* 5
        - *defenditur.* 6
  - *ordine epiſcopali.* 7

Orth.

Optamus vt qui hodie à Româ vel mittunt vel mittuntur, hos imitari vellent Apoſtolos. Eleutherius Lucium Britanniæ Regem, in ſuo regno [a] *Dei vicarium* indigitauit; & Gregorius Mauritium Imperatorem, *ſuum* [b] *Dominum*. Eleutherius, non niſi rogatus à Rege, ſuos huc tranſmiſit; nec quenquam inuito Regi obtruſit Gregorius. Auguſtinus enim non furtim aut clanculùm huc irrepſit, ſed in Inſulâ, quæ *Tenatos* appellatur, Regis beneplacitum expectauit; nec Cantianis, niſi acceptâ à Rege licentiâ, prædicauit: non huc latitans ſe intulit, non hic in angulis delituit, bullas in ſinu abditas, quibus vel ſubditos à fidelitate abſolueret, vel principem diademate ſpoliaret, non attulit; ſed quæ recta ratio, quæ fides Chriſtiana, quæ bona dictauit conſcientia, ea omnia in principem officia religiosè, honeſtè, & decorè, & ipſe & ſocij eius in primo aduentu præſtiterunt. Illi venerunt, vt Chriſti fidem plantarent, veſtri vt eandem ſupplantarent; illi vt obedientiam prædicarent, veſtri vt ad arma conclamarent; illi benedicentes, veſtri maledicentes; illi vt populos conuerterent, veſtri vt populares ſuos peruerterent; illi vt eccleſiam ædificarent, veſtri vt eccleſiam pariter & rempublicam peſſundarent. Mihi igitur in votis eſt, vt qui Papæ ſunt emiſſarij, vel in ſectis, apud ſe cogitarent quanto interuallo ab Auguſtino diſtent.

[a] *Supra in epiſt. ad Lucium Regem & vid. antiq. Britan. p. 5.*

[b] *L. 4. ep. 32.*

Phil. Equidem tantis te laudibus Auguſtinum efferre, eumque vt vitæ normam, & exemplar nobis proponere, ſatis mirari nequeo. Veſtri enim homines de eius gloria delibare, eumque aliqua ſemper labe & maculâ ſolent aſpergere.

Orth. Virtutes in homine relucentes laudare poſſumus, interim vt eius vitia, idoneis ducti rationibus, reprehendamus; exemplo Saluatoris, qui Angelum Epheſinum ſic eſt alloqutus, [c] *Noui operà tua & laborem tuum, &c.* Statim tamen adiungit, [d] *Habeo aliquid aduerſus te.* Ad exemplaria autem quod attinet, ita Diuus Paulus, [e] *Imitatores eſtote mei, vt ego Chriſti.* Quicquid igitur in Auguſtino reſplendet boni, illud amplectimur atq; laudamus, & eiuſmodi laureis noſtra ipſorum tempora redimita cupimus: quicquid verò in eo reperitur mali, in ipſa vnde ortum eſt radice flacceſcat. Sanctum paganos conuertendi deſiderium, & pia hæc in principem officia, aureis ſanè litteris inſcribi merentur; at (vt Ceremoniarum, quas intulit, redundantiam, & nimiam fimbriæ pontificiæ dilationem ſilentio prætercam) negari non poteſt quin erga Britannos ſuperbè ſe geſſerit, atque ſuperciliosè.

c Apoc.2.2.
d Apoc.2.4.
e 1.Cor.11.1.

Phil. Quamuis voce ſatis blandâ Auguſtinum in cœlum extuleras, huc tamen te tandem aliquandò venturum iamdiù opinabar. Verùm haud rectè factum, quòd virum tanta ſanctitate pollentem, cuius miniſterio patria tua tot conſequuta eſt beneficia, contumeliâ afficere non erubeſcas.

Orth. Non eſt contumelia, ſed iuſta reprehenſio, teſte [f] Beda; qui narrat Britannos, indicta Synodo, veniſſe *ad virum quendam ſanctum ac prudentem, qui apud eos Anachoriticam ducere ſolebat vitam, conſulentes an, ad prædicationem Auguſtini, ſuas deſerere traditiones deberent; qui reſpondebat, ſi homo Dei eſt, ſequimini illum. Dixerunt, & vnde hoc poſſumus probare? Et ille. Dominus (inquit) ait, Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt quia iugum Chriſti & ipſe portet, & vobis portandum offerat. Sin autem immitis ac ſuperbus eſt, conſtat quia non eſt de Deo, neque nobis eius ſermo curandus eſt. Qui rurſus aiebant; & vnde vel hoc dignoſcere valemus? Procurate (inquit) vt ipſe prior cum ſuis ad locum Synodi adueniat, & ſi vobis appropinquantibus aſſurgere voluerit, ſcientes quia famulus Chriſti eſt, obtemperanter illum audite; Sin autem vos ſpreuerit, nec coram vobis aſſurgere voluerit, cùm ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur à vobis. Fecerunt vt dixerat, Factumque eſt, vt, venientibus illis, ſederet Auguſtinus in ſellâ. Quod illi videntes, mox in iram conuerſi ſunt, eumque notantes ſuperbiæ, cunctis quæ dicebat contradicere laborabant. Dicebat autem eis: In multis quidem noſtræ conſuetudini, imò vniuerſalis Eccleſiæ, contraria geritis; & tamen ſi in tribus his mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi, quo Deo renaſcimur, iuxta morem Romanæ ſanctæ & Apoſtolicæ eccleſiæ compleatis, vt genti Anglorum vnâ nobiſcum prædicetis Verbum Domini, cætera quæ agitis, quamuis moribus noſtris contraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horum ſe facturos, neque illum pro Archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant, conferentes ad inuicem, quia ſi modò nobis aſſurgere noluit, quantò magis, ſi ei ſubdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet?*

f Bed.l.2.c.2.

Phil.

Phil. [a] Re vera venerant vt Auguſtinum eo ſigno tentarent, vt Phariſæi Dominum. [a] *Ex Bar. an. 604. n. 58.*

Orth. An eſt credibile, eo veniſſe animo, vt Auguſtinum repellendi occaſiunculas, ex vtraque parte, aſtutè captarent? Reiecerunt quidem, quia inſolentior, quàm pareret Epiſcopo, videbatur, atque etiam inhumanior, præſertim ergà Coepiſcopos, eoſque alienigenas, quibus officiosè venientibus ne aſſurgere quidem voluit: cæterùm ſi vrbanè ac comiter ſe geſſiſſet, nunquid humilitatem eius ſpreuiſſent, & hoc vel illo prætextu repudiaſſent? Siccine verò? Hoccine eſt iudicium charitatis? Conuocauit [b] *ad ſuum colloquium proximæ Prouinciæ Epiſcopos*; acceſſerunt, & modeſtè reſponderunt, *ſe non* [c] *poſſe, abſque conſenſu ſuorum ac licentia, priſcis abdicare moribus.* Maior & amplior indicta eſt ſynodus; ſeptem confluxerunt Epiſcopi, & viri docti complures. Sed, vt modeſtos & prudentes decuit, ad ſynodum profecturi, hominem, ſanctitate & ſapientiâ præpollentem, quid ſibi agendum eſſet conſulunt. Cuius (vt verbo dicam) hæc fuit ſententia; (ſuboderatus enim videtur noui hic aduenæ tumorem, & in Clerum dominandi libidinem) Si Auguſtinus humilis ſit, recipite; ſin ſuperbus, reijcite. Nec vlla ſuadet ratio, quin vt, eius ſecuti conſilium, Auguſtinum reiecerunt, quia ſuperbum declarauit euentus, ita ſumma cum humanitate recepiſſent, modò ſe humilem exhibuiſſet. [b] *Bed. l. 2. c. 2.* [c] *Ibid.*

Phil. [d] Falſum ſanè ſignum dignoſcendi humilem dedit pſeudopropheta. [d] *Bar. quo ſupra.*

Orth. In hoc poſitum erat ſignum, vt ex corporis geſtu ſuperbo & elato, animi ſuperbiam & elationem dignoſceret. Num hoc fallax ſignum? Si quis ignoto ea denegauerit, quæ vulgò exhiberi ſolent, humanitatis officia, quid hoc aliud eſt, quàm arrogantiam ſuam prodere? Elatus vultus elatum arguit animum; num tibi & pſeudopropheta videtur ille, qui [e] dicit, *Ex aſpectu cognoſcitur vir?* [e] *Eccleſ. 19. 27.*

Phil. [f] *Sententia eſt Sancti* [g] *Iohannis Apoſtoli, nullo dignandos honore vel officio humanitatis eiuſmodi homines ab eccleſia catholica diuiſos; ita dicentis, Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Aue dixeritis.* 3 [f] *Ex Bar. quo ſupra.* [g] *2. Ioh. 10.*

Orth. Hæc Apoſtoli verba in Britannos quadrare non poſſe, tam Britanni, quàm Auguſtinus ipſe perſpicuè docent. Britanni, in Synodo Prouinciali candidè confeſſi ſunt, [h] *Intellexiſſe ſe veram eſſe viam iuſtitiæ, quam prædicabat Auguſtinus.* [i] Auguſtinus Britannos, *vt genti Anglorum vnà ſecum Verbum Domini prædicarent*, rogauit. Porrò *fidem quam attulit ſanctus Auguſtinus, & quam ante eius aduentum habuerunt Britanni, neceſſariò vnam eſſe & eandem, in omnibus articulis materialibus & ſubſtantialibus*, affirmat [k] Parſonius Ieſuita. [h] *Bed. l. 2. c. 2.* [i] *Ibid.* [k] *3. Conuer. par. 1. c. 9. ſ. 6.*

Phil. Nonne Paſcha decima quartâ Lunâ celebrabant?

Digitized by Google

Orth. Hoc non doctrinam aut fidem Catholicam, ſed ritus tantùm externos ſpectabat.

Phil. Imò *quarta-decimani* pro hæreticis habiti ſunt. Britanni autem decima quarta Lunâ celebrabant; quomodo igitur non erunt *quarta-decimani?*

Orth. *Quarta-decimani* Blaſtum ſecuti ſunt, qui hoc vſus eſt ritu, non vt *adiaphoro*, ſed vt neceſſario, ſub quo (teſte [l] Tertulliano) *Latentèr Iudaiſmum introducere voluit. Paſcha enim dixit non aliter cuſtodiendum eſſe, niſi ſecundùm legem Moſis, decimo quarto menſis.* Qui hoc modo decima quarta Luna celebrabant, ſine dubio pro hæreticis erant habendi, à quâ tamen labe Britanni longiſſimè aberant.

[l] *De Præſcrip. c.53.*

4 Phil. Hæretici fuerint necne, certè erant ſchiſmatici, vt docet [m] Baronius.

[m] *Vide Bar. an. 604. n. 65.*

Orth. Vt reliquos Orientales taceam, ſanctus Policarpus martyr, qui ipſos audiuit Apoſtolos, eodem quo Britanni modo Paſchæ ſolennitatem obſeruauit, nec ſe inde abduci ab Aniceto paſſus eſt. Num hunc quoque ſchiſmatis fuligine obducet Baronius?

Phil. Nequaquàm. Nàm [n] *cùm Romam aduentaret, cùmque ille & Anicetus de alijs rebus, de quibus diſcrepabant, pauca contuliſſent, confeſtim pax inter eos fuit conciliata, quin pro hoc feſto obſeruando (quod controuerſiæ caput videbatur) charitatis vincula nequaquam ruperunt; neque tamen Anicetus Polycarpo poterat perſuadere, vt ſuum obſeruandi morem deponeret, neque contrà Polycarpus Aniceto perſuaſit, vt conſuetudinem Aſiaticam vllo modo obſeruaret. Quæ cum ita eſſent conſtituta, communicabant inter ſe mutuò, atque tandem cum pace alter deceſſit ab altero, & omnes Eccleſiæ, tum eorum qui decimo quarto die feſtum Paſchatis obſeruabant, tum eorum qui ſecus, placidâ pace & tranquillâ inter ſe fruebantur.*

[n] *Euſeb. l.5. c.23.*

Orth. Nec Anicetus modò, ſed *Pius,* [o] *Hyginus, Teleſphorus, Sixtus, licet neque ipſi hoc feſtum eo die quo Epiſcopi Aſiæ obſeruarent, neque alios poſt ſe ita obſeruare permitterent, nihilominùs tamen cum Epiſcopis illarum eccleſiarum in quibus ita obſeruabatur, ad ſe accedentibus, pacem & concordiam perpetuò retinuerunt.*

[o] *Euſ. quo ſupra.*

Phil. Victor tamen Pontifex [p] *totius Aſiæ Eccleſias, cum alijs finitimis, tanquam alterius fidei & opinionis, ſimul omnes (vt complectar breui) à communi vnitate eccleſiæ amputare conatur, & in eos per literas grauitèr inuehitur, atque adeò omnes fratres, eam incolentes regionem, prorſus à communione ſecludendos edicit.*

[p] *Euſ. l. hiſt. eccl. 5. c. 24.*

Orth. Egregiam ſanè Victor reportauit victoriam; cuius brutum fulmen Polycrates, qui Aſianis præerat Epiſcopis, pro nihilo ducens, [q] *Ego* (inquit) *his quæ nobis ad terrorem obijciuntur, minimè conturbor:* Imò hæc quæ à Victore geſta ſunt [r] *cæteris omnibus,* qui Paſcha eodem quo Victor modo celebrabant, *minimè placebant epiſcopis. Illum igitur contra magnoperè hortabantur vt pacis, concordiæ,*

[q] *Euſeb. l.5. c.23*

[r] *Ibid. c.24.*

concordiæ,& charitatis erga proximos diligentem curam haberet, quorum verba, vtpote Victorem acriùs & acerbiùs coarguentium, ſcriptis prodita adhuc extant; è quibus & Irenæus Victorem, ne tam multas eccleſias, propter Traditionis, antiqua ex conſuetudine inter illas vſurpatæ, obſeruationem,à corpore vniuerſæ Chriſti eccleſiæ penitùs amputet, appoſitè & conuenientèr admonuit.

PHIL. [f] *Quamdiu cum Catholicis tantùm acta res eſt, tolerabile viſum eſt Romanis Pontificibus permittere Aſianos, more Iudæorum, decimâ quartâ Lunâ paſcha celebrare; cum hæc indulgentia hæreſis validandæ eſſe videretur occaſio, ab eâ ceſſare conſultius viſum eſt. Qui enim in Aſia his temporibus inualuiſſent Montani hæreſis ſectatores, quaſi lege diuinâ ab ipſo ſuo ipſorum Paracleto peruulgata, & ipſi die decimâ quartâ paſcha celebrandum, omnes verò ſecùs agentes errore duci vehementiſſimè affirmabant.* [t] *Rurſus ne quartadecimani ampliùs tolerandi eſſent, planè neceſſitas Victorem impulit. Non enim Montaniſtæ tantùm eum fouebant errorem, ſed & alij hæretici.* Cùm igitur Blaſtus(cuiuius tu ſuperiùs meminiſti) *non ſatis haberet ſe ab eccleſiâ præcidiſſe, ſed complures alios ab ipſo complexu abſtrahens, in ſuam conaretur ſententiam perducere, hæc quidem tolerare idem iam viſum eſt quòd ſchiſmati fauere, ac ſchiſmaticis conniuere. Quamobrem, etſi durum & violentum viſum eſt multis remedium Victoris papæ, perneceſſarium tamen ad vlcus (extrinſecus intrinſecuſque ſerpente tabo) curandum, cùm præſertim non eadem præſens eſſet Aſianorum cauſa, atque fuerat anteà tempore Polycarpi. Quandoquidem illi ex permiſſione, iſti ex neceſſitate ſe celebrare Paſcha decimâ quartâ Luna dicerent, ac proinde eos qui ſecus facerent errore labi iactarent, ſicque cæteros omnes toto orbe diffuſos Chriſtianos eo modo damnarent.*

[f] Bar. an. 198. n. 15.

[t] Ibid. n. 16.

ORTH. Siccine te, Polycratem, omneſque Aſianos, (quos, Irenæum reliquoſque Epiſcopos tueri vides), ſchiſmatis, hæreſeos, Iudaiſmi poſtulare? Sed nunquid glorioſus iſte Iupiter Capitolinus in Occidentales pariter intonuit?

PHIL. [u] *Erga Occidentales propenſiori cura inuigilans, per epiſcopum Viennenſem Deſiderium, Gallicanam eccleſiam admonendam curauit. Per tuam fraternitatem Presbyteris Galliarum literæ mittantur, vt obſeruent Paſcha, non cum Iudæis negatoribus Chriſti, ſed cum ſequacibus Apoſtolorum, prædicantibus veritatem Chriſti.* Hæc Victor, *qui abſque dubio eiuſdem argumenti literas in reliquas Occidentalis Orbis eccleſias dedit.* Sic Baronius.

[u] Bar. an. 198. n. 17.

ORTH. Si Occidentales à communione ſanctorum non excluſit, ſed tantùm monendos cenſuit, Britannos cùm ſint Occidentales *abſque dubio* pro ſchiſmaticis non notauit.

PHIL. Britanni, etiam poſt Concilium Nicenum, errorem ſuum mordicùs ſunt amplexi.

ORTH. *Cum par eſſet* (vt acutiſſimi [x] Theologi verbis vtar) *Chriſtianos omnes, qui cætera iam idem ſentirent, in huius quoque Feſti celebratione vniformes eſſe, nec deceret decimâ quartâ Luna hos quidem ieiunijs ſeſe macerare, illos verò eodem diem feſtum die hilaremq; ſumere, viſum*

[x] Elienſ. in reſponſ. ad apol. c. 7. p. 167.

Digitized by Google

ſum eſt Conſtantino Sacram ſuam, ad (quæ paſſim erant) Eccleſias mittere, quibus id egit, vt vnum vbique morem in tenendo Paſchate ſequerentur; vt autem illum potiùs quo die dominico, ne verò illum quo decimâ quartâ Lunæ celebrari mos erat, quòd is proximè ad Iudaiſmum accederet, qui tum Paſcha ſuum immolant, quibus iniquum eſſet vt Chriſtiani ſe conformes redderent. Sed neque Canon (in Concilio Niceno) vllus ea de re editus, tantùm Conſtantini epiſtolâ tranſacta res eſt. Vobis [y] *verò etiam in Nicena Synodo, quæ poſitiui iuris erant, religio nulla abrogare; nam neque ſtantes adoratis, die Dominico, inter Paſcha & Pentecoſten (quod viceſimo Canone cauetur) et Diaconi Cardinales ſedent cum Presbyteris. Neque quotannis bis Synodos habetis.* Verùm quid de Scotis tibi videtur? Num illi etiam inter ſchiſmaticos?

[y] P. 168.

[z] Bar. an. 604. n. 65. PHIL. [z] *Eadem planè, quâ Britanni, paritèr & Scoti erant ſchiſmatis fuligine tincti*, vt rectè Baronius.

[a] An. 634. n. 11. ORTH. Contra Baronium prodeat [a] Baronius. *Illud* (inquit) *neceſſariò præmittendum, Scotorum Eccleſiam, licèt diuerſo tempore à communi ritu Catholicæ Eccleſiæ Paſcha celebraret, non tamen ob id à communione Sedis Apoſtolicæ ſeparatam fuiſſe aliquandò. Etenim licèt error grauis eſſet, tamen quòd circa ritum, non autem circa fidei Catholicæ dogmata verſaretur, viſus eſt in gente illa à ſede Apoſtolica tolerandus.* Et paulò pòſt. *Cæterùm nec fuiſſe videntur eo tempore Scoti eius erroris, vt inter ſchiſmaticos, à Sacroſancto Niceno Concilio reiectos, quos vocauit Teſſeradecaritas, id eſt, quarta-decimanos collocari oportet. Siquidem etſi non Romano, neque tamen Iudæorum more Paſcha celebrare conſueuerunt.* Quibus ex verbis illud obitèr colligendum, ne Britannos quidem pro ſchiſmaticis, à Niceno Concilio damnatis, habendos eſſe ex ſententiâ Baronij, cùm vtriuſque gentis vnam & eandem eſſe rationem ipſe anteà docuerit. Et poſtea anno 664. idem [b] Baronius: *Eiuſmodi error irrepſit in Scotos, non ex refractaria contentione, vt agere voluerint contra totius Eccleſiæ Anglicanæ vſum, ſed ex inſcitia Paſchalis computus. Porrò cæptus eſt eiuſmodi error anno Domini 566. perdurauitq; vſque ad annum 716. ita vigens annos 150. Cæterùm idem error in hunc vſque annum fuiſſe illis venialis oſtenditur, quòd non ex contumacia & ſchiſmate fuiſſet exortus, ſed tolerabili quadam ignorantia, cùm, vt teſtatur Beda, Nemo illis, vltra Orbem poſitis, ſynodalia Paſchalis obſeruantiæ decreta porrexiſſet. Quamobrem haud viſi ſunt eccleſiæ catholicæ ex albo expungendi ij, qui, ſanctitate inſignes, in hunc vſque annum egregijs virtutibus claruerunt, plurimis etiam miraculis illuſtrati.* Quamobrem, cùm eadem Britannorum & Scotorum ſit ratio, dum Scotos ab hac criminatione liberat, pari modo & Britannos liberandos docet.

[b] An. 664. n. 5.

[c] An. 604. n. 65. PHIL. [c] Erant diſceſſionis à Romana eccleſia rei, ideoque ſchiſmatici.

ORTH. Quid ſibi vult hoc ipſum *diſcedere?* An à Romani pontificis obedientia ſe ſubtrahere? At huius vnquam paruiſſe imperio quomodo conſtabit? Dinooch, vir inſigniter doctus, [d] *nullam Auguſtino à Britannis deberi obedientiam multis demonſtrauit argumentis.*

[d] Galf. Monemoth. l. 11. c. 12.

Digitized by Google

tis. Porrò ne deinceps eiuſdem iugo colla ſua ſubderent, cauſa erat iuſtiſſima; ne ſcilicet Archiepiſcopi Meneuenſis authoritatem minuerent, quod per [e] Canonem Nicenum (quo cautum eſt vt ſuis priuilegia ſeruentur eccleſijs) non licuit. Auguſtinus autem ipſe, niſi ſuperbo & elato fuiſſet animo, rogaſſet tantùm vt ſuam in prædicando Anglis operam Britanni vnà collocarent, non etiam vt ſibi & domino ſuo obtemperarent. Quinetiam eiuſdem faſtus & arrogantia latiùs ſe prodit, quum Gregorium ſic interrogaret, [f] *Qualiter debemus cum Galliarum & Britanniarum Epiſcopis agere?* Quibus verbis Iuriſdictionem ſibi non modò in Britannos, ſed in Gallos etiam non obſcurè aucupari viſus eſt. Quod ſubodoratus Gregorius ſic reſpondit: *In Galliarum Epiſcopos nullam tibi authoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædeceſſorum meorum temporibus pallium Arelatenſis Epiſcopus accepit, quem nos priuare authoritate percepta minimè debemus.* Hactenus de eius ſuperbia & arrogantia.

[e] *Can. 6.*

[f] *Apud Bedam lib. 1. c. 27.*

An verò ſanguinolentæ illius ſtragis, quæ ſubſecuta eſt, conſcius fuerit necne affirmare non auſim. Sic tamen legimus apud antiquitatum peritos. [g] *Cùm Britones fuerunt Catholici, Saxones gentiles erant, ad quos conuertendos miſit beatus Gregorius Auguſtinum & Mellitum, qui Saxones conuerterunt. Sed cùm Auguſtinus vellet Epiſcopos & Abbates Britonũ ducere authoritate Apoſtolica, vt eum legatum acciperent, & cum eo Anglis prædicarent, mota eſt diſcordia propter eorum inobedientiam ad Sanctum Auguſtinum, & ſic motum fuit Bellum inter Britonum regulos & Saxonum regulos, qui iam vniuerſi volebant Britones Auguſtino ſubdere.* Sic ille. Et Galfridus [h] Monumetenſis: *Hedelbertus, Rex Cantianorum, vt vidit Britones dedignantes ſubiectionem Auguſtino facere, & eoſdem prædicationem ſuam ſpernere, hoc grauiſſimè ferens, Edelfridum Regem Northumbrorum, & cæteros regulos Saxonum inſtimulauit, vt collecto grandi exercitu in ciuitate Bangor Abbatem Dinoot, & cæteros clericos, qui eos ſpernerent, perditum irent.* Ipſe etiam [i] Beda teſtatur Auguſtinum minitantem prædixiſſe, *quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi: Et ſi nationi Anglorum noluiſſent viam vitæ prædicare, per horum manus vltionem eſſent mortis paſſuri.* Obſecro quid hoc erat aliud quàm 5

[g] *Vid. antiq. Brit. p. 48.*

[h] *L. 11. c. 13.*

[i] *Hiſt. Angl. l. 1. c. 2.*

Ære ciere viros, Martemque accendere cantu?

Quid enim ſubſecutum eſt? Ethelbertus Rex Cantianorum Edilfrido Nordanhumbrorum Regi perſuaſit, vt iunctis viribus Britannos adorirentur, vnde cruenta & horribilis facta eſt ſtrages; quam ſic enarrat [k] Beda. *Rex Anglorum fortiſſimus Edilfridus, collecta grandi exercitu, ad ciuitatem Legionum, quæ à gente Anglorum Legaceſtir, à Britonibus autem rectiùs Carlegion appellatur, maximam gentis perfidæ ſtragem dedit; Cumque, bellum acturus, videret ſacerdotes eorum, qui ad exorandum deum pro milite bellum agente conuenerant, ſeorſum in tutiore loco conſiſtere, ſiſcitabatur qui eſſent ij, quidue acturi illo conueniſſent? Erant autem plurimi eorum de Monaſterio Bangor, qui ad*

[k] *Ibidem.*

Digitized by Google

ad memoratam aciem, peracto ieiunio triduano, conuenerunt. Quorum cauſam aduentus cum intellexiſſet Rex Edilfridus, ait, Ergo ſi aduerſum nos ad deum ſuum clamant, profectò & ipſi, quamuis non arma ferant, contra nos pugnant, qui aduerſis nos imprecationibus perſequuntur. Itaque *in hos primùm arma verti iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias, non ſine magno exercitus ſui damno deleuit. Extinctos in ea pugna ferunt de his qui ad orandum venerunt, viros circiter mille ducentos, & ſolum quinquaginta fuga eſſe elapſos.* Sed mihi paulisper conueniendus eſt Beda, * *homo maximè doctus, & minimè ſuperbus.* Homo tamen, à quo nihil humanum alienum puto. Et hîc aliud humani paſſus, in Saxones benignior, in Britannos longè quàm par erat inhumanior mihi videri ſolet. Illum igitur, tanquam rediuiuum, compellare liceat. Agè venerabilis Beda, candorem tuum appello, an cum priſcis illis Britannis ſatis candidè egeris. Tunè Edilfridum vt virum fortiſſimum laudas, quem tanquam crudeliſſimum homicidam deteſtari oportuit? Tunè Britannos *gentem perfidam* vocas, quos, vtpote Chriſtum profitentes, fidelium titulo ornari decuit? Tunè illorum exercitum *nefariæ militiæ copias* appellas, qui pro Chriſtianis aduerſus paganos fœdifragos dimicauit? Non Britanni (vir *Venerabilis*) ſed Saxones erant *gens perfida*; horum non illorum nefaria erat militia; hi Britannos, id eſt, aduenæ indigenas, Pagani Chriſtianos, ad quos tuendos conducti, & data fide acceſſerant, iam pridem ab auitis ſedibus in montium iuga pepulerunt; nec hîc paſſi quieſcere, pro non recepto Auguſtino, nouo domino, nouum bellum mouent. Quid hîc facerent miſeri Britanni? An ceruices ſuas hoſtibus feriendas darent? An iugulos nudis enſibus porrigerent? An ſe laceſſiti non defenderent? At nec *Deum ſuum*, id eſt, noſtrum, pro ſe ſuíſque orarent? Etenim Monachi iſti Banchorenſes, qui, ſe totum triduum ieiunio macerantes, Chriſti pro Chriſtianis auxilium implorarunt, quid illi tandem meruerunt? Quid celeberrimum monaſterium (illius ſeculi ſpiritualis paradiſus) tot filijs vno die orbatum? Nempe [l] *nobiliſſimum* (inquit ſanctus Bernardus) *extiterat monaſterium multa Millia monachorum generans, multorum monaſteriorum Caput. Locus verè ſanctus, fœcundusque ſanctorum copioſiſſimè fructificans Deo, ita vt vnus ex filijs ſanctæ illius Congregationis, nomine Luanus, centum ſolus Monaſteriorum Fundator extitiſſe feratur. Ita Hyberniam Scotiamque repleuerunt genimina eius; vt ea potiſſimùm tempora Dauidici illi verſiculi præcinuiſſe videantur, Viſitaſti terram & inebriaſti eam, &c. Nec modò in præfatas, ſed in exteras etiam regiones, quaſi inundatione facta, illa ſanctorum examina ſe effuderunt, è quibus ad Gallicanas partes Sanctus Columbanus aſcendens, Lexouienſe conſtruxit Monaſterium, factus ibi in gentem magnam.* Sic Bernardus. *Debuerat* (inquit rectè [m] Lelandus) *Gregorius* (addo etiam Auguſtinus) *admonuiſſe Saxones, gentem perfidam, vt, ſi ſincerè Chriſtianiſmum admittere vellent, Britannorum imperium quod contra ſacramentum militiæ per tyrannidem occupauerant, iuſtis dominis ac poſ-*

ſeſſoribus

* Malm. in prolog.

[l] In vita Malac.

[m] Vid. antiq. Brit. p. 9.

Digitized by Google

ſeſſoribus reſtituerent. O quanta cum laude Auguſtinus Palladij, Scotorum Apoſtoli, ſibi propoſuiſſet exemplum! [n] *Qui omnibus precibus dehortatus eſt Conſtantinum Regem, vt ne vellet Anglos Saxones, gentem impiam, armis iuuare contra Britannos, homines Chriſtianos, quando poſſit certò ſcire eorum calamitatem cum ſuâ aliquando coniunctam,* cùm ſatis conſtaret illos non Scotorum, non Pictorum amicitiam, ſed totius Inſulæ imperium quærere. Hoc facto ſibi Auguſtinus ingentem gloriam peperiſſet, qui iam minis ſuis (quas tu *prædictiones* interpretaris) ad bella conclamaſſe viſus eſt; bella inquam atrocia & crudelia, quibus tanta Chriſtianorum facta eſt clades, tantus ſanctorum monachorum ſanguis effuſus, qui eo ipſo die, vt [o] quidam verè loquitur, *Martyrio decorati, regni cæleſtis adepti ſunt ſedem.* Si iſti Martyres, quo tandem in numero habendi ſunt quorum gladijs facti ſunt Martyres? An tu hæc, Beda, ſiccis oculis memorare poteras? An monachus non plangis monachos? Quis talia fando,

Myrmidonum, Dolopumue, aut duri miles Vliſsi,
Temperet à lachrymis?

[n] Polyd Virg. hiſt.l.3.p.59.
[o] Galf. Monem. l.11.c.13.

Phil. Refert [p] Beda Auguſtinum *multo antè tempore ad cæleſtia regna ſublatum.* 6

[p] Bed.l.2.c.2.

Orth. Hoc non eſt Bedæ, ſed alicuius falſarij. Nam, vt quidam antiquitatum noſtrarum peritiſſimus doctiſſimè obſeruauit, [q] *ſuppoſititium eſt, nec in libris Bedæ Saxonicis habetur.* Hunc autem locum additamentis eſſe interpolatum ex temporum ſupputatione clarum euadet. Nam nefanda illa monachorum Banchorenſium clades facta eſt anno Domini ſexcenteſimo quinto, vt conſtat ex [r] Chronico Saxonico Petro-Burgenſi. Sed quando mortuus eſt Auguſtinus?

[q] Antiq.Brit. p.48.
[r] Vide Iuellum def.part.5.c.1. diu.1.

Phil. [s] Baronius eius mortem in annum ſexcenteſimum quartum retulit.

[s] An.604.n.60 62.55.

Orth. Ponamus, in veſtram gratiam, eum epiſcopum fuiſſe creatum quàm primùm Gallias ſalutauit (citiùs enim non potuit) id eſt, anno 596. [t] Malmesburienſis autem annos 16. vel ſaltem 15. (nam variæ ſunt lectiones) in Cathedra Cantuarienſi ſediſſe perhibet. Nos, vt vobis gratificemur, quindecem ſtatuemus. Hinc efficitur mortuum eſſe anno 611. Sed adhuc numeros contrahentes dicamus eum anno 608. obijſſe, vt habet Matthæus [u] Weſtmonaſterienſis. Si primam ſententiam amplectamur, Auguſtinum Sexennio; ſi ſecundam triennio cladi Banchorenſi ſuperuixiſſe dicendum eſt.

[t] De geſt.pontificum.l.1.p.196.
[u] L.4.

Phil. Baronius [x] Bedæ (cuius authoritas, iſtorum, iure præponderat) innititur, qui ſub hoc eodem Redemptoris anno Sancti Auguſtini mortem recenſet.

[x] Bed.l.2.c.3.

Orth. Beda, poſtquam Iuſti & Melliti Ordinationem anno 604. factam retuliſſet, Orientalium Saxonum Prouinciam verbum veritatis, prædicante Mellito, accepiſſe commemorat. Poſtea Ethelbertum

Ethelbertum in Ciuitate Londonia Sancti Pauli, in Rotſcheſter beati Andreæ eccleſiam feciſſe, & vtriuſque Epiſcopis dona multa obtuliſſe, ſicut & Dorouernienſis (id eſt, Cantuarienſis) eccleſiæ Archiepiſcopo. Sed & territoria ac poſſeſſiones, in vſum eorum qui erant cum epiſcopis, adieciſſe narrat. His hunc in modum expoſitis, ad mortem Auguſtini referendam accedit: vnde manifeſtum eſt Bedam, non ſub hoc anno (quo ordinati ſunt Mellitus & Iuſtus) vt collegit Baronius, ſed multis rebus, magni ſanè momenti & molis, quæ vno anno peragi non poterant, interiectis, mortem Auguſtini recenſere. Falli autem Baronium teſtibus euincam ampliſſimis; nempe Ethelberto Rege, & Auguſtino ipſo. Extat enim Regis Ethelberti Charta ſigillo munita, qua terras quaſdam Monaſterio Sancti Petri Cantuarienſi donauit, cui ſubſcripſi Auguſtinus, anno Domini 605. Sed ipſam [y] chartam, veritatis & antiquitatis ergô, libet ſubijcere.

[y] *Vide Iuellum defenſ. part. 5. c. 1. d. 1.*

Charta Ethelberti.

✠ *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Omnem hominem, qui ſecundum Deum viuit, & remunerari à Deo ſperat & optat, oportet vt piis precibus conſenſum hilariter ex animo præbeat, quoniam certum eſt, tantò faciliùs ea quæ ipſe à Domino popoſcerit conſequi poſſe, quantò & ipſe libentiùs Deo aliquid conceſſerit. Quocirca, Ego Ethelbertus, Rex Cantiæ, cum conſenſu venerabilis Archiepiſcopi Auguſtini, ac principum meorum, do & concedo Deo, in honore Sancti Petri, aliquam partem terræ Iuris mei, quæ iacet in oriente ciuitatis Doroberniæ. Ita duntaxat vt Monaſterium ibi conſtruatur, & res, quam ſupra memoraui, in poteſtate Abbatis ſit, qui ibi fuerit ordinatus. Igitur adiuro & præcipio in nomine Domini Dei omnipotentis, qui eſt omnium rerum Iudex iuſtus, vt præfata terra ſubſcripta donatione ſempiternaliter ſit confirmata, ita vt nec mihi, nec alicui ſucceſſorum meorum, regum vel principum, ſiue cuiuſlibet conditionis dignitatibus & eccleſiaſticis gradibus, de ea fraudare liceat. Si quis verò de hac donatione aliquid minuere, aut irritum facere tentauerit, ſit in præſenti ſeparatus à ſancta communione corporis & ſanguinis Chriſti, & in die Iudicij, ob meritum malitiæ ſuæ, à conſortio Sanctorum omnium ſegregatus. Circumcincta eſt hæc terra his terminis. In oriente eccleſiâ Sa: Martini, in meridie via Othburgate, in Occidente & in Aquilone Durting. In ciuitate Dorouerni, in anno ab incarnatione Chriſti DC. V. indictione 8.* ✠ *Ego Ethelbertus Rex Cantiæ, ſana mente integroque conſilio, donationem meam ſigno Sanctæ Crucis, propria manu roboraui, confirmauique. Ego Auguſtinus, gratia Dei Archiepiſcopus, teſtis, conſentiens libenter ſubſcripſi. Ego Eadbaldus Regis fiui. Ego Hemigiſilus Dux laudaui. Ego Hocca Comes conſenſi. Ego Augemundus referendarius approbaui. Ego Graphio Comes benedixi. Ego Tangiſilus Regis optimas confirmaui. Ego Pinca conſenſi. Ego Geddi corroboraui.* Si Auguſtinus huic donationi ſubſcripſit anno 605. quomodo mortuus eſt anno 604? Num poſt

mortem

mortem ſubſcripſit? Deinde ſi eodem anno ſubſcripſit quo facta eſt ſtrages, quomodo multò ante tempore eſt in cœlum ſublatus? Sed de his hactenus.

Nunc ad eiuſdem *inaugurationem* tandem aliquando veniamus, quam canonicè fuiſſe præſtitam, lubens (vti ſpero) fateberis. 7

PHIL. Quidni? Nam, vt ex Sancto Beda docet [z] Stapletonus, *à ſucceſſore Petri Romano pontifice erat miſſus*, & ab epiſcopis Galliæ ordinatus per impoſitionem manuum presbyterij. [z] *Princ. doctr. l. 13. c. 6.*

ORTH. [a] Gregorius *à Germaniarum epiſcopis factum eſſe epiſcopum aſſerit.* [a] *Greg. l. 7. ep. 30. ind. 1.*

PHIL. Quod dicit (Germaniarum) textum corrigendum putat [b] Baronius, vt dicat Galliarum. [b] *Bar. an. 597. n. 27.*

ORTH. Eſto, ſed quo tempore creatus eſt?

PHIL. Cùm, iam apud Anglos aliquandiu commoratus, complures conuertiſſet, vt dicit Beda.

ORTH. [c] Baronius *in eo corrigendum putat Bedam, dum poſt conuerſionem Anglorum ſubdit miſſum eſſe Auguſtinum. Hoc enim antea factum eſſe* (vt ipſi videtur) *docet Gregorius.* Sed age, à quibus eſt ordinatus? [c] *Ibidem.*

PHIL. Ab Archiepiſcopo Arelatenſi, vt refert [d] Beda. [d] *L. 1. c. 27.*

ORTH. Quid? An à ſolo?

PHIL. Minimè verò, ſed tanquam à principali ordinatore. De aſſiſtentibus Hiſtorici non adeo ſunt ſolliciti.

ORTH. Non inconcinna eſt hæc reſponſio; Cæterùm quis nam ille Arelatenſis?

PHIL. Ætherius, vt eſt apud [e] Bedam. [e] *Quo ſuprà.*

ORTH. Ætherium tunc temporis non fuiſſe epiſcopum Arelatenſem, ſed Lugdunenſem, Virgilium autem Arelatenſem affirmat [f] Baronius. Verùm vtcunque ſe res habet, ſi à Galliæ epiſcopis ſit inauguratus, illud tibi memoria recolendum, eos omnes ab [g] vno ſolo, Sancto ſcilicet Dionyſio Areopagita, originem ducere; & ex conſequenti, vobis, qui adeò rigidè Canonem interpretamini, ne epiſcopos quidem eſſe poſſe. Quamobrem ſi Argumenti tui aciem perinde in Auguſtinum, ac in hodiernos Angliæ epiſcopos, intenderis, eius ordinationem nullam penitùs fuiſſe, ſed prorſus irritam concedas oportet. Idemque de omnibus veſtris, quos ab eodem ſucceſſionem trahere gloriamini, erit iudicandum. Ita nondum mare ingreſſus, in ipſo portu naufragium paſſus es. Sed, miſſo Auguſtino, ad eos quibus ipſe manus impoſuit tranſeamus. [f] *An 597. n. 27.* [g] *Io. Maior. vide ſuprà, l. 1. c. 7. n. 7*

Digitized by Google

Cap. VI.

De Epiſcopis ab Auguſtino ad Cranmerum.

Sub imperio
- *Angloſaxonum.*
  - *Primò de Mellito & Iuſto.* 1
  - *Secundò de reliquis.* 2
- *Danorum.* 3
- *Normanorum.* 4

Phil.

Mellitus & Iuſtus, quos ipſe ſacrauit Auguſtinus, quin à tribus canonicè ſint conſtituti dubitare non licet.

Orth. Licet verò; modò interrogationem Auguſtini, & Gregorij reſponſionem diligenter perpenderis. Interrogatio Auguſtini: [a] *Si longinquitas itineris magna interiaceat, vt Epiſcopi non facilè valeant conuenire, an debeat ſine aliorum epiſcoporum præſentia epiſcopus ordinari.* Reſpondit Gregorius; *Et quidem etiam in Anglorum Eccleſiâ, in quâ adhuc ſolus tu epiſcopus inueniris, ordinare epiſcopum non aliter niſi ſine Epiſcopis potes. Nam quando de Gallis epiſcopi veniunt, qui in ordinatione epiſcopi teſtes tibi aſſiſtant? Fraternitatem tuam igitur ita volumus epiſcopos ordinare, vt ipſi ſibi epiſcopi longo interuallo minimè disiungantur, quatenus nulla ſit neceſſitas vt in ordinatione epiſcopi, alij conuenire non poſſent. Paſtores quoq; (quorum præſentia valdè eſt vtilis) facilè debeant conuenire. Cum igitur, authore Deo, ita fuerint epiſcopi in propinquis ſibi locis ordinati, per omnia, epiſcoporum ordinatio ſine aggregatis tribus vel quatuor epiſcopis fieri non debet.*

[a] Bed. l. 1. c. 27.

Phil. Verba Sancti Gregorij ſecùs ſe habere, ac à te citantur, multa fidem faciunt exemplaria; in quibus eſt illud, quod ſecuti ſunt qui eius opera Pariſijs anno 1586. ediderunt: vbi ſic legitur; [b] *Et quidem etiam in Anglorum eccleſia, in qua adhuc ſolus tu epiſcopus inueniris, ordinare epiſcopum non aliter niſi cum epiſcopis potes.* Auguſtinus autem, cùm adhuc ſolus Anglorum eſſet epiſcopus, meritò dubitare potuit, vndè venturi eſſent qui mutuam ſibi operam accommodarent; ideo ſubiungit Gregorius, *nam quandò de Gallis veniunt, illi in ordinatione epiſcopi teſtes tibi aſſiſtant.* Cæterùm cum huius loci variæ ſint lectiones, tum apud Bedam, tum apud Gregorium, quærendum igitur quam potiſſimùm editionem ſis amplexus?

[b] Greg. l. 2. p. 1124.

Orth. Ego viciſſim à te quæro, quam editionem ſecutus ſit Stapletonus, cùm Bedæ Hiſtoriam Eccleſiaſticam in ſermonem Anglicanum traduceret?

Phil.

Digitized by Google

Phil. Stapletonus,vir tam inſigni eruditione, prudentia, & zelo præditus, ad hoc vnicè collimauit, vt Patriæ ſuæ, hoc opere transferendo,prodeſſe poſſit; ideoque quamplurima ſibi exempla-ria,tum impreſſa,tum manuſcripta ſtudioſè conquiſiuiſſe, conqui-ſita inter ſe contuliſſe,ex collatis optimum quodque & pulcherri-mum ſelegiſſe exiſtimandus eſt.

Orth. Ego igitur illam amplexus ſum huius loci lectionem quæ omnium optima eſt & ſelectiſſima. Nam à Stapletoniana ne tranſuerſum quidem vnguem diſceſſi. Verùm vt genuinus ſenſus Gregorianus magis eluceſcat,vtriuſque periodi à te prolatæ, tum vera lectio,tum mutua connexio eſt paulò diligentiùs introſpicien-da. Prioris duæ ſunt lectiones,*cum epiſcopis*, & *ſine epiſcopis*. Poſte-riorem ſequutus eſt Stapletonus,quam & veriorem eſſe nullus du-bito. Nam cùm probè intelligerem quoſdam in Academia Oxo-nienſi,doctrinâ & probitate præſtantes viros,deſignatos eſſe, qui (inter cætera Patrum opera) omnia exemplaria Gregoriana, ſiue impreſſa, ſiue manuſcripta, quotquot comparari potuerant (quæ ſanè erant quamplurima) inter ſe conferrent,ab amico percontatus ſum,quomodo hic locus in manuſcriptis codicibus legeretur : qui reſpondit, hæc interrogata in manuſcriptis Gregorij codicibus non reperiri, ſed in libros impreſſos ex Bedâ ſibi videri inſerta. Tum de Bedę exemplaribus manuſcriptis inquirendū cenſui,quo-rum complura videre contigit, quæ ſummo conſenſu habebant, *ſine Epiſcopis*. Cui lectioni concordat venerandæ antiquitatis ex-emplar,quod ſummę eruditionis ac limati iudicij vir ornatiſsimus, Dominus Henricus Sauillus, eques auratus, ex propria ſua Biblio-thecâ, in Collegio Ætonenſi mihi oſtenderat. His manuſcriptis conſentit poſtrema etiam veſtra Bedæ editio Coloniæ 1612. nec minùs epiſtolæ Gregorij,tum in editione Romanâ, tum vt haben-tur in Conciliorum editione,tam Binianâ,quàm Surianâ. Imò hæc ipſa Interrogata apud Iohannē [c] Capgrauium reperiuntur,qui eo-dem planè modo,ac nos,hunc locum legit. Quamobrem, clariſsi-mè liquet,veriſsimam lectionem eſſe, *ſine epiſcopis*, vt eſt apud Sta-pletonum. Hactenus de *prima* periodo. In *altera* duo ſpectanda; lectionum diuerſitas;& pronunciandi ratiò. Ad primum quod at-tinet,vt omittam *Gallis & Gallijs, veniunt & venient*, quæ exigui ſa-nè ſunt momenti,nec ſenſum variant,Gregorij editiones,Pariſien-ſis & Romana,legunt:*Illi in ordinatione tibi teſtes aſsiſtunt*.Quæ lectio proculdubio eſt erronea. Nam non legendum *illi*, ſed *qui*,quemad-modum ex Iohanne Capgrauio,manuſcriptis, & Doctore Staple-tono apparet. De vera verborum lectione quum iam ſatis conſtet, pronunciandi ratio facilis erit & expedita. Siquidem hanc poſte-riorem periodum Interrogationis nota ſignandam eſſe poſtulat ra-tio ; alioqui enim pendet ſententia, nec ſenſum habet integrum. Iam,vt ad mutuum nexum & dependentiam veniamus, in priori membro dixerat Gregorius, Auguſtinum *non poſſe aliter ordinare*

[c] *In Sancto Auguſtino.*

Digitized by Google

epiſcopum, niſi ſine epiſcopis. Cuius dicti ſtatim rationem reddit; quaſi dicat, Nam quis tibi aſſiſtat? Num Britanni? Num Angli? Num Galli? Non Britanni, illi enim ſe opponunt, ideoq; hoc in negotio ne nominandi quidem. Non Angli, quia nulli ſunt. Hæc duo membra tanquam per ſe manifeſta prætermittit. Sed de Gallis maior dubitatio ſuboriri potuit; de illis ergo diſertè interrogat, *Quando venient è Galliâ, qui tibi in ordinatione epiſcopi teſtes aſsiſtant?* Quaſi dicat, eorum aduentum (vtpotè longè diſsitorum) incertum eſſe, nec expectandum; Vnde concludit, non poſſe Auguſtinum *aliter ordinare epiſcopum, niſi ſine epiſcopis.* Interim attendas velim, Auguſtinum non tam ineptè interrogaturum fuiſſe, ſi rem ipſam tam nefandam, planéque impoſsibilem cenſuiſſet.

PHIL. Nulline ex Galliâ, qui illi aſsiſterent, huc transfretarunt epiſcopi?

ORTH. Nihil quicquam tale ex Bedâ colligi poteſt; neq; eſt
[d] Bed. l. 1. c. 28. veriſimile. [d] Proximo capite ad epiſcopum Arelatenſem ſcribit Gregorius, monens vt Auguſtinum (ſi ad eum venire contingeret) *affectuosè dulciterque acciperet*; de epiſcopis verò in Angliam tranſmittendis nè verbum quidem. Et rurſus ſubſequente capite ſcribit literas, in quibus ſignificat *ſe Auguſtino pallium direxiſſe*, ſimul & inſinuat qualiter epiſcopos in Britannia conſtituere debuiſſet; de Gallorum epiſcopis qui ordinanti aſſiſterent, altum ſilentium. Præterea (vt ex l. 2. c. 3. conſtat) An. 604. *Auguſtinũ Britanniarũ epiſcopum ordinaſſe duos epiſcopos, Mellitum Londonienſem, & Iuſtum Roffenſem*, refert Beda; de Gallicanis tamen prorſus tacet. Quamobrem ſi Bedam conſulamus Stapletonianum, & exemplar, quod ipſe vt ſelectiſsimum amplexus eſt, ſequamur, conſtabit Auguſtinum, neceſsitate quadam poſtulante, primo quem ſacrauit epiſcopo, nempe Mellito, manus impoſuiſſe ſolum; proximo autem, videlicet Iuſto,
[e] Kelliſ. exam. part. 1. c. 3. aſsiſtente Mellito. Quod adeo eſt lucidum, vt [e] Kelliſonus veſter fateri coactus ſit, *Gregorium vni Auguſtino monacho, & tunc ſoli in Anglia Epiſcopo, licentiam dediſſe conſecrandi epiſcopos.* Et ante Kelliſo-
[f] Ioh. de Turrecrem. ſuper decr. part. 1. p. 493. num, doctiſsimus [f] Cardinalis in eadem conſtitutus fuit ſententia. Sic enim ſcribit: *Ex quibus* (ſcilicet Gregorij verbis ſupra citatis) *manifeſtè colligitur, quòd, ſecundùm ſententiam Beati Gregorij, ternarius aut binarius numerus epiſcoporum non eſt de ſubſtantia conſecrationis epiſcopi.* Cæterùm de his ſatis. Sed de reliquis Angloſaxonum epiſcopis quid ſtatuis?

2 PHIL. Omnes canonicè fuiſſe inauguratos. Hoc enim fieri debere, loco ſuperiùs citato edixit Gregorius. Nec deſunt aliquot huius rei in hiſtorijs exempla: verbi gratia, Aldulphus anno Dom.
[g] Rog. de Hou. p. 233. Edit. Sauiliana. 786. ſacratus eſt ab Eambaldo Archiepiſcopo, Gilberto, & Higbaldo, vt refert [g] Rogerus de Houeden.

3 ORTH. Quid porro de epiſcopis cenſendum, qui hîc, dominantibus Danis, ſunt conſtituti?

PHIL. Archiepiſcopos ſuos à Romano pontifice pallium accepiſſe

Digitized by Google

cepiſſe fatetur [h] Canutus. Non dubitandum igitur quin omnia ſecundùm ritum Romanæ eccleſiæ peregerint.

[h] *Ingulph. in hiſt. p. 893. & Malm. p. 74.*

ORTH. Vt igitur à Danis ad Normanos tranſeamus, qualis tibi videtur Lanfrancus, qui à [i] Willielmo Conqueſtore ad Archiepiſcopatum euectus eſt?

[i] *Malm. de geſt. pont. Angl. l. 1. p 205.*

PHIL. De Lanfranco vel quoquam alio ante Cranmeri tempora ambigere nulla ſuadet ratio.

CAP. VII.

De conſecratione reuerendiſsimi patris & beatiſsimi Martyris Tho. Cran. Arch. Cant.

Crammerus

- *Non fuit ab H. 8. ſine epiſcopali conſecratione intruſus, contra*
  - *Becanum.* 1
  - *Fitzſimonem.* 2
- *Fuit*
  - *Presbyter ſecundum ritum eccleſiæ Romanæ.* 3
  - *Epiſcopus*
    - *electus à clero*
      - *Rege annuente.* 4
      - *Papa prouidente.* 5
    - *Sacratus*
      - *Papa*
        - *veniam concedente.* 6
        - *à cenſuris abſoluente.* 7
      - *tribus epiſcopis*
        - *manus imponentibus.* 8
        - *ritus vſitatos adhibentibus.* 9
  - *Archiepiſcopus; quod probatur contra Kelliſonum, teſtimonio*
    - *Pontificum*
      - *Clementis ſeptimi.* 10
      - *Pauli quarti.* 11
    - *Legatorum pontificiorum.* 12
    - *Cardinalis Alani.* 13
    - *Ieſuitarum*
      - *Parſonij.* 14
      - *Fitzſimonis.* 15

ORTH.

SVpereſt igitur, vt Reuerendiſſimi patris & ſanctiſſimi martyris, Thomæ Cranmeri Archiepiſcopi Cantuarienſis, ordo Epiſcopalis ad examen reuocetur; de quo veſtram expecto ſententiam.

PHIL. Sic igitur habe. Quotquot ſub Henrico octauo, vel Edouardo ſexto, contigerunt in eccleſiâ Anglicanâ rerum mutationes flendæ & lachrymabiles, earum omnium Cranmerus

Digitized by Google

merus (vt vno verbo dicam) fons erat & ſcaturigo.

ORTH. *Inuidia*, qualis apud poëtas deſcribitur, non abſimilis videris; Quæ, [a] *Vix tenuit lachrymas, quia nil lachrymabile cernit.* Nam quæ tibi flendæ & lachrymabiles dicuntur mutationes (quales ſunt Religionis aliqua ex parte reformatio, & tyrannidis Papalis extirpatio) eaſdem mille benedictionum, in eccleſiam & rempub. Anglicanam cœlitùs defluentium, fœlix fauſtumque fuiſſe initium non ingrati agnoſcimus. Sed nè vagetur oratio, reſponde directè, an Cranmerus Canonicus tibi videatur Epiſcopus? Hem, quid taces? Quin eloquere. Vah, cui te aſſimilabo? Similis es homini lupum auribus tenenti, qui nec tenere ſatis nouit, nec dimittere. Cranmeri ordinationem epiſcopalem libenter infringere ac eneruare velles, ſed certè non potes.

[a] Ouid. Metam. l.2.

PHIL. [b] Becanus, ex ordine Ieſuitarum pater, Anglorum Epiſcopos ſic alloquitur: *Legitimè conſecrati non eſtis, à quo enim? An à Rege? At is conſecrandi poteſtatem non habet. An ab epiſcopo Cantuarienſi, vel aliquo ſimili? Nè id quidem. Nam Thomas Cranmerus, qui ſub Henrico octauo Cantuarienſem epiſcopatum obtinuit, non fuit conſecratus ab vllo epiſcopo, ſed à ſolo Rege intruſus, & deſignatus. Igitur quotquot ab eo poſteà conſecrati ſunt, non legitimè, ſed ex præſumptione conſecrati ſunt.*

[b] Becan. controu. Angl. c.4.q.9. n.6.

ORTH. Satis Becanus, in vnctos Domini Iacobum & Henricum, petulanter & Ieſuiticè. Primò enim Regem noſtrum ſereniſſimum Iacobum obliquè ſugillat, quaſi ipſe proprijs manibus ſacraſſet Epiſcopos. Quorſum enim interrogat, an à Rege conſecrati ſint, niſi vt lectoribus fucum & fumum inanem faceret, vt hoc à Rege noſtro aliquandò factum ſuſpicentur? Deindè Henricum in ſedem epiſcopalem, ſine conſecratione, intruſiſſe quenquam eſt improba calumnia. Etenim in epiſcopis conſtituendis, Reges noſtri, quod epiſcoporum eſt permittunt Epiſcopis, id tantùm ipſi agunt, quod iure ſuo regio agere poſſunt, id eſt, quod verbo Dei, & Regni legibus eſt conſentaneum; quodque ſanctiſsimos Reges & Imperatores, quorum viua & ſpirantia imitantur exempla, ſumma cum laude feciſſe conſtat. Porrò, ſi in iſtos vnctos Domini tam procaciter inuolet, quid mirum ſi Cranmerum ſuperciliosè deſpiciens, à nullo conſecratum fuiſſe epiſcopo tum ſplendidè mentiatur? Nec in Cranmerum modò, ſed in vniuerſos Eccleſiæ Anglicanæ Miniſtros hæc Becanica redundat contumelia, quorum ordines à Cranmero fluxiſſe non negamus. Sed age; fingamus hæc vera eſſe quæ obijciuntur; caue tamen ne hæc in vos ipſos cudatur faba. Nonne iam perſentiſcis catenæ veſtræ aureæ annulos dehiſcere? Si Cranmerus non fuit epiſcopus, certè nec Antonius Landauenſis, nec Thomas Elienſis, quorum vtrumque à [d] Cranmero ſuam deriuare conſecrationem ex Archiuis liquet. Ambo tamen Marianis temporibus erant approbati; ambo alijs ſacros ordines contulerunt, alter autem, nempe Elienſis, à Paulo quarto Pontifice maximo,

[d] Ex Regiſ. Cranmeri.

Digitized by Google

maximo, (ecquis veſtrûm Pontificem mentitum auſit dicere?) [e] *Il-luſtris & venerabilis frater, & epiſcopus* dictus fuit, eiuſdemque diplomate, vt Cranmerum pro tribunali ſiſteret, decoratus. Hæc Becano ſi non ſufficiant, Ieſuitam ad [f] Parſonium collegam ſuum remittendum ſentio, qui, licet Cranmero, & noſtris hominibus parùm ſit beneuolus, verùm tamen fuiſſe epiſcopum clariſsimè fatetur.

[e *In diplom. ſeu bulla Paul. 4. vid. act. & mon. in vita Cranm. pag. 1930.*]
[f *3. Conu. part. 1. p. 230. & 208. & alibi.*]

PHIL. Becanum noſtrum, in quem tam impotenter inuectus es, ſatis à tuis ictibus protexit pater Henricus Fitzſimon.

ORTH. Manus igitur conſeramus; & quas Loiolanus iſte co- 2
pias conquiſiuit, tu, ſi placet, produc in aciem. Sed inprimis verus quæſtionis ſtatus ſine fuco & fraude præfigendus eſt. Dixit Becanus, *Cranmerum non fuiſſe ab vllo Epiſcopo conſecratum, ſed à ſolo Rege intruſum.* Quæſtio igitur eſt; *An Cranmerus ab Henrico octauo, ſine conſecratione epiſcopali, in ſedem Cantuarienſem intruſus fuerit*; ille ait, Ego nego, multiſque argumentis conuello.

PHIL. Becani opinionem [g] Fitzſimon tribus defendit argumentis; quorum primum *à grauiſsimorum totius gentis authorum monumentis, & conſularibus actis* eſt petitum.

[g *Fitz. Britan. p. 304.*]

ORTH. Grauiſsimorum authorum? Cedò quot?

PHIL. Vnum nominat.

ORTH. Plures enim non potuit. Sed hem, quid audio? De authoribus gloriatur, & vnum tantùm nominare valet? En faſtum, & pompam Ieſuiticam! Sed hic vnus quis ſit, aueo ſcire.

PHIL. Is eſt Nicolaus Sanderus.

ORTH. Vah! vt nihil pudet? Tene iſtud calumniarum & mendaciorum Augæum ſtabulum, *authorem totius gentis grauiſſimum* indigitare? Sed quæ narras acta conſularia?

PHIL. Legem comitiorum Regni, ſeu Parliamentariam; de qua ſic [h] Sanderus: *Henricus octauus, radix peccati, cùm ab eccleſia & ſede Apoſtolica regnum ſuum diuiſiſſet, decreuit ne quiſquam electus in epiſcopum, bullas Pontificias, vel Mandatum Apoſtolicum de conſecratione requireret, ſed Regium tantùm Diploma vt adferret.*

[h *De ſchiſm. l. 3. p. 296.*]

ORTH. Quin pergas!

PHIL. Author meus Fitzſimon hîc pedem figit, nec pergit vlteriùs.

ORTH. Debuit profectò; verùm ego proxima Sanderi verba annectere non grauabor; *Sed Regium tantùm diploma vt adferret, ſecundùm quod à tribus epiſcopis, cum conſenſu Metropolitæ, ordinatus, iubebatur, lege Comitiorum facta ad imitationem antiquorum canonum, eſſe verus epiſcopus, nec alio modo ordinatum pro epiſcopo agnoſci oportere.* Hactenus Sanderus. Fitzſimon autem malè recitando ſuam nequitiam & improbitatem prodit. Nam quod caput eſt cauſæ, illumq; iugulat, id dolo malo tranſilit. Siccine Loiolanos *authorem grauiſſimum* obtruncare & delumbare? O nobilem fraudem Ieſuiticam! Sed locum Sanderi video, Fitzſimonis argumentum nondum video. Probare debuit Henricum octauum *ſine Epiſcopali conſecratione*

Digitized by Google

Cranmerum intruſiſſe; locus autem Sanderi, & acta conſularia, quæ producit, contrarium manifeſtiſſimè docent. *Spectatum admiſſi riſum teneatis amici?* Primum argumentum accepimus, pergamus ad ſecundum.

25.H.8.c.20. PHIL. Secundum ab hoc *Hen. octaui* edicto plenis Comitijs ſancito ducitur. *Si quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopi, intra viginti dies poſt acceptas regias literas, non conſecrent perſonam à Rege propoſitam, cum omnibus circumſtantijs debitis, in pœnam Præmunire incident.* An huic Conſulari decreto alij ab intruſis, vel ſchiſmaticis, futuri eſſent audientes?

ORTH. Quàm hæc inſulſè Ieſuita? Nam primò Cranmerus ſacratus eſt ante hanc legem latam: Deindè hæc ipſa lex *conſecrationem* efflagitat, cum *omnibus debitis circumſtantijs* peragendam, idque ſub pœna grauiſſima delinquentibus infligenda. At Ieſuitæ probandum incubuit, Canmerum ab Hen. *ſine vlla omninò conſecratione* fuiſſe intruſum. Quomodo hæc cohærent? Dic ſodes, num Fitzſimon ſatis ſobrius cum hæc ſcriberet?

[i] *Fitzsimon quo ſupra.* PHIL. Tertiam verò addit rationem *a* [i] *manifeſto mendacio tuo.*

ORTH. Meo autem?

[k] *Idem. p. 305.* PHIL. Planè tuo. Nam [k] *vt probes Cranmerum fuiſſe epiſcopum,* verbis Parſonij tuum additamentum aſſuiſti.

ORTH. Egone? Certè vt Cranmerum Epiſcopum eſſe probarem, ex Parſonio, in editione Anglicana quam iſte exagitat, nè vnum quidem verbum protuli. Vter igitur mendax?

PHIL. Ad Parſonium tamen prouocans, ex eiuſdem ſcriptis locum in margine indicaſti, qui ſanè nihil ad inſtitutum.

ORTH. In numeris (fateor) error irrepſit. Legitur part. 3. pag. 340. reponendum autem part. 1. pag. 230. Cuiuſmodi lapſus ſiue in tranſcriptionibus, ſiuè in prælis, adeo proni ſunt & procliues, vt in magno opere vix aut ne vix quidem euitari poſſint; ideoque à candido Lectore veniam facilè conſequentur. Verba autem quibus in ipſo textu vſus ſum, veriſſima ſunt atque certiſſima, & cum loco Parſoniano, quem in margine indicare volui, optimè conſonant. Nam (vt modo feci) Becanum ad collegam ſuum Parſonium relegaui, aſſerens eundem liquidò fateri Cranmerum fuiſſe Epiſcopum. Quid? An non fuit Epiſcopus? An non hoc liquidò agnoſcit Parſonius? Ipſum Fitzſimonem, aduerſarium meum maleuolum ac maledicum, teſtem ac iudicem appello, cuius hæc ſunt

[l] *Ibidem.* verba: [l] *Ego verò tibi do Cranmerum fuiſſe Archiepiſcopum, teſtante Parſonio, tum alibi paßim, tum in reſponſione, &c.* Vides igitur, & quod dixi verum eſſe, vt hoc idem affirmare Parſonium, & vtrumque agnoſcere Fitzſimonem; niſi fortè Archiepiſcopus eſſe poſſit, qui non eſt epiſcopus, quod nemo ſanus vnquam ſomniauit. Interim quàm bellè cauſam Ieſuitæ agit Ieſuita? Cranmerum ab vllo Epiſcopo conſecratum negárat Becanus; quod perinde eſt, ac ſi negaſſet

negaſſet fuiſſe Epiſcopũ. Hunc tueri ac defendere volens, ſed non valens, Fitzſimon, miſerè oneri ſuccumbit, & clypeum abijcit. *Ego*, inquit, *tibi do Cranmerum fuiſſe Archiepiſcopum*, ergo quod negare voluit, ipſi miſer affirmauit. Deindè ego Cranmerum fuiſſe Epiſcopum Parſonij teſtimonio comprobâram; hoc Fitzſimon, licèt reluctante conſcientia, refellere voluit, ſed tandem veritate victus, *Ego*, inquit, *tibi do Cranmerum fuiſſe Archiepiſcopum, teſtante Parſonio*, idque *paſſim*. Sic quod confutare conatus eſt, ipſe confirmauit. ——— *Iamque Britanni,*

Ecce Britannomachum deuictum tendere palmas
Simonidem, vidère.

Hunc igitur locum à mendacij aſpergine, vel aduerſarij teſtimonio vindicauimus.

Phil. Non tam hoc loco nititur Fitzſimon, quàm [m] altero, cui magis inſiſtit, adductis tum Parſonij verbis, tum aſſumento tuo! Hæc ſunt verba Parſonij: [n] *Inter Foxi ſanctos non eſt Eremetica nec Monaſtica vita, non ſolitudo à mundo, aut mulieribus, nec in alterutro ſexu quiſquam virginitatis ſpeciem præ ſe ferens, neque vlli reuera Epiſcopi, ſi eorum ordinatio excutiatur.* Hucuſque Parſonius. Verba autem [o] proxima (nempe, *nam præter Cranmerum, ex tota combuſtorum turba, nulli alij Epiſcopi clericiue extiterunt*) non Parſonius, ſed (vt verbis vtar [p] Fitzſimonis) *tu fraude plenus attexuiſti.*

[m] Edit. Angl. pag. 92.
[n] 3. Conuerſ. part. 3. p. 340.
[o] In editione meâ Anglicana.
[p] p. 505.

Orth. Fraude plenus? Bona verba; cur enim dolo malo agerem? Cui bono? Aut quid inde lucri cauſæ meæ accreſceret?

Phil. *Simplicitatem & candorem te ſpreuiſſe* dicit, *vt inde probes Cranmerum fuiſſe Epiſcopum.*

Orth. Quàm ille toto cœlo errat? Illud enim ibi non agitur, ſed iàm diù antè agebatur. Nec tam Parſonij, quàm duorum Pontificum, Clementis 7. & Pauli 4. authoritate res tum confecta erat & tranſacta. Quiſquámne eſt qui mendacium concinnaret, vt gemino lucente ſole, Parſonij candelam in meridie accenderet? Quiſquámne eſt qui verbis Parſonij mendacium aſſueret, ad illud fictitio eiuſdem teſtimonio probandum, quód ipſe clariſſimis verbis paſſim teſtatur? Hîc in Ieſuita ingenium & acumen deſidero. Hæc enim nimis ſunt inſulſa, & puerilia ſatis. Igitur liquet me Parſonij teſtimonium non eo adduxiſſe intuitu, vt Cranmeri ordinem epiſcopalem probarem. Quorſum igitur? Illud Ieſuita vel ex titulo capitis ediſcere potuit. Agitur enim de Epiſcopis regnante Edouardo ſacratis. De his quæro, num vobis ſint Epiſcopi? Reſpondetur autem, non eſſe; & hunc in finem à me verba Parſonij ſunt prolata. Quid? Nonne verè & appoſitè citantur? Nonne id quod volui, directè probant?

Phil. [q] *Limbum tamen aſcititium adieciſti.*

[q] Fitzſimon Ibidem.

Orth. Limbus iſte non eſt ex ſacco aut Cilicio, ſed ex oſtro & purpura. Nam quod Ieſuita limbum appellat, non eſt meum, ſed Cardinalis [r] Alani. Vnde apparet quàm temerè ac præcipitantèr

[r] In defenſ. cath. p. 45.

Digitized by Google

tantèr in me irruat Ieſuita, pleno ore mendacium crepans, quum quid à quo dicatur non intelligat.

Phil. Si ſit Cardinalis Alani, cur nomen eius non appoſuiſti?

Orth. Quia ipſi nomen ſuum cælare viſum eſt. Poſthac autem vt [s] loci illius perſpicuitati conſulam, & nomen Cardinalis, & libri paginam, & verba ipſa diſtinctis characteribus pingenda curabo. Sed de mendacio hactenùs. Iam ſi me Parſonio limbum addidiſſe fingamus, num inde Cranmerum ab Henrico octauo, ſine Epiſcopali conſecratione, intruſum fuiſſe concludet Ieſuita? Verùm de Becani defenſione Fitzſimoniana, qua Sol non vidit ineptiorem, hæc dicta ſunto. Iam ad inſtitutum redeuntes, miſſis velitationibus, cominùs agamus.

[s] Nempe huius libri c.14.n.2.

3 Et vt à fonte exordiar, nonne erat Cranmerus presbyter ſecundùm ritum Romanæ eccleſiæ? Ad Clementem ſeptimum prouoco, qui, in bulla ad Cranmerum miſſa, ipſum appellat, [t] *Magiſtrum in Theologia, in presbyteratus ordine conſtitutum.*

[t] Regiſtrum Cranmer. fol.2.b.

4 An fortè non fuit canonicè deſignatus Epiſcopus? Immo [u] *data Cantuarienſi conuentui à Rege facultate electus eſt.*

[u] Antiq.Brit. p.327.

5 Quid! an Papæ quoque approbationem poſtulas? Ecce bullam Clementis 7. ad Henr. 8. [x] *Clemens Epiſcopus Henrico Anglorum Regi illuſtri.*

[x] Reg.Cranmer. fol.1.a.

De perſona dilecti filij Thomæ Electi Cantuarienſis prouidimus.

Bonon. 1532. 9. *Kal. Mart. Pontificatus noſtri.* 10.

Et aliam ad Cranmerum ipſum, in hæc verba:

[y] *Clemens Epiſcopus, dilecto filio Thomæ Electo Cant.*

Præfatæ Eccleſiæ Cantuarienſi, Apoſtolica authoritate prouidimus, teque illi præfecimus.

[y] Ibid. fol.26.

An fortè hoc fecit tanquam homo priuatus? Immo in Conſiſtorio, Cardinalium purpura fulgentium choro circundatus, vt ex iiſdem bullis patet.

[z] *Præfatæ Eccleſiæ de eorundem fratrum conſilio Apoſtolica authoritate prouidimus.* An fortè hoc factum, non quia meruit Cranmerus, ſed quià Regem metuit Papa? Ipſum ſi placet Apollinem ex Tripode loquentem audi.

[z] Ibidem.

[a] *Clemens epiſcopus Henrico Angl. Regi illuſtri.*

De perſona dilecti filij Thomæ Electi Cantuarienſis, nobis & fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum, accepta, &c.

[a] Ibidem fol.1.a.

Vides igitur quàm firma & illuſtris fuerit hæc Cranmeri ſublimatio, quæ, Rege annuente, conuentu eligente, papa prouidente, facta eſt.

At fortè conſecrari voluit nondum impetrata à Pontifice venia. En igitur hìc quoque bullam Pontificiam.

[b] *Tibi vt à quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam & communionem Apoſtolicæ ſedis habente, accitis & in hoc aſſiſtentibus duobus vel tribus Epiſcopis, ſimilem gratiam & communionem habentibus, mu-*

[b] Ibidem.

nus

Digitized by Google

nus conſecrationis recipere valeas, concedimus facultatem, dat. Bonon. 1532 *Pontificatus noſtri decimo.*

An fortè cenſuris irretitus erat Eccleſiaſticis, ob quas ad tantam dignitatem ſuſcipiendam, minùs videri poſſet idoneus? Hoc certè à quoquam traditum nondum comperi; ſed fac ita ſe habere; Ecce tibi Vice-Deum veſtrum Vaticanum omnes huiuſmodi nebulas vel ſuo ſpiritu diſſlantem: 7

[a] Clemens dilecto filio Thomæ Cranmero, Archidiacono de Taunton, in eccleſia Wellenſi, Magiſtro in Theologia, ſalutem. [a] *Ibid. fol.* 2.

Te à quibuſuis Excommunicationis, Suſpenſionis, & Interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latus, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtis, &c tenore præſentium abſoluimus.

Dat. Bonon. 1532. 9. *Martij.*

Vel fortè à toto & talibus Epiſcopis, quot & quales per diploma pontificum requiruntur, non eſt conſecratus? Tempus & perſonæ, atque adeo totus proceſſus in ipſis Archiuis, omni exceptione maioribus, conſignantur, ex quibus in tuam gratiam breuem hîc ſynopſin depromendam cenſeo. 8

Tho. [d] Cranmerus conſecratus 30. Martij 1533. 24. H. 8. à { Ioh. Lincolnienſi. Ioh. Exonienſi. Henrico Aſaphenſi. } [d] *Regiſtr. Cranm. fol.* 5.

An fortè in hac ordinatione, vſitati ritus more Eccleſiaſtico non ſunt abhibiti? Vel poſt eiectum Romanum Pontificem, adhuc retentos eſſe non obſcurè innuit [e] Sanderus; quanto igitur magis hoc tempore in vſu erant, Pontifice non eliminato? 9 [e] *Sand. de ſchiſm. p.* 297.

Phil. *Cranmerum* (inquit [f] *Kelliſonus*) *verè ordinatum non nego, quia ab Epiſcopis Catholicis munus conſecrationis accepit; ita & vixiſſe eum & mortuum eſſe verum Epiſcopum fateor, fortè tamen non fuit verus & legitimus Archiepiſcopus Cantuarienſis.* 10 [f] *Kell. in repl. contra doct. Sut. p.* 30.

Orth. Fortè? Quod ita! ecquâ illud forti ratione colligitur? Argumenta Kelliſoni à ſimonia, periurio, ac impoſtura deducta, nihil ſunt aliud quàm totidem calumniæ, quæ mox, vbi hiſtoriæ veritas eluxerit, tanquam fumus, euaneſcent. Interim Cranmerum verum fuiſſe Archiepiſcopum adeo eſt manifeſtum, vt nihil ſuprà. Quod, licet ex ſupradictis ſatis ſit liquidum, conabor tamen in Kelliſoni gratiam adhuc luculentiùs demonſtrare; idque expreſſo duorum Pontificum teſtimonio, Clementis ſeptimi, & Pauli quarti. Clemens in bulla ad Henricum Octauum.

[g] *De fratrum eorundem conſilio, Apoſtolica authoritate prouidimus, ipſumque* [g] *Reg. Cranm. fol.* 1.

Digitized by Google

ipſumque (Cranmerum ſcilicet) *in Archiepiſcopum præfecimus.* Et in altera bulla ad Cranmerum ipſum.

[h] *Ibid.fol.2.*

[h] *Te illi* (nimirùm eccleſiæ Cantuarienſi) *in Archiepiſcopum præfecimus, & paſtorem.*

Quid? An nudum duntaxat Archiepiſcopi nomen illi indulſit Clemens? Minimè verò; non ita inclemens. Sequitur enim in eadem bulla:

Curam & adminiſtrationem ipſius eccleſiæ (Cantuarienſis) *tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenariè committendo.*

Sed fortè *Pallio*, in quo nomen Archiepiſcopi & Eccleſiaſticæ poteſtatis plenitudo continetur, erat deſtitutus. Immo hoc à Clementiſſimo Clemente eſt tranſmiſſum.

Clemens Epiſcopus dilecto filio Tho. Cantuarienſi.

[i] *Ibidem,fol.3.*

[i] *Pallium ipſum de corpore beati Petri ſumptum, per venerabiles fratres noſtros, Archiepiſcopum Eboracenſem, & Epiſcopum Londinenſem tibi aſſignandum, per præfatum Nuntium tuum duximus deſtinandum, vt ijdem Archiepiſcopus & Epiſcopus, vel eorum alter, illud tibi poſtquam munus Conſecrationis acceperis, aſſignent, &c.*

Dat. Bonon. 1532. 5. *nonas Martij.*

11 Teſtis alter locupletiſſimus Paulus quartus, qui Cranmerum appellat, *Thomam Cranmerum, olim Archiepiſcopum Cantuarienſem*, tùm in Bulla [k] Comiſſionali, qua Epiſcopos Londinenſem, atque Elienſem, Legatos ſuos in cauſa Cranmeri conſtituit, tum in [l] Prouiſionis Bulla, qua Cardinalem Polum in Archiepiſcopum Cantuarienſem ſublimauit.

[k] *Cuius exemplar apud Iohan. Foxum in act. & mon. in vita Cranm.* p.1930.
[l] *Regiſt. Card. Polyd.p.2.*

PRIL. Fortè Cranmerum hoc inſigniuit titulo, non quòd reuera eſſet Archiepiſcopus, ſed quòd talis diceretur, & vulgò haberetur.

ORTH. Nugæ: Paulus enim authoritate Sancti Petri Cranmerum à gradu Archiepiſcopali degradandum edixit; quod ipſum publicè & ſolenniter factum eſt à binis Legatis Pontificijs.

12 In qua *Degradatione*, illud cum primis memorabile contigit, quòd licèt Ridleium, Hooperum, & Ferrarum gradu tantùm *Sacerdotali*, cui regnante Henrico initiati fuerant, ſpoliarent, non autem *epiſcopali*, quia regnante Eduardo conſecratos pro epiſcopis non habebant, Cranmerum tamen omnibus paramentis ad presbyterum, epiſcopum, vel Archiepiſcopum ſpectantibus, induerunt, & mox ſic indutum vniuerſis his Inſignibus, tanquam opimis ſpolijs, denudarunt. Interea, dum hæc geſta ſunt, Cranmerus degradantes ſic alloquitur: [m] *Quis veſtrûm habet pallium, qui meum mihi pallium*

[m] *Act. & mon. in vit. Cranm. pag.*1709.

um auferat? Cui reſponſum, hoc ab illis factum authoritate à Romano pontifice delegata.

Vis nunc, Kelliſone, vt poſt duos ſoles, totidemque parelios, 13
ſtellas tibi in meridie lucentes oſtendam? Prima erit, & magnitudinis primæ, Cardinalis [n] Alanus; qui Cranmerum Archiepiſcopum fuiſſe liquidò concedit.

[n] *Cathol. defenſ. ſi textus conferatur cum margine.*

Secunda, ſed magnitudinis ſecundæ, erit nobilis Ieſuita, [o] Par- 14
ſonius ſcilicet, qui *Auguſtinum, & Cranmerum, Archiepiſcoporum Cantuarienſium primum, & vltimum*, appellat. Et [p] alibi dicit, Cranmerum *primum extitiſſe Archiepiſcoporum Cantuarienſium, qui à fide Romana apoſtatauit.*

[o] *Conuer. part. 1. p. 208.*
[p] *p. 230.*

His adiungam tertiam, minimæ quidem magnitudinis ſtellam, 15
ſed proteruam ſatis atque malignam, Saturninæ naturæ, in Cauda opinor Draconis poſitam, [q] Fitzſimonem ſcilicet, quem antea debellatum, & manus flebiliter attollentem, audiuimus clara voce clamantem, *Ego tibi do Cranmerum fuiſſe Archiepiſcopum.* Quamobrem illud Kelliſonianum (*fortè non fuit verus & ligitimus Archiepiſcopus Cantuarienſis*) eſt obelo transfigendum, & æterna litura obducendum. Cranmerus enim, non modò pro epiſcopo, ſed etiam pro vero & legitimo Archiepiſcopo Cantuarienſi, velit nolit Kelliſonus, eſt agnoſcendus.

[q] *Britannomach. p. 306.*

Cap. VIII.

De Canonicis impedimentis, Cranmero à Champnæo obiectis, nempe bigamia, & actuali Coniugio; atque obiter de hodierno noſtrorum Præſulum Coniugio.

- *De*
  - *Bigamia quæſtio*
    - *proponitur, & ſtatus quæſtionis.* 1
    - *diſcutitur ex*
      - *Canonibus in genere.* 2
      - *Sacris Scripturis.* 3
      - *Sanctis patribus.* 4
      - *eccleſiæ praxi.* 5
      - *ratione*
        - *morali.* 6
        - *myſtica.* 7
  - *Actuali coniugio*
    - *Cranmeri, quod perſtringunt, quia*
      - *actuale, ſed defēditur per*
        - *Sacras Scripturas.* 8
        - *Canonem*
          - *Apoſtolicum.* 9
          - *Ancyranum.* 10
          - *Nicenum.* 11
          - *Gangrenſem.* 12
          - *Sextæ Synodi.* 13
        - *exempla*
          - *aliorum*
            - *presbyterorū.* 14
            - *epiſcoporum.* 15
          - *patrum, Roman. pontif.* 16
      - *ſacrilegum, quod tractatur ratione*
        - *ſui.* 17
        - *voti.* 18
    - *noſtrorum hodiè Præſulum, obitèr, & breuitèr.* 19

Phil.

a Champn.p.369 C*Ranmerum* [a] *quadruplicem habuiſſe ordinationis ſuæ Canonicum obicem, nimirum Bigamiam, Actuale connubium, ſchiſma, & hæreſin*, ex Annalium quodam ſcriptore, anonymo quidem, ſed Anglico & Londini impreſſo narrat Champnæus, & narrationem ſuam hac concluſione

b P.371. obſignat: [b] *Ex his clarè conſtat, Cranmerum, cùm in Archiepiſcopum ſacratus ſit, & bigamia, & ſacrilego connubio coniunctum, & ſchiſmate à ſummo Pontifice & ſede Apoſtolica ſeparatum, atque tandem turpiſſima & inſulſiſſima hæreſi, quæ Regem Caput Eccleſiæ Anglicanæ conſtituit, infectum fuiſſe.* Et paulò pòſt; *quadruplicem hanc irregularitatem nefario etiam periurio flagitioſiſſimus homo coronauit.*

Orth. Vel potiùs Champnæus librum ſuum maledictis atque contumelijs ſplendidè coronat. Hîc autem quinque Cranme-

c Infra c.9.n.18 d Ca.10.n.3. ro obtendit impedimenta, de quorum tribus, [c] periurio, [d] hæreſi, & ſchiſmate,

e ſchiſmate,poſteà agendum: reliqua duo,quæ huius loci ſunt propria,hîc attingam. Primò,Bigamiæ reum poſtulat; ſed quis dicendus eſt Bigamus? An qui duas vno eodemque tempore habet vxores? Huiuſmodi (fateor) hominem à ſacris ordinibus repellit Apoſtolus: ſed quid hoc ad Cranmerum, qui ab hac labe erat immunis? An qui,priore coniuge defunctâ,ad ſecundas nuptias tranſijt? Hoc quidem fecit Cranmerus, ſed nunquid eo nomine ab Epiſcopatu excludendus? [e] C.10.n.2.4. & 6.

Phil. Quidni? Excludunt enim Canones,ſeu [f] *leges Eccleſiaſtica.* 2

[f] Vide Champ. p.370.in margine.

Orth. Champnæo Canones in genere objicienti,duo in genere reſpondeo: primò,nos Canones qui ſacro Canoni palam repugnant non moramur; reliquos quo par eſt habemus in pretio. Secundò, miror te,Champnæe, canonica impedimenta contra illam ordinationem objicere,quæ Papæ authoritate eſt peracta, qui, ex tua ſententia,omnibus omninò Canonibus eſt ſuperior,quique mille iſtiuſmodi obſtacula,vel ſuo digitulo,diſſipare poteſt. Túne de eius irregularitate ſemel audes hiſcere,quem pro ſua clementia Clemens ſeptimus,pontifex Romanus, omnium regularum regula,fecit regularem? Nonne vt Neptunus tridente ſuo nubes, ita hic,Iupiter veſter Capitolinus,omnes [g] *Eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pœnas, à iure vel ab homine quauis occaſione vel cauſa contra Cranmerum latas,authoritate Apoſtolica procul abegit?*

[g] Vid.cap.7.huius lib.n.7.

Phil. [h] *Non legibus tantùm Eccleſiaſticis, ſed etiam Apoſtolicis, Bigami à ſacerdotio excluduntur.* [i] *Epiſcopus ſit vnius vxoris vir.* 3

[h] Champ.ibid.
[i] 1.Tim.3.2. Tit.1.5.

Orth. Genuina Apoſtoli ſententia illa ipſa eſſe videtur, quam ad Oceanum commemorat Hierônymus,his verbis: [k] *Ex Iudæis erat Apoſtolus, prima Chriſti eccleſia de Iſrael reliquijs cõgregabatur. Sciebat lege conceſſum, &,exemplo patriarcharum ac Moiſis, familiare populo nouerat in multis vxoribus liberos ſpargere. Ipſis quoque ſacerdotibus huius licentiæ patebat arbitrium. Præcipit ergo ne eandem licentiam ſibi Eccleſiæ vindicent ſacerdotes,ne bina pariter & terna ſortiantur coniugia, ſed vt ſingulas vno tempore habeant vxores.*

[k] Eph.83.

Phil. Hæc interpretatio multis rationibus conuelli poteſt. Prima ducetur à loco. Paulus enim hæc ſcripſit ad Timotheum & Titum,qui erant Epiſcopi, hic Cretenſis, ille Epheſinus. Sed [l] *nec Cretenſes nec Epheſinos,hiſque propinquos populos fuiſſe polygamos vſquam inuenimus,*inquit Baronius.

[l] Bar.an.58.n.18

Orth. Sanctus Paulus Epiſtolis ſuis, ad Timotheum & Titum exaratis,non hos ſolùm aut eorum ſucceſſores,Epheſinæ ſcilicet aut Cretenſis Eccleſiæ antiſtites, ſed vniuerſos per totum terrarum orbem,ſiue ex gentibus, ſiue ex Iudæis futuros epiſcopos erudire voluit. Quare ſi vſpiam terrarum hic mos inoleuerat, par erat vt Apoſtolus quid hac in cauſa faciendum eſſet admoneret, etiamſi nec Epheſini nec Cretenſes hac eſſent labe coinquinati.

Phil. Secunda ratio petetur à tempore. Siquidem *eo tempore*

Digitized by Google

[m] Bell. de cler. c. 23.

re (vt rectè [m] Bellarminus) *non erat conſuetudo neque apud Iudæos, neq; apud Gentiles, & multò minus apud Chriſtianos, vt vnus vir duas ſimul vxores haberet; proinde quod non fiebat, nō erat cur tam ſeriò prohiberetur.*

[n] Quo ſupra, n. 16. [o] Ioſeph. antiq. l. 17. c. 1. [p] In Dial. cum Tryph.

ORTH. Bellarmino contradicit [n] Baronius, ſic ſcribens: *De Iudæis non inficias imus conſueuiſſe, his etiam temporibus, aliquos ipſorum plures ſimul habere potuiſſe vxores.* [o] *Ioſephus enim id teſtatur dicens, Mos nobis eſt patrius plures ſimul habere vxores.* Sed & Iuſtinus Martyr ait: [p] *Melius fuerit Deum nos, quàm inſipientes & cæcos veſtros Rabbinos ſequi, qui ſanè ad hunc vſque diem, & quatuor & quinque vxores habere vnumquenque veſtrum permittunt.* Tales digamos, trigamos, & polygamos, qui vno eodemque tempore plura pariter ſortiuntur coniugia, eoſque ſolos, ab ordine Epiſcopali arcet Apoſtolus. Etenim qui poſt obitum primæ vxoris, alteram ſancto & honorabili coniugij vinculo ſibi aſſociat, is etiamnum eſt vnius vxoris vir, ac proinde hac ex parte irreprehenſibilis.

[q] Bel. quo ſupra. [r] 1. Tim. 5. 9.

PHIL. [q] *Eadem phraſi, & in eadem epiſtola, & ab eodem Apoſtolo iubetur epiſcopus eſſe vnius vxoris vir, & vidua* [r] *vnius viri vxor.* At nulla ratio permittit *vt Paulus iubere voluerit ne vidua eligatur, quæ fuerit vxor multorum virorum ſimul. Id enim fruſtrà Paulus iuſſiſſet, cum nuſquam & nunquam fuerit eiuſmodi vſus, vt vna mulier eſſet plurium virorum vxor.*

[ſ] Mat. 5. 32. 19. 9.

ORTH. Hoc aliquando vſuvenire ſolitum ex verbis Seruatoris licet colligere: [ſ] *Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat. Qui dimiſſam duxerit:* ergo aliquando contingebat, vt ab vno, extra cauſam ſcortationis, dimiſſa vel repudiata, ab alio in vxorem duceretur. Iſtiuſmodi autem mulier, ad ſecundas nuptias conuolans, euaſit duorum ſimul virorum vxor, prioris de iure, poſterioris de facto. Docet igitur Apoſtolus huiuſmodi fœminas, ſi fiant viduæ, in eccleſiaſticarum viduarum album non eſſe referendas, quemadmodum exponunt Theodoretus & Theophylactus. Eodem planè modo viros, qui, manente adhuc prioris coniugij vinculo, ad ſecundas nuptias trāſeunt, ab ordine epiſcopali ſemouet, ac ſecludit. Hactenus de phraſi Apoſtolica; nunc rem ipſam inſpiciamus.

[t] Rom. 7. 2. [u] 1. Cor. 7. 39.

[t] *Mulier* (inquit Apoſtolus) *ſi mortuus fuerit vir, ſoluta eſt à lege viri.* Et rurſus, [u] *Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Vnde conſtat vinculum coniugale morte dirimi. Vxor ergo defuncta non eſt vxor. *Relatum* autem ſine ſuo *correlato* eſſe non poteſt. Maritus igitur mortua vxore deſinit eſſe maritus; & per conſequens eſt nullius vxoris vir. Quin ſi cum alia nouum ineat fœdus nuptiale, fit iterum vnius vxoris vir, nempe poſterioris, & non prioris, quia prius vinculum morte reſcinditur. Quiſquis autem eſt vnius vxoris vir, idem, cæteris paribus, ab Apoſtolo ad epiſcopatum admittitur. Quare qui prima vxore mortua aliam aſciſcit, is, cæteris paribus, in epiſcoporum catalogum cooptari poteſt. Hæc ratio, in ſcripturis fundata, Theodoreto tam potens viſa

eſt,

Digitized by Google

eſt,vt,cùm eandem apud quoſdam patres legiſſet,in eorum ſententiam protinùs concederet.

PHIL. Docent Anglo-Rhemenſes noſtri Apoſtolum hîc inhibere,[a] *ne quis iterum coniugatus, aut exiſtens Bigamus, ad ſacros ordines admitteretur:* & hanc expoſitionem,*omnium patrum,ſine omni exceptione,doctrinæ eſſe conformem.* [a] *Anglo.Rhem. in 1.Tim.3.*

ORTH. *Omnium Patrum? Sine omni exceptione?* Hîc falli Anglo-Rhemenſes veſtros oſtendit [b] Bellarminus; qui nos habere Theodoretum ſententiæ noſtræ patrocinantem palam profitetur. Huius enim verba adeo clara ſunt & dilucida, vt eorum ſplendori nè Bellarminus quidem ipſe tenebras poſſet offundere.Sed operę pretium erit verba ſubijcere. [c] *Virginitatem nec Græci exercebant,nec admittebant Iudæi; Liberorum enim procreationem benedictionem exiſtimabant. Quoniam ergo illo tempore non facilè inueniri poterant,qui caſtitatem exercerent,ex ijs qui vxores duxiſſent,eos qui temperantiam honoraſſent, iubet ordinare. Illud autem vnius vxoris virum mihi videntur quidam rectè dixiſſe. Olim enim conſueuerant & Græci & Iudæi,cum duabus & tribus & pluribus etiam vxoribus ſimul iungi lege Matrimonij. Quinetiam nunc, cum leges Imperatoriæ prohibeant ſimul vxores ducere, rem habent cum concubinis & meretricibus. Dixerunt ergo diuinum dixiſſe Apoſtolum,eum qui cum vna ſola vxore pudicè cohabitat,dignum eſſe qui ordinetur epiſcopus. Neque enim ſecundum (inquiunt) reijcit Matrimonium,qui illud ſæpè iuſſit fieri.* [d] *Mulier enim, inquit,alligata eſt lege quamdiu viuit vir eius,ſin autem vir eius mortuus fuerit, libera eſt, cui vult nubat,tantùm in Domino.* Et rurſus: *Dico autem innuptis & viduis,&,vtroque ordine coniuncto,vnam legem conſtituit. Re vera enim, ſi factum fuerit votum continentiæ, non eſt in voluntatis poteſtate ſecundũ matrimonium.Si enim ipſe priore expulſa vxore fuiſſet alij coniunctus,dignus eſſet qui reprehenderetur,& iure fuiſſet accuſationi obnoxius: ſin autem vis mortis priorem diſiunxerit,vrgens autem natura vt ſecundæ vxori coniungeretur,coegerit, non ex voluntate, ſed ex caſu proceſſit ſecundum matrimonium. Hæc conſiderans, admitto eorum interpretationem qui ſic intellexerunt.* Hucuſque Theodoretus.

[b] *De cleric.c.23.* [c] *Theod.in 1.Tim.3.* [d] *1.Cor.7,39.*

PHIL. Veſter hac in cauſa fateor eſt Theodoretus,verùm ille ſolus; ſic enim [e] Bellarminus: *Vnus eſt Theodoretus, quantùm legere potui,ex omni numero veterum,qui,per vnius vxoris virum,intellexit eum qui duas aut plures ſimul vxores non habet. Ita enim exponit in Commentario capitis tertij prioris epiſtolæ ad Timotheum. Sed non eſt tanta eius authoritas vt tot ſanctis pontificibus, & omnibus alijs patribus anteponi debeat.* [e] *De cler.c.23.*

ORTH. *Omnibus alijs?* Hîc falli Bellarminum ex ipſo Theodoreto conſtat, qui ſe quorundam interpretationem, eamque Scripturis ſacris ac rationibus probè innixam ſecutum fatetur; apud quem etiam,fortaſſis vox, *Dixerunt,* illam fuiſſe frequentem intrepretum ſententiam innuit. Quin ſi placet, audi [f] Hieronymum.*Quidam,*inquit,*de hoc loco ita ſentiunt. Iudaica, inquiunt,conſue-* [f] *In Tit.1.*

 tudinis

Digitized by Google

tudinis fuit, vel binas habere vxores, vel plures; quod etiam in veteri lege de Abraham & Iacob legimus. Et hoc nunc volunt eſſe præceptum, nè is qui epiſcopus eligendus eſt, vno tempore duas pariter habeat vxores. Quidam ita ſentiunt: non ergo ſolus Theodoretus, ſed ante Theodoretum *quidam*, quorum nomina vtinam recenſere dignatus eſſet Hieronymus. Nam cùm vir eſſet immenſæ lectionis, credibile eſt illum complures nominare potuiſſe, quorum opera ad nos non peruenerunt. Quid quòd ipſe quoque, licèt [illegible], huic ſententiæ fauiſſe videri poſſit, quam bis commemorat, ad Oceanum, & in Commentarijs in epiſtolam ad Titum. Porrò nobis quoque aſtipulatur Sanctus Chryſoſtomus, hunc locum ſic exponens: [f] *Non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceat abſque vxore epiſcopum fieri, ſed eius rei modum conſtituens. Iudæis quippe licitum erat ſecundo Matrimonio iungi, & duas itidem ſimul habere vxores.*

[f] Chryſ. in 1. Tim. c. 3. hom. 10.

PHIL. Quid per *ſecundum* intelligat *Matrimonium*, ipſe in eodem opere, ſatis indicat, dicens: [g] *Caſtigat hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit poſt ſecundas ad eccleſiæ regimen dignitatemque paſtoris aſſumi. Nam qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam ſeruaſſe deprehenditur, quo pacto eccleſiæ is præceptor eſſe optimus poterit?* Vbi clariſſimè oſtendit, vnius vxoris virum à Beato Paulo dici eum, qui, poſt obitum primæ vxoris, ſecundam non duxit.

[g] Chryſ. in Tit. c. 1. hom. 2.

ORTH. Vox [illegible], qua vtitur Chryſoſtomus, non neceſſariò ſignificat defunctam, niſi aliquid addatur, vt [illegible], à vita diſcedere. Hîc autem ſine vllo additamento ſimpliciter ponitur, & ſignificat abeuntem ſeu diſcedentem. Solebant enim vxores à viris ſuis diſcedere aliquando inuitæ, ſeu coactæ, nempe accepto Repudij libello, aliquandò ſua ſponte, vt innuit Apoſtolus, dicens, [h] *Eis qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Huiuſmodi diſceſſiones hîc intelligit Chryſoſtomus, non eam quæ fit per mortem. Quod duplici ratione euincitur. Primò, quia aſſerit Apoſtolum hoc in loco *impudicos* caſtigare; at qui, defuncta prima vxore, ſecundam *ducit in Domino*, non eſt (teſte [i] Domino ipſo) eo nomine impudicus; nam ſine dubio, non *in Domino* agitur, quod *impudicè* agitur. [k] *Matrimonium* porrò *eſt honorabile*; non dicit Spiritus ſanctus primum matrimonium, quaſi ſecundum aut tertium excluderet, ſed ſimpliciter matrimonium. Nec refert vtrùm ſit primum, an ſecundum, an tertium, quia omne matrimonium verum ac legitimum eſt honorabile. Vnde Auguſtinus, *Quòd ſi dormierit vir eius, non dicit primus, vel ſecundus, vel quartus, nec nobis definiendum eſt, quod non definiuit Apoſtolus. Vnde nec vllas debeo damnare nuptias, nec illis verecundiam inferre numeroſitatis.* Qui ergo ſecundas ſucceſſiuè contrahunt nuptias in Domino, non ideò ſunt impudici, quia contrahunt, ſed ideo contrahunt, ne ſint impudici. Noli hîc mihi opus imperfectum in Matthæum, Chryſoſtomo aſcriptum, obijcere, quod tanto cum faſtidio à [l] Bellarmino & [m] Baronio reijcitur.

[h] 1. Cor. 7. 10.

[i] Ib. v. 37. nam ex analogia, ſi fœminæ fas ſit, tum & viro.

[k] Heb. 13. 4.

[l] Bell. de verb. Dei l. 4. c. 11.

[m] An. 407. n. 11.

reijcitur. Secundò, Chryſoſtomus eos perſtringit, qui *nullam vxoribus ſuis beneuolentiam ſeruaſſe deprehenduntur*; quod de illis, qui, prima vxore fato ſuo functa, cum ſecunda fœdus nuptiale ineunt, dici non poteſt: hos igitur non reprehendit, ſed eos duntaxat, qui duo ſimul ſortiuntur coniugia. Ergo hac in cauſa etiam Chryſoſtomus noſter eſt.

PHIL. Huic veſtræ loci Paulini expoſitioni, [n] ***totius eccleſiæ conſuetudo & praxis repugnat.*** 5

[n] *Anglo-Rhem. in 1.Tim.3.*

ORTH. Siccine verò? Conſulamus igitur [o] Hieronymum. ***Carterius Hiſpaniæ epiſcopus, homo & ætate vetus & ſacerdotio, vnam antequam baptizaretur, alteram poſt lauacrum, priore mortua, duxit vxorem; & arbitraris eum contra Apoſtoli feciſſe ſententiam, qui in catalogo virtutum, epiſcopum vnius vxoris virum præceperit ordinandum? Miror autem te vnum protraxiſſe in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus ſit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu; ad epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, vt Ariminenſis Synodi numerus ſuperetur.*** Ecce, tibi totus mundus abundat epiſcopis, qui duas vxores ſucceſſiuè duxerant.

[o] *Ep.83.*

PHIL. Multi fateor bina contraxerant coniugia, ſed alterum antè baptiſmum, alterum verò pòſt.

ORTH. Perinde eſt. Baptiſmus non ſoluit coniugia, neque dubitandum eſt, quin ipſorum quoque Paganorum matrimonia ſint vera matrimonia. Quare ſi homo, qui duo ſibi ſucceſſiuè conciliauit coniugia, alterum ante Chriſti lauacrum, alterum poſt, cathedram epiſcopalem poſſit aſcendere, cur non idem quoque homini binas poſt baptiſmum nuptias celebranti liceat, nulla ratio ſatis idonea reddi poteſt; at primum ab Hieronymo defenditur, & eiuſdem ſententiæ erant Macedoniæ Epiſcopi, quorum viginti tres nominat [p] Innocentius.

[p] *Innoc. 1. ep. 22.*

PHIL. Hieronymus iſtorum ordinationes defendit quidem, ſed ipſos non habet pro bigamis; Innocentius, Ambroſius, Auguſtinus habent pro bigamis, ſed eorum ordinationes non defendunt.

ORTH. Si bigamus dicendus ſit, qui poſt primam vxorem, veram & legitimam fato ſuo functam, ſecundam adipiſcitur, eos omnes bigamos fuiſſe eſt liquidiſſimum. Ex quo tamen hominum genere vbique locorum infiniti creabantur epiſcopi.

Tu verò ſi adhuc aliter ſentias, dic tandem quânam de causâ ab hoc arcendi ſint honore? 6

PHIL. Reſpondeo cum [q] Bellarmino, *rationem partim eſſe moralem, partim myſticam.* Moralis eſt multiplex; prima, [r] *minor ſuſpicio incontinentiæ, vel perfectior continentia.*

[q] *De clericis ca. 24.*
[r] *Ibidem.*

ORTH. Qui legitimam vxorem, [s] ***incontinentiæ remedium,*** diuino etiam præcepto inſtitutum, ſibi aſciſcit, næ is, ſi rectè ratiocinamur, hoc ipſo dehinc omnem incontinentiæ ſuſpicionem longiùs à ſe remouet.

[s] *1.Cor.7.9.*

Digitized by Google

PHIL. Immo quò quis plures, licèt ſucceſſiuè, duxit vxores, eò maiora animi minimè continentis indicia præbuit.

[u] *In epiſt. ad Tit. c.1.*

ORTH. Primò audi [u] Hieronymum: *Quòd ait, vnius vxoris vir, ſic intelligere debemus, vt non omnem monogamum digamo putemus eſſe meliorem, &c. Eſto quippe aliquem adoleſcentulum coniugem perdidiſſe, & carnis neceſsitate ſuperatum accepiſſe vxorem ſecundam, quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps vixerit continenter, alium verò vſque ad ſenectam habuiſſe matrimonium & vxoris vſum, &, vt plerique exiſtimant, fœlicitatem, nunquam à carnis opere ceſsaſſe, qui vobis è duobus videtur eſſe melior, cùm in eo magis electa ſit fœlicitas, quàm voluntas?*

Secundò, Si digamus maiorem incontinentiæ daret ſuſpitionem, quàm monogamus, num idcirco ab ordine epiſcopali eſſet reijciendus? Non ſequitur. Nam & *monogamus*, credo, ex tua ſententia maiorem præbet incontinentiæ ſuſpitionem quàm *agamus*, quem tamen ab epiſcopatu non repellis. Atqui eorum neuter verè & propriè habendus eſt *Incontinens*, poſtquam, [x] medicina *à Deo* præſcriptâ, incontinentiæ morbum extinxerit; tum enim & eorum *thori* coram Deo habentur [y] *immaculati*, & eorum conditio [z] *honorifica*, & eorum conſortium tum [a] *temperantia*, tum [b] *caſtitatis* laude celebrandum.

[x] *1. Cor. 7. 9.* [y] *Heb. 13. 4.* [z] *Ibid.* [a] *Tit. 2. 3.* [b] *Ibid.*

PHIL. Secundò, monogamus eſſe debet epiſcopus, non digamus, quò liberiùs poſſit homines ad monogamiam & continentiam hortari, qui ſui exemplum præferat in docendo.

ORTH. Si hæc ratio eſſet ſimpliciter neceſſaria, cœlebs ſemper eſſe debuerit epiſcopus, non monogamus, vt liberiùs hortari poſſit ad cœlibatum. Cæterùm & digamus, qui duas ſucceſſiuè duxit, exemplo ſuo hortari poteſt ad *continentiam*, quippe cùm ipſe ſit *continens*. Nam conſuetudinem virorum cum ſuis vxoribus, *continentiam*, in Concilio Nicæno veriſſimè vocauit nobilis ille *confeſſor* [c] *Paphnutius*.

[c] *Sozom. l. 1. c. 23*

PHIL. Accedit tertia ratio moralis, nempe ob excellentiam ſacerdotij. Et hæc eſt ratio [d] Epiphanij.

[d] *Hær. 59.*

ORTH. Sacerdotij excellentia exigit ſacerdotes puros, & ab omni labe *immaculatos*; ſed hoc non obſtat, quin ad hoc munus admittantur, de quibus loquimur, digami. Nam [e] audiſti omne legitimum matrimonium eſſe *immaculatum*, eſſe *honorabile*, ſiue ſit primum, ſiue ſecundum; iuxta illud [f] Auguſtini, *nullas debeo damnare nuptias, nec illis verecundiam inferre numeroſitatis*. Sed de cauſa ſeu ratione *morali* ſatis ſuperque: nunc *myſticam* expecto.

[e] *Supra.* [f] *Auguſt.*

PHIL. *Altera cauſa myſtica eſt perfecta ſignificatio coniugij Chriſti cum eccleſia. Qui enim ſecundam vxorem duxit, ſignificat quidem coniugio ſuo Chriſti coniugium, ſed non ita perfectè, vt is, qui vnam ſolam habuit. Non enim ſignificat Chriſtum eſſe vnum vnius eccleſiæ ſponſum. Quare nuptiæ digamorum carent quadam perfectione ſignificationis, quàm habent nuptiæ monagamorum.*

[g] *Bell. de Cler. c. 24*

ORTH.

Orth. Si hæc ſignificationis perfectio vſque adeo ſit neceſſaria, vt eius defectus ab epiſcopatu ſuſcipiendo excludat, omnes omninò cælibes excluduntur, quod omninò eſt abſurdum, & agamorum Romanenſium lupanaribus valdè periculoſum.

Phil. Cùm Chriſtus & virgo ſit, & eccleſiæ coniux, ſi epiſcopus ſit coniugatus repræſentabit Chriſti coniugium, ſi Virgo, Chriſtum virginem; atque ita defectus prior, nempe quòd Chriſti coniugium non repræſentet, hac præcellente ſignificatione reſarcitur.

Orth. Si vel hæc vel illa ſignificandi perfectio, ſit abſolutè neceſſaria in eo qui ordinandus eſt in epiſcopum, quid reſpondes de monogamo qui olim liberos procreauit, licet iam eius vxor ſit fato ſuo functa? Non negabis hunc promoueri poſſe in epiſcopum, qui tamen vtraque ſignificandi perfectione eſt deſtitutus? Liberos procreauit, ergò non refert Chriſtum virginem; coniunge iam caret, ergò Chriſti cum eccleſia coniugium non repræſentat. Atqui cur non æquè argutemur, ſecundas nuptias myſticè ſignificare eccleſiam Gentilium, vt primas Iudæorum? Verùm iſtæ ratiunculæ, quas ſibi humanum fabricauit ingenium, parùm probabiles ſunt argutiolæ, nedum firmæ aut ſolidæ demonſtrationes. Et vide, quæſo, quibus gradibus hæ ingeniolorum ineptiæ prouectæ ſunt. Alij non modò digamum, ſed & monogamum ab epiſcopatu pellunt, modò illa vnica, quam duxerat, vxor fuiſſet vidua; Alij huiuſmodi hominibus non modo ad ordines verè ſacros, ſed etiam ad ſubdiaconatum (cuius ne meminit ſacra Scriptura) omnem aditum intercludunt. Alij adhuc, longiùs progreſſi, ſecundas nuptias non ſolùm in ſacrum Miniſterium cooptandis, ſed, iiſdem innitentes fundamẽtis, etiam Laicis, hoc eſt, omnibus omninò hominibus interdicunt. De quibus eleganter [a] Bernardus: *Mulier quanto tempore vir eius viuit, alligata eſt viro: ſi autem dormierit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino. Paulus eſt qui concedit viduæ, vt cui vult nubat; & tu contrà præcipis, nulla præter virginem nubat, & hoc non niſi virgini, vt non cui vult nubat vel ipſa. Quid manum Dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? Quid proprium vendicas virgini, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus, niſi liceret. At parùm dico, concedit; vult quoque: volo, inquit, adoleſcentiores nubere; nec dubium, quin viduas dicat. Quid manifeſtius? Ergò quod concedit, quia licet, etiam vult, quia expedit. Quod licet & expedit, hæreticus prohibet? Nihil ex hac prohibitione perſuadebit, niſi quod hæreticus eſt.* Hæreticus ergo eſt, quicunque prohibet ſecundas nuptias ei, cui primæ licent. Sed de bigamia hactenus; nunc de actuali coniugio.

[a] Bernard. in Cantic. ſerm. 66.

Phil. Cranmeri coniugium duplici nomine perſtringit Champnæus; quia [b] actuale, quia [c] ſacrilegum. Etenim non ſolùm erat bigamus, quippe qui duas antea duxerat, ſed iam, in epiſcopum ordinandus, erat actu Maritus.

[b] Champn. p. 369.
[c] p. 371.

Orth.

Orth. Heus Champnæe, quis tu es, qui Apoſtolo, *Gentium Doctori*, audes in os reſiſtere? Is enim, de promouendo in epiſcopum agens, ſic ait, [c] *Si quis eſt ſine crimine vnius vxoris vir.* Non dicit, Si quis aliquando fuit, ſed, *Si quis eſt*, in præſenti tempore, id eſt, ſi quis iam actu eſt vnius vxoris vir. Ergò Apoſtolus docet talem ad epiſcopatum promoueri poſſe, non obſtante actuali coniugio. Quiſquis igitur coniugatum idcirco ab epiſcopatu arcet, quia eſt actu coniugatus, is palàm & Apoſtolo, & Sancto Spiritui contradicit. Hunc locum egregiè elucidauit [d] Chryſoſtomus, his verbis: *Obſtruere prorſus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, oſtendens eam rem culpa carere, imo ita eſſe pretioſam, vt cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad ſanctum epiſcopatus ſolium ſubuehi.* Videat iam Champnæus tuus, an non ipſe in horum hæreticorum numero ſit reponendus, quibus Apoſtolus his verbis, teſte Chryſoſtomo, ora obſtruit.

[c] Tit.1.5.
[d] In epiſt. ad Tit.

Phil. Agedum, ſolium epiſcopale aſcendat coniugatus, ſed ea lege vt, poſt ſuſceptum ordinem, ab officio coniugali ceſſet. Cranmerus autem, etiam factus epiſcopus, cum vxore ſua conſuetudinem & commercium habuit; quod tamen per Apoſtolum non licet, ſic ſcribentem, [e] *Oportet epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem. Vbi* [f] *notandum pro eo quod nos habemus ſobrium, græcè eſſe* σώφρονα. *Quod, vt Hieronymus in hunc locum dicit, ambiguum eſt, prudentem, ſobrium, caſtum ſignificare poteſt. Hoc autem in loco caſtum ſignificat. Quia verò caſtitas etiam coniugatis communis eſt, ideo Apoſtolus addit etiam continentem, quod ibidem Beatus Hieronymus exponit, ab vxoris amplexibus.*

[e] Tit.1.8.
[f] Bell. de cler. cap.19.

Orth. Primò, nulla ſuadet ratio, cur vocem, σώφρονα, potiùs reddamus *caſtum*, cum Sancto Hieronymo, quam *ſobrium*, cum veteri interprete. Dein eſt etiam *continentia* coniugalis, vt diximus, illa inprimis, & modo peculiari, quæ, teſte Apoſtolo, eſt ex mutuo conſenſu, & ad tempus.

Phil. *Labora* (inquit alibi [g] Apoſtolus) *ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus.* Hîc Apoſtolus epiſcopo præcipit, [h] *vt ſtrenuè militet Deo, deindè dicit non poſſe eum benè Deo militare, ſi ſe implicauerit negotijs ſecularibus, qualia eſſe nuptias nemo negare poteſt.*

[g] 2.Tim.2.4.
[h] Bell. quo ſupra.

Orth. Qui habet donum, nec aliàs ſancto hoc [i] *auxilio* indigeat (variæ enim ſunt iuſtiſſimæ coniugij rationes, ac huiuſmodi *auxilij* vſus varij) cōſultiùs aget, ſi à Matrimonio abſtineat; ſic enim multis ſe moleſtijs liberabit. Atqui, nec eò ſpectauit *Militiæ* comparatio, quum ipſe teſtetur Deus, [k] *coniugatos* eſſe *militiæ* etiam idoneos. Verùm qui, medijs à Deo aſſignatis ritè vtens, adhuc tamen cupiditatum flammas ſentit, & incendia, is, nè vas ſuum polluat, diuinitus conceſſo vtatur remedio. Nam cui donum negat Dominus, hunc *ad nuptias vocat*. Quamuis autem nuptiæ quoque ſua non careant ſollicitudine, huic tamen homini ingens adferunt bonum; adeo

[i] Gen.2.18.
[k] Deut.24.5.

Digitized by Google

adeo vt iam coniugatus longè meliùs Domino militarę poſſit, quàm antea, quando,non ſine ſcortationis periculo, tot ebullientium cupiditatum flammis conflagraret. Quare, ſi omnia ritè perpendantur,is,vxorem ducendo, pluribus ſe moleſtijs explicat, quàm implicat. Et,vt vno verbo dicam, ſatius eſt huic homini in inferiori bono ſaluari, quàm in ſummo periclitari.

PHIL. [a] *Idem* [b] *Apoſtolus iubet coniugatos vacare, ex conſenſu ad tempus,ab opere nuptiarum,vt orationi inſtare poſſint. Ex quo per bonam conſequentiam deducit Beatus* [c] *Hieronymus, eum præcipere epiſcopis & alijs hominibus ſacratis, vt perpetuò à nuptiarum opere vacent,cùm quotidiè Orationi inſiſtere debeant. Eodem argumento vtuntur* [d] *Origenes, &* [e] *Epiphanius.*

[a] Bell.ibidem. [b] 1.Cor.7.5. [c] Hieron.in Tit. cap.1. [d] Origen.hom.3. in Num. [e] In hæreſ.catharorum.

ORTH. Apoſtolus loco citato,intelligit orationem ſolennem, cum ieiunio coniunctam, vt patet ex verbis;*vt vacetis ieiunio & precibus.* Talis autem oratio non fit quotidiè, ſed ſtatis temporibus. Poſſunt igitur coniugati, ſiue Laici,ſiue Clerici, ſecubare ad tempus, vt pietati impenſiùs vacent, & officium coniugale cedet, pro hoc tempore,ieiunio & precibus,ſed ea lege, vt poſtea *in vnum redeant,& debitam reddant beneuolentiam,ne tententur à Satana.*

PHIL. Hortatur [f] Apoſtolus,vt *ſine diſtractione* ſeruiamus Domino; at coniugium vehementer impedit eccleſiaſtica munera, ſcilicet ſtudium orationis, lectionis, efficaciam prædicationis, curam paſtoralem,curam pauperum,& ſacramentorum adminiſtrationem, vt oſtendit [g] Bellarminus. Nam *qui ducit vxorem,curat ea quæ ſunt mundi*,teſte [h] Apoſtolo.

[f] 1.Cor.7.35. [g] Bell.de cler. c.19. [h] V.35.

ORTH. Non ſoli Clerici, ſed omnes omnino fideles,ex ſententia Apoſtoli, tenentur *adhærere Domino ſine diſtractione.* Quid igitur? An fidelium nemini eſt vxor ducenda? Non ſequitur. Apoſtolus enim verba ſua de Cælibatus commodis, & Matrimonij incommodis accipi hîc voluit, non vt cuiquam abſtinendi à coniugio neceſſitatem imponerent, nec vt *laqueum injicerent,* ſed [i] vt,quid *ad vtilitatem noſtram* conduceret, admonerent. Donum autem habenti,conducit vxorem non ducere,quò arctiùs adhæreat Domino,nec curis mundanis diſtrahatur. Sin deſit donum,melius erit(audi Apoſtolum) *vxorem accipere, quàm cupiditatum incendio vaſtari.* Huic enim homini vtrinque imminent ac impendent difficultates ac moleſtiæ. Si vxorem acceperit, vrgebitur curis ad victum cultumque ſpectantibus, ac libidinum flammis exponetur. Hinc & illinc diſtractio; ſed quæ à libidine naſcitur,venis ac viſceribus altiùs inhæret,ardentiùs & flagrantiùs vrget,atq; à Satana vt in ſcortationem erumpat, magis incenditur, ac proinde longè eſt moleſtior ac periculoſior, magiſque à Domino diſtrahit. Quare huic homini magis commodum eſt, & expedit vt vxorem ducat.

[i] 1.Cor.7.35.

PHIL. [k] *In veteri teſtamento continentiam ab vxoribus videmus inprimis fuiſſe requiſitam,in ijs qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam*

[k] Bell.de cler. c.19.

ſanctam

[c] Exod. 12. [d] Hom. 22. in Euang.

ſanctam tractaturi erant. Nam præcipitur, vt [c] *comeſturi agnum Paſchalem renes ſuos accingerent, quo ſignificabatur, vt* [d] *Gregorius exponit, debere eos carnis voluptatem edomare, qui agnum Paſchalem comedunt.*

ORTH. Hæc ratio valdè eſt elumbis. Nam primò hæc continentia imperatur omnibus omnium conditionum Iſraelitis; qui tamen, hoc tranſacto tempore, ad vxores redibant, & debitam reddebant beneuolentiam. Secundò, nemo ſub lege ſacerdos eſſe potuit niſi ſacerdotis filius; tantum abfuit, vt Deus ſacerdotibus ſuis, qui diuino numini appropinquabant, officium coniugale in perpetuum interdiceret.

[e] Bell. ibidem. [f] Exod. 19. [g] L. 1. de offic. cap. vlt.

PHIL. [e] *Cùm populus legem à Deo accepturus eſſet, ait illis Moſes,* [f] *Eſtote parati in diem tertium, & nè approquinquetis vxoribus veſtris. Quo teſtimonio vtitur* [g] *Ambroſius ad probandam continentiam Clericorum.*

ORTH. Hoc præceptum conſtrinxit non ſolos Primogenitos, qui tunc erant pro ſacerdotibus, ſed vniuerſum *Populum* Iſraeliticum, qui tamen poſtea Vxorum ſuarum commercio vtebantur. Quamuis autem ſingularis quædam puritas in Miniſtris requiratur, tum Leuiticis, tum Euangelicis, Cœlibatus tamen perpetuus, vt abſolutè neceſſarius, hinc elici non poteſt, hiſſæ magis, quàm illis.

[h] Bell. ibidem. [i] Exod. 28. [k] Li. 3. de tabernacul. c. 9.

PHIL. [h] *Præcipit Deus vt Aaron & filij eius, cum ingrederentur tabernaculum* [i] *fœminalibus lineis, à renibus vſque ad femora, tecti eſſent. Quo exponit* [k] *Beda ſignificatum eſſe, debere ſacerdotes noui Teſtamenti aut virgines eſſe, aut contracta cum vxoribus fœdera diſſoluiſſe.*

ORTH. Theologia ſymbolica non eſt argumentatiua.

[l] Bell. ibid. [m] 1. Sam. 21. [n] Ad Tit. c. 1.

PHIL. [l] *Noluit* [m] *Achimelech dare Dauidi panes propoſitionis comedendos, niſi priùs intellexiſſet eum ab vxore aliquandiu ſe continuiſſe; Ex quo deducit Beatus* [n] *Hieronymus, perpetuam requiri in ſacerdotibus continentiam, etiam ab vxoribus, qui corpus Chriſti (quo ille panis propoſitionis ſignificabatur) conficiunt, edunt, aliiſque tradunt.*

[o] 1. Sam. 25.

ORTH. Dauid tamen paulò pòſt aliam ſibi accepit [o] vxorem. Deductio autem Hieronymi non eſt abſolutæ neceſſitatis. Perpetuam continentiam capiat qui capere pòteſt; qui verò non poteſt, idem oportuno tempore ad vxorem redeat, *ne tentetur à Satana.*

[p] Bell. ibid.

PHIL. [p] Ex libro 1. Paralepomenon, cap. 24 & Lucæ primo colligitur, ſacerdotes veteris teſtamenti per vices ſuas miniſtrare ſolitos, & toto eo tempore, qui miniſtrabant in tabernaculo, à domo & vxore abfuiſſe. Ex quo deducunt Siricius, & Innocentius primus, & Beda, quòd ſi illi, tempore quo miniſtrabant, ab vxoribus abſtinebant, omninò decere vt ſacerdotes noſtri qui non per vices, ſed ſemper miniſtrant, ſemper ab vxoribus ſe contineant.

[q] Ex. 28. 41. [r] 1. Chron. 24. 3. [s] 2. Cor. 5.

ORTH. Sacerdotes Leuitici tenebantur vi conſecrationis ſuæ ad [q] miniſtrandum Iehouæ in munere ſacerdotali, vices autem poſtea [r] Dauidis demum tempore ſunt inſtitutæ. Et Præcones quoque euangelici ſanctificati ſunt ad miniſtrandum Iehouæ in [s] verbo & ſacramentis, licèt non diſtribuantur in claſſes, perinde ac Leuitici.

Digitized by Google

tici. Verùm quid inde? An ſemper ſolenniter miniſtrabunt? Profectò, vt cæteri Chriſtiani, iubente Apoſtolo, *ſemper orant*; non autem ſemper orant Chriſtiani actu; neque ſemper actu miniſtrant Euangelij præcones; non ſemper baptizant, non ſemper concionantur, non ſemper cœnam celebrant, ſed aliquod aliquando intercedit interuallum. Quamuis autem Chriſtiani omnes etiam Laici, ſemper debeant orare affectu, hoc tamen non tollit Laicorum omnium officia coniugalia; eodem planè modo Miniſtri Euangelici ſemper affectu tenentur miniſtrare, quod tamen maritale commercium, quod imperat Apoſtolus, non excludit. Ex his quę diximus ſatis liquet, quàm falsò affirmet [a] Bellarminus, cœlibatum perpetuum ſacris ordinibus annexum eſſe, iure Apoſtolico. Longè rectiùs [b] Gratianus, *Copula ſacerdotalis nec legali, nec euangelica, nec Apoſtolica authoritate prohibetur; eccleſiaſtica tamen lege interdicitur.* Et Cardinalis [c] Caietanus: *Nec ratione, nec authoritate probatur quòd, abſolutè loquendo, ordo ſacerdotalis, vel in quantum eſt ordo, vel in quantum Sacer, impeditiuus eſt matrimonij, ſiue antè, ſiue pòſt, ſecluſis omnibus legibus, ſtando tantùm his quæ à Chriſto & Apoſtolis habentur.* Et Claudius [d] Eſpencæus: *Æneam Syluium, Papam Pium ſecundum, ferunt, conſiderantem cœlibatus iugum cum Sacerdotij ſtatu annexum, nec naturâ eſſe, nec biblicâ ſeu canonicâ ſcripturâ, ſed vel cuiuſque voto, vel eccleſiæ ſtatuto, nec vniuerſalis, ſed Latinæ; ignem autem vbique adurere, non minùs apud Latinos, quàm Græcos; dicere ſolitum, ſacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, maiore videri reſtituendas.*

[a] De cler. c. 23. rat. 19.
[b] Cauſ. 26. q. 2. ſors.
[c] Tom. 1. tract. 27.
[d] De contin. l. 1. c. 13.

PHIL. Vxorum fruitionem ſacerdotibus prohibent canones eccleſiaſtici. 9

ORTH. Eccleſiæ Romanæ canones hodierni non modò *ſacro canoni*, ſed & priſcis eccleſiæ canonibus repugnant. Et primò hîc nobis occurrit Canon ille antiquus, qui vulgò dicitur Apoſtolicus: [e] *Epiſcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abijciat. Si verò abiecerit, excommunicetur, ſed, ſi perſeuerauerit, deijciatur.* In hoc Canone exponendo nos ſequimur *ſextam Synodum* generalem.

[e] Can. Apoſt. 6.

PHIL. *Huius Canonis ſenſum ſic enucleat* [f] *Binius. Hoc Canone non præſcribitur, vt coniugatus Clericus vxori ſuæ maritali commercio cohabitet, liberíſque procreandis & generandis incumbat, ſed potiùs vt ij qui habent vxores,* [g] *iuxta præceptum Pauli, & exemplum Sancti* [h] *Petri, illarum curam habeant, ipſiſque de omnibus, quæ ad vitam honeſtè degendam requiruntur, prouideant.* Huius expoſitionis veritas eluceſcit primùm ex titulo, quem huic canoni Dionyſius abbas præfixit. *Nempè Clerici ordinati ſuas vxores alere, non autem cognoſcere debent.*

[f] Binius tom. 1. p. 14.
[g] 1. Tim. 5. 8.
[h] 1. Cor. 9. 5.

ORTH. Dionyſij Exigui hac in cauſa exigua eſt authoritas. Quo enim iure titulum præfixit, qui textui repugnat? Etenim ſi abſtineant, inuitis vxoribus, nónne hoc eſt planè vxores, quatenus vxores ſunt, abijcere? Sin illis volentibus ac conſenſum præbentibus, quæro, an ſecubare debeant ad tempus tantùm, vel in perpetuum?

Digitized by Google

tuum? Si dixeris ad tempus tantùm, hoc pro nobis facit. Hoc enim tranſacto tempore rurſus in vnum conueniunt, ex præcepto [i] *Apoſtoli, nec fraudabunt alter alterum:* ſin hanc ſecubationem vis eſſe perpetuam, *Apoſtolo* contradicis, qui monet, *vt rurſus in vnum redeant, nè tententur à Satana.*

[i] 1. Cor. 7. 5.

Phil. [k] Secundò, *Probatur ex epiſtola Clementis ſecunda, qua Clementi à Petro præcipitur, vt tales Miniſtri altaris ordinentur, qui ante ſui ordinationem vxores ſuas reliquerunt, id eſt, ipſis conſentientibus, à carnali copula abſtinuerunt. Ita in manuſcripto exemplari Vaticanæ bibliothecæ legi ſcribit* [l] *Turrianus.*

[k] Binius ibidem.
[l] Tur. pro Canon. apoſt. l. 1. c. 1.

Orth. O egregium antiquitatis Monumentum, dignum ſanè quod non puluere Vaticano obruatur, ſed marmoribus Capitolinis, ad perennem eius gloriam, incidatur. Iacobus enim, ad quem miſſa fingitur hæc Clementis papæ decretalis epiſtola, mortuus eſt octo ad minimum annis ante papatum Clementis. Quanta eſt hæc veſania, tam putidis delirantium Impoſtorum commentis fidem adhibere?

Phil. [m] Tertiò, *Sanctus* [n] *Gregorius conſtituit, non modò vt epiſcopi, ſed ne quidem vt ſubdiaconi ad ſacros ordines recipiantur, niſi qui cum vxoribus ante habitis continentes deinceps vixerint. Cùm itaque eodem* [o] *libro, Apoſtolica lege & conſtitutione hac citata, epiſcopis præcipiat, ne vxores ſuas relinquant, non aliter hunc canonem intelligi voluit, quàm vt ij qui ob ſuſceptos ſacros ordines vſu coniugij abſtinent, vxorum ſuarum curam habere non deſinant.*

[m] Binius ibid.
[n] L. 1. ep. 42.
[o] Ep. 38.

Orth. Primò, Gregorius, vt nimis rigidus nuptiarum reprehenſor, à [p] veſtris perſtringitur. Secundò, licet prohibeat ne deinceps ordinentur ſubdiaconi niſi continentiam voueant, [q] permittit tamen eodem in loco, vt vxoribus ſuis liberè vtantur, quas ante ordinationem duxerant: & tamen ſubdiaconatus eſt vobis inite rabilis, ac proinde [r] Bellarmino characterem videtur imprimere. Eſt etiam ſacramentum, & ſacer ordo, idque per excellentiam. Sic enim [s] Bellarminus. *Vt rectè docet* [t] *Magiſter, omnes ordines ſunt ſacri, ſed primi tres dicuntur per excellentiam ſacri, quia proximè contingunt res ſacras. Presbyter enim Euchariſtiam conſecrat & miniſtrat, Diaconus defert eam, ſubdiaconus ſacra vaſa contingit, & præbet.*

[p] Secus pronunciante Gregorio, viro, vt videtur, plus ſatis ... apol. tumultuaria, citante doctiſſ. viro Tho. Mortono ep. Cou. & Lich. in appel. las proteſtantium, l. 1. c. 2. ſ. 32.
[q] L. 1. ep. 42.
[r] De ſacrament. ordin. c. 7.
[s] Ibidem
[t] L. 4. diſt. 24.

Phil. Quartò, [u] *Omnium ferè Patrum conſenſu & teſtimonio conſtat, quòd ſi quis legitimè coniugatus, vxore conſentiente, Epiſcopatum & ordines ſuſceperit, is, tam in Orientali quam in Occidentali eccleſia, vel Muneris epiſcopalis exercitio, vel vxoris ſuæ coniugali conſuetudine abſtinere debeat. Vide* [x] *Epiphanium,* [y] *Hieronymum,* [z] *Baſilium, &* [a] *Leonem, qui ne ſubdiaconis quidem permittit vxoribus vti.*

[u] Bin. ibid.
[x] Epiph. in Compend.
[y] Hier. contr. Vigil. & ep. 50.
[z] Baſ. ep. 17.
[a] Leo. ep. 84. c. 4.

Orth. Omnium ferè patrum? Quàm hoc ſit falſum, ex patribus Ancyranis, Nicenis, Gangrenſibus, & ſextæ Synodi, paulò pòſt citandis, ſtatim liquebit.

Phil. [b] Quintò, [c] *Apoſtolica conſtitutione bigamis, etiamſi cælibes & continentes ſint, ſuſceptio ſacrorum ordinum maiorum interdicitur.*

[b] Bin. quo ſupra.
[c] Apoſt. can. 17.

Quomodo

Quomodo igitur ordinatis authoritate Apoſtolicâ præcipietur, vt vxoribus, quas habent legitimas, coniugali conſuetudine & commercio cohabitent, ipſiſque debitum petentibus licitè reddant?

ORTH. Satis rectè, modò Canon exponatur de eiuſmodi bigamis, qui duas, vno eodemque tempore, habuerunt vxores. Hi meritò à ſacris arceantur ordinibus, licèt vnius vxoris vir & epiſcopatu frui poſſit, & coniugio. Hactenus quinq; rationes Binianas diſpulimus, ſupereſt ſexta & vltima, à Concilio Niceno ducta, quam hîc tranſilire viſum eſt, quia de hoc Concilio paulò pòſt vberius eſt dicendum. Hucuſque de canone Apoſtolico, vt vulgò dicitur.

Nunc ad concilium [d] Ancyranum accedo, quod permittit diaconis, ſe continere non poſſe in ipſa ordinatione profitentibus, *vt ſi poſtea ad nuptias venerint, in miniſterio maneant, modò illis epiſcopus licentiam dederit.* Vnde [e] Bellarminus concludit, *Cælibatum ſacerdotum non eſſe de iure diuino.* Hoc Concilium anno Domini 314. eſt celebratum, & poſtea à [f] Leone quarto probatum. 10

[d] *Concil. Ancyr. c.9. Bin. t.1. p.272.*
[e] *De Cler. c. 18.*
[f] *Diſt. 20. de libellis.*

PHIL. Patres Ancyrani non hoc concedunt presbyteris, aut epiſcopis, ſed ſolis Diaconis.

ORTH. Spiritus Sanctus vitæ & [g] conſcientiæ puritatem perinde in Diacono requirit, ac in Epiſcopo. Vterque erit [h] vnius vxoris vir, vterque [i] reget familiam; vtriúſque [k] vxor erit grauitate & ſobrietate ornata, moribúſque ad pietatem compoſitis. Quare vtriuſque hac ex parte vna eadémq; eſt ratio. Quocirca ſi, ad vitandam ſcortationem, Diacono liceat frui coniugio, quidni & epiſcopo? Cum ſpiritus ſanctus dicat, [l] *Propter vitandam ſcortationem vnuſquiſque propriam vxorem habeto.*

[g] *1. Tim. 3. 9.*
[h] *1. Tim. 3. 2. & 12.*
[i] *1. Tim. 3. 4. & 12.*
[k] *1. Tim. 3. 11.*
[l] *1. Cor. 7. 2.*

PHIL. Neque omnibus Diaconis hoc indulgent Ancyrani, ſed ſolis ſe continere non poſſe in ipſa ordinatione profitentibus.

ORTH. Omnibus tamen, has flammas ſentientibus, hoc in ordinatione ſua profiteri licuit. Et profitentibus præſtò erat remedium.

PHIL. Hoc illis *non aliter ſanè conceſſum eſt, quàm quòd, à ſacri muneris exercitio abſtinentes, non ampliùs cum ſacris Miniſtris, ſed cum populo extra cancellos, laicâ communione communicarent. Quod expreſſiùs in ſecunda, quàm in reliquis duabus editionibus hic aſſeritur,* inquit [m] Binius.

[m] *Bin. in not. in concil. Ancyr. to. 1. p. 276.*

ORTH. Contrarium ex verbis eſt liquidiſſimum. *Si poſtea ad nuptias venerint, maneant in Miniſterio, propterea quòd his epiſcopus licentiam dederit.* Quid clariùs dici potuit? Quod verò Binius de laica communione adijcit, ad hos non pertinet, ſed ad reliquos qui continentiam profitentur, vt ex verbis ſequentibus eſt perſpicuum. *Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio vel clero ceſſare debebunt, laicam duntaxat recipientes communionem.* Quod tamen non

Digitized by Google

ideo ſtatuerunt patres, quaſi officium coniugale illicitum eſſet Miniſtris euangelicis (ſic enim ſibijpſis in eodem Canone contradicerent) ſed quia indignum putabant, ſi homo, poſt liberam & ſpontaneam *continentiæ profeſſionem,* in ætatis flore factam, ad nuptias deuolaret. Nobis tamen illud Apoſtoli ſemper eſt animo recolendum; *melius eſt nubere, quàm vri.* Sed de Concilio Ancyrano ſatis; ad Nicenum propero, quod rem totam in cuiuſque reliquit arbitrio.

[n] *Bin.t.1.p.14.*

11 Phil. [n] *Patres Concilij Niceni omnes omninò mulieres præterquam matres, ſorores, auias, aut amitas, à contubernio clericorum prohibentes, quid aliud volunt, quàm vt ſacris ordinibus initiati ab omni commercio coniugali ſe contineant?*

[o] *Sozom.l.1.c.23*

Orth. Nicenum concilium hàc de re nullam legem tuliſſe teſtis [o] Sozomenus, qui ſic ſcribit: *Alijs viſum eſt legem introducere, quæ iuberet vt epiſcopi, presbyteri, diaconi, & ſubdiaconi cum vxoribus, quas ante duxiſſent quàm eſſent ſacris initiati, neutiquam dormirent. At Paphnutius Confeſſor, in medio conſeſſus ſurgens, legi contradixit, nuptiáſque honorabiles, & conſuetudinem virorum cum ſuis vxoribus, continentiam vocauit; poſtremò concilium hortatus eſt, vt talem legem minimè promulgarent. Nam rem eſſe ad tenendum difficilem, & fortaſſe cauſam illorum vxoribus fore, vt non ſatis caſtè vitam traducant, ac veterem eccleſiæ traditionem eſſe* (aduerte Philodoxe, non dicit eſſe Chriſti præceptum, aut Apoſtolorum inſtitutum, ſed eccleſiæ traditionem) *vt qui cœlibes gradum Sacerdotalem conſecuti fuiſſent, poſtea minimè vxores ducerent,* quæ quidem traditio nobis non diſplicet, modò donum habeant,) *qui autem poſt nuptias ad eum ordinem vocati eſſent, hi ab vxoribus, quas habebant, minimè ſepararentur. Atque iſta quidem, licèt coniugij expers, ſuaſit Paphnutius; cuius ſententiam approbauit concilium, & de hac re nullam legem tulit, ſed eam in cuiuſque arbitrio, non in neceſſitate poni voluit.* Hactenus Sozomenus. Paphnutius autem, teſte [p] Socrate, *Ciuitatis cuiuſdam in ſuperiori Thebaide ſitæ Epiſcopus fuit, vir ſanè adeo ſanctus & pius, vt eximia cum primis miracula ab eo ederentur. Huic quidem perſecutionis tempore oculus effoſſus eſt. Imperator igitur* (Conſtantinus magnus) *hominem in magno honore habuit. Sæpiſſimè, illum ad regiam ſuam accerſiuit, & oculum erutum exoſculatus eſt.*

[p] *Soc.l.1.c.8.*

[q] *Bell.apol. p.318. in octauo.*

[r] *In reſponſ. ad apolog. Bell. pag. 167.*

Phil. [q] *Hiſtoria verò illa conuincitur eſſe falſa.*

Orth. Reſpondeo cum literatiſſimo epiſcopo: [r] *Sozomenum falſi reum peragit; ſcilicet; Quid factum in Synodo Nicena, credat quis Cardinali potiùs, quàm Sozomeno? At Sozomeni tempora (qui Theodoſio Iuniori hiſtoriam ſuam inſcripſit) non procul aberant à Nicena Synodo, nec vllum mendacio pretium, vt Cæſari referret rem falſam, quæ patrum memoria contigiſſet, non conductus, credo, ad hoc à nouatore vllo.* Sic ille. Neque ſolus Sozomenus hoc teſtatur, ſed & [s] Socrates, [t] Nicephorus, & [u] Gelaſius Cyzicenus, qui ſe hiſtoriam ſuam ex membranis eccleſiaſticis, & Tabulario Dalmatij Cyziceni Archiepiſcopi teſtatur excepiſſe totam, fide quàm optimâ.

[s] *L.1.c.8.*

[t] *Niceph. l.8.c.19*

[u] *Vide Franc. Iun. animadu. in Bell. contr. 4. l. 1. c. 18. art. 25.*

Phil.

Phil. Falſi tamen conuincitur, quià Canon ille tertius vxores non excipit.

Orth. *Quid opus* (reſpondet [x] epiſcopus) *quas communis nomine nemo intelligat, & de quibus ſuſpicio non ſit.* Porrò de extraneis fœminis exponi debere, luculentiſſimè docet [y] gloſſa.

[x] *Ibidem.*

[y] *Diſt. 32. interdixit.*

Phil. [z] Epiphanius & Hieronymus contra Canones eſſe aſſerunt, vt epiſcopus, presbyter, diaconus, liberos gignat.

[z] *Binius ibid. to. 1. pag. 14.*

Orth. Iterum reſpondeo cum eodem: *Quos illi canones contrauenire dicũt, Romani erant. Videas hoc in ſexta Synodo generali, Can. 13. vbi Romanam eccleſiam, de Canone illo, nominatim perſtringunt Patres, & ne vel ſacris arceantur qui coniugati, neue vſu coniugij, voto aliquo priuentur, ſeuerè ſanciunt.* Sed de Niceno hactenus.

Audiuiſti paulò antè quid Patres Ancyrani ſtatuant de Diaconis; nunc accipe quid Gangrenſes de Sacerdotibus. [a] *Si quis de presbytero qui vxorem duxit, contendat, non oportere, eo ſacra celebrante, oblationi communicare, ſit Anathema.* 12

[a] *Concil. Gangr. c. 4 interprete Gent. Herueto. ap. Bin. t. 1. p. 384.*

Phil. Concilij Gangrenſis, circa annum Domini 384. habiti, capitula ſecundùm triplicem editionem habentur apud Binium. Prima tamen, id eſt, [b] *editio Dionyſij, inter has tres Græco contextui eſt maximè conformis*; in qua ſic legitur: *Quicunque diſcernit à presbytero qui vxorem habuit, quòd non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* Cuius canonis condendi hæc eſt ratio, quam reddit [c] Binius: *Euſtathiani ita horrebant nuptias, vt etiam presbyteros, qui vxores habuerant, ferre non poſſent, etiamſi viuentibus adhuc maritali conſortio non cohabitarent. Vnde quàm ineptè hic canon ad cœlibatum clericorum impugnandum ab hæreticis vſurpetur nemo non videt. Siquidem in eo agitur tantùm de presbytero qui vxorem habuit, habentis autem vxorem nulla mentio fiat.* Hæc Binius; cui conſonat Græcus contextus, παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, à presbytero qui vxorem habuit.

[b] *Bin. ibid. in margine.*

[c] *Ibid. p. 388.*

Orth. Vel potiùs à presbytero *qui vxorem duxit.* Duxiſſe autem dici poteſt, etiamſi iam habeat. [d] Socrates enim, Euſtathij dogmata à concilio Gangrenſi damnata referens, ſic ait: *Euſtathius benedictionem & cõmunionem* πρεσβυτέρου γυναῖκα ἔχοντος: *id eſt, presbyteri vxorẽ habentis, quam lege cùm eſſet laicus duxiſſet, tanquam ſcelus, declinandam præcepit.* Quare concilium Gangrenſe illis omnibus qui docent, non oportere, Miniſtro qui *vxorem habet* ſacra celebrante, oblationi communicare, anathema dicit.

[d] *Socrat. l. 2.*

Tandem aliquando ad ſextam Synodum generalem deuenio, in 13
cuius Canone decimo tertio ſic legimus: [e] *Quoniam Romana eccleſia pro Canone traditum eſſe cognouimus, vt Diaconi, vel Presbyteri, qui digni qui ordinentur exiſtimati ſunt, profiteantur ſe non ampliùs vxoribus ſuis coniungendos, nos antiquum canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſeruantes, hominum qui ſunt in ſacris coniugia deinceps hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem diſſoluentes, vel eos mutuâ, tempore conuenienti, conſuetudine priuantes. Quamobrem ſi quis dignus inuentus fuerit, qui hypodiaconus,*

[e] *Apud Binium. t. 3 p. 146.*

Digitized by Google

vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibetur, ſi cum legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, vt profiteatur ſe à legitima cum vxore conſuetudine abſtenturum, ne ex eo, à Deo conſtitutas, & ſua præſentia benedictas nuptias, iniuriâ afficere cogamur, euangelica voce exclamante; Quæ Deus coniungit, homo non ſeparet; & Apoſtolo docente, honorabiles eſſe nuptias, & torum immaculatum: &, alligatus es vxori? ne quære ſolutionem.

[f] Bin. in Canon. Apoſt. t. 1. p. 14. PHIL. [f] *Teſtimonio ſanctorum patrum, eorum qui interfuere concilio Niceno ſecundo, conſtat ſextam Synodum vniuerſalem nullos canones edidiſſe: euulgatos autem 102. ſub huius nomine, canones, omnes ſpurios eſſe, quippe qui non à ſexta Synodo, ſed potiùs à quodam illegitimo & reprobato Conciliabulo in Trullo (à quo Trullani canones nominantur) habito, editi ſunt.*

[g] Act. 4. Bin. t. 3. p. 332. ORTH. Contrarium oſtenditur, primò ex illo ipſo, quod memoras, Niceno concilio, his verbis: [g] *Helias, venerabilis protopresbyter ſanctæ eccleſiæ dominæ noſtræ Deiparæ in Blachernis, legit ex charta quæ definitiones ſanctæ & vniuerſalis ſextæ Synodi continet. Canon ſanctæ & vniuerſalis ſextæ Synodi: In quibus ſanctarum imaginum, &c. Sabas, venerabilis monachus, dixit: Qua de cauſa hæc non ex libro, ſed ex charta lecta ſunt? Tharaſius, ſanctiſſimus patriarcha, dixit, quoniam Charta ipſum eſt antographum, in quo patres ſubſcripſerunt. Petrus, Metropolites Nicomediæ, dixit: Quinetiam habeo & alterum codicem, ſextæ ſacræ Synodi canones continentem; quem in manibus ſumptum Victor, venerabilis diaconus & Notarius, legit, repetens eundem canonem. Sanctiſſimus Patriarcha dixit, quæ eſt hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones! Scandalum enim eſt dubitare, num ſint ſextæ Synodi. Cognoſcant igitur tales, Sextam temporibus Conſtantini fuiſſe congregatam, nimirum, contra eos, qui tantummodò vnam actionem & voluntatem in Chriſto collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, Orthodoxamque fidem confirmantes, ſub annum decimum quartum Conſtantini, domum redierunt. Poſt annos igitur quatuor aut quinque ijdem illi Patres, ſub Iuſtiniano Conſtantini filio congregati, prædictos canones ediderunt. Neque hac de re quiſquam dubitet. Nam qui temporibus Conſtantini ſubſcripſerunt, ijdem illi ſub Iuſtiniano quoque præſentem hanc Chartam ſubſignarunt. Quæ res ſatis clara eſt, ex eorundem propriarum manuum immutabili ſimilitudine. Neceſſum autem eſt, vt poſt Synodum vniuerſalem definitam, Canones quoque eccleſiaſticos ederent.* Hactenus ex Concilio. Secundò, Idem probatur ex verbis Hadriani papæ ad Tharaſium patriarcham: [h] *Sextam Synodum ſanctam, cum omnibus ſuis canonibus, recipio.* Conſtat igitur & ſextam Synodum canones condidiſſe, & hos canones commercium coniugale Miniſtris eccleſiaſticis, iuxta canonem, quem ipſi vocant, *Apoſtolicæ perfectionis* permiſiſſe.

[h] Diſt. 16. ſextam.

14 PHIL. Ecquod potes Presbyteri, aut epiſcopi coniugati proferre exemplum?

[i] Comment. in Tit. c. 1. p. 49. ORTH. *Eccleſia* (inquit [i] Eſpencæus) *non Primitiua tantùm, ſed & multis poſt Apoſtolos annorum centurijs, ob defectum tam multorum*

cælibum

cœlibum, præſertim ſeniorum, quum multi erant miniſtri neceſſarij; ſacerdotes habuit maritos. Græca quidem hodiéque habet, matrimonio ante ordines ſuſcepto vtentes. Et [k] Bellarminus: *Eccleſia Romana multis iam ſeculis permiſit Græcis ſacerdotibus vſum vxorum, quas ante ordinationem duxerant, vt patet ex capite, cum olim de Clericis coniugatis.* Et paulò antè: *Si licuit ſacerdotibus iure diuino habere vxores, quas ante ordinationem duxerant, & ijs vti maritorum more; cur quæſo non licuiſſet etiam poſt ordinationem ducere?* Sed vt domum redeamus, ſic ſcribit Henricus [l] Hantindonienſis: *Tenuit Anſelmus Archiepiſcopus Concilium apud Londoniam, in quo prohibuit vxores ſacerdotibus Anglorum, antea non prohibitas; quod quibuſdam mundiſſimum viſum eſt, quibuſdam periculoſum, ne dum munditias viribus maiores appeterent, in immunditias horribiles, ad Chriſtiani nominis ſummum dedecus, inciderent.*

[k] Bellar. de cler. cap. 18.

[l] Hiſt. l. 7.

A presbyteris ad Epiſcopos venio. 15

De ſancto Spiridione ſic [m] Sozomenus. *Eiſdem temporibus vixiſſe accepimus Spiridionem quoque, Trimythuntis, oppidi Cypri, epiſcopum: erat iſte vir ſanè agreſtis, qui tametſi vxorem haberet & liberos, non tamen propterea res diuinas negligentiùs obijt.* Nec diſſimile de Hilario Pictauienſi Baptiſta Mantuanus tulit teſtimonium:

[m] Lib. 1. c. 11.

Non nocuit tibi Progenies, non obſtitit Vxor
Legitimo coniuncta thoro.

Mant.

His connumerari poteſt Gregorij Nazianzeni Pater, qui filium ſuum ſic alloquitur: [n] *Nondum tot anni ſunt tui, quot mihi iam in ſacris ſunt peracti victimis.*

[n] In carmine de vita ſua.

Sed placet adhuc altiùs aſcendere, & ipſos Romanorum Pontificum Patres in exemplum producere. Sic igitur [o] Gratianus, idque (vt ipſe profitetur) ex Damaſo papa: *Oſius papa fuit filius Stephani ſubdiaconi. Bonifacius papa, fuit filius Iocundi presbyteri de titulo Faſciolæ. Agapetus papa, filius Gordiani presbyteri. Theodorus papa, filius Theodori, Epiſcopi de ciuitate Hieroſolyma. Siluerius papa, filius Silueri epiſcopi Romæ. Deus-dedit, papa filius Iocundi presbyteri. Fœlix tertius, natione Romanus, ex patre Fœlice presbytero fuit. Gelaſius, natione Afer, ex patre Valerio Epiſcopo natus eſt.* Sic Gratianus. Et paulò [p] pòſt, *Cùm ex ſacerdotibus nati in ſummos pontifices, ſuprà legantur eſſe promoti, non ſunt intelligendi de fornicatione, ſed de legitimis coniugijs nati, quæ ſacerdotibus ante Prohibitionem vbique licita erant, & in orientali eccleſia vſque hodiè licere probantur.* Vnde liquet, Canones eos eſſe Spurios, qui tanquam veteres nobis obtruduntur; tum Pontifices veſtros Spurios eſſe, niſi nuptiæ ſint legitimæ Sacerdotum. Sed de Cranmeri coniugio, quatenus erat *Actuale*, hactenus; deinceps inquirendum quo ſenſu à Champnæo dicatur *ſacrilegum*. 16

[o] Diſt. 56. Oſius.

[p] Ibidem, Cenomanenſem.

Phil. Duplici opinor; nempe vel reſpectu *ſui*, vel reſpectu *voti*. Primò reſpectu *ſui*, quemadmodum ſacerdotum coniugium 17

tudinis fuit, vel binas habere vxores, vel plures; quod etiam in veteri lege de Abraham & Iacob legimus. Et hoc nunc volunt eſſe præceptum, nè is qui epiſcopus eligendus eſt, vno tempore duas pariter habeat vxores. Quidam ita ſentiunt: non ergo ſolus Theodoretus, ſed ante Theodoretum *quidam*, quorum nomina vtinam recenſere dignatus eſſet Hieronymus. Nam cùm vir eſſet immenſæ lectionis, credibile eſt illum complures nominare potuiſſe, quorum opera ad nos non peruenerunt. Quid quòd ipſe quoque, licèt μονόγαμος, huic ſententiæ fauiſſe videri poſſit, quam bis commemorat, ad Oceanum, & in Commentarijs in epiſtolam ad Titum. Porrò nobis quoque aſtipulatur Sanctus Chryſoſtomus, hunc locum ſic exponens: [f] *Non hoc veluti ſanciens dicit, quaſi non liceat abſque vxore epiſcopum fieri, ſed eius rei modum conſtituens. Iudæis quippe licitum erat ſecundo Matrimonio iungi, & duas itidem ſimul habere vxores.*

[f] *Chryſ. in 1. Tim. c. 3. hom. 10.*

PHIL. Quid per *ſecundum* intelligat *Matrimonium*, ipſe in eodem opere, ſatis indicat, dicens: [g] *Caſtigat hoc ipſo etiam impudicos, dum non eos permittit poſt ſecundas ad eccleſiæ regimen dignitatemque paſtoris aſſumi. Nam qui defunctæ vxori beneuolentiam nullam ſeruaſſe deprehenditur, quo pacto eccleſiæ is præceptor eſſe optimus poterit?* Vbi clariſſimè oſtendit, vnius vxoris virum à Beato Paulo dici eum, qui, poſt obitum primæ vxoris, ſecundam non duxit.

[g] *Chryſ. in Tit. c. 1. hom. 2.*

ORTH. Vox ἀπελθοῦσα, qua vtitur Chryſoſtomus, non neceſſariò ſignificat defunctam, niſi aliquid addatur, vt ἀπελθεῖν τοῦ βίου, à vita diſcedere. Hîc autem ſine vllo additamento ſimpliciter ponitur, & ſignificat abeuntem ſeu diſcedentem. Solebant enim vxores à viris ſuis diſcedere aliquandò inuitæ, ſeu coactæ, nempe accepto Repudij libello, aliquandò ſua ſponte, vt innuit Apoſtolus, dicens, [h] *Eis qui matrimonio iuncti ſunt præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere, quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari.* Huiuſmodi diſceſſiones hîc intelligit Chryſoſtomus, non eam quæ fit per mortem. Quod duplici ratione euincitur. Primò, quia aſſerit Apoſtolum hoc in loco *impudicos* caſtigare; at qui, defuncta prima vxore, ſecundam *ducit in Domino*, non eſt (teſte [i] Domino ipſo) eo nomine impudicus; nam ſine dubio, non *in Domino* agitur, quod *impudicè* agitur. [k] *Matrimonium* porrò *eſt honorabile*; non dicit Spiritus ſanctus primum matrimonium, quaſi ſecundum aut tertium excluderet, ſed ſimpliciter matrimonium. Nec refert vtrùm ſit primum, an ſecundum, an tertium, quia omne matrimonium verum ac legitimum eſt honorabile. Vnde Auguſtinus, *Quòd ſi dormierit vir eius, non dicit primus, vel ſecundus, vel quartus, nec nobis definiendum eſt, quod non definiuit Apoſtolus. Vnde nec vllas debeo damnare nuptias, nec illis verecundiam inferre numeroſitatis.* Qui ergo ſecundas ſucceſſiuè contrahunt nuptias in Domino, non ideò ſunt impudici, quia contrahunt, ſed ideo contrahunt, ne ſint impudici. Noli hîc mihi opus imperfectum in Matthæum, Chryſoſtomo aſcriptum, obijcere, quod tanto cum faſtidio à [l] Bellarmino & [m] Baronio reijcitur.

[h] *1. Cor. 7. 10.*

[i] *Ib. v. 37. nam ex analogia, ſi fœminæ fas ſit, tum & viro.*

[k] *Heb. 13. 4.*

[l] *Bell. de verb. Dei, l. 4. c. 11.*

[m] *An. 407. n. 11.*

reijcitur. Secundò, Chryſoſtomus eos perſtringit, qui *nullam vxoribus ſuis beneuolentiam ſeruâſſe deprehenduntur*; quod de illis, qui; prima vxore fato ſuo functi, cum ſecunda fœdus nuptiale ineunt, dici non poteſt: hos igitur non reprehendit, ſed eos duntaxat, qui duo ſimul ſortiuntur coniugia. Ergo hac in cauſa etiam Chryſoſtomus noſter eſt.

PHIL. Huic veſtræ loci Paulini expoſitioni, [n] *totius eccleſiæ conſuetudo & praxis repugnat.* 5

[n] *Anglo-Rhem. in 1.Tim.3.*

ORTH. Siccine verò? Conſulamus igitur [o] Hieronymum. *Carterius Hiſpaniæ epiſcopus, homo & ætate vetus & ſacerdotio, vnam antequam baptizaretur, alteram poſt lauacrum, priore mortua, duxit vxorem; & arbitraris eum contra Apoſtoli feciſſe ſententiam, qui in catalogo virtutum, epiſcopum vnius vxoris virum præceperit ordinandum? Miror autem te vnum protraxiſſe in medium, cùm omnis mundus his ordinationibus plenus ſit, non dico de presbyteris, non de inferiori gradu; ad epiſcopos venio, quos ſi ſigillatim voluero nominare, tantus numerus congregabitur, vt Ariminenſis Synodi numerus ſuperetur.* Ecce, tibi totus mundus abundat epiſcopis, qui duas vxores ſucceſſiuè duxerant.

[o] *Ep.83.*

PHIL. Multi fateor bina contraxerant coniugia, ſed alterum antè baptiſmum, alterum verò pòſt.

ORTH. Perinde eſt. Baptiſmus non ſoluit coniugia, neque dubitandum eſt, quin ipſorum quoque Paganorum matrimonia ſint vera matrimonia. Quare ſi homo, qui duo ſibi ſucceſſiuè conciliauit coniugia, alterum ante Chriſti lauacrum, alterum poſt, cathedram epiſcopalem poſſit aſcendere, cur non idem quoque homini binas poſt baptiſmum nuptias celebranti liceat, nulla ratio ſatis idonea reddi poteſt; at primum ab Hieronymo defenditur, & eiuſdem ſententiæ erant Macedoniæ Epiſcopi, quorum viginti tres nominat [p] Innocentius.

[p] *Innoc.1.ep.22.*

PHIL. Hieronymus iſtorum ordinationes defendit quidem, ſed ipſos non habet pro bigamis; Innocentius, Ambroſius, Auguſtinus habent pro bigamis, ſed eorum ordinationes non defendunt.

ORTH. Si bigamus dicendus ſit, qui poſt primam vxorem, veram & legitimam fato ſuo functam, ſecundam adipiſcitur, eos omnes bigamos fuiſſe eſt liquidiſſimum. Ex quo tamen hominum genere vbique locorum infiniti creabantur epiſcopi.

Tu verò ſi adhuc aliter ſentias, dic tandem quânam de causâ ab hoc arcendi ſint honore? 6

PHIL. Reſpondeo cum [q] Bellarmino, *rationem partim eſſe moralem, partim myſticam.* Moralis eſt multiplex; prima, [r] *minor ſuſpicio incontinentiæ, vel perfectior continentia.*

[q] *De clericis c.24.*
[r] *Ibidem.*

ORTH. Qui legitimam vxorem, [s] *incontinentiæ remedium*, diuino etiam præcepto inſtitutum, ſibi aſciſcit, næ is, ſi rectè ratiocinamur, hoc ipſo dehinc omnem incontinentiæ ſuſpicionem longiùs à ſe remouet.

[s] *1.Cor.7.9.*

Digitized by Google

Phil. Immo quò quis plures, licèt ſucceſſiuè, duxit vxores, eò maiora animi minimè continentis indicia præbuit.

[a *In epiſt. ad Tit. c. 1.*]

Orth. Primò audi [a] Hieronymum: *Quòd ait, vnius vxoris vir, ſic intelligere debemus, vt non omnem monogamum digamo putemus eſſe meliorem, &c. Eſto quippe aliquem adoleſcentulum coniugem perdidiſſe, & carnis neceſsitate ſuperatum accepiſſe vxorem ſecundam, quam & ipſam ſtatim amiſerit, & deinceps vixerit continenter, alium verò vſque ad ſenectam habuiſſe matrimonium & vxoris vſum, &, vt plerique exiſtimant, fælicitatem, nunquam à carnis opere ceſſaſſe, qui vobis è duobus videtur eſſe melior, cùm in eo magis electa ſit fælicitas, quàm voluntas?*

[x *1. Cor. 7. 9.*] [y *Heb. 13. 4.*] [z *Ibid.*] [a *Tit. 2. 3.*] [b *Ibid.*]

Secundò, Si digamus maiorem incontinentiæ daret ſuſpitionem, quàm monogamus, num idcirco ab ordine epiſcopali eſſet reijciendus? Non ſequitur. Nam & *monogamus*, credo, ex tua ſententia maiorem præbet incontinentiæ ſuſpitionem quàm *agamus*, quem tamen ab epiſcopatu non repellis. Atqui eorum neuter verè & propriè habendus eſt *Incontinens*, poſtquam, [x] medicina *à Deo* præſcriptâ, incontinentiæ morbum extinxerit; tum enim & eorum *thori* coram Deo habentur [y] *immaculati*, & eorum conditio [z] *honorifica*, & eorum conſortium tum [a] *temperantiæ*, tum [b] *caſtitatis* laude celebrandum.

Phil. Secundò, monogamus eſſe debet epiſcopus, non digamus, quò liberiùs poſſit homines ad monogamiam & continentiam hortari, qui ſui exemplum præferat in docendo.

Orth. Si hæc ratio eſſet ſimpliciter neceſſaria, cœlebs ſemper eſſe debuerit epiſcopus, non monogamus, vt liberiùs hortari poſſit ad cœlibatum. Cæterùm & digamus, qui duas ſucceſſiuè duxit, exemplo ſuo hortari poteſt ad *continentiam*, quippe cùm ipſe ſit *continens*. Nam conſuetudinem virorum cum ſuis vxoribus, *continentiam*, in Concilio Nicæno veriſſimè vocauit nobilis ille *confeſſor* [c] *Paphnutius*.

[c *Sozom. l. 1. c. 23*]

[d *Her. 59.*]

Phil. Accedit tertia ratio moralis, nempe ob excellentiam ſacerdotij. Et hæc eſt ratio [d] Epiphanij.

[e *Supra.*] [f *Auguſt.*]

Orth. Sacerdotij excellentia exigit ſacerdotes puros, & ab omni labe *immaculatos*; ſed hoc non obſtat, quin ad hoc munus admittantur, de quibus loquimur, digami. Nam [e] audiſti omne legitimum matrimonium eſſe *immaculatum*, eſſe *honorabile*, ſiue ſit primum, ſiue ſecundum; iuxta illud [f] Auguſtini, *nullas debeo damnare nuptias, nec illis verecundiam inferre numeroſitatis.* Sed de cauſa ſeu ratione *morali* ſatis ſuperque: nunc *myſticam* expecto.

[g *Bell. de Cler. c. 24*]

Phil. *Altera cauſa myſtica eſt perfecta ſignificatio coniugij Chriſti cum eccleſia. Qui enim ſecundam vxorem duxit, ſignificat quidem coniugio ſuo Chriſti coniugium, ſed non ita perfectè, vt is, qui vnam ſolam habuit. Non enim ſignificat Chriſtum eſſe vnum vnius eccleſiæ ſponſum. Quare nuptiæ digamorum carent quadam perfectione ſignificationis, quàm habent nuptiæ monagamorum.*

Orth.

Orth. Si hæc ſignificationis perfectio vſque adeo ſit neceſſaria, vt eius defectus ab epiſcopatu ſuſcipiendo excludat, omnes omninò cælibes excluduntur, quod omninò eſt abſurdum, & agamorum Romanenſium lupanaribus valdè periculoſum.

Phil. Cùm Chriſtus & virgo ſit, & eccleſiæ coniux, ſi epiſcopus ſit coniugatus repræſentabit Chriſti coniugium, ſi Virgo, Chriſtum virginem; atque ita defectus prior, nempe quòd Chriſti coniugium non repræſentet, hac præcellente ſignificatione reſarcitur.

Orth. Si vel hæc vel illa ſignificandi perfectio, ſit abſolutè neceſſaria in eo qui ordinandus eſt in epiſcopum, quid reſpondes de monogamo qui olim liberos procreauit, licet iam eius vxor ſit fato ſuo functa? Non negabis hunc promoueri poſſe in epiſcopum, qui tamen vtraque ſignificandi perfectione eſt deſtitutus? Liberos procreauit, ergò non refert Chriſtum virginem; coniunge iam caret, ergò Chriſti cum eccleſia coniugium non repræſentat. Atqui cur non æquè argutemur, ſecundas nuptias myſticè ſignificare eccleſiam Gentilium, vt primas Iudæorum? Verùm iſtæ ratiunculæ, quas ſibi humanum fabricauit ingenium, parùm probabiles ſunt argutiolæ, nedum firmæ aut ſolidæ demonſtrationes. Et vide, quæſo, quibus gradibus hæ ingeniolorum ineptiæ prouectæ ſunt. Alij non modò digamum, ſed & monogamum ab epiſcopatu pellunt, modò illa vnica, quam duxerat, vxor fuiſſet vidua; Alij huiuſmodi hominibus non modo ad ordines verè ſacros, ſed etiam ad ſubdiaconatum (cuius ne meminit ſacra Scriptura) omnem aditum intercludunt. Alij adhuc, longiùs progreſſi, ſecundas nuptias non ſolùm in ſacrum Miniſterium cooptandis, ſed, iiſdem innitentes fundamẽtis, etiam Laicis, hoc eſt, omnibus omninò hominibus interdicunt. De quibus eleganter [a] Bernardus: *Mulier quanto tempore vir eius viuit, alligata eſt viro: ſi autem dormierit vir eius, ſoluta eſt à lege viri, cui vult nubat, tantùm in Domino. Paulus eſt qui concedit viduæ, vt cui vult nubat; & tu contrà præcipis, nulla præter virginem nubat, & hoc non niſi virgini, vt non cui vult nubat vel ipſa. Quid manum Dei abbreuias? Quid largam benedictionem nuptiarum reſtringis? Quid proprium vendicas virgini, quod indultum eſt ſexui? Non concederet hoc Paulus, niſi liceret. At parùm dico, concedit; vult quoque: volo, inquit, adoleſcentiores nubere; nec dubium, quin viduas dicat. Quid manifeſtius? Ergò quod concedit, quia licet, etiam vult, quia expedit. Quod licet & expedit, hæreticus prohibet? Nihil ex hac prohibitione perſuadebit, niſi quod hæreticus eſt.* Hæreticus ergo eſt, quicunque prohibet ſecundas nuptias ei, cui primæ licent. Sed de bigamia hactenus; nunc de actuali coniugio.

[a] Bernard. in Cantic. ſerm. 66.

Phil. Cranmeri coniugium duplici nomine perſtringit Champnæus; quia [b] actuale, quia [c] ſacrilegum. Etenim non ſolùm erat bigamus, quippe qui duas antea duxerat, ſed iam, in epiſcopum ordinandus, erat actu Maritus.

[b] Champn. p. 369.
[c] P. 371.

Orth.

Orth. Heus Champnæe, quis tu es, qui Apoſtolo, *Gentium Doctori*, audes in os reſiſtere? Is enim, de promouendo in epiſcopum agens, ſic ait, [c] *Si quis eſt ſine crimine vnius vxoris vir.* Non dicit, Si quis aliquando fuit, ſed, *Si quis eſt*, in præſenti tempore, id eſt, ſi quis iam actu eſt vnius vxoris vir. Ergò Apoſtolus docet talem ad epiſcopatum promoueri poſſe, non obſtante actuali coniugio. Quiſquis igitur coniugatum idcirco ab epiſcopatu arcet, quia eſt actu coniugatus, is palàm & Apoſtolo, & Sancto Spiritui contradicit. Hunc locum egregiè elucidauit [d] Chryſoſtomus, his verbis: *Obſtruere prorſus intendit hæreticorum ora, qui nuptias damnant, oſtendens eam rem culpa carere, imo ita eſſe pretioſam, vt cum ipſa etiam poſſit quiſpiam ad ſanctum epiſcopatus ſolium ſubuehi.* Videat iam Champnæus tuus, an non ipſe in horum hæreticorum numero ſit reponendus, quibus Apoſtolus his verbis, teſte Chryſoſtomo, ora obſtruit.

[c] Tit. 1. 5.
[d] In epiſt. ad Tit.

Phil. Agedum, ſolium epiſcopale aſcendat coniugatus, ſed ea lege vt, poſt ſuſceptum ordinem, ab officio coniugali ceſſet. Cranmerus autem, etiam factus epiſcopus, cum vxore ſua conſuetudinem & commercium habuit; quod tamen per Apoſtolum non licet, ſic ſcribentem, [e] *Oportet epiſcopum eſſe hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem. Vbi* [f] *notandum pro eo quod nos habemus ſobrium, græcè eſſe* σώφρονα. *Quod, vt Hieronymus in hunc locum dicit, ambiguum eſt, prudentem, ſobrium, caſtum ſignificare poteſt. Hoc autem in loco caſtum ſignificat. Quia verò caſtitas etiam coniugatis communis eſt, ideo Apoſtolus addit etiam continentem, quod ibidem Beatus Hieronymus exponit, ab vxoris amplexibus.*

[e] Tit. 1. 8.
[f] Bell. de cler. cap. 19.

Orth. Primò, nulla ſuadet ratio, cur vocem, σώφρονα, potiùs reddamus *caſtum*, cum Sancto Hieronymo, quam *ſobrium*, cum veteri interprete. Dein eſt etiam *continentia* coniugalis, vt diximus, illa inprimis, & modo peculiari, quæ, teſte Apoſtolo, eſt ex mutuo conſenſu, & ad tempus.

Phil. *Labora* (inquit alibi [g] Apoſtolus) *ſicut bonus miles Chriſti Ieſu. Nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſecularibus.* Hîc Apoſtolus epiſcopo præcipit, [h] *vt ſtrenuè militet Deo, deindè dicit non poſſe eum benè Deo militare, ſi ſe implicauerit negotijs ſecularibus, qualia eſſe nuptias nemo negare poteſt.*

[g] 2. Tim. 2. 4.
[h] Bell. quo ſupra.

Orth. Qui habet donum, nec aliàs ſancto hoc [i] *auxilio* indigeat (variæ enim ſunt iuſtiſſimæ coniugij rationes, ac huiuſmodi *auxilij* vſus varij) cõſultiùs aget, ſi à Matrimonio abſtineat; ſic enim multis ſe moleſtijs liberabit. Atqui, nec eò ſpectauit *Militiæ* comparatio, quum ipſe teſtetur Deus, [k] *coniugatos* eſſe *militiæ* etiam idoneos. Verùm qui, medijs à Deo aſſignatis ritè vtens, adhuc tamen cupiditatum flammas ſentit, & incendia, is, nè vas ſuum polluat, diuinitus conceſſo vtatur remedio. Nam cui donum negat Dominus, hunc *ad nuptias vocat.* Quamuis autem nuptiæ quoque ſua non careant ſollicitudine, huic tamen homini ingens adferunt bonum; adeo

[i] Gen. 2. 18.
[k] Deut. 24. 5.

Digitized by Google

adeo vt iam coniugatus longè meliùs Domino militare poſſit, quàm antea, quando,non ſine ſcortationis periculo, tot ebullientium cupiditatum flammis conflagraret. Quare, ſi omnia ritè perpendantur,is,vxorem ducendo, pluribus ſe moleſtijs explicat, quàm implicat. Et,vt vno verbo dicam, ſatius eſt huic homini in inferiori bono ſaluari, quàm in ſummo periclitari.

PHIL. [a] *Idem* [b] *Apoſtolus iubet coniugatos vacare, ex conſenſu ad tempus,ab opere nuptiarum,vt orationi inſtare poßint. Ex quo per bonam conſequentiam deducit Beatus* [c] *Hieronymus, eum præcipere epiſcopis & alijs hominibus ſacratis, vt perpetuò à nuptiarum opere vacent,cùm quotidiè Orationi inſiſtere debeant. Eodem argumento vtuntur* [d] *Origenes, &* [e] *Epiphanius.*

[a] Bell.ibidem. [b] 1.Cor.7.5. [c] Hieron.in Tit. cap.1. [d] Origen.hom.3. in Num. [e] *In hæreſ.catharorum.*

ORTH. Apoſtolus loco citato,intelligit orationem ſolennem, cum ieiunio coniunctam, vt patet ex verbis;*vt vacetis ieiunio & precibus.* Talis autem oratio non fit quotidiè, ſed ſtatis temporibus. Poſſunt igitur coniugati, ſiue Laici,ſiue Clerici, ſecubare ad tempus, vt pietati impenſiùs vacent, & officium coniugale cedet, pro hoc tempore,ieiunio & precibus,ſed ea lege, vt poſtea *in vnum redeant,& debitam reddant beneuolentiam,ne tententur à Satana.*

PHIL. Hortatur[f] Apoſtolus,vt *ſine diſtractione* ſeruiamus Domino; at coniugium vehementer impedit eccleſiaſtica munera, ſcilicet ſtudium orationis, lectionis, efficaciam prædicationis, curam paſtoralem,curam pauperum,& ſacramentorum adminiſtrationem, vt oſtendit [g] Bellarminus. Nam *qui ducit vxorem,curat ea quæ ſunt mundi,*teſte [h] Apoſtolo.

[f] 1.Cor.7.35. [g] Bell.de cler. c.19. [h] V.35.

ORTH. Non ſoli Clerici, ſed omnes omnino fideles,ex ſententia Apoſtoli, tenentur *adhærere Domino ſine diſtractione.* Quid igitur? An fidelium nemini eſt vxor ducenda? Non ſequitur. Apoſtolus enim verba ſua de Cælibatus commodis, & Matrimonij incommodis accipi hîc voluit, non vt cuiquam abſtinendi à coniugio neceſſitatem imponerent, nec vt *laqueum inijcerent,* ſed [i] vt,quid *ad vtilitatem noſtram* conduceret, admonerent. Donum autem habenti,conducit vxorem non ducere,quò arctiùs adhæreat Domino,nec curis mundanis diſtrahatur. Sin deſit donum,melius erit(audi Apoſtolum) *vxorem accipere, quàm cupiditatum incendio vaſtari.* Huic enim homini vtrinque imminent ac impendent difficultates ac moleſtiæ. Si vxorem acceperit, vrgebitur curis ad victum cultumque ſpectantibus, ac libidinum flammis exponetur. Hinc & illinc diſtractio; ſed quæ à libidine naſcitur,venis ac viſceribus altiùs inhæret,ardentiùs & flagrantiùs vrget,atq; à Satana vt in ſcortationem erumpat, magis incenditur, ac proinde longè eſt moleſtior ac periculoſior, magiſque à Domino diſtrahit. Quare huic homini magis commodum eſt, & expedit vt vxorem ducat.

[i] 1.Cor.7.35.

PHIL. [k] *In veteri teſtamento continentiam ab vxoribus videmus inprimis fuiſſe requiſitam,in ijs qui Deo propinquaturi, vel rem aliquam*

[k] Bell.de cler. c.19.

ſanctam

Digitized by Google

c Exod.12. *ſanctam tractaturi erant. Nam præcipitur, vt comeſturi agnum Paſcha-*
d Hom.22.in Euang. *lem renes ſuos accingerent, quo ſignificabatur, vt* [d] *Gregorius exponit, de-*
bere eos carnis voluptatem edomare, qui agnum Paſchalem comedunt.

ORTH. Hæc ratio valdè eſt elumbis. Nam primò hæc con-
tinentia imperatur omnibus omnium conditionum Iſraelitis; qui
tamen, hoc tranſacto tempore, ad vxores redibant, & debitam red-
debant beneuolentiam. Secundò, nemo ſub lege ſacerdos eſſe po-
tuit niſi ſacerdotis filius; tantum abſuit, vt Deus ſacerdotibus ſuis,
qui diuino numini appropinquabant, officium coniugale in perpe-
tuum interdiceret.

e Bell.ibidem. PHIL. [e] *Cùm populus legem à Deo accepturus eſſet, ait illis Moſes,*
f Exod.19. [f] *Eſtote parati in diem tertium, & nè approquinquetis vxoribus veſtris.*
g L.1.de offic. cap.vlt. *Quo teſtimonio vtitur* [g] *Ambroſius ad probandam continentiam Clerico-*
rum.

ORTH. Hoc præceptum conſtrinxit non ſolos Primogenitos,
qui tunc erant pro ſacerdotibus, ſed vniuerſum *Populum* Iſraeliti-
cum, qui tamen poſtea Vxorum ſuarum commercio vtebantur.
Quamuis autem ſingularis quædam puritas in Miniſtris requiratur,
tum Leuiticis, tum Euangelicis, Cœlibatus tamen perpetuus, vt
abſolutè neceſſarius, hinc elici non poteſt, hiſſæ magis, quàm illis.

h Bell.ibidem. PHIL. [h] *Præcipit Deus vt Aaron & filij eius, cum ingrederentur*
i Exod.28. *tabernaculum* [i] *fœminalibus lineis, à renibus vſque ad femora, tecti eſſent.*
k Li.3.de tabernacul.c.9. *Quo exponit* [k] *Bedà ſignificatum eſſe, debere ſacerdotes noui Teſtamenti aut*
virgines eſſe, aut contracta cum vxoribus fœdera diſſoluiſſe.

ORTH. Theologia ſymbolica non eſt argumentatiua.

l Bell.ibid. PHIL. [l] *Noluit* [m] *Achimelech dare Dauidi panes propoſitionis co-*
m 1.Sam.21. *medendos, niſi priùs intellexiſſet eum ab vxore aliquandiu ſe continuiſſe;*
n Ad Tit.c.1. *Ex quo deducit Beatus* [n] *Hieronymus, perpetuam requiri in ſacerdotibus*
continentiam, etiam ab vxoribus, qui corpus Chriſti (quo ille panis propoſi-
tionis ſignificabatur) conficiunt, edunt, aliiſque tradunt.

o 1.Sam.25. ORTH. Dauid tamen paulò pòſt aliam ſibi accepit [o] vxorem.
Deductio autem Hieronymi non eſt abſolutæ neceſſitatis. Perpe-
tuam continentiam capiat qui capere pòteſt; qui verò non poteſt,
idem oportuno tempore ad vxorem redeat, *ne tentetur à Satana.*

p Bell.ibid. PHIL. [p] Ex libro 1. Paralepomenon, cap.24 & Lucæ primo
colligitur, ſacerdotes veteris teſtamenti per vices ſuas miniſtrare
ſolitos, & toto eo tempore, qui miniſtrabant in tabernaculo, à do-
mo & vxore abfuiſſe. Ex quo deducunt Siricius, & Innocentius
primus, & Beda, quòd ſi illi, tempore quo miniſtrabant, ab vxori-
bus abſtinebant, omninò decere vt ſacerdotes noſtri qui non per
vices, ſed ſemper miniſtrant, ſemper ab vxoribus ſe contineant.

ORTH. Sacerdotes Leuitici tenebantur vi conſecrationis ſuæ
q Ex.28.41. ad [q] miniſtrandum Iehouæ in munere ſacerdotali, vices autem po-
r 1.Chron.24.3. ſtea [r] Dauidis demum tempore ſunt inſtitutæ. Et Præcones quo-
s 2.Cor.5. que euangelici ſanctificati ſunt ad miniſtrandum Iehouæ in [s] verbo
& ſacramentis, licèt non diſtribuantur in claſſes, perinde ac Leui-
tici.

tici. Verùm quid inde? An ſemper ſolenniter miniſtrabunt? Profectò, vt cæteri Chriſtiani, iubente Apoſtolo, *ſemper orant*; non autem ſemper orant Chriſtiani actu; neque ſemper actu miniſtrant Euangelij præcones; non ſemper baptizant, non ſemper concionantur, non ſemper cœnam celebrant, ſed aliquod aliquando intercedit interuallum. Quamuis autem Chriſtiani omnes etiam Laici, ſemper debeant orare affectu, hoc tamen non tollit Laicorum omnium officia coniugalia; eodem planè modo Miniſtri Euangelici ſemper affectu tenentur miniſtrare, quod tamen maritale commercium, quod imperat Apoſtolus, non excludit. Ex his quę diximus ſatis liquet, quàm falsò affirmet [a] Bellarminus, cœlibatum perpetuum ſacris ordinibus annexum eſſe, iure Apoſtolico. Longè rectiùs [b] Gratianus, *Copula ſacerdotalis nec legali, nec euangelica, nec Apoſtolica authoritate prohibetur; eccleſiaſtica tamen lege interdicitur.* Et Cardinalis [c] Caietanus: *Nec ratione, nec authoritate probatur quòd, abſolutè loquendo, ordo ſacerdotalis, vel in quantum eſt ordo, vel in quantum Sacer, impeditiuus eſt matrimonij, ſiue antè, ſiue poſt, ſeclusis omnibus legibus, ſtando tantùm his quæ à Chriſto & Apoſtolis habentur.* Et Claudius [d] Eſpencæus: *Æneam Syluium, Papam Pium ſecundum, ferunt, conſiderantem cœlibatus iugum cum Sacerdotij ſtatu annexum, nec naturâ eſſe, nec biblicâ ſeu canonicâ ſcripturâ, ſed vel cuiuſque voto, vel eccleſiæ ſtatuto, nec vniuerſalis, ſed Latinæ; ignem autem vbique adurere, non minùs apud Latinos, quàm Græcos; dicere ſolitum, ſacerdotibus magna ratione ſublatas nuptias, maiore videri reſtituendas.*

[a] De cler. c. 23. rat. 19.
[b] Cauſ. 26. q. 2. ſors.
[c] Tom. 1. tract. 27.
[d] De contin. l. 1. c. 13.

PHIL. Vxorum fruitionem ſacerdotibus prohibent canones eccleſiaſtici. 9

ORTH. Eccleſiæ Romanæ canones hodierni non modò *ſacro canoni*, ſed & priſcis eccleſiæ canonibus repugnant. Et primò hîc nobis occurrit Canon ille antiquus, qui vulgò dicitur Apoſtolicus: [e] *Epiſcopus aut presbyter vxorem propriam nequaquam ſub obtentu Religionis abijciat. Si verò abiecerit, excommunicetur, ſed, ſi perſeuerauerit, deijciatur.* In hoc Canone exponendo nos ſequimur *ſextam Synodum* generalem.

[e] Can. Apoſt. 6.

PHIL. *Huius Canonis ſenſum ſic enucleat* [f] *Binius. Hoc Canone non præſcribitur, vt coniugatus Clericus vxori ſuæ maritali commercio cohabitet, liberiſque procreandis & generandis incumbat, ſed potiùs vt ij qui habent vxores,* [g] *iuxta præceptum Pauli, & exemplum Sancti* [h] *Petri, illarum curam habeant, ipſiſque de omnibus, quæ ad vitam honeſtè degendam requiruntur, prouideant.* Huius expoſitionis veritas eluceſcit primùm ex titulo, quem huic canoni Dionyſius abbas præfixit. *Nempè Clerici ordinati ſuas vxores alere, non autem cognoſcere debent.*

[f] Binius tom. 1. p. 14.
[g] 1. Tim. 5. 8.
[h] 1. Cor. 9. 5.

ORTH. Dionyſij Exigui hac in cauſa exigua eſt authoritas. Quo enim iure titulum præfixit, qui textui repugnat? Etenim ſi abſtineant, inuitis vxoribus, nónne hoc eſt planè vxores, quatenus vxores ſunt, abijcere? Sin illis volentibus ac conſenſum præbentibus, quæro, an ſecubare debeant ad tempus tantùm, vel in perpe-

Digitized by Google

tuum? Si dixeris ad tempus tantùm, hoc pro nobis facit. Hoc enim tranſacto tempore rurſus in vnum conueniunt, ex præcepto [i] *Apoſtoli, nec fraudabunt alter alterum:* ſin hanc ſecubationem vis eſſe perpetuam, *Apoſtolo* contradicis, qui monet, *vt rurſus in vnum redeant, nè tententur à Satana.*

[i] 1.Cor.7.5.

PHIL. [k] Secundò, *Probatur ex epiſtola Clementis ſecunda, qua Clementi à Petro præcipitur, vt tales Miniſtri altaris ordinentur, qui ante ſui ordinationem vxores ſuas reliquerunt, id eſt, ipſis conſentientibus, à carnali copula abſtinuerunt. Ita in manuſcripto exemplari Vaticanæ bibliothecæ legi ſcribit* [l] *Turrianus.*

[k] Binius ibidem.
[l] Tur. pro Canon. apoſt.l.1.c.1.

ORTH. O egregium antiquitatis Monumentum, dignum ſanè quod non puluere Vaticano obruatur, ſed marmoribus Capitolinis, ad perennem eius gloriam, incidatur. Iacobus enim, ad quem miſſa fingitur hæc Clementis papæ decretalis epiſtola, mortuus eſt octo ad minimum annis ante papatum Clementis. Quanta eſt hæc veſania, tam putidis delirantium Impoſtorum commentis fidem adhibere?

PHIL. [m] Tertiò, *Sanctus* [n] *Gregorius conſtituit, non modò vt epiſcopi, ſed ne quidem vt ſubdiaconi ad ſacros ordines recipiantur, niſi qui cum vxoribus ante habitis continentes deinceps vixerint. Cùm itaque eodem* [o] *libro, Apoſtolica lege & conſtitutione hac citata, epiſcopis præcipiat, ne vxores ſuas relinquant, non aliter hunc canonem intelligi voluit, quàm vt ij qui ob ſuſceptos ſacros ordines vſu coniugij abſtinent, vxorum ſuarum curam habere non deſinant.*

[m] Binius ibid.
[n] L.1.ep.42.
[o] Ep.38.

ORTH. Primò, Gregorius, vt nimis rigidus nuptiarum reprehenſor, à [p] veſtris perſtringitur. Secundò, licet prohibeat ne deinceps ordinentur ſubdiaconi niſi continentiam voueant, [q] permittit tamen eodem in loco, vt vxoribus ſuis liberè vtantur, quas ante ordinationem duxerant: & tamen ſubdiaconatus eſt vobis initerabilis, ac proinde [r] Bellarmino characterem videtur imprimere. Eſt etiam ſacramentum, & ſacer ordo, idque per excellentiam. Sic enim [ſ] Bellarminus. *Vt rectè docet* [t] *Magiſter, omnes ordines ſunt ſacri, ſed primi tres dicuntur per excellentiam ſacri, quia proximè contingunt res ſacras. Presbyter enim Euchariſtiam conſecrat & miniſtrat, Diaconus defert eam, ſubdiaconus ſacra vaſa contingit, & præbet.*

[p] Secus pronunciante Gregorio, viro, vt videtur, plus ſatis μισογάμῳ. apol tumultuaria, citante doctiſſ. viro Tho. Mortono ep. Cou. & Lich. in appellat protestantium, l.1.c.2 ſ.32.
[q] L.1.ep.42.
[r] De ſacrament. ordin c.7.
[ſ] Ibidem
[t] L.4.diſt.24.

PHIL. Quartò, [u] *Omnium ferè Patrum conſenſu & teſtimonio conſtat, quòd ſi quis legitimè coniugatus, vxore conſentiente, Epiſcopatum & ordines ſuſceperit, is, tam in Orientali quam in Occidentali eccleſia, vel Muneris epiſcopalis exercitio, vel vxoris ſuæ coniugali conſuetudine abſtinere debeat. Vide* [x] *Epiphanium,* [y] *Hieronymum,* [z] *Baſilium, &* [a] *Leonem, qui ne ſubdiaconis quidem permittit vxoribus vti.*

[u] Bin. ibid.
[x] Epiph. in Compend.
[y] Hier. contr. Vigil. & ep.50.
[z] Baſ. ep.17.
[a] Leo. ep.84.c.4.

ORTH. Omnium ferè patrum? Quàm hoc ſit falſum, ex patribus Ancyranis, Nicenis, Gangrenſibus, & ſextæ Synodi, paulò pòſt citandis, ſtatim liquebit.

PHIL. [b] Quintò, [c] *Apoſtolica conſtitutione bigamis, etiamſi cœlibes & continentes ſint, ſuſceptio ſacrorum ordinum maiorum interdicitur.*

[b] Bin. quo ſupra.
[c] Apoſt. can. 17.

Quomodo

Quomodo igitur ordinatis authoritate Apoſtolicâ præcipietur, vt uxoribus, quas habent legitimas, coniugali conſuetudine & commercio cohabitent, ipſiſque debitum petentibus licitè reddant?

Orth. Satis rectè, modò Canon exponatur de eiuſmodi bigamis, qui duas, vno eodemque tempore, habuerunt vxores. Hi meritò à ſacris arceantur ordinibus, licèt vnius vxoris vir & epiſcopatu frui poſſit, & coniugio. Hactenus quinq; rationes Binianas diſpulimus, ſupereſt ſexta & vltima, à Concilio Niceno ducta, quam hîc tranſilire viſum eſt, quia de hoc Concilio paulò pòſt vberius eſt dicendum. Hucuſque de canone Apoſtolico, vt vulgò dicitur.

Nunc ad concilium [d] Ancyranum accedo, quod permittit dia- 10
conis, ſe continere non poſſe in ipſa ordinatione profitentibus, *vt ſi poſtea ad nuptias venerint, in miniſterio maneant, modò illis epiſcopus licentiam dederit.* Vnde [e] Bellarminus concludit, *Cælibatum ſacerdotum non eſſe de iure diuino.* Hoc Concilium anno Domini 314. eſt celebratum, & poſtea à [f] Leone quarto probatum.

[d] *Concil. Ancyr. c.9. Bin. t.1. p.272.*
[e] *De Cler. c. 18.*
[f] *Diſt. 20. de libellis.*

Phil. Patres Ancyrani non hoc concedunt presbyteris, aut epiſcopis, ſed ſolis Diaconis.

Orth. [g] Spiritus Sanctus vitæ & conſcientiæ puritatem perinde in Diacono requirit, ac in Epiſcopo. Vterque erit [h] vnius vxoris vir, vterque [i] reget familiam; vtriuſque [k] vxor erit grauitate & ſobrietate ornata, moribúſque ad pietatem compoſitis. Quare vtriuſque hac ex parte vna eadémq; eſt ratio. Quocirca ſi, ad vitandam ſcortationem, Diacono liceat frui coniugio, quidni & epiſcopo? Cum ſpiritus ſanctus dicat, [l] *Propter vitandam ſcortationem vnuſquiſque propriam vxorem habeto.*

[g] *1. Tim. 3. 9.*
[h] *1. Tim. 3. 2. & 12.*
[i] *1. Tim. 3. 4. & 12.*
[k] *1. Tim. 3. 11.*
[l] *1. Cor. 7. 2.*

Phil. Neque omnibus Diaconis hoc indulgent Ancyrani, ſed ſolis ſe continere non poſſe in ipſa ordinatione profitentibus.

Orth. Omnibus tamen, has flammas ſentientibus, hoc in ordinatione ſua profiteri licuit. Et profitentibus præſtò erat remedium.

Phil. Hoc illis *non aliter ſanè conceſſum eſt, quàm quòd, à ſacri muneris exercitio abſtinentes, non ampliùs cum ſacris Miniſtris, ſed cum populo extra cancellos, laicâ communione communicarent. Quod expreſſiùs in ſecunda, quàm in reliquis duabus editionibus hîc aſſeritur,* inquit [m] Binius.

[m] *Bin. in not. in concil. Ancyr. to. 1. p. 276.*

Orth. Contrarium ex verbis eſt liquidiſſimum. *Si poſtea ad nuptias venerint, maneant in Miniſterio, propterea quòd his epiſcopus licentiam dederit.* Quid clariùs dici potuit? Quod verò Binius de laica communione adijcit, ad hos non pertinet, ſed ad reliquos qui continentiam profitentur, vt ex verbis ſequentibus eſt perſpicuum. *Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio vel clero ceſſare debebunt, laicam duntaxat recipientes communionem.* Quod tamen non

 ideo

PHIL. Falſi tamen conuincitur, quià Canon ille tertius vxores non excipit.

ORTH. *Quid opus* (reſpondet[x] epiſcopus) *quas* συνεισάκτους *nomine nemo intelligat, & de quibus ſuſpicio non ſit.* Porrò de extraneis fœminis exponi debere, luculentiſſimè docet[y] gloſſa. [x] *Ibidem.* [y] *Diſt. 32. interdixit.*

PHIL. [z] Epiphanius & Hieronymus contra Canones eſſe aſſeruin:, vt epiſcopus, presbyter, diaconus, liberos gignat. [z] *Binius ibid. to. 1. pag. 14.*

ORTH. Iterum reſpondeo cum eodem: *Quos illi canones contrauenire dicũt, Romani erant. Videas hoc in ſexta Synodo generali, Can. 13. vbi Romanam eccleſiam, de Canone illo, nominatim perſtringunt Patres, & ne vel ſacris arceantur qui coniugati, neue vſu coniugij, voto aliquo priuentur, ſeuerè ſanciunt.* Sed de Niceno hactenus.

Audiuiſti paulò antè quid Patres Ancyrani ſtatuant de Diaconis; nunc accipe quid Gangrenſes de Sacerdotibus. [a] *Si quis de presbytero qui vxorem duxit, contendat, non oportere, eo ſacra celebrante, oblationi communicare, ſit Anathema.* 12 [a] *Concil. Gangr. c. 4 interprete Gent. Heruetô. ap. Bin. t. 1. p. 384.*

PHIL. Concilij Gangrenſis, circa annum Domini 384. habiti, capitula ſecundùm triplicem editionem habentur apud Binium. Prima tamen, id eſt, [b] *editio Dionyſij, inter has tres Græco contextui eſt maximè conformis*; in qua ſic legitur: *Quicunque diſcernit à presbytero qui vxorem habuit, quòd non oporteat, eo miniſtrante, de oblatione percipere, anathema ſit.* Cuius canonis condendi hæc eſt ratio, quam reddit[c] Binius: *Euſtathiani ita horrebant nuptias, vt etiam presbyteros, qui vxores habuerant, ferre non poſſent, etiamſi viuentibus adhuc maritali conſortio non cohabitarent. Vnde quàm ineptè hic canon ad cœlibatum clericorum impugnandum ab hæreticis vſurpetur nemo non videt. Siquidem in eo agitur tantùm de presbytero qui vxorem habuit, habentis autem vxorem nulla mentio fiat.* Hæc Binius; cui conſonat Græcus contextus, παρὰ πρεσβυτέρου γεγαμηκότος, à presbytero qui vxorem habuit. [b] *Bin. ibid. in margine.* [c] *Ibid. p. 38…*

ORTH. Vel potiùs à presbytero *qui vxorem duxit.* Duxiſſe autem dici poteſt, etiamſi iam habeat.[d] Socrates enim, Euſtathij dogmata à concilio Gangrenſi damnata referens, ſic ait: *Euſtathius benedictionem & cõmunionem* πρεσβυτέρου γυναῖκα ἔχοντος, *id eſt, presbyteri vxorẽ habentis, quam lege cùm eſſet laicus duxiſſet, tanquam ſcelus, declinandam præcepit.* Quare concilium Gangrenſe illis omnibus qui docent, non oportere, Miniſtro qui *vxorem habet* ſacra celebrante, oblationi communicare, anathema dicit. [d] *Socrat. l. 2.*

Tandem aliquando ad ſextam Synodum generalem deuenio, in cuius Canone decimo tertio ſic legimus: [e] *Quoniam Romanæ eccleſiæ pro Canone traditum eſſe cognouimus, vt Diaconi, vel Presbyteri, qui digni qui ordinentur exiſtimati ſunt, profiteantur ſe non ampliùs vxoribus ſuis coniungendos, nos antiquum canonem Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſeruantes, hominum qui ſunt in ſacris coniugia deinceps hoc temporis momento firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem diſſoluentes, vel eos mutuâ, tempore conuenienti, conſuetudine priuantes. Quamobrem ſi quis dignus inuentus fuerit, qui hypodiaconus,* 13 [e] *Apud Binium t. 3 p. 146.*

vel diaconus, vel presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibetur, ſi cum legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tempore ab eo poſtuletur, vt profiteatur ſe à legitima cum vxore conſuetudine abſtenturum, ne ex eo, à Deo conſtitutas, & ſua præſentia benedictas nuptias, iniuriâ afficere cogamur, euangelica voce exclamante; Quæ Deus coniungit, homo non ſeparet; & Apoſtolo docente, honorabiles eſſe nuptias, & torum immaculatum: &, alligatus es vxori? ne quære ſolutionem.

[f] Bin.in Canon. Apoſt.t.1.p.14.

PHIL. [f] *Teſtimonio ſanctorum patrum, eorum qui interfuere concilio Niceno ſecundo, conſtat ſextam Synodum vniuerſalem nullos canones edidiſſe: euulgatos autem 102. ſub huius nomine, canones, omnes ſpurios eſſe, quippe qui non à ſexta Synodo, ſed potiùs à quodam illegitimo & reprobato Conciliabulo in Trullo (à quo Trullani canones nominantur) habito, editi ſunt.*

[g] Act.4.Bin. t.3.p.332.

ORTH. Contrarium oſtenditur, primò ex illo ipſo, quod memoras, Niceno concilio, his verbis: [g] *Helias, venerabilis protopresbyter ſanctæ eccleſiæ dominæ noſtræ Deiparæ in Blachernis, legit ex charta quæ definitiones ſanctæ & vniuerſalis ſextæ Synodi continet. Canon ſanctæ & vniuerſalis ſextæ Synodi: In quibus ſanctarum imaginum, &c. Sabas, venerabilis monachus, dixit: Qua de cauſa hæc non ex libro, ſed ex charta lecta ſunt? Tharaſius, ſanctiſſimus patriarcha, dixit, quoniam Charta ipſum eſt autographum, in quo patres ſubſcripſerunt. Petrus, Metropolites Nicomediæ, dixit: Quinetiam habeo & alterum codicem, ſextæ ſacræ Synodi canones continentem; quem in manibus ſumptum Victor, venerabilis diaconus & Notarius, legit, repetens eundem canonem. Sanctiſſimus Patriarcha dixit, quæ eſt hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones! Scandalum enim eſt dubitare, num ſint ſextæ Synodi. Cognoſcant igitur tales, Sextam temporibus Conſtantini fuiſſe congregatam, nimirum, contra eos, qui tantummodò vnam actionem & voluntatem in Chriſto collocant. Illi igitur hæreticos anathemate verberantes, Orthodoxamque fidem confirmantes, ſub annum decimum quartum Conſtantini, domum redierunt. Poſt annos igitur quatuor aut quinque iidem illi Patres, ſub Iuſtiniano Conſtantini filio congregati, prædictos canones ediderunt. Neque hac de re quiſquam dubitet. Nam qui temporibus Conſtantini ſubſcripſerunt, iidem illi ſub Iuſtiniano quoque præſentem hanc Chartam ſubſignarunt. Quæ res ſatis clara eſt, ex eorundem propriarum manuum immutabili ſimilitudine. Neceſſum autem eſt, vt poſt Synodum vniuerſalem definitam, Canones quoque eccleſiaſticos ederent.* Hactenus ex Concilio. Secundò, Idem probatur ex verbis Hadriani papæ ad Tharaſium patriarcham: [h] *Sextam Synodum ſanctam, cum omnibus ſuis canonibus, recipio.* Conſtat igitur & ſextam Synodum canones condidiſſe, & hos canones commercium coniugale Miniſtris eccleſiaſticis, iuxta canonem, quem ipſi vocant, *Apoſtolicæ perfectionis* permiſiſſe.

[h] Diſt.16. ſextam.

14 PHIL. Ecquod potes Presbyteri, aut epiſcopi coniugati proferre exemplum?

[i] Comment.in Tit.c.1.p.49.

ORTH. *Eccleſia* (inquit [i] Eſpencæus) *non Primitiua tantùm, ſed & multò poſt Apoſtolos annorum centurijs, ob defectum tam multorum cælibum*

Digitized by Google

cælibum, præſertim ſeniorum, quum multi erant miniſtri neceſſarij; ſacerdotes habuit maritos. Græca quidem hodiéque habet, matrimonio ante ordines ſuſcepto vtentes. Et [k] Bellarminus: *Eccleſia Romana multis iam ſeculis permiſit Græcis ſacerdotibus vſum vxorum, quas ante ordinationem duxerant, vt patet ex capite, cum olim de Clericis coniugatis.* Et paulò antè: *Si licuit ſacerdotibus iure diuino habere vxores, quas ante ordinationem duxerant, & ijs vti maritorum more; cur quæſo non licuiſſet etiam poſt ordinationem ducere?* Sed vt domum redeamus, ſic ſcribit Henricus [l] Huntindonienſis: *Tenuit Anſelmus Archiepiſcopus Concilium apud Londoniam, in quo prohibuit vxores ſacerdotibus Anglorum, antea non prohibitas; quod quibuſdam mundiſſimum viſum eſt, quibuſdam periculoſum, ne dum munditias viribus maiores appeterent, in immunditias horribiles, ad Chriſtiani nominis ſummum dedecus, inciderent.*

[k] Bellar. de cler. cap. 18.

[l] Hiſt. l. 7.

A presbyteris ad Epiſcopos venio. 15

De ſancto Spiridione ſic [m] Sozomenus. *Eiſdem temporibus vixiſſe accepimus Spiridionem quoque, Trimythuntis, oppidi Cypri, epiſcopum: erat iſte vir ſanè agreſtis, qui tametſi vxorem haberet & liberos, non tamen propterea res diuinas negligentiùs obijt.* Nec diſſimile de Hilario Pictauienſi Baptiſta Mantuanus tulit teſtimonium:

[m] Lib. 1. c. 11.

Non nocuit tibi Progenies, non obſtitit Vxor
Legitimo coniuncta thoro. Mant.

His connumerari poteſt Gregorij Nazianzeni Pater, qui filium ſuum ſic alloquitur: [n] ***Nondum tot anni ſunt tui, quot mihi iam in ſacris ſunt peracti victimis.***

[n] In carmine de vita ſua.

Sed placet adhuc altiùs aſcendere, & ipſos Romanorum Pontificum Patres in exemplum producere. Sic igitur [o] Gratianus, idque (vt ipſe profitetur) ex Damaſo papa: ***Oſius papa fuit filius Stephani ſubdiaconi. Boniſacius papa, fuit filius Iocundi presbyteri de titulo Faſciolæ. Agapetus papa, filius Gordiani presbyteri. Theodorus papa, filius Theodori, Epiſcopi de ciuitate Hieroſolyma. Siluerius papa, filius Silucrij epiſcopi Romæ. Deus-dedit, papa filius Iocundi presbyteri. Fælix tertius, natione Romanus, ex patre Fælice presbytero fuit. Gelaſius, natione Afer, ex patre Valerio Epiſcopo natus eſt.*** Sic Gratianus. Et paulò [p] pòſt, ***Cùm ex ſacerdotibus nati in ſummos pontifices, ſuprà legantur eſſe promoti, non ſunt intelligendi de fornicatione, ſed de legitimis coniugijs nati, quæ ſacerdotibus ante Prohibitionem vbique licita erant, & in orientali eccleſia vſque hodiè licere probantur.*** Vnde liquet, Canones eos eſſe Spurios, qui tanquam veteres nobis obtruduntur; tum Pontifices veſtros Spurios eſſe, niſi nuptiæ ſint legitimæ Sacerdotum. Sed de Cranmeri coniugio, quatenus erat ***Actuale***, hactenus; deinceps inquirendum quo ſenſu à Champnæo dicatur *ſacrilegum*. 16

[o] Diſt. 56. Oſius.

[p] Ibidem, Cenomanenſem.

Phil. Duplici opinor; nempe vel reſpectu *ſui*, vel reſpectu *voti*. Primò reſpectu *ſui*, quemadmodum ſacerdotum coniugium 17

[s] *De cœl. c. 15. n. 11.* à Gregorio [q] Martino, *ſacrorum ordinum pollutio* dicitur.

Orth. Siccine os impurum? Siccine de ſacro ordine Leuitico cenſuit Deus?

[r] *De cler. c. 19.* Phil. Et [r] Bellarminus *ſacrilegium* vocat.

Orth. Ipſe in hoc ſacrilegus, qui diuina *ſacra legis* inſtituta ita blaſphemè auſit impetere. Cæterùm, ſi ſacerdotum matrimonium tale ſit, quale tu prædicas, cur Græcis ſacerdotibus permiſit eccleſia Romana vſum vxorum, quas ante ordinationem duxerant? Permiſiſſe enim fatetur Bellarminus. Nunquid pollutionem ac ſacrilegium permittere voluit? Sed, Deus bone, quo ingenium peruaſit humanum, immò potiùs dæmoniacum? Spiritus ſanctus [f] *1. Cor. 7. 2.* (vt audiſti) vnicuique, propter ſcortationis periculum, [f] vxorem [t] *V. 3.* concedit, monet coniuges vt mutuam reddant [t] *beneuolentiam*, matrimonium [u] *Heb. 13. 14.* vt quiddam inter omnes [u] *honorabile* prædicat, & torum [x] *Ibidem.* ipſum coniugalem appellat [x] *immaculatum*; & credibile eſt iſtiuſmodi exoriri homines, qui ſanctas nuptias in Domino initas, pollutionem ac ſacrilegium indigitent? Quid hoc eſt aliud, quàm [y] *1. Tim. 4. 1, 3.* doctrina [y] dæmoniorum?

18 Phil. Si Cranmeri coniugium non erat ſacrilegum ratione [z] *Pſal. 76. 12.* *ſui*, at ſaltem ratione *voti*. Scribitur enim, [z] *Vouete & reddite Domino.*

Orth. Hoc intelligendum de votis pijs: abſit enim vt vota ſint iniquitatis vincula.

Phil. Quaſi verò perpetua continentia ſit iniquitas.

Orth. Minimè gentium. Huiuſmodi tamen votum, vbi donum deeſt, eſt conſcientiæ *laqueus*. Nam Apoſtolus, ſcribens ad eccleſiam Dei, quæ erat Corinthi, id eſt, tam ad Miniſtros quàm [a] *1. Cor. 7. 2.* ad Laicos, hanc Legem promulgat; [a] *Vnuſquiſque, propter fornicationem, vxorem ſuam habeto.* Vnuſquiſque, ſiue Laicus, ſiue Clericus, ſiue cœlebs, ſiue viduus, modò impendeat fornicationis periculum, cœlitùs conceſſo vtatur remedio. At veſtrum perpetuæ continentiæ votum aſtringit hominem ne vxorem ducat, quantumuis inextincta libidinum patiatur incendia. Ita graſſante morbo, & ſubtrahitur medicina, & ſpernitur Medicus, Deus. Quid hinc ſecutum ſit, docent tot Romæ Lupanaria, & proſtibula; vt interim Monachorum & Monialium clauſtra, quæ ſcriptores veſtri non tacuerunt, ego præ modeſtia taceam.

Phil. Vtcunque iſta ſe habeant; nónne Dominus dicit quoſ- [b] *Mat. 19. 12.* dam [b] *eunuchos ſe caſtrauiſſe propter regnum cœlorum?*

[c] *De ſanct. Virginitate, c. 23.* Orth. Audiamus [c] Auguſtinũ. *Quid veracius, quid lucidius dici potuit? Chriſtus dicit, veritas dicit, virtus & ſapientia Dei dicit, eos qui pio propoſito ab vxore ducenda ſe continent, caſtrare ſe propter regnum cœlorũ.* Non dicit, pio *voto*, ſed pio *propoſito*; nec dicit, Clericis, ſed omnibus. Poteſt autem eſſe *propoſitum* vtriſque interim vt non ſit *votum*. Quanquam non negârim hoc vel ex *voto* fieri poſſe, ſed *pio*, id eſt, ſanctis conditionibus circũſcripto, & humanæ imbecillitati attemperato, non autem ſupra vices rigido, & ſine ratione temerario.

Phil.

Digitized by Google

PHIL.[d] *Ipſa Eunuchorum appellatio perſpicuè indicat votum. Non enim eſt Eunuchus qui ſolùm continet, ſed qui non poteſt non continere. Eunuchi autem, de quibus hîc agitur, non coguntur continere ex vitio naturæ, nam ab his eos Chriſtus ipſe ſeiunxit; neque coguntur lege aliqua communi (nulla enim lex eſt prohibens nuptias abſolutè) igitur id ſolùm remanet, vt non poſſint, ex lege particulari ſponte aſſumpta, id eſt, ex voto.* [d] *Bellar. de monachis, c.23.*

ORTH. Continentes hîc dicuntur Eunuchi metaphoricè; non quòd non poſſint non continere, vt Eunuchi propriè dicti (ſiquidem poſſunt, ſi velint, & vxores ducere, & liberos procreare) ſed quòd ſe à coniugio, perinde ac ſi eſſent Eunuchi, temperent & cohibeant; licèt hoc non faciant, vt illi, ex vitio naturæ, aut neceſſitate, ſed ſua ſponte, ex pio propoſito, ſiue id faciunt, *propter inſtantem neceſſitatem*, vt Paulus monet, id eſt, vt, commodiùs perſecutionum tempora patiantur, ſiue alio quocunque intuitu ad *regnum cælorum* adipiſcendum.

PHIL. [e] *Idem etiam colligitur ex illo verbo (qui ſe caſtrauerunt.) Nam ſi Dominus loqueretur de his, qui ſine vllo voto, cœlibes viuunt, diceret (qui ſe caſtrant quotidie) non qui ſe caſtrauerunt. Cùm ergo dixerit, Qui ſe caſtrauerunt, ſignificat eos vnica actione voluntaria amputâſſe ſibi omnem facultatem contrahendi nuptias.* [e] *Bell. ibidem.*

ORTH. Se caſtrâſſe dicuntur, & nuptias contrahendi facultatem ſibi ſponte amputâſſe, non quaſi votum perpetuæ continentiæ abſolutum emiſiſſent, ſed quia ſibi firmiter propoſuerunt continenter in cœlibatu viuere, quamdiù donum habuerint. Et vt hanc ſibi metam fixerunt, ita conſtanter apud ſe ſtatuerunt oratione, ieiunijs, & alijs medijs vti, quò poſſint hoc dono (ſi Deo ita viſum fuerit) ſemper frui, vel ſaltem quamdiù dederit Dominus; [f] *Omnes enim non capiunt verbum hoc, ſed quibus datum eſt.* [f] *Mat. 19. 11.*

PHIL. Etiamſi omnes non habeant potentiam proximam, habent tamen remotam, & poſſunt, ſi velint, precibus impetrare potentiam proximam, id eſt, vires ad continendum. Qui igitur non habet, petat à Domino, *petenti dabitur.*

ORTH. Modò petat ſecundùm voluntatem Dei. Verùm non vult Deus hoc donum omnibus communicare (ſic enim actum eſſet de humano genere) ſed quibuſdam tantùm; non omnibus promittitur, non omnibus imperatur, non omnibus datur: [g] *Capiat qui capere poteſt.* [h] *Vnuſquiſque proprium donum habet ex Deo, alius quidem ſic, alius autem ſic.* Quare Matrimonium eſt *donū Dei*, perinde ac Cœlibatus. [g] *Mat. 19. 12.* [h] *1. Cor. 7. 7.*

PHIL. Si ſe non contineant, ieiunent & macerent carnem.

ORTH. Hoc quidem fecit Hieronymus; quem tamen mirum in modum tentauit Satanas, vt ipſe fatetur his verbis: [i] *O quoties ego ipſe in Eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ, exuſta ſolis ardoribus, horridum monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe delicijs. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram, horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidiè lachrymæ, quotidiè gemitus, et ſi quādo repugnantem ſomnus* [i] *Hieron. ad Euſtochium.*

imminens

imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa cohærentia collidebam. De cibis verò & potu taceo, cùm etiam languentes monachi aqua frigida vtantur, et coctum aliquid accepiſſe luxuria ſit. Ille igitur ego, qui, ob gehennæ metum, tali me carceri ipſe damnaueram, ſcorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum. Pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Sic ille. Quamuis autem Hieronymus, ad pedes Ieſu iacens, rigans lachrymis, crine tergens, repugnantem ita carnem hebdomadarum inedia ſubiugârit, & poſt multas lachrymas, pòſt cœlo inhærentes oculos, viſus ſibi fuerit nonnunquám intereſſe agminibus Angelorum, & lætus gaudénſque cantare, [k] *Poſt te in odorem vnguentorum tuorum curremus*; quotus quiſque tamen eſt, qui non hîc ſuccumberet! Quot hîc pericula! Quàm ignita iacula! Quanta præcipitia! Si hæc ſuſtinent qui exeſo ſunt corpore, quid patiuntur iuuenes in ipſo ætatis flore conſtituti? [l] *Tacitas eſt flamma medullas:* [m] *Quóq; magis tegitur, tantò magis æſtuat ignis.* Quare qui poſt preces ardẽtes, ſtillantes lachrymas, crebra ieiunia, & alia huiuſmodi media à Domino inſtituta diligenter adhibita, ſe tentationibus adhuc & vſtionibus periculoſis vaſtari ſentit, is neceſſarium ſibi remedium ab Apoſtolo præſcriptum ſciat; *Melius eſſe matrimonium contrahere, quàm vri.*

[k] *Cant. 1. 4.*
[l] *Virgil. Æneid. l. 4.*
[m] *Ouid. Metamorph. lib. 4.*

PHIL. [n] *Si per ſe Nuptiæ ſunt bona, noli illas incendio comparare, ſed dic ſimpliciter, Bonum eſt nubere. Suſpecta eſt mihi bonitas eius rei, quam magnitudo alterius mali malum eſſe cogit inferius. Ego autem non leuius malum, ſed ſimplex per ſe bonum volo, inquit Hieronymus.*

[n] *Hier. aduerſus Iouinianum.*

ORTH. Quum dicit Apoſtolus, *Melius eſſe nubere quã vri*, non comparat inter ſe malum & malum, ſed *bonum* & *malum*, medicinam & morbũ. Quod eſt vſitatum; verbi gratia, ſi quis dicat, melius eſt ſub cruce ſeruari, quàm in delicijs perire. Vnde [o] Auguſtinus, *Non duo mala ſunt, connubium, & fornicatio, quorum alterum eſt peius, ſed duo bona ſunt, connubium, & continentia, quorum alterũ eſt melius.* Connubium *non eſſe malum* inde probat, quia *Apoſtolus* dicit, [p] *Si nupſerit virgo, non peccabit.* Porrò & *bonum eſſe* conſtat, quia dicit idem *Apoſtolus*, [q] *Qui dat nuptum, benè facit.* Licet minus bonum quàm continentia; quia ſequitur; *Qui verò non dat nuptum, melius facit.* Quare cui Dominus negat donum maius, id eſt, continentiam, is petat à Domino Matrimonium, quod eſt in ſe bonum quidem, licet bonum minus.

[o] *Aug. de bono coniugali, cap. 8.*
[p] *1. Cor. 7. 38.*
[q] *V. 38.*

PHIL. Quid? An vxorẽ ducet poſt emiſſũ ſolenne caſtitatis votũ?

ORTH. Caſtitatis duo ſunt gradus, primus eſt ſincera virginitas, ſecundus, fidele coniugium. Qui igitur caſtitatem, quam vouit, in primo gradu præſtare non poteſt, idem vxorem ducat, vt ſaltem in ſecundo gradu ſanctè obſeruare queat. Sic enim *vas ſuum in honore poſſidebit*, Domino placebit, nec tam voti violati reus, quàm conſummati cuſtos cenſendus eſt.

PHIL. *Cranmerus* non *caſtitatis* modò, ſed perpetuæ *continentiæ*, atque *cœlibatus* (hoc enim dicere volui) votum ſuſceperat.

ORTH.

Digitized by Google

ORTH. Qui hodiè habet continentiæ donum, neſcit an cras ſit habiturus; eſt enim ſolus Deus,[r] *qui poteſt nos cuſtodire à lapſu immunes:* Quare non debet quiſpiam ſimpliciter eam vouere, ſed huiuſmodi additis conditionibus, Si Deus dederit, ſi patiatur humana infirmitas; ſecus qui facit, temerè facit, Deo autem diſplicet infidelis & ſtulta promiſſio: etiam in rebus quotidianis facillimiſque à nobis factu, pollicitatio omnis non *temeraria* modò, ſed & *impia* arguitur, niſi hæc ſit modificatione attemperata; [ſ] *ſi volet, & faxit Deus.*

[r] *Ep.Iudæ.v.24.*
[ſ] *Ep.Iacobi, c.4. v.15,16.*

PHIL. Verùm ſi quis poſt factum huiuſmodi votum continere nequeat, num ad nuptias conuolabit?

ORTH. Votum, interpoſito nomine Domini nuncupatum, non eſt temerè violandum. Orandum igitur, ieiunandum, & totis viribus laborandum, vt iſta extinguantur incendia, quò votum Deo factum præſtari poſſit. Quod ſi hic ignis medullas vſquè adeo depopuletur, vt impendeat ſcortationis periculum, & *tentatio Satanæ*, audi Apoſtolum clamantem, [t] *Qui ſe non continent, matrimonium contrahant.* Votum enim hoc fuiſſe temerarium ipſa te iam docuit experientia. Agnoſce igitur te peccaſſe, de viribus tuis plus ſatis præſumendo, temerè vouendo, nomen Domini in vanum aſſumendo, téque ipſum in tantas anguſtias conijciendo; & pete à Domino vt hoc tibi propter Chriſtum ignoſcat, cùm votum temerè emiſſum, rebus ſic ſtantibus, ſine peccato reddi nequeat. Satius erit igitur cum [u] Dauide ſanctè reſcindere, quàm cum [x] Herode ſceleratè implere. Hoc [y] Gratianus copioſè confirmauit. *Caſus. Aliquis iurauit interficere patrem ſuum, vel corrumpere ſanctimonialem: quare quæſitum fuit in Concilio Toletano, vtrùm tale iuramentum ſit ſeruandum? Reſpondetur quòd non; quia tolerabilius eſt turpem promiſſionem reijcere, quàm eam adimplere.* Idem confirmat authoritate *concilij Hilerdenſis,* atquè *Elibertani,* & præterea teſtimonio *Ambroſij, Auguſtini, Bedæ,* & [z] *Iſidori*; cuius verba, quia conciſa & elegantia, ſubjiciam. *In malis promiſſis reſcinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouiſti, ne facias. Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur.* Quibus à *Gratiano* citatis, verba quoque [a] *Cypriani* placet annectere, de virginibus Deo dicatis. *Quòd ſi ex fide ſe Chriſto dedicauerunt, pudicè & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent; ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, aut non poſſunt, melius eſt nubant, quàm in ignem [b] delictis ſuis cadant.* Quid igitur fecit Cranmerus, quod virum bonum & ſanctum non deceat?

[t] *1.Cor.7.9.*
[u] *1.Sam.25.*
[x] *Marc 6,26.*
[y] *Cauſ.22.q.4. Si publicis.*
[z] *Apud Gratian. Cauſa 24. quæſt. 4.ſect. In malis.*
[a] *Cypri. epiſt.62. vel vt alij numerant, l.1.ep.11.*
[b] *Alij legunt, delitijs.*

PHIL. Cranmerus vxores quidem duxit, ſed nondum Epiſcopus, veſtri autem hodiè Epiſcopi vxores ducunt, etiam poſt adeptum Epiſcopatum, itaque nullam habent excuſationem. 19

ORTH. Pro coniugatis reſpondebit cœlebs. [c] *Habent verò: totum enim hoc, poſitiui modò, iuris. Argumento, quòd in coniugio Cleri ſui, Græci alio iure vtuntur, Latini alio. Laxatum verò ius iſtud, & refixum apud*

[c] *In reſponſ. ad Apol. Bell. p.168.*

[a] Synod. Londin. anno 1562. art. 32.

nos [a] *Synodo legitimâ; etiam, (ſi non errauit Pontifex Pius ſecundus) bono olim iure fixum, ſed meliore iam apud vos quoque refigendum. Cæſari ſic quidem viſum, & Principibus, in nupero veſtro,* Tridenti. *Quæ res quas ibi turbas dederit, priuſquam obtinere poſſet cœlibatus, non neſcit Cardinalis.* De noſtris igitur môneo, vt taceas.

P h i l. At *Cranmero* nuptias contrahente, ius iſtud Pontificium apud Anglos nondum fuit antiquatum; ſed viguit ac obtinuit.

O r t h. Satius viſum eſt illi legem incurrere humanam, quàm, vas polluendo, violare diuinam. Sed neque in *Cranmeri* quidem conſecrationem hoc torquere potes telum, quippe cui Clemens ſeptimus, qui omnia impedimenta Canonica, bigamiam, actuale coniugium, quinetiam vota, ac iuramenta amoliri potuit, munus Conſecrationis recipiendi, bullato ſuo diplomate, indulſit facultatem.

P h i l. Vt vt hæc ſe habent; hoc verè mihi videor eſſe dicturus, nempe Cranmerum, per totum vitæ ſuæ curriculum, ea eſſe molitum, quæ ab vnitate Eccleſiaſtica erant alieniſſima, quæque ingenti ſub Henrico ſchiſmati non paruam rimulam, aut exiguam feneſtellam, ſed ampliſſimas portas & latiſſimas valuas aperuerunt.

C a p.

Digitized by Google

Cap. IX.

De papalis Iuriſdictionis per Hen. 8. extirpatione, &, huius rei explicandæ gratia, iterum de Cranmero.

- *De*
  - *Henrico qui*
    - *Princeps*
      - *Diſpenſatione papali per Ferdinandum Hiſp. Regem impetrata.* 1
      - *Sponſalia cum Katharina fratris relicta*
        - *contrahit.* 2
        - *contracta reſcindit.* 3
    - *Rex nuptias*
      - *celebrat, prolemque ex Katharina procreat.* 4
      - *ventilandas proponit cuius rei*
        - *cauſa, ſcrupulus iniectus*
          - *apud exteros.* 5
          - *Domi.* 6
        - *modus*
          - *forenſis, ſeu iudicialis.* 7
          - *Scholaſticus*
            - *quo ſuadente, Cranmero ſcil.* 8
            - *vbi*
              - *Bononiæ, coram Papa.* 9
              - *Viennæ, coram imperatore.* 10
              - *Domi in vtraq; Academia.* 11
              - *in Gall. & Ital. Academijs.* 12
        - *euentus*
          - *in Anglia*
            - *Rex edicit ne cauſas Romam deferant.* 13
            - *Clerici Præmunire irretiti*
              - *Wolſæus.* 14
              - *reliqui.* 15
          - *Romæ Papa ſententiam fert diffinitiuam.* 16
  - *Cranmero qui*
    - *fit Cantuarienſis Archiepiſcopus*
      - *reluctando ne fieret.* 17
      - *proteſtando.* 18
    - *factus, geſſit*
      - *quæ?*
        - *In ſynodo cauſam regiam tractat.* 19
        - *Dunſtabliæ fert diuortij ſententiam.* 20
      - *quo euentu? regnante*
        - *Hen. 8.*
          - *1.*
            - *Rex Annam Bolenam in vxorem ducit.* 21
            - *Clemens Papa fulminat.* 22
          - *2.*
            - *Rex iuriſdictionē papalem exterminat.* 23
            - *Paulus tertius cenſuras aggrauat.* 24
        - *Mariâ*
          - *Papiſtæ Cranmerum conuitijs onerant.* 25
          - *Cranmerus*
            - *labitur.* 26
            - *reſipiſcit.* 27
            - *martyrio coronatur.* 28
            - *Corde illæſo.* 29

Orth.

QVandoquidem papiſtæ H. 8. temporibus odioſum ſchiſmatis crimen ſolent impingere, liceat mihi fumos iſtos ac nebulas diſpellere, quibus heroici illius Principis ſplendorē atq; gloriā obducere moliuntur. Quū Deo optimo maximo Angliam

Digitized by Google

am à Pontificis Romani tyrannide vindicare viſum erat, huic operi dedit Papæ diſpenſatio nimium papalis. Nam cùm Arthurus, Princeps Walliæ, Henr.7. filius natu maior, Katharinam Ferdinandi Hiſpaniæ Regis filiam in [a] vxorem accepiſſet, quinto poſtea menſe (ſic numen voluit) morbo extinctus, nulla relicta prole, ex hac vita [b] migrauit, & frater eius natu minor, Henricus Dux Eboracenſis, fit Princeps Walliæ. *Katharinam parentes cum dote* [c] *repetunt.* Sed cùm dos vberior videretur, quàm quæ ſine ſummo rerum Anglicarum periculo illinc, vel in Galliam, vel in Scotiam, ad alium aliquem maritum exportari poſſet, Henricus pater Ferdinandi ſenſus explorat, num Katharinam etiam huic ſecundo filio ſuo nubere pateretur. Ferdinandus apud ſe cogitabat Henricum ad certiſſimam tam ſplendidi imperij ſucceſſionem deſtinatum, adoleſcentem eſſe non ſolùm elegantibus moribus, vultu decoro, & maieſtatis pleno, formáque corporis egregia, & planè regia, ita vt in eum illud quadrare poſſit, *forma digna eſt imperio,* ſed etiam optima indole, alto & excelſo ingenio, alijſque ſummis animi virtutibus ornatum & excultum, adeo vt ad imperandum à natura ipſa factus & compoſitus eſſe videatur; hunc igitur admodum concinnum filiæ ſuæ virum exiſtimans, non ſolùm nuptijs aſſenſum præbere, ſed eaſdem ingentibus etiam ſumptibus (ſi opus eſſet) promouere ſtatuit, modò per legem Dei licitas eſſe conſtaret. Quare de voluntate numinis oraculum Vaticanum illicò conſulendum cenſent. Hæc cauſa relata eſt primùm ad [d] Alexandrum Sextum; deinde ad Pium Tertium; quorum vterque, re nondum peracta, fato functus eſt. Per Legatos igitur Iulium ſecundum adeunt, qui tunc Romæ ſedebat, interrogántque, [e] *num inter claues, ſibi à Petro relictas, vnam aliquam inueniret, quæ hanc tam firmam affinitatis ſeram aperire poſſit.* Iulius illico reſerare tentat; ſed claue errante, quia de carnali copula nihil audiuerat. Nam Regis Ferdinandi interceſſores, ad faciliorem tam inuſitati priuilegij adeptionem, Arthuri carnalem cum Katharina coniunctionem diſſimulârant. Katharina autem [f] *licèt in vulgus exire nollet, tamen omninò diſſimulari paſſa non eſt;* igitur, re tandem Pontifici declaratâ, diploma eò vſque ampliari petijt, vt etiam ad carnalem cognitionem (*ſi qua fortè fuerat*) extenderetur. Quid multis? [g] Bullam vndique capaciſſimam Iulius largitur, vt vel montes credo, ſi qui tantæ ſuæ bonitati obſtarent, abſorbere ac deuorare poſſet; cui hæc verba ſunt inſerta: *Cùm tu, filia Katherina, & tunc in humanis agens quondam Arthurus, Chariſſimi in Chriſto filij noſtri Henrici Angliæ Regis illuſtris primogenitus, matrimonium per verba legitima de præſenti contraxiſſetis, illúdque carnali copula forſan conſummauiſſetis, quia tamen Arthurus (prole ex huiuſmodi matrimonio non ſuſcepta) deceſſit, matrimonium per verba legitimè de præſenti inter* [h] *vos contrahere, & in eo, poſtquam contractum fuerit (etiamſi iam forſan) remanere liberè & licitè valeatis Apoſtolica authoritate per præ-*

- [a] *Kalend. Decemb. 1501. Sand. de ſchiſ. l. 1. p. 2. Hollinſh. vol. 3. p. 789.*
- [b] *Hollinſh p. 790 antiq. Brit. p. 307*
- [c] *Antiſand. p. 8.*
- [d] *Sand. de ſchiſ. l. 1. p. 2.*
- [e] *Antiſand. p. 9.*
- [f] *Antiſ. p. 10.*
- [g] *Huius bullæ exemplar eſt apud Antiſanderum, p. 197.*
- [h] *Nempe inter Henricum & Kathar. ad quos bulla dirigitur.*

Digitized by Google

præſentes diſpenſamus, &c. Ita Iulius, tanquam nobilis bellator, omnes difficultates animosè perrumpens, ſeram excuſſit, & [i] *nuptias* [i] Sand.l.1.p.3.
contrahendi veniam poteſtatémque fecit ſeptimo Kalendas Ianuarij, anno incarnationis Dominicæ 1503. pontificatus ſui anno primo.

Huius diſpenſationis beneficio [k] ſponſalia, ob immaturam adhuc 2
ad nuptias Henrici ætatem (nam annum duodecimum vix attigerat) inter illum & Katharinam ineuntur. [k] Sand.p.4.

Quibus tamen, Henricus, (ſiue conſcientiæ morſu, ſiue conſilio 3
ſuorum) anno Domini 1505. indictione octaua, Iulij ſecundi pontificis maximi ſecundo, ætatis ſuæ decimoquarto coram Richardo Foxio Wintonienſi Epiſcopo, (ſummæ inter Conſiliarios regios, ſapientiæ authoritatíſque viro,) pro tribunali ſedente, [l] abrenunciauit; idque authenticis tabulis, quibus ipſe ſuperſcripſit, idoneis adhibitis teſtibus, conſignari curauit. [l] Vid. Spedum in Henr.8.n.67.

Dum nuptiarum tempus, his non obſtantibus, à pleriſque ex- 4
pectabatur, [m] Elizabetha Katharinæ mater in Hiſpania, itemque Henricus Septimus in Anglia diem ſuum extremum obierunt; ita corona Angliæ iure hæreditario ad Henricum deuoluitur. [n] *Qui quamuis ſemel dixiſſet* (immo in tabulas retuliſſet) *ſe à nuptijs Katharinæ abſtenturum, tamen Henrico Septimo mortuo, & Weſtmonaſterij ſepulto,* [o] *egerunt cum eo quidam vt eandem duceret.* Quorum argumentis (præſertim Pontificia diſpenſatione in medium allatâ) ita ceſſit, vt Katharinam in [p] vxorem anno 1509. tertio Nonas Iunij palàm acciperet. Quid multis? [q] Viginti annos cum illa verſatur, tres filios, duaſque filias ex eadem procreat. Quorum tamen nullus diu vixit, ſi vnicam Mariam excepero. Huius nuptias multi externi principes auidè conſectati ſunt; Inter reliquos Carolus Cæſar primus fuit. Deinceps Franciſcus, Gallorum Rex, eam Delphino filio ſuo natu maximo, poſteà, ſecundo, Duci ſcilicet Aurelianenſi, denique (cùm illorum ætas inmis immatura Anglo videretur) ſibijpſi coniugem flagitauit.

[m] Sand. ibidem Iſabella aliàs dicta.
[n] Ibidem.
[o] Antiq. Brit. pag.307.
[p] Sand.l.1.p.4.
[q] Antiq.p.10.

Cæterùm Carolus, [r] *natalibus Mariæ in dubium vocatis, citò de-* 5
ferbuit. Præterea, cùm [ſ] Henricus legatos de conciliandis inter ducem Aurelianum & dominam Mariam nuptijs, ad Franciſcum Gallorum Regem miſiſſet, *à quodam eius Conſiliario reſponſum eſt; Antequam de huiuſmodi nuptijs agatur, inquirendum eſſe an Maria fuerit filia Henrici legitima. Conſtat enim quòd ex Domina Katharina fratris ſui viduâ (cuiuſmodi nuptiæ iure diuino interdictæ ſunt) ſuſcepta eſt.* Hic [t] ſcrupulus de nuptijs inceſtis in Aulâ Regis Hiſpani primò exortus, inde in Galliam & Belgiam ſe transfudit.

[r] Ibid.p.11.
[ſ] Henr.8. in orat. ad proceres Antiq. Brit. p.317.
[t] Hallus fol.201

Porrò *Wolſæus* Cardinalis *Iohannem Longlandum,* Epiſcopum 6
Lincolnienſem (is Regi erat à Confeſſionibus) vt id Regi ſignificaret, admonuit; qui [u] *Id tantùm reſpondit, par eſſe, vt Rex tantæ rei, non ab alio priùs quàm ab ipſo Wolſæo admoneatur. Hoc in ſe Wolſæus recipit;* [u] Sand.l.1.p.9.

Digitized by Google

cipit; quem ſimul ac Rex in eum ſermonem veniſſe audiuit, Caue (inquit) ne rem ſemel iudicatam, iterùm in controuerſiam voces: triduo autem pòſt Longlandus, à Wolſæo ad Regem ductus, id ſaltem petit, vt ſua Maieſtas x Antiſ.p.13. *rem cognoſci & examinari permittat.* Dùm hæc aguntur, non[x] exiſtimandum eſt, inſignem hunc artificem, Wolſæum, tam imperitè dolos ſuos nexuiſſe, quin ſuſurros quoſdam & rumores de nuptiarum labe, deque tum Germanorum, tum Gallorum hac de re ſententijs in vulgus, per aſſeclas ſuos, ſpargi curauerit. Quod ipſum tamen, non ex bonâ conſcientiâ, ſed ex liuore & fraude profectum putatur. y Ibid.p.11. Nam [y] ſe ab Imperatore, primùm in Toloſani Epiſcopatus, deinceps etiam in Papatus ambitu, grauiter luſum ſubolucrat. Carolus z Sand.l.1.p.8. enim, mortuo Leone decimo, [z] Adrianum ſextum præficiendum curauit, licèt paulò antè fama eſſet diſſeminata per totam Italiam, Wolſæum eſſe Papam factum. Wolſæus adhuc diſſimulandum ratus, etiam Adriani mortem expectat. *Porrò, cum ne tunc quidem rationem ſui à Carolo haberi animaduerteret, Clemente nimirùm in locum Adriani ſuffecto, tunc apertè furere, Carolo omnibus viribus aduerſari, ad hoſtes tranſire, & Chriſtianiſſimo Regi ſe totum capit addicere.* Iam igitur Carolo infenſus, vt par pari rependeret, & eum morderet, a Antiſ.p.11. *de ſolo [a] Carolo vltionem quærere non ſatis putabat, niſi etiam Katharinam Caroli Materteram, eodem ictu vulneraret, quam fæminam quidem ſanctiſſimam impuritati ſuæ vitæque libidinoſæ ſemper habebat infenſiorem.* Præterea apud Regem laudâſſe dicitur *ſpectatæ formæ ac nobilitatis* b Sand.p.9. *fæminam [b] Margaritam Chriſtianiſſimi Regis ſororem, quippe quæ regio thalamo inprimis conueniret.* Sperabat autem ſe, horum potentiſſimorum Principum auxilio ſuffultum, Papatu aliquandò potiturum.

7 Cuius conſilij euentus (Deus enim qui ſuperborum cogitationes diſſipat, eius ſpem euacuauit) talis fuit, vt nihil quicquam aut regno ſalutarius, aut ſibi, Papæ, & Curiæ Romanæ perniciofius excogitari potuit. Nam iſte, quem Cardinalis iniecit, ſcrupulus, tantam in ſinu regio flammam accendit, vt ipſa viſcera & medullas depopulari viſa ſit. Vnde Rex (ſtimulante ac pungente conſcientia) rem totam accuratè ventilandam propoſuit, tantúmque apud Clementem Septimum valuit, vt duos deſignaret Cardinales ad cauſam cognoſcendam, Wolſæum Eboracenſem, & Campeium, aliàs c Antiſand.p.15 Campegium, qui huc applicuit 7. Octob. 1528. [c] *Hoc tempore Chriſtianum orbem infeſtiſſima bella vexabant, multúmque lacerabant; præcipuè verò illud, quod Carolus Imperator & Franciſcus Gallorum Rex de regno Neapolitano inuicem geſſerunt; Cuius victoriam Pontifex Franciſco optauit, nè Carolus illam aſſecutus, vniuerſæ Italiæ nimiùm immineret. Vt igitur huius partes debiliores redderet, fœdus mouet inter Anglum atque Gallum; ad quod vt Henricum faciliùs pelliceret, contentus fuit huius cauſæ matrimonialis cognitionem ad dictos delegatos non ſolùm referre, ſed etiam non rogatus, causâ cognitâ quidē, tamen non adhuc in iudicio diſceptatâ,*

meróque

Digitized by Google

meróque motu ſuo (vt in foro loquuntur) Decreti cuiuſdam tabulas Campegio iam profecturo dedit, quo connubium Henrici cum Katharina nullum irritúmque pronunciauerat; eum tamen vetuit cuiquam illas oſtendere præterquam Regi & Wolſæo, donec expreſſum ab ipſo mandatum ad hoc accepiſſet. Cauſam licèt celeritèr expediri palam iuſſerit; in aurem tamen Legatũ ſuum pro formâ ventilare monuit ad tempus, & quàm poſſet artificioſè protrahere; ſe ipſum verò decreti promulgandi occaſionẽ obſeruaturũ pollicetur. Tabulæ illæ tantâ ſolertiâ cuſtodiebantur, vt non in multorum manus exiuerint, noſtras tamen, vti fit, non euaſerunt, inquit Antiſanderus. Hæc narratio nè fortè cuiquam parùm videatur probabilis, hominis minimè ſuſpecti teſtimonium annectam, Franciſci Guicciardini, pontificij, [d] *quem Leo decimus vniuerſis eius copijs cum imperio præeſſe iuſſit.* [d] In Vit. Guicci. Hiſt. Ital. edit. lat. præfixa.
Sic igitur ille. [e] *Pontifex interea in ſententiâ, ne vlli partium adhærere videretur, perſeuerabat; ſed quia varia conſilia agitabat, iam Galliæ Regi ſuſpectus; nec Cæſari, ſi non aliam ob cauſam, ſaltem quia Campegium Cardinalem legatum in Angliam, vt in ea Inſula cauſam ipſi & Eboracenſi delegatam dijudicaret, deſtinarat, gratus erat. Nam cùm is Rex, vt prius matrimonium irritum eſſe declararetur, vrgeret, pontifex, qui verbis cum eius miniſtris ſeſe nimiùm declarârat, quia, cùm parùm fidei apud illos haberet, eius patrocinium ſibi conſeruare nitebatur, Decreto, quod ipſi Decretalem Bullam vocant, id matrimonium irritum eſſe occultiſſimè declarârat, eiúſque tabulas Campegio Cardinali cum huiuſmodi mandato dedit, vt, ijs Regi atque Eboracenſi oſtenſis, ſe illarum, ſi in iudicio cauſæ cognitio minùs ex ipſius ſententiâ ſuccederet, promulgandarum mandatum habere diceret, quo illi faciliùs rem iure tractari paterentur, & pacatiore animo iudicij moram tolerarent. Quod quidem iudicium vt quantùm poſſet protraheret, neque decretum, niſi priùs nouum à ſe mandatum accepiſſet, traderet, Campegio mandârat.* In hac Bullâ Iulij diſpenſatio, vt parùm Canonica, ſeu valida, eneruatur, Clemenſque Maieſtatem Regiam in huiuſmodi matrimonio cum Katharina *abſque peccato* remanere non poſſe, aſſerit. [e] Guic. Hiſt. Ital. l. 19.

Legati igitur Regem & Reginam in Iudicium, proximo Maio habendum, per Præconem citant. Ad diem dictum [f] *Rex per Procuratores comparùit; Regina ipſa Curiam ingreſſa eſt, & appellatione ad Papam interpoſitâ, Cardinalium iudicium recuſauit, atque receſſit. Legati nihilominùs in cauſa progreſſi ſunt. Sed cùm varijs dilationibus Rex Iudicium procraſtinari cerneret, venit ipſe cum Reginâ, & inſtabat Legatis, vt huius tantæ rei ambiguitatem, quæ ſola tantâ anxietate atque ſollicitudine conſcientiam mentémque turbabat, vt nihil præterea de publicis vel priuatis rebus ſtatuere aut cogitare penè poſſit, Iudicij definitione diſſoluant; Iudicij exitum & euentum, ſiue ab hoc coniugio diſcedendum ſit, ſiue in eo manendum, quomodocunque res reciderit, haud fore ſibi grauem, ſi, maturâ ſententiâ pronuntiatâ, animus tam ancipiti curâ liberetur, &c. Huiuſmodi habito ſermone, Rex diſceſſit, Regina verò per Procuratorem reſpondit, ſe ſtaturam Appellationi.* Legati igitur Iudicium prorogant, & alium diem dicunt, quo accedente Rex ſententiam expectauit; at fraudulenti [f] Ant. Brit. pag. 318.

Digitized by Google

Cardinales apud ſe cogitantes quantopere eccleſiæ Romanæ derogarent, ſi ſecundum legem Dei ſententiam ferrent, moras iterum nectunt. Itaque Campegius ſibi (cùm eſſet eccleſiæ Romanæ membrum) non licere diebus canicularibus de cauſis matrimonialibus agere cauſatus, hoc prætextu ſententiam *in Idus* [g] *Octobris* diſtulit. Huius procraſtinationis cauſa fuit Wolſæus, qui iam ſuſpicans Regem, etiamſi prius matrimonium diſcindi contingeret, nolle tamen ad nuptias illas Gallicanas animum adijcere, ſed in *Annam Boleniam* potiùs amore propendere (quod ſibi ſuæque Romæ exitiale fore videbat) omnem mouebat lapidem, nè ſententia pro Tribunali contra Katharinam diceretur. Quinetiam Papa iam ſatis intelligens, Henricum ſpe diuortij allici non poſſe, vt Gallis aduerſus Imperatorem ſuppetias ferret, ad Campegium *de priori* [h] *bullâ comburendâ* ſcripſit. Ipſéque Campegius ante Idus Octobris ab eodem pontifice Clemente 7. *Romam eſt* [i] *reuocatus*. Rex, hunc in modum deluſus, ad Papam tum Bononiæ agentem Legatos miſit, per quos, vt finem huic controuerſiæ tandèm aliquandò imponeret, enixè rogauit; cui reſpondit Clemens, ſe ſimul ac Romam veniſſet, cauſam ſuſcepturum.

[g] Vide Ant. Brit. 321.

[h] Vide Antiſand. pag. 17.

[i] Vide Ant. Brit. ibid.

8 Contigit interim, vt Rex, ad animum tot curis anxium aliquo leuandum ſolatio, Walthamiam (oppidum quod duodecimo à Londino abeſt lapide) venandi gratia ſe conferret. *In quo* [k] *itinere altam mentis ægritudinem, & in Wolſæum Cardinalem indignationem, Stephano Gardinero Secretario ſuo, qui Romæ Regis fuerat Legatus, & D. Foxo Eleemoſynario indicauit; eóſque rogauit vt ſedulò ac diligenter inueſtigarent quid ad expediendam hanc litem è re maximè ſit; Quorum ſuaſu Rex tum nouos ad Papam deſtinare Legatos, penè decreuit.* Quum autem (ita numen voluit) apud virum generoſum, Creſſeium nomine, diuerterent, apud quem Cranmerus etiam (Cui Creſſeius liberos ſuos inſtituendos tradiderat) peſte in Academiâ Cantabrigienſi tum graſſante, commoratus eſt, inter cœnandum de cauſâ Regiâ ſententiam eius percontantur; ille modeſtè præfatus, reſpondit, [l] *Nihil neque cauſæ diuturniorem moram adferre, nec turbatæ afflictæque conſcientiæ grauiores dolorum æſtus inurere poſſe, quàm Romanarum litium dilationes, & anfractus, quibus qui tenentur laqueis, vix vnquam ſe expediunt. Proinde ſatius eſſe, vt omiſſis forenſibus ventilationibus atq; moris (in quibus tanta animi ægritudine Rex nimiùm diu iactatus) tam in noſtris quàm in cæteris Academijs, requirantur de hac causâ, quæ diuino nō humano iure definiri poteſt, Theologorum ſententia. Et ſi Theologi vel vetitas, vel licitas eſſe has nuptias iure diuino pronuncient ac conſentiant, Rex non ampliùs Romanam Curiam petat, ſed in ſua Regione ac Prouinciâ ſententiam ferri ac pronunciari iuxta Theologos faciat. Ita mente hilaris ac conſcientiâ ſecurus, regiam atque hac Re-publica dignam vitam in legitimo Matrimonio (quod nobis ſubditis optandum eſt) tranſigere poteſt.* Hæc reſponſio vtrique admodum arriſit, eámque poſtridie Foxus Regi, non diſſimulato Cranmeri nomine, expoſuit. Cui cùm Gardinerus gloriam

[k] Ibid.

[l] Ibid. p. 322.

Digitized by Google

riam præripere, ſibíque ipſi vendicare voluit, tum Rex, [m] *At vbi* (inquit) *eſt Cranmerus? Ille rem acu tangit. Si hoc mihi ante biennium innotuiſſet, multis ſumptibus & moleſtijs liberatus fuiſſem.*

Protinùs Rex Cranmerum accerſit, colloquitur, iubet vt ſententiam ſuam ſcriptis mandet, & teſtimonijs confirmet: quod & 9
fecit Cranmerus, & librum confectum Regi exhibuit. Quo viſo percontatur Rex, *An quæ hic ſcripſiſſet, coram Pontifice Romano auderet defendere?* Reſpondit Cranmerus, *Se & audere, &, diuinâ aſſiſtente gratiâ, velle, modò Maieſtati regiæ viſum ſit, illum ad Pontificem mittere. Ego verò te mittam, inquit Rex.* Ita Cranmerus vnâ cum comite Wiltonienſi, Legato regio, in Italiam contendit. Quibus ad Papam accedentibus, ſeruus ſeruorum Dei [n] *pedem exoſculandum extendit.* Cunctantibus autem illis, *puſillus* [o] *Catulus, qui Comitis VViltonienſis fuit, ingreſſus locum, cùm pedem vidiſſet gemmis auróque lucentem, rem tam raram laſciuus dentibus apprehendit, atque momordit. Id Papa indignè tulit, & inducto ad ſe illo ſplendido pede, altero canem abegit. Hoc omine cum Angli in riſus & cachinnos profuſiores eſſent, Papa contractis ſupercilijs, cauſam Legationis quæſiuit.* Wiltonienſis, Legatione expoſitâ, Cranmeri *librum Papæ tradidit, ſimúlque adeſſe iam narrat ex Anglia doctos viros, qui quæ in illo libro continerentur, ex ſacris Scripturis, concilijs, atque Orthodoxorum patrum ſententijs, contra ſingulos contradicturos, eſſent defenſuri.*

Papa ſæpè promiſit Legato diſputandi diem; verùm promiſit tantùm, non præſtitit, ſed, moras trahendo, tempus fefellit, quemadmodum in Anglia Cardinales feciſſe diximus. Itaque [q] *legatis perhonorificè atque blandè tractatis, tum Cranmero (quem illius, de Regis cum Katharina coniunctione, opuſculi authorem ſiue coniecerat, ſiue nouerat) Pœnitentiario ſuo in Angliâ, Hyberniâ & VValliâ conſtituto; cum puſillanimis eſſet, & Cæſarem, & Gallum, & Regem maximè pertimeret, nihil auſus eſt de re tanta ſtatuere, ſed concilium, re infecta, ac ne mota quidem, dimiſit.*

Dehinc reliquis domum redeuntibus, Cranmerus [r] *Regio tacito præcepto, Cæſarem & Germaniæ principes, dum reuerteretur, in itinere* 10
adijt. Eo tempore Cæſar erat in expeditione contra Turcam, Viennam Auſtriæ ciuitatem expugnaturum. Ibi cùm Cranmerus eum Regis nomine conueniſſet, atque quæſiuiſſet, qui ex ſuis domeſticis atque notis eſſent contradicturi, datus eſt ei vir in arcana philoſophia, quàm in theologia peritior, Cornelius Agrippa. Is cum facilè Cranmero in ea cauſa aſſenſus eſſet, eadem facilitate perſuaſit cæteris in Cæſaris familia doctis viris, nè cum Cranmero, à quo veritatem profectam eſſe dicebat, contenderent. Ita, nemine contradicente, à Cæſare diſceſſit. Deinde, peragrata tota Germania, doctiſſimorum virorum in Academijs, & Aulis principum, ſecum conſpirantium opiniones & ſententias ad Regem in Angliam ſecum tulit.

Intereà Rex, non modo Theologos ac Iuris peritos per totum [s] ſuum regnum doctiſſimos conſuluit, verùm etiam hanc quæſtionem in florentiſſimis Academijs, Oxonienſi & Cantabrigienſi,

[m] *Act. & Mon. pag. 1689.*

[n] *Act. & Mon. Ant. Brit. pag. 322.*

[o] *Fluddus hunc locum citans, canem hunc non appellat canem Proteſtantis, ſed canem Proteſtantem, quaſi Proteſtantium Religio vel in Cane eſſe poſſit. Vah nobilem ſcurram, inſignem rabulam.*

[q] *Ant. Brit. pag. 323.*

[r] *Ibid.*

[s] *Vide Antiſand. p. 17.*

publicè ventilandam curauit; quarum vtraque Regis & Katharinæ matrimonium penitùs damnauit.

12 Neque hîc ſubſiſtit, ſed ad clariſſimas Galliæ & Italiæ Academias, Edmundum [t] Bonerum, & alios miſit, qui *earum deciſiones, cum Germanicis & Cranmero conſpirantes, ac ſigillis publicis authenticiſque confirmatas, in Angliam duxerunt.* Ita Henrici cum Katharina matrimonium nec eſſe legitimum, nec à quoquam diſpenſabile concluſerunt etiàm tranſmarinæ Academiæ. Hîc obiter obſeruandum, Facultatem ſacræ theologię almę Vniuerſitatis Pariſienſis profiteri, ſe per iuramentum conuenientes, & ſolenni miſſâ, cum inuocatione Spiritus ſancti ob hoc celebratâ, necnon præſtito iuramento, de deliberando ſuper præfata quæſtione ſecundùm Deum & conſcientiam, poſt varias & multiplices ſeſſiones, ab octaua Iunij vſque ad ſecundam Iulij habitas, & continuatas, perſcrutatis priùs excuſſiſque quàm diligentiſſimè, ac ea qua decuit reuerentia ac religione, ſacræ Scripturæ libris, eorúmque probatiſſimis Interpretibus, nec non ſacroſanctæ Eccleſiæ generalibus ac ſynodalibus Concilij decretis & Conſtitutionibus, longo vſu receptis & approbatis, reſpondiſſe, aſſeruiſſe, & determinaſſe, quòd iſtiuſmodi nuptiæ *cum relictis fratrum decedentium ſine liberis, ſic naturali iure pariter & diuino ſunt prohibitæ, vt ſuper talibus Matrimonijs contractis ſiue contrahendis, ſummus Pontifex diſpenſare non poſſit.* Iſtarum Academiarum, numero duodecim, ſententiæ ſeu cenſuræ, in maximis Angliæ Comitijs Parliamentarijs lectæ ſunt publicè. [u] *Prolati ſunt inſuper Libelli centum ac vltrà, quos diuerſarum regionum viri doctiſſimi, quorum vnanimis & concors fuit opinio, compoſuiſſent.*

[t] *Hollinſh. in H. 8. p. 923.*

[u] *Hol. anno 22. H. 8. fol. 199.*

13 His tot & tantis argumentis edoctus Rex, animóque recolens, tum quàm proteruè ſe Papa in hoc ſuo, eóq; tanti momenti geſſiſſet negotio, tum qualē Subditi ſui Iuſtitiam mercari ſolcant in Curia Romana: An. Dom. 1530. menſe Septembri, [x] *edixit, ne ſubditorum ſuorum quiſpiam vllam cauſam ad curiam Romanam deferret.* Quod Edictum, [y] Sanderus primùm *manifeſti ſchiſmatis initium* appellat.

[x] *Hollinſh. in H. 8. p. 914.*

[y] *De ſchiſ. l. 1. p. 58.*

14 Circa hoc tempus Wolſæus, hac de cauſa inter alias, quòd, [z] *ſine Regis venia ac licentia, legatinam à Papa authoritatem accepiſſet, eámq; in Anglia, contra Regni iura, exercuiſſet, actione de Præmunire in Regio Banco conuentus, & earum legum, quæ contra Prouiſores latæ ſunt, reus pronunciatus, condemnatus, & proſcriptus eſt. Ita qui viginti ferè annis non modò Angliam, ſed Europam penè rexit, non aliena magis inuidia, quàm propria ſuperbia concidit, ſuóque præcipitio totum tunc Clerum Anglicanum, ipſámque Romam in ſimilem ruinam & occaſum traxit.*

[z] *Antiq. Brit. p. 324.*

Epiſcopi, qui eodem, quo Cardinalis, laqueo irretiti tenebantur, in *Regium Bancum* vocati, ante diem ad comparendum ſtatutum, ſe, vt par erat, clementiæ Regiæ humiliter ſubmiſerunt, pœnámque illam de *Præmunire* longè grauiſſimam ingenti ſumptu redimentes, Regem Eccleſiæ Anglicanæ ſupremum Caput declarauerunt. Nec ſanè nouus aut inſolens cuiquam, rem totam maturo iudicio

æſtimanti,

Digitized by Google

æſtimanti, videri debuit hic *Capitis* titulus; quem Regi infra dominia ſua, potiùs quàm Papæ, Principi extero, deferendum eſſe, idque ſecundùm Verbum Dei, ante hunc diem oſtenderat Gulielmus [a] Warhamus, Archiepiſcopus Cantuarienſis.

[a] *Teſte Cranmero apud Foxum Act. & monum. p. 1702.*

Hæc cùm hunc in modum in Anglia geſta eſſent; adeò Pontifici bilem mouerunt, vt neque Cardinalium iudicia, neque Academiarum ſcita, neque virorum doctiſſimorum volumina, neque oblatæ diſputationes, neque proprium, quo matrimonium hoc eneruâſſet, decretum impedirent, quò minus ſententiam nunc à Katharina ferret. Publicam enim [b] *diffinitiuam ſententiam* priori ſuæ contrariam emiſit, datam in Conſiſtorio Romano viceſimo die Martij, anno Domini 1532. 16

[b] *Cuius exemplar vide apud Antiſ in fine.*

Intereà, dum Cranmerus adhuc in Germania legationem obiret, debitum naturæ perſoluit Gulielmus Warhamus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. Rex, ſede vacante, Cranmerum, vt ad tantæ dignitatis faſtigium eueheret, [c] *domum accerſit*; qui, quum animo eſſet literariæ potiùs vmbræ addicto, quàm dignitatum ſplendori, magni momenti adhuc ſibi ſupereſſe negotia prætexens, reditum in Angliam per totos ſex menſes diſtulit: Domum reuerſus, mentéque Regis cognita, per amicos omnem mouet lapidem, ne fieret Archiepiſcopus. Cúmque Rex ipſe rem proponeret, Cranmerus primò ſe tanto honore indignum, ac oneri imparem agnoſcens, quibus potuit rationibus animum Regis ab hoc inſtituto auertere moliebatur. Poſteà verò quùm Regi hanc firmam fixamque ſtare ſententiam animaduerteret, eius ad genua prouolutus, veniam petijt, intimóſque animi ſui ſenſus euoluit, & explicuit; ſe ſcilicet (vt iam erant tempora) non poſſe ad Archiepiſcopatum, illæſa conſcientia, promoueri, quippe quem à Papa accipere neceſſe erat; quod ſe nec poſſe, nec velle ingenuè profitebatur. Cuius rei hanc reddidit rationem, quòd Rex eſſet Eccleſiæ Anglicanæ tam in ſpiritualibus quàm in temporalibus ſupremus gubernator, ad quem ſolùm Epiſcopatuum hîc collatio ſpectabat, & non ad vllam poteſtatem externam. Quæ verba animum ambitioſum ac elatum non arguunt, ſed humilem & ſuâ ſorte contentum, qui bonæ conſcientiæ teſtimonium ſplendori mundano & dignitati malè partæ longè anteponeret. 17

[c] *Vide act. & monum. in vit. Cranmer. pag. 1690.*

Rex verò teneram animaduertens conſcientiam, eóque tanto Præſulatu digniorem, Iuriſperitos conſuluit, qua potiſſimum ratione Cranmerus Archiepiſcopatum ſuſcipere poſſet, interim vt conſcientiam non vulneraret. Quorum conſilio, Cranmerus Pontifici quidem Romano iuramentum exhibuit, non tamen [d] *more maiorum*, vt calumniatur Sanderus. Maiores enim ſimpliciter & abſolutè iurauerunt, Canmerus non niſi interpoſita Proteſtatione, eiuſdem iuramenti conditionem ac modificationem enucleatè explicante. Neque hanc priuatìm duntaxàt habuit, ad quam poſtea publicè & abſolutè iuramento defungens tacitè reſpiceret, vt [e] Sanderus 18

[d] *Sand. lib. de ſchiſ. p. 58.*

[e] *Ibid.*

derus innuit. Si res ita ſe haberet, iure optimo fraudis ac periurij reus peragi potuiſſet. Cæterùm res longè aliter geſta eſt. Neque enim tacitè aut ſecretò apud ſe aut ſuos in angulo hac proteſtatione vſus eſt, papiſtarum inſtar *Æquiuocantium*, qui iuramenta, verbis abſolutis concepta, reſeruatione mentali, feſtiuè & lepidè ſolent eludere, ſuáſque animas periurijs deuouere: verùm tribus vicibus eandem publicè & conſpicuè interpoſuit; primò in *domo Capitulari* coram perſonis & teſtibus authenticis; deinde flexis ante ſummum altare genibus, Epiſcopis atque Populo ſpectantibus, cùm munus conſecrationis peragendum eſſet; tertiò denique eodem ipſo in loco, Pallium recepturus. Proteſtationis autem tenor & formula erat huiuſmodi.

f *Ex Regiſt: Cranmer fol. 4.*

IN Dei nomine, Amen. Coram vobis, &c. Non eſt, nec erit mea voluntatis aut intentionis per huiuſmodi iuramentum vel iuramenta, qualitercúnque verba in ipſis poſita ſonare videbuntur, me obligare ad aliquod, ratione eorundem, poſthàc dicendum, faciendum, aut attentandum, quod erit, aut eſſe videbitur contra legem Dei, vel contra illuſtriſſimum Regem noſtrum Angliæ, aut rempublicam huius ſui regni Angliæ, legéſue, aut prærogatiuas eiuſdem; & quòd non intendo per huiuſmodi iuramentum vel iuramenta quouis modo me obligare, quo minùs liberè loqui, conſulere, & conſentire valeam, in omnibus & ſingulis reformationem religionis Chriſtianæ, gubernationem eccleſiæ Anglicanæ, ac prærogatiuam coronæ eiuſdem, reip. vè commoditatem quoquo modo concernentibus, & ea vbique exequi & reformare, quæ mihi in Eccleſia Anglicana reformanda videbuntur. Et ſecundùm hanc interpretationem, & intellectum hunc, & non aliter, neque alio modo dictum iuramentum me præſtiturum proteſtor, & profiteor, &c.

19 Si Cranmerus tam grauiter reprehendendus, qui Proteſtatione iuramentum modificauit ac temperauit, qualem obſecro incurrent cenſuram, veſtri ante Cranmerum Epiſcopi, qui ſe duobus obſtrinxerunt iuramentis, Regi altero, altero Pontifici, præſtitis, abſolutis quidem, & ſibi inuicim contradicentibus? Hoc enim Henricus Octauus in publicis regni comitijs oſtendit, in quibus vtrunque, coram ampliſſimo illo conuentu, legendum curauit. Idem quoque oſtendit Cranmerus, tum in reſponſione ſua ad *Brokum* epiſcopum Glouceſtrenſem, tum in literis ſuis ad Reginam Mariam. Vel ſi peccauit Cranmerus, Primatus pontificij iuramentum limitando & modificando, quid de Heatho, Bonero, Thirlebeio, & huiuſmodi reliquis ſtatuendum erit, qui paulò pòſt, Primatus regij iuramentum (quo poteſtas pontificia penitùs excluditur) abſolutè ſuſceperunt?

Hactenùs Cranmerum in Cathedram epiſcopalem euectum vidimus; nunc eiuſdem res geſtas, quatenùs inſtituto noſtro inſeruiunt, pauliſpèr inſpiciamus. Superſtite adhuc Warhamo, inchoata eſt

Digitized by Google

eſt Synodus,quæ, [g] *In multis de abolendo Papatu deliberationibus pendens,ſæpiùs prorogata eſt. Iámque nouam dilationem à ſextò Kal. Maij ad quintum Octobris accepit.* Interea Warhamus fatis conceſſit [h] 23. Auguſt.1532. Hæc Synodus, [i] *Mortuo Archiepiſcopo, ex præcepto regio,Prioris & conuentus Cantuarienſis authoritate prorogata eſt.* Cúmque iterum poſt aliquod temporis interuallum,ad diem dictum viri docti confluerent, *præſidebat (ſede Archiepiſcopali vacante)* [k] *Londinenſis Epiſcopus Stokeſleyus,authoritate ſibi data à conuentu Cantuarienſi.* Cranmerus autem, iam recèns in Archiepiſcopum creatus,*ingreſſus eſt authoritate ſua in Synodum. Cuius aduentu,quæſitum eſt iterum de Regis cum D.Katharina coniugio, ac renouata eſt illa tam diù coram Papæ legatis agitata quæſtio, An ducere vxorem à fratre cognitam,decedente ſine prole,ſit Prohibitio iuris diuini indiſpenſabilis à Papa? Ea res primò ad inferiorem Synodi conuentum relata eſt. In eo affirmarunt dictam concluſionem quatuordecim,negarunt ſeptem, dubitauit vnus, alterque iuris eſſe diuini dixit, ſed moralis,atque diſpenſabilis à Papa. In ſuperiori Patrum conuentu,in quo Bononienſis,Patauienſis,Pariſienſis,aliarúmque Vniuerſitatum de ea quæſtione iudicia recitata ſunt, controuerſiâ inter Stokeſleyum Londinenſem,& Fiſherum Roffenſem, Epiſcopos, aliquandiu motâ,ab omnibus Patribus, qui ducenti ſexdecim perſonaliter,vel per Procuratores interfuerunt,præterquam à nouendecim prædictarum Vniuerſitatum ſententijs aſſenſum eſt. Sed, vt hoc negotium omni tum iuris tum facti controuerſia careret,aliud quæſitum eſt. An carnalis copula inter ſereniſſimum principem Arturum,& ſereniſſimam Dominam Katharinam, ex propoſitis,adhibitis,deductis, & allegatis ſit ſufficienter probata; ſed hæc diſquiſitio ad legum atque canonum peritos relata eſt; Qui,quinque aut ſex duntaxàt exceptis,omnes carnalem copulam luculenter probatam affirmarunt. Quorum etiam ſententia ab omnibus patribus, præterquàm à Bathonienſi & Wellenſi Epiſcopo,probata eſt. His geſtis,tam Parlamenti,quàm Concilia,mandato regio, prorogationibus paulatim intermiſſa ſunt. Rex ad D. Katharinam nuncios miſit,vt,quoniam nefarias & inceſtas fuiſſe nuptias, ex Theologorum & Iuriſperitorum,tam in Anglia quàm in Tranſmarinis Vniuerſitatibus conſtabat ſententia, dote ab Arturo, Regis fratre maiore, ſuóque marito,contenta,diuertere ac diſcedere ſponte vellet.Illa verò,in propoſitò pertinax,reſpondit ſe ab eo vinculo diſſolui nolle, quod,patre ſuo Ferdinando procurante, à Papa fuiſſet colligatum.* Paulò pòſt Henricus, mare traijciens, [l] Gallorum Regem inter Galetum & Boloniam conuenit,rediénſq; [m] *dilata Parlamenti Synodiq; concilia iterũ indixit. In Parlamento,de illis iure diuino prohibitis nuptijs ex prioris Synodi & Vniuerſitatum prædictarum ſententijs,decretum eſt,debuiſſe atque licitè potuiſſe ab illis vetitis nuptijs diſcedere,& cum integerrima,lectiſſimáque fæmina,D.Anna Bullena nuptias licitas,iuríque diuino ac humano conſentaneas contrahere.*

Itaque *Cranmerus Archiepiſcopus,Londinenſi,VVintonienſi, Bathonienſi ac Lincolnienſi epiſcopis, alijſque permultis Prælatis comitatus, Doneſtabliam,in Bedfordienſi comitatu oppidum,venit,*[n] quod *proximè abeſt* 20

à Regia

[g] *Antiq.Brit. p.326.*
[h] *Stous in Annal.*
[i] *Antiq.Brit. p.327.*
[k] *Ibid.*
[l] *Vid.antiq. Brit.p.328.*
[m] *Ibid.*
[n] *Sand.de ſchiſ. l.1.p.78.*

Digitized by Google

à Regia villa Amptilenſi,in quâ eo tempore degebat ſereniſſima Katharina. Quam ſæpius in ius vocatam, vbi per quindecim dies fruſtrà expectaſſet, ad ſententiam diuortij ferendam ſe præparat. Itaque eam [o] ad *iudicium vocatam,& non accedentem pronunciauit contumacem, ac à Regis thoro conſuetudinéque nuptiali amouit.* Ita quas Iulius ſecundus arte Vaticana conciliauit nuptias,ſenſim & paulatim poſt viginti annos diſſui,non repentè diſcindi voluit Numen. Rex autem [p] *edixit ne deinceps Regina,ſed Arthuri principis donaturia vocaretur.*

[o] *Antiq.Brit. p.329.*
[p] *Ibid.*

Intereà Henricus anno Domini milleſimo quingenteſimo triceſimo tertio,& regni ſui viceſimo quarto, Nouembris die decimo quarto, Annam Boleniam,lectiſſimam fœminam,in [q] vxorem duxerat, *licèt [r] ſolennem nuptiarum pompam, ad quinque deindè menſes, id eſt,in ipſam Dominicæ Reſurrectionis vigiliam,diſtuliſſet. Anna igitur pridie Idus Aprilis, qui dies ſepulto Domino eo anno ſacer fuit, publicè deducta,& poſtridie calendas Iunij proximè ſequentis,Regio Diademate, inſigniori ac celebriori pompa quàm vlla vnquam Regina anteà, coronata fuit.* Quæ [s] ſeptimo Septembris, Angliæ delicias,Europæ ſydus,totius mundi Phœnicem,diuinæ prouidentiæ iuxta ac miſericordiæ lucidiſſimum ſpeculum,Elizabetham peperit.

[q] *Hall.in H.8. fol.209. & Hollinſh.in H.8. p.929.*
[r] *Sand.de ſchiſ. l.1.p.79.*
[s] *Hall.in H.8. fol.217.*

22 Dum adhùc infans regalis in vtero eſſet materno,Clemens 7. Iuliani Medici Florentini [t] Spurius,vt legitimum hoc matrimonium [u] dirimeret,& [x] ſobolem exhæredaret,nihil intactum reliquit. Cuius [y] fulmen à monte Vaticano emiſſum,quem non afflauit, & ambuſſit? adeò venenatos flammarum globos,Draconis inſtar, in Regem,& infantem nondum natam eiaculatur. Verùm mors parùm clemens Clementi clauſit oculos,dum Elizabetha almum Solis lumen intueri incipit,tanquam Sydus in media procella fœlix fauſtúmque exoriens,eccleſiæ Dei ſplendidiſſimis ſuis radijs lætitiam ſalutémque afferens,Papæ autem & eius aſſeclis,tanquam fatalis cometa,Antichriſti perniciem & exitium portendens.

[t] *Pont. Heuterus Delfius de libera hom.natiuitate.*
[u] *Nullitatis vitio ſubiacuiſſe & ſubiacere.*
[x] *Prolem ſuſceptam ſeu ſuſcipiendam illegitimam fuiſſe & eſſe, declaramus & mandamus.*
[y] *Hæc bulla data eſt anno 1533. Clem. 11. ſecundum Sand.p.80.*

Quod eodem quo nata Elizabetha anno,ex parte contigit. Vbi
23 enim pontifex Romanus Monedulæ Æſopicæ non abſimilis,pictis volucrum pennis ſe adornauerat, & magno cum faſtu incedens, in omnes aues per cœlum volantes, tyrannidem exercuerat,Henr.8. Anglorum Aquila,ſuam ex ala pontificis detraxit plumam,ſibique reſumpſit,plumam,inquam,Regij ſupremattus pretioſam illam & verſicolorem, id eſt, Regalem poteſtatem legitimam, quo illum decorauit Rex Regum & Dominus dominantium. Nam in magnis Regni [z] Comitijs,Anno Chriſti 1534. Henrici autem 26. Nouemb.die 3. habitis, vniuerſa Papalis Iuriſdictio à regno Angliæ (benedictus ſit Dominus) penitùs eſt profligata & eliminata.

[z] *Hol.in Henr. 8.p 938.& Sand.p.87.*

24 Quo audito, mòx fulgurat & fulminat nouus Iupiter Capitolinus [a] Paulus tertius, Regémque citat,vt inter nonaginta dies Romæ *per ſe,vel per Procuratores compareat.* Sin minùs,*omnes priores cenſuras in eum aggrauat; Regno & dominijs priuat,ſobolem illegitimam facit & infamem,eccleſiam Anglicanam ſub Interdicto ponit,probibet ſubditis,*

[a] *Bull.dat.1535. H.8.27.3.Kal. Sept.cuius ſumma vide apud Sand.p.107.*

Digitized by Google

tis ne obediant, exteris ne cum Anglis commercium habeant, mandat prælatis vt regno exeant; nobilibus, vt vi & armis ſe opponant, Regémque regni finibus eijcere nitantur: fœdera Principum cum Henrico inita omnia irrita facit, & nulla; omnéſque vt eum ſacris armis perſequantur, in Domino hortatur. Mehercule, Herculem furentem. Hoc modo ſe vel Henricum ad ſuam obedientiam reducturum, vel ſaltem Elizabetham omni ſpe regnandi priuaturum ſperabat. Satis hæc pro Imperio; cuius brutum fulmen & ignem Vaticanum Henricus pro nihilo duxit, Elizabetha verò benedictione cœleſti creuit ſicut Lilium, & tanquam Roſa floruit. Cæterùm Henricus, licèt in Papæ iuriſdictione extirpanda, reliquis omnibus Chriſtianis principibus palmam præripuit, *Religionis* tamen *reformandæ* gloriam beatiſſimæ ſuæ ſoboli, Edouardo, inquam, & Elizabethæ diuina prouidentia reſeruauit. Ab illo enim (nam Deus veritatem ſuam quibuſdam quaſi gradibus reuelare ſolet) pauci duntaxat rami ſunt exciſi; ab his ipſa ſuperſtitio, quæ altiſſimas radices egerat, funditus & radicitus eſt euulſa. Sed de Papæ eiectione ex Anglia hæc dicta ſunto.

Cranmerum autem (vtpote qui huic rei ſuam inprimis nauârat operam) Papiſtæ hoc ipſo nomine oderunt, *cane peius & angue*; hominémque poſtmodùm tot conuitijs onerare ac proſcindere machinati ſunt, quot humanum ingenium, liuore aculeatum, comminiſci potuit. 25 Ad Inſigne Delphini apud Cantabrigienſes aliquoties ſe contulit, viſurus vxorem, quæ apud hoſpitam, eius conſanguineam, commorabatur; inde Papiſtæ eum indoctum & [b] *ſtabularium* vocitârunt. Vxorem præ legis pontificiæ metu clanculum habuit; inde in Ciſta [c] circumlatam perhibent, Ciſtámque apud Graueſ-end ita locatã, vt mulieris caput deorſum vergeret ſuauiter mentiuntur. Ipſe Rex iam tum inimicos (ſi quando viribus valerent) non niſi ipſius ſanguine ſatiari poſſe ſatis perſpexit. Qua de cauſa, *Inſignia, quæ ex gente ſua Cranmerus tribus gruibus quadripartita tulit, Rex Henricus poſtea (cùm integerrimi Patris in veritate diuina conſtantiam, ſi pontificij præualerent, in morte ac incendio deſituram proſpexerat) ita mutari voluit, vt, gruibus deletis, tres [d] pellicani, mortis martyrijque prænuncij, in ſuis deinceps Inſignibus ederentur.* Cui præſagio euentus, regnante Maria, veriſſimè reſpondit. Tunc enim inimici eius rerum potiti, inueteratum in eum odium euomüerunt. Monüerunt, vt *intra* [e] *octoginta* dies ſe Romæ coram Papa ſiſteret. Papa tamen, eius aduentu non expectato, ante diem viceſimum condemnari, & Brachio ſeculari permitti iuſſit. Ornamentis Epiſcopalibus exüerunt, vt toga [f] laicali, eáque viliſſima induerent.

26 Per Fratrem [g] Alphonſum vitam pollicendo, ad canendam palinodiam induxerunt, morte tamen mulctare, fixa illis & immobilis ſtetit ſententia; nec ideo Alphonſi operâ vſi ſunt, quòd Cranmero benè vellent, ſed vt eius palinodiâ ſuæ famæ conſulerent. Itáque in eius lapſu ſibi ſuauiter applaudentes, ſummopere lætabantur. Sed audi, ob aliorum lapſus tripudiare, illa demum dia-

P bolica

[b] *Act. & Mon. in vita Cranmeri, p.1688.*

[c] *Vid. Sand. de ſchiſ p.58. & Parſ.3.conu. parl.3.c.7.n.27.*

[d] *Antiq. Brit. p.341.*

[e] *Jbid. p.342.*

[f] *Act & Mon. in vit. Cranm. pag.1709.*

[g] *Ibid.*

Digitized by Google

bolica eſt ἐπιχειρουργία. *Qui ſtat, videat ne cadat.*

27 Verùm enimverò vt Dominum ſuum denegauit cum Petro,ita, auxiliante Domino, reſipuit cum Petro, & vt reliqua ſua peccata acerbè fleuit,ita hoc,quòd temeraria ſua dextra ſubſcripſiſſet,præ reliquis acerbiſſimè; ideóque cùm ad ignem accederet, vt piè vlciſceretur,dextram ſuam,tanquam alter Sceuola, in flammam primùm extendit,&,nec reducto [h] brachio, nè ſemel quidem,totam combuſſit.

[h] *Antiq.Brit. p.343.*

28 Ita, [i] ſublatis in cœlum oculis, inter furentes flammas exclamauit,Domine Ieſu,ſuſcipe ſpiritum meum; & ſic locutus expirauit. Poſtquam flamma cadauer eius atque ligna in cineres redegiſſet, repertum eſt [k] *Cor* eius in cineribus integrum & illæſum: de quo Rodulphus Skinnerus ſic poëticè & elegantèr cecinit.

[i] *Ibid.* [k] *Ibid.*

[l] *Ecce inuicta fides,* Cor *inuiolabile ſeruat;*
Nec medijs flammis corda perire ſinit.

[l] *Ibid.*

29 Phil. Siſte verò; hìc enim aculeatis interrogatiunculis te pungit noſter Fluddus,quas ordine proponam; tu,ſi potes,refelle. Sic igitur ille. [m] *Nunquid in igne repertum fuit cor illud integrum & illæſum? Cedo à quibus?*

[m] *Purgat.triumph.p.141.*

Orth. Hiſtoricorum non eſt,quæ palàm facta memoriæ produnt,eorum ſingillatim teſtes nominare,particularéſque circumſtantias explicare; neque enim eſt operæpretium.

Phil. [n] An à Catholicis eſt inuentum? Cur non nominantur? An à Proteſtantibus? Cur non tollebant? An metuebant ne fortè digitos ſuos Proteſtanticos vſtularent in cineribus illius ignis,qui cordi pepercerat Proteſtantico? Si tollebant, quò tandem euaſit? Vbinam conſeruatur? Quis regnante Elizabetha illud vnquàm conſpexit?

[n] *Ibid.*

Orth. Ineptè: nos non ſolemus martyrum reliquias in pixide circumgeſtare,nec tanquam idola adorare,ſed quo decet honore ſepelire,& in terra recondere.

Phil. [o] *Vel magna eſt eorum impudentia in miraculo,quod nemini eorum videre contigit,tam conſtantèr enarrando: vel ſumma eorum negligentia,qui tale diuinæ potentiæ monumentum, Euangelij ſui miraculum,& fidei ſuæ pignus perire paſſi ſunt.*

[o] *Ibid.*

Orth. Ego hoc,non vt miraculum (nam fides noſtra, Euangelicis miraculis primæuis ſuffulta,nouis non indiget,)ſed vt quiddam admirandum propoſui,duobus fretus authoribus,quorum alter rem geſtam retulit hiſtoricè,alter elegantibus verſibus luſit poëticè; nec quid alteruter mendacio lucretur,video.

Phil. [p] *Sed Maſonum vlteriùs vrgere non auſim, nè fortè in libro ſuo proximo tam authenticas,pro cordis Cranmeri in Capella Lambethana conſeruatione,producat tabulas,ac iam tandèm pro epiſcoporum ſuorum eodem in loco conſecratione protulit,cum mortui ſint qui contradicant, quas tamen importuna eorum dum viuerent efflagitatio extorquere non poterat.*

[p] *Ibid.*

Orth.Ego iocos tuos illiberales & ridiculos,id eſt,te dignos, Fludde,

Fludde, non moror: de Regiſtris autem, meáque in ijs fide, quæ adducis, ſuo loco copiosè ſunt refellenda.

PHIL. [q] *Non ignoras opinor Germanici cor repertum eſſe integrum, & ab igne incorruptum, vt ſcribit Suetonius. Cuius rei cauſa fuit venenum illi ab inimicis propinatum. An Martyr veſter (qui quum ad fidem ſuam, ob ſpem vitæ prorogandæ, immutandam, tam pronus eſſet & procliuis, alterius vitæ præter præſentem, fidem valdè languidam habuiſſe viſus eſt,) venenum acceperit, vt ignis ſupplicium euitare poſſit, præſertim cum de tanta incendij ſui acceleratione ne cogitaret quidem, nolo quicquam ſtatuere.* [q] *Ibid.*

ORTH. An ille languida imbutus eſt fide, qui pro fide tam fortitèr mortem oppetijt? Sed illud maximè à charitate eſt alienum, quod etiam veneni ſponte hauſti ſuſpicionem fraudulentèr inijcias. Quorſum enim ſibi ipſi mortem conſciſceret? Quorſum ſibi ipſi venenum infunderet? An vt flammas crepitantes euitaret? At iſtæ flammæ ad flammantia aſtra, martyrij gloria coronatum erant perducturæ. Quid? An is ignem exhorruit, qui ſponte ſua dexteram in ardentem flammam ingeſſit, nec ſemel reduxit, quin totam torreri & comburi paſſus eſt? Locum verò Suetonij meliùs perpende; ſic ſe habet. Germanicus, [r] *Annum agens ætatis quartum & trigeſimum, diutino morbo Antiochiæ obijt, non ſine veneni ſuſpicione. Nam præter liuores qui toto corpore erant, & ſpumas quæ per os fluebant, cremati quoque cor inter oſſa incorruptum repertum eſt. Cuius ea natura exiſtimatur, vt tinctum veneno igne confici nequeat.* Vbì obſerua Suetonium non dicere, hanc eſſe cordis naturam, ſed exiſtimari. Non igitur fixam & exploratam adducit medicorum ſententiam, ſed quorundam duntaxat opinionem. Verùm hoc vtcúnque ſe habeat, certè iſte Suetonij locus nihil quicquam pro te facit. Nam Germanicus, veneno hauſto, diutino morbo erat correptus; Cranmerus autem ne ægrotauit quidem, ſed ad pyram ſanus & integra valetudine acceſſit: Per Germanici corpus ſparſi ſunt liuores, per Cranmeri non item: per os Germanici fluebant ſpumæ; in ore Cranmeri fluor nullus, nullæ ſpumæ. Germanici cor veneno tinctum eſſe innuit Suetonius; in Cranmeri corde tincturam nullam, nullam vel leuiſſimam veneni aſperginem obſeruauit quiſpiam. Non igitur cor *Cranmeri* veneno, ſed cor Fluddi venenato odio litum eſt & perfuſum. Hinc ſpumæ & liuor. Nam quantus eſt, totus eſt liuidus, luridus, fluidus, & ſpumeus. [r] *Sueton. in Caligula.*

Digitized by Google

Cap. X.

Vtrum Papæ abrenunciare ſit Schiſma, aut hæreſis.

Quod tractatur
- *retorquendo in aduerſarios ipſos.* 1
- *diſcutiendo in*
  - *Theſi, quid*
    - *ſchiſma.* 2
    - *hæreſis.* 3
  - *hypotheſi, an*
    - *H. 8. papam eliminando factus ſit*
      - *ſchiſmaticus.* 4
      - *hæreticus.* 5
    - *Edouardus & Elizabet*
      - *hæretici.* 6
      - *ſchiſmatici.* 7

Phil.

Tametſi vos Henricum & Cranmerum ad cœlum vſque tollitis, ego tamen eoſdem, eorúmque ſimiles, quamprimùm Pontificem Romanum repudiârunt, illicò nobiles factos eſſe ſchiſmaticos, atq; adeo hæreticos contra omnes oppoſitores clariſſimè euincam.

Orth. Ergo Stephanum Gardinerum factum eſſe ſchiſmaticum, Bonnerũ, Tonſtallum, Heathum, Stokeſleyum, &, vt vno verbo dicam, vniuerſos epiſcopos veſtros Catholicos, qui à tempore eiecti Pontificis ad mortem vſque Henrici 8. per totos duodecim annos in Anglia floruerunt, hos, inquam, vniuerſos nobiles factos eſſe ſchiſmaticos, contra omnes oppoſitores, clariſſimè euinces. Omnes enim à Papa reſilüerunt; niſi fortè Iohannem Fiſherum Roffenſem (qui nuper creatus Cardinalis, nondum accepto [a] galero, caput amiſit) excipiendum putes. Quanquam & ipſe quoque Pontificem repudiauit. Nam in Synodo anno 1530. habita (in qua Rex ſupremum eccleſiæ Anglicanæ caput eſt declaratus) ipſe quoque propria manu [b] ſubſcripſit. Quid hoc eſt aliud quam Papæ repudij libellum emittere? Quid? Num euinces, idque clariſſimè, in veſtra Eccleſia tot ſimul, tamque nobiles extitiſſe ſchiſmaticos, atque adeo hæreticos?

[a] *Hall. in Hen. 8. p. 226.*

[b] *Lib. M. S. ſacræ Synodi. p. 115.*

Phil. Non erant eo tempore de eccleſia Catholica. Nam rectiſſimè

rectiſſimè aſſerüit Stephanus [e] Gardinerus, vir longè digniſſimus, *Eccleſiam Anglicanam, cum Henricus ſupremi capitis titulum acciperet, non fuiſſe omninò eccleſiam.* Et [d] Sanderus dicit *factos eſſe Epiſcopos in ſchiſmate Henriciano, extra, vel potiùs contra Eccleſiam.*

[e] *Gard. in conc. ad cruc. Paul.*
[d] *Sand. de ſchiſ. l. 2 p. 209.*

Orth. Eccleſia ([e] Nicholao Papa definiente) eſt Catholicorum collectio.

[e] *De conſ. diſtinc. 1. p. 109.*

Phil. Cùm Pontificem profligarent, non erant Catholici.

Orth. Erant Sacerdotes miſſificantes, eandemque profeſſi ſunt fidem, quæ vobis eſt Catholica. Quinetiam [f] Sanderus affirmat omnes doctrina & grauitate præſtantes fuiſſe viros, religioniſque ſententia, ac interiori affectu Catholicos. Cur igitur eos Catholicorum titulo non dignaris?

[f] *Sand. de ſchiſ. l. 2. p. 209.*

Phil. Quia fidem illam catholicam, ſub capite catholico, id eſt, epiſcopo Romano, amplexi non ſunt. Hac ipſa de cauſa non inter catholicos, ſed ſchiſmaticos & hæreticos numerandi veniunt. *Bell.*

Orth. Vt tota quæſtio fiat lucidior, quid ſchiſma ſit, quid hæreſis pauliſpèr diſquiramus.

Phil. Quiſquis à Communione Romani Pontificis ſe diuidit & ſcindit, illico euadit ſchiſmaticus. 2

Orth. *Hæreſis & ſchiſma* (inquit [g] Thomas) *diſtinguuntur, ſecundùm ea quibus vtrumque per ſe directè opponitur. Nam Hæreſis per ſe opponitur Fidei, ſchiſma autem per ſe opponitur vnitati eccleſiaſticæ charitatis.* Quòd [h] Hieronymo conſonat. *Inter hæreſin* (inquit) *& ſchiſma hoc intereſſe arbitramur, quòd hæreſis peruerſum dogma habeat;* ſchiſma, *ob epiſcopalem diſſentionem, ab eccleſia paritèr ſeparet.* Ex quibus colligas (inquit [i] Nauarrus) quod *ſchiſma, generatim ſumptum, eſt peccatum quo quis ſe ſeparat ab vnitate debita. Specialiter verò ſumptum, eſt peccatum quo quis ſe ſeparat ab vnitate eccleſiæ, nolendo ſubeſſe ei, vel membris eius, quatenus ſunt eius, licèt credat non eſſe niſi vnam eccleſiam, & vnum caput ſupremum:* non dicit nolendo ſubeſſe Papæ, ſed eccleſiæ, & membris eius, quatenùs ſunt eius.

[g] *Secunda ſecundæ, q. 39. art. 1. ad tertium.*
[h] *Hier in epiſt. ad Titum. c. 3.*
[i] *Manual. c. 27. p. 872.*

Phil. At ſchiſma eſt [k] *contra charitatem, quæ parte eſt vnio quædam fidelium inter ſe in ordine ad vnum caput.* [l] Schiſmatici igitur *non ſunt vera membra eccleſiæ, quia diuiſi & ſciſſi ſunt à capite viſibili.*

[k] *Tol. de inſt. ſac. l. 4. c. 11. n. 2.*
[l] *Sculting. var. lect. tom. 4. p. 22*

Orth. Quid ſi quis à Pontifice ſit diuulſus, interim vt à communione Chriſti reſectus non ſit?

Phil. [m] *Nemo poteſt, etiamſi velit, ſubeſſe Chriſto, & communicare cum Eccleſia cæleſti, qui non ſubeſt Pontifici, & non communicat cum Eccleſia Militante.* Quod vel ex hoc [n] Bonifacij decreto luculentèr apparet: *porrò ſubeſſe Romano Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus omninò eſſe de neceſſitate ſalutis.*

[m] *Bell. de eccl. mil. l. 3. c. 5.*
[n] *Extrau. com. l. 1. de maior. vnam ſanctam.*

Digitized by Google

Orth. Quid audio? Nonne Athanaſius pro fide Catholica perſecutionem paſſus eſt, ipſo Liberio Pontifice non modò conſentiente, verùm etiam ſententiæ Synodali, qua vir Dei ab Eccleſię communione ſecluſus eſt, ſubſcribente? Sic enim Binius, hiſce verbis: [o] *Cuius concilij Smyrnienſis impiæ profeſſioni, per vim & metum ſubſcripſit.* Et rurſus; *Liberius Romanus pontifex (Athanaſio Hilario, & Hieronymo teſtantibus) per vim & minas ſollicitatus, huic primæ fidei formulæ ſubſcripſit, Athanaſium condemnauit, & cum Arrianis communicauit; idque per literas ad Valentem & alios ſcriptas ſignificans, ab exilio liberari ſedique ſuæ reſtitui petijt.* [p] Athanaſius: *Liberius, poſt exactum in exilio biennium, inflexus eſt, miniſque mortis ad ſubſcriptionem inductus eſt.* [q] Hieronymus: *Fortunatianus in hoc habetur deteſtabilis, quòd Liberium Romanæ Vrbis Epiſcopũ pro fide ad exilium pergentem, primus ſollicitauit ac fregit, & ad ſubſcriptionẽ hæreſeos compulit.* Idem in Chronicis: *Liberius, tædio victus* exilij, in *hæreticam prauitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intrauit.* Similiter [r] Damaſus: *Ingreſſus Liberius in vrbem Romam quarto nonas Auguſti, conſenſijt Conſtantio hæretico, non tamen rebaptizatus eſt, ſed conſenſum præbuit.* Et paulò antè: *Ab eodem die fuit perſecutio maxima in clero, ita vt intra Eccleſiam preſbyteri & clerici plures necarentur, & Martyrio coronarentur.* Imò ipſe [ſ] Liberius ad Epiſcopos Orientales: *Vbi cognoui (quandò Deo placuit) iuſtè vos illum* (Athanaſium) *condemnâſſe, mox conſenſum commodaui ſententijs veſtris, literáſque* ad hæc *ſuper nomine eius, id eſt, de damnatione ipſius per fratrem noſtrum Fortunatianum dedi perferendas ad Imperatorem noſtrum Conſtantium. Itaque, amoto Athanaſio, ſuper quem ſtatuta omnium veſtrûm à me cum ſede Apoſtolica ſuſcipienda ſunt, dico me cum omnibus vobis, & cum vniuerſis epiſcopis orientalibus, ſeu per vniuerſas prouincias pacem & vnitatem habere.* Hæc epiſtola in Vaticano exſtat, atque à [t] Baronio & [u] Binio, vt vera & Germana, agnoſcitur, qui, Liberio *Romanorum Sampſoni, Dalilam illam, Inuidiam humanæ laudis gloriâ comptam, Fortitudinis comam abſcidiſſe* conqueruntur. Ita Patriarcham hunc celeberrimum, fortiſſimum Chriſti Athletam, eccleſiæ columnam, hæreticorum malleum, à Pontificis communione amotum conſtat, qui tamen à Chriſti & Eccleſiæ cœleſtis communione ſecluſus non erat. Nam cùm totus ferè terrarum orbis contra Chriſtum militaret, etiam Liberio Papa in Hæreſin prolapſo, & præ metu ſubſcribenti, (vndè mitiùs de Cranmeri lapſu iudicare diſcatis,) ſolus ille Chriſti cauſam ſuſcepit, & tandem glorioſam victoriam reportauit. Quid ais, Philodoxe? An magnus iſte Athanaſius, eo quòd à Papæ communione ſecluſus eſt, inter ſchiſmaticos erit numerandus? Si neges; ergo à communione Romani Pontificis amoueri quiſpiam poteſt, interim vt non ſit ſchiſmaticus.

Phil. *Schiſma* (definiente Cardinale [x] Toleto) *non eſt* quæuis ſeparatio ab Eccleſię capite & vicario Chriſti, ſed *ſeparatio rebellis.* Nam, ſecundùm [y] Thomam, *duo ſunt neceſſaria ad ſchiſma contrahendum:*

[o] *Bin. in not. in conc. Sirmienſe. t. 1. p. 474.*
[p] *Athanaſ. in epiſt ad ſol. vit agent.*
[q] *Hier. in Catol. in Fortunatiano.*
[r] *Dam. in vit. Liberij.*
[ſ] *Epiſt. 7. Bin. t. 1. p. 465.*
[t] *Bar. an. 357. n. 41. & 43.*
[u] *Bin. quo ſupra in notis.*
[x] *De inſtr. ſac. l. 1. c. 19. n. 10.*
[y] *Secunda ſecundæ, q. 39. art.*

Digitized by Google

bendum : alterum, vt homo ſe ſeparet ab Eccleſiæ capite, ſummo Paſtore & Vicario Chriſti, per inobedientiam, non obediendo ipſi : alterum, vt ſit hoc cum rebellione, nimirum pertinacitèr, eius iudicium ſubire nolendo, eiuſque præceptum contemnendo. At hæc in Athanaſium non quadrant.

O r t h. [a] Auguſtinus Gaudentium *ſchiſmaticum eſſe ait ſacrilega diſceſſione, & hæreticum ſacrilego dogmate.* Duo igitur in ſchiſmate reperiuntur, *diſceſſio, & ſacrilegium.* Diſceſſio, qua ſchiſma conflatur, à charitatis defectu naſcitur, & eſt vnitatis eccleſiaſticæ violatio : hæc autem ſeparatio ſemper eſt ab eccleſia, ideo populos ſacrilegè diuidit. [a] Hieronymus eandem *ob epiſcopalem diſſentionem* fieri dicit. Quotieſcúnque igitur aliquis epiſcopo ſuo ſe opponit, populos diuidendo, & eccleſiam ſacrilegè lacerando, totiès ſchiſma exoritur. Eſt autem ſchiſma vel purum, quod nondum in hæreſin adoleuit, vel miſtum, quod cum hæreſi eſt coniunctum. Omne enim ſchiſma, vbi progreſſu temporis inueteratum fuerit, hæreſin aliquam ſibi confingit, vt rectè ab eccleſia receſſiſſe videatur. Omne igitur ſchiſma eſt ſeparatio, eaque rebellis. At hæc (inquis) in Athanaſium non cadit. Rectè tu quidem, ſi rem ipſam ſpectemus ; veſtram tamen interpretationem dum intueor, non video qua ratione vel ipſe Athanaſius ab hac labe purus & integer eſſe poterit. Quis enim eſt vobis pertinax aut rebellis ? Cùm Elizabetha Regina, papali ſuperſtitione profligata, euangelium conſtantèr protegeret, hæc ipſa conſtantia, *Pio* [b] quinto interprete, erat *pertinacia.* Cum Edouardus tertius duobus Cardinalibus ex beneficijs proximè vacantibus prouidere magnanimiter recuſaſſet, hæc ipſa recuſatio, [c] Clemente Sexto interprete, erat *rebellio.* Vndè conſtat conſtantiam & magnanimitatem in eccleſia propugnanda, vel leuiſſimo Romani Pontificis halitu, in pertinaciam & rebellionem tranſmutari. Hæc cùm ita ſeſe habeant, etiam Athanaſius (quum Papæ ita viſum fuerat) pertinax & rebellis cenſeri potuiſſet. Nam [d] Conſtantius Imperator aſſeruit, *Athanaſium ab Epiſcopis omnibus totius terrarum orbis* in Tyria Synodo condemnatum ; quod & factum eſt in concilio [e] Mediolanenſi, & Smyrnienſi, cui pontifex ſubſcripſit. Athanaſius tamen in ſua ſententia firmiter ſtetit, non obediendo, nec concilijs, nec pontifici cedendo, nec reconciliationem quærendo, verùm ſub cenſura manere ſuſtinuit, & Pontificis communione, quàm Saluifica Chriſti vnione carere maluit. Si quis hodiè hunc in modum erga Pontificem ſe gereret, quis veſtrûm in eundem, vt in pertinacem & rebellem, non intonaret ? Athanaſium igitur vel excuſa vel accuſa ; libera ſit optio. Accuſas ? At ſi pontifici ceſſiſſet, ſi ad eius exemplum ſe compoſuiſſet, in Deum rebellis extitiſſet, Chriſtique Seruatoris noſtri Deitatem abnegaſſet. Quia ſi excuſes, fatendum tibi erit, non omnem qui ſe à Romano Pontifice ſeparat, non obediendo, vel iudicium eius ſubire conſtanter renuendo,

[a] *Contra Gaud. l.2.c.9.*
[a] *In epiſt. ad Tit. c.3.*
[b] *In ſentent. declar.*
[c] *Walſingh. in Edouardo tertio.*
[d] *Conſtant. apud Theod. l.2.c.16.*
[e] *Vide Bar. an.355.*

Digitized by Google

nuendo, illicò ſchiſmaticum euadere. De ſchiſmate hactenùs; nunc quid ſit hæreſis inueſtigandum.

3 PHIL. *Hæreſis* (definiente [f] Toleto) *eſt error pertinax hominis Chriſtiani, fidei catholicæ ex parte contrarius.* Nam hæreſeos genus eſt error, id eſt, falſa quædam exiſtimatio veri pro falſo, aut falſi pro vero. Obiectum non eſt res humana, ſed diuina; ideóque errare in rebus Phyſicis aut mathematicis non eſt hæreſis, ſed in ſacris. Hæreſeos ſubiectum eſt quidem homô, non tamen omnis; nam nondum baptizatus, etiamſi erret vt hæreticus, hæreticus tamen dici non ſolet, ſed potiùs infidelis. Et hîc etiam erroris quantitas eſt ſpectanda. Nam ſi homo baptizatus totaliter deficiat à fide, non eſt dicendus hæreticus, ſed Apoſtata. Sed errare ex parte, id eſt, in hoc vel illo articulo, eſt hæretici. Dictæ autem conditiones licèt concurrant vniuerſæ; ad conſtituendum tamen hæreticum non ſufficiunt, niſi accedat pertinacia. Dicitur autem [g] *pertinax, qui ſciens illud quod affirmat eſſe contra eccleſiam, adhuc tamen vult illud ſuſtinere.* Ex his emergit prædicta hæreſeôs definitio.

[f] *Tol. de inſtruc. l. 4. c. 3.*

[g] *Ibid. n. 5.*

4 ORTH. Perplacet definitio. Iam, vt à *Theſi* ad *Hypotheſin* tranſeamus, *Henrici* octaui ſeparatio tantùm abeſt à ſchiſmate, vt vel ex *Bellarmini* fundamentis ſit legitima. Sic enim ille. [h] *Sicut licet reſiſtere Pontifici inuadenti corpus, ita licet reſiſtere inuadenti animas, vel turbanti rempublicam, & multò magis ſi eccleſiam deſtruere niteretur.* Quatuor ergò caſus incidere poſſunt, in quibus ſingulis licitum eſt (ex Bellarmini ſententia) Papæ reſiſtere. Quamobrem ſi Henrici reſiſtentia ad horum aliquem reduci poterit, vel aduerſario Iudice, futura eſt ligitima. Vt igitur primum & vltimum ſilentio prætercam, reliquos de anima inuadenda, & Republica turbanda, inſpiciamus. Dùm adhuc Henricus Princeps tenera eſſet ætate, diploma edidit *Iulius* ſecundus, vt liceret fratris ſui defuncti vxorem ſibi matrimonio copulare: poſteà verò, cùm per multos annos coniugio potitus eſſet, de eiuſdẽ inualiditate monitus, *Clementem* ſeptimum, qui tum eccleſiam regebat Romanam, rogauit, vt vel diſpenſationem verbo Dei conſentire oſtenderet, vel ſaltem Matrimonium (quod diſpenſatione nitebatur) caſſum atque irritum pronuntiaret. Neutrum tamen præſtare voluit Pontifex, ſed, moras nectendo, Regis anxiam & ancipitem miſerè torquebat conſcientiam, tandémque Henrico, in priori permanendum eſſe matrimonio, pro tribunali difiniuit. In priori, inquam, matrimonio, quòd non Cardinalibus modò & Academijs, ſed & Pontifici ipſi olim diſplicuit, vt ex [i] diplomate quod Campeio tradidit, cui hanc clauſulam intexuit, nempe, *Regem in priori coniugio ſine peccato perſeuerare non poſſe*, liquidò conſtat. Hoc an non ſit animas hominum inuadere, cuiuis æquitatis amanti iudicandum permitto. Nunc an Anglorum turbaret Rempublicam videamus. Hac diſpenſatione factum eſt vt hominum cogitationes

[h] *Bell de Rom. Pont. l. 2. c. 29. reſpondeo negando.*

[i] *Vide ſupr. lib. huius c. 9. n. 7.*

Digitized by Google

cogitationes variè diſtraherentur, alijs Papæ adhærentibus, alijs Academiarum per orbem Chriſtianum florentiſſimarum iudicium amplectentibus. Ita totus terrarum Orbis, tanquàm in biuio conſtitutus, anceps ſtetit & incertus, adeo vt coronæ Anglicanæ hæreditas & ſucceſſio, tam à ſubditis quàm ab [k] exteris, in dubium vulgò vocaretur. Quid eſt inſignitèr turbare Rempublicam, ſi hoc non eſt? Quamobrem ex Bellarmini principijs concludo, licuiſſe Henrico & ſubditis eius Pontifici reſiſtere.

[k] *Vid. ſupr. c.8.n.5.*

Phil. Modum reſiſtendi à Bellarmino expoſitum perpendere oportet. Sic enim ſe interpretatur: *Licet*, inquam, *ei* reſiſtere, *non* faciendo *quod* iubet, & impediendo *ne* faciat *voluntatem ſuam, non tamen licet eum iudicare, vel punire, vel deponere, quod non eſt niſi ſuperioris.*

Orth. Tibi quoque cogitandum eſt, aliud eſſe punire aliquem [l] *per iuriſdictionem in ipſum habitam, & aliud facto impedire iniurias, quas alijs facere tentat de facto.* Quemadmodum Veneti doctores ex Caietano, Turre-cremata, & Bellarmino ipſo probârunt. Henricus autem nullam omnino in papam iuriſdictionem ſibi arrogauit, æquum tamen erat vt ſeipſum læſus defenderet, iniurias à Papa de facto illatas remoueret, conſcientiæ ſuæ tranquillitati & ſubditorum bono conſuleret; quod licitũ eſſe doctores Veneti ex Balbo, Gerſone, Syluestro, Caietano, Soto, Franciſco de Victoria, Antonio Cordubẽſi, Turrecremata, Felino, Decio, Curtio, & Nauarro, abundè docuerunt. Verùm cæteris omiſſis, verba [m] Gerſonis ſic ſe habent: *Quòd ſi ſit aliquis, qui totam præſidentiam ſuam & Papalem dignitatem conuertere velit in inſtrumentum nequitiæ, & deſtructionis alicuius partis Eccleſiæ, in temporalibus vel ſpiritualibus, nec pateat ſufficiens remedium aliud, niſi ſubducendo ſe ab obedientia talis poteſtatis ſæuientis, & ſeipſa abutentis, & hoc ad tempus, vel quouſque Eccleſia vel Concilium prouideat, hoc fas erit.*

[l] *Tract. de interdicto, p.239.*

[m] *De auferib. Papæ conſ.14.*

Phil. Aliud eſt ad tempus non obedire, aliud ab eius obedientia penitùs reſilire, quod fecit Henricus.

Orth. Diſpenſationem à Iulio 2. conceſſam eius ſucceſſores, Clemens ſeptimus, & Paulus tertius, ita mordicùs defendebant, vt nulla ſpes iam prorſus ſupereſſe potuerit eandem reuocandi. Hoc enim & eccleſiæ Romanæ dignitati, & infallibili pontificis iudicio vehementer derogaret. Neque hîc Henrici tantùm, ſed totius Regni cauſa agebatur; nec eorum modò qui tum in viuis agebant, ſed poſterorum etiam. Ab hoc enim filo regnandi ius, & coronæ ſucceſſionem pependiſſe quis neſcit? Quamobrem Henricus nulla alia ratione vel conſcientiæ ſuæ, vel ſubditorum bono, vel nutanti ac vacillanti Reipublicæ, niſi eiecto Pontifice, proſpicere potuit, cuius in Angliam iuriſdictionem vlteriùs in Regni perniciem tolerare non debuit. Meritò igitur, ex omnium ordinum conſenſu, ſe & regnum ſuum à Pontificis tyrannide vindicauit; quod ſi non feciſſet in Deum ipſum

rebellis

Digitized by Google

rebellis extitiſſet. Quamobrem hæc Henrici ſeparatio fuit iuſtiſſima.

5 Phil. Ego verò Henricum tum ſchiſmatis tum hæreſis reum exiſtimo; nec aliter mihi perſuaderi patiar. Nonne Paulus Pontifex, [n] *frequenti Senatu, ob inaudita hæreſis crimen, in Chriſtianorum numero haberi indignum cenſuit?*

[n] Onuph. in Paulo.3.

Orth. Quæ tandem illa inaudita hæreſis? Narrat [o] Sigonius diſputationem in concilio Moguntino fuiſſe inſtitutam, in qua quæſitum eſt, *vtrùm Henricus (Imperator) regio titulo à Gregorio Pontifice ſpoliari potuiſſet.* Qua in cauſa Epiſcoporum plurimi Geberardo, Pontificis authoritatem tuenti, aſſenſi ſunt; vndè factum eſt vt in alio concilio, cui Otho Epiſcopus Oſtienſis Papæ legatus præfuit, Vecilo Archiepiſcopus Moguntinus, Geberardi Antagoniſta, *hæreſeos ſit notatus.* Idem narrat Henricum quartum Imperatorem, [p] *paterna hæreſi repudiata, pontificiam obedientiam ſuſcepiſſe.* Obedientiam Pontificis non ſuſcepiſſe, illa fuit demùm paterna hæreſis; filius autem erat Catholicus & Orthodoxus, quippe qui Pontifici obſequium præſtaret, quamuis interim in ſuum ipſius patrem ſceleratus & impius. Sed pace tua, Philodoxe, hæc noua eſt hæreſis, recens exorta, & ſuperioribus ſæculis inaudita. Nam ſi hæreſis ſit error in fide, ſuprematus pontificij abrogatio quomodo erit hæreſis? Num iſte ſedis Apoſtolicæ ſuprematus eſt articulus fidei? Certè non Apoſtolicæ. Non enim reperitur in Symbolo. Quid quòd (vt eleganter [q] Elienſis) *priùs completa fides catholica, quàm inchoata ſedes Apoſtolica? Vt ſi de fide ſit, de recentiori aliqua ſit: & ſanè peſſimè in ſe atque in nos conſuluerunt Patres Niceni, peſſimè Athanaſius; quorum nemo Primatum hunc ſedis huius, caput fidei, præcipuum fundamentum religionis catholicæ, Symbolis poſt ſuis inſerere vel meminit, vel curauit.*

[o] Sig. de reg. Ital. l.9. an. 1085.

[p] Sig. ibid. an. 1105.

[q] Tort. Torti. p.21.

Phil. Henricus octauus, [r] *Patria religione deſerta, noua & nefaria Lutheri dogmata,* quæ antea ſcripto improbauerat, ſequutus eſt.

[r] Onuph. in Clem. 7.

Orth. *Lutheri* dogmata? Quænam illa? Dicitur Henricus poſterioribus ſui regni temporibus in mandatis dediſſe, vt populus ſuus in articulis de Iuſtificatione, & de imaginibus non adorandis erudiretur. Sacra etiam Biblia in linguam vernaculam traduci paſſus eſt. Hæccine ſunt noua, & nefaria Lutheri dogmata? Nam de conſubſtantiatione Henricum cum Luthero ſenſiſſe non reperio; in cæteris verò Romani prorſus dogmatis fuiſſe ſcio.

6 Phil. [s] *In Anglia, regnante Henrico, & poſteà Edouardo, totum regnum à fide quodammodo Apoſtatauit; regnante Maria totum regnum ad eccleſiam rediјt, regnante Elizabetha iterùm regnare cœpit Caluiniſmus, & vera exulare Religio.*

[s] Bell. de Rom. pont. l.5. c.7. § Præterea.

Orth. Quod vobis eſt Apoſtaſia, id demùm vera eſt Religio, & quod vobis eſt Religio, id certè non caret Apoſtaſia. Multi enim errores Papales, regnante Henrico, reſecti ſunt, plures regnante Edouardo.

Digitized by Google

Edouardo. Ita euangelium ſimile fuit Luci, pergenti ſplendore vſque ad clarum diem, cuius fulgor tum Papam tum ſuperſtitionem papalem aboleuit. Cúmque Regina Maria vtrumque reſtituiſſet, Deus opt. max. excelſum Reginæ Elizabethæ excitauit ſpiritum, vt vtrumque denuò fortitèr & heroicè profligaret. Quódque ipſa fœlicitèr eſt auſpicata, illud Iacobus Rex ſereniſſimus eadem fœlicitate opus pertexuit.

Neque quiſquam illuſtribus his principibus crimen ſchiſmatis 7
affigere poteſt, quin beato Apoſtolo paritèr affigat; *qui,*[t] *cùm quidam indurarentur, & parere nollent, malè loquentes de via illa Dei apud multitudinem, abſcedens ab illis ſeparauit diſcipulos.* Quodque ipſe fecit, alijs faciendum mandauit. [u] *Si quis diuerſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, ſecede ab ijs qui eiuſmodi ſunt.* Et Dominus per [x] Prophetam ſuum clamauit, *Nè aſcendatis Bethauen.* Hæc Bethauen, ſi locum ſpectamus, nihil aliud erat quàm Bethel: Sed cùm nomine eſſet *Bethel,* idola colendo facta eſt Bethauen. Ergò nè aſcendatis Bethauen. Si Roma quæ olim fuit Bethel, id eſt, domus Dei, fiat Bethauen, id eſt, domus vanitatis, tum nè Romam aſcendatis; eſt enim Bethauen. [y] *Exite Babylone, popule mi.* Si Roma, quondàm virgo Sionis, euadat Meretrix Babylonis, tùm exite è Roma, popule mi, nè *participes ſitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.* Quamobrem cum eccleſiam Romanam tot erroribus ſe implicuiſſe, & idolorũ cultui mancipaſſe res ipſa loquatur, omnia regna Chriſtiana Roma exire, & ab eiuſdem in erroribus eius communione ſecedere tenebantur.

[t] *Act.* 19.9.
[u] 1. *Tim.* 6.3, 4, 5
[x] *Hoſ* 4.15.
[y] *Apoc.* 18.4.

PHIL. Hæc eſt hæreticorum perpetua vox; at mihi eccleſiæ Romanæ ſententia ſemper perplacuit, quæ vos, & veſtri ſimiles (quicquid obganniatis) tum ſchiſmatis, tum hæreſis reos poſtulauit.

CAP.

De ordinatione per hæreticos.

CAP. XI.

Vtrùm ſchiſma,vel hæreſis conſecrationem irritam reddat.

Partes 2.

- *Leuis velitatio*
  - *proponitur.* 1
  - *retorquetur.* 2
- *Grauior conſideratio*
  - *oſtendens, quòd*
    - *Presbyter confert*
      - *baptiſmum, etiamſi*
        - *vita impurus.* 3
        - *hæreticus. ſchiſmaticus* 4
        - *cenſuris irretitus.* 5
      - *euchariſtiam.* 6
    - *Epiſcopus ordinat etiamſi*
      - *hæreticus: quod probatur*
        - *teſtimonijs Patrum.* 7
        - *exemplo Felicis.* 8
      - *Degradatus: quod probatur ex ſcholaſticis.* 9
  - *Redarguens*
    - *Stephanum ſeptimum.* 10
    - *Sergium ſecundum.* 11
    - *Stephanum quartum.* 12
    - *Ioh.12.quem Champnæus defendere voluit quidem, ſed non potuit.* 13

ORTH.

NOſtráne,an veſtra eccleſia horum criminum ſit rea,Deus iuſtus Iudex ſuo tempore reuelabit. Interim (quanquam hoc ipſum nullo idoneo argumento euincere poteſtis) diſputandi gratiâ fingamus, Cranmerum, quamprimùm Papæ valedixit,

ledixit, ſchiſmaticum & hæreticum ipſo facto euaſiſſe. Sed dic ſodes, Philodoxe, num Epiſcopus in ſchiſma aut hæreſin lapſus, deſinit eſſe Epiſcopus? Num ordines conferendi ius & poteſtatem amittit? 1

Phil. Complures (mihi crede) viri doctiſſimi in hanc propendent ſententiam: hanc tamen quæſtionem (quæ Petro [a] *Lombardo* perplexa ac penè inſolubilis viſa eſt) in vtrámque agitari poſſe partem non diffiteor. *Innocentius* primus: [b] *non videtur* (inquit) *clericos eorum* (Arianorum & huiuſmodi peſtium) *cum ſacerdotij aut miniſterij cuiuſpiam ſuſcipi debere dignitate, quoniam quibus ſolum baptiſmum ratum eſſe permittimus.* Et rurſus dicit, [c] *Ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manuum impoſitionem habere caput.* Et iterum: [d] *Aſſeritur, eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe, nec eum aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere.* Quod hac concluſione obſignat: *acquieſcimus, & verum eſt.* Porro Iohannes 12. à Leone 8. antipapa ſchiſmatico, ordinatos dicere compulit: [e] *Pater meus nihil habuit ſibi, nihil mihi dedit:* [f] Nicolaus primus: *Gregorius, qui canonicè ac Synodicè depoſitus & anathematizatus erat, quemadmodum poſſit prouehere vel benedicere, nulla ratio docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit.* Et rurſus. *Qui obturat aures ne audiat legẽ, oratio eius erit execrabilis; ſi execrabilis vtiq; & non audibilis; ſi non audibilis, ergo ineſſicax; ſi ineſſicax, profectò Photio nihil præſtans.* Quamobrem licèt Cranmerus legitimè erat conſecratus, tamen in ſchiſma & hæreſin lapſus, & ſuam ipſius ordinationẽ, & alios ordinandi ius videtur amiſiſſe. Quotquot igitur regnante Edouardo à Cranmero ſacrati ſunt, nihil acceperunt, quia Cranmerus quod daret nihil habebat. Similiter, quotquot ſub Elizabetha ab illis ſacrati ſunt, nihil itidem acceperunt, quia illi quod darent, nihil habebant; & quotquot ſub Iacobo his orti ſunt parentibus, nihil quoq; acceperunt, quia eorum parentes quod darent, nihil habebant.

[a] L.4.d.25.
[b] Innoc.ep.18.
[c] Ep.22.c.3
[d] Ibid.
[e] Concil.Rom. ſub.Ioh. 12. Bin. tom.3.p 1066.
[f] Nic.ep. 1. Bin. t.3.p.698, 699.

Orth. Caue (Philodoxe) ne dum nobis oculos erüere conaris, tui tibi-ipſi erüantur. Etenim ſi hæc vllius momenti ſint teſtimonia, quid fiet Bonnero, Epiſcopo Londinenſi? Quid Nicolao Heatho, quem Reginæ Mariæ gratia ad Archiepiſcopatum Eboracenſem, &, poſt Gardineri obitum, ad ſummum Angliæ Cancellariatum prouexit? Quid Thomæ Thurlebeio, quem eadem Regina à ſede Noruicenſi ad Elienſem tranſtulit? Iſti enim eo ipſo tempore facti ſunt Epiſcopi, quo tum ordinantes, tum ordinati à Papa hæretici & ſchiſmatici iudicabantur. Nunquid vniuerſi nihil acceperunt, quia eorum parentes quod darent, nihil habebant? Si iſti non erant epiſcopi, quid fiet Cardinali Polo (etiam ad Papatum electo,) & reliquis ſub Maria inauguratis, qui his maioribus ſunt prognati? Qui ſi ipſi nihil acceperunt, nec ſacros ordines alijs conferre poterant. Ergo ab his ordinati presbyteri, presbyteri non erant; ergo licèt verba conſecrationis enunciarent, verè ta- 2

Digitized by Google

men conſecrare,& hoſtiam conficere non valebant, &, ex conſequente,qui hoſtiam ab illis confectam adorabant, idololatriæ crimine tenebantur.

Phil. Bonnerus & reliqui quos narras (qualeſcunque tibi videntur) certè venerabiles erant Epiſcopi.

Orth. Quiſquámne eſſe poteſt Epiſcopus, interim vt conſecratione efficaci,& valida ſit deſtitutus?

Phil. Nemo prorſus.

Orth. Aliam autem conſecrationem Epiſcopalem, præter illam quam diximus,conſequuti ſunt nullam: reordinati enim non erant,vt opinor.

Phil. Reordinati? Minimè gentium. Nam vt rebaptizationes, ita reordinationes in Concilio [g] Capuano ſunt prohibitæ. Et Sanctus [h] Gregorius: *Sicut* (inquit) *baptizatus ſemel,iterum baptizari non debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari.* Ergo ſine dubio reordinati non ſunt. Quid igitur factum? Cardinalis Polus, pontificis Legatus,quum Regnum à priore ſchiſmate ac hæreſi abſoluiſſet, & Eccleſiæ Catholicæ reconciliâſſet, [i] *Epiſcopos omnes, qui ſententia religionis erant catholici, in priore ſchiſmate factos,confirmauit.* Ita pro legitimis habiti ſunt epiſcopis.

[g] *Baron.an.389. n.74*
[h] *Epiſt.l.2.ep.32.ind.10.*
[i] *Sand.de ſchiſ. l.2.p.260.*

Orth. Epiſcopus,te fatente, legitimus eſſe non poteſt,cuius inualida & inefficax eſt Conſecratio. Bonnerus autem & reliqui ſub Henrico octauo,poſt eiectum Pontificem inaugurati,vobis legitimi ſunt epiſcopi. Quocirca eorum conſecratio vobis inualida & inefficax eſſe non poteſt. Hæc tamen conſecratio hæreſi & ſchiſmate,ſi tibi credimus, fœdata fuit, & contaminata; vndè ſequitur has labes non impedire quin conſecratio, his non obſtantibus,eſſe poſſit firma & valida. Verùm ne hæc non tam à ratione, quàm ab amore & affectu in veſtros fluxiſſe videantur, præſertim cùm teſtimonia à te paulò antè allata nondum ſint ſublata,agedum rem totam ſub limam reuocemus, ſenſímque ac pedetentim progredientes,ſingula rectæ rationis & iudicij lance libremus, vt quò vergat & propendeat veritas videamus. Tu verò non ex priuatis (quibus homines nimiùm indulgere ſolent) affectibus,ſed ex publicis & authenticis eccleſiæ veſtræ monumentis mihi reſpondeas.

3 Primò,igitur ſi infantem à nefario ac ſcelerato presbytero, vtpote ebrioſo, blaſphemo, adultero baptizari contigerit,nunquid hoc ſatis firmum & validum eſt baptiſma?

Phil. Si in elemento aquæ verbis euangelicis, id eſt, *in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*,celebretur,firmum eſt & validum, nec vnquam repetendum; vt ex clariſſimis pontificum, conciliorum,& Patrum teſtimonijs, à [k] Bellarmino citatis,eſt manifeſtum. Miniſtri impietas myſteriorum Dei puritatem polluere non poteſt. Non carebunt ſuo effectu apud filios Dei,etiamſi à Iudâ diſpenſarentur.

[k] *Bell.de ſacr.in Gen.l.1.c.26.*

Orth.

Digitized by Google

ORTH. Rectè tu quidem. Etenim verba Apoſtoli de prædicatione Euangelica, ad reliqua quoque officia miniſterialia accommodari poſſunt. [l] *Si volens hoc faciam, mercedem habeo; ſin inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Quaſi diceret; Si hoc ſponte & alacriter præſtitero, id eſt, animo hilari ac ſereno, cum bonæ conſcientiæ teſtimonio, nihil ſpectans præter Dei gloriam & proximi ſalutem, præmium mihi eſt repoſitum; ſin inuitus, id eſt, ob auaritiam, inanis gloriæ aucupium, aut aliud hujuſmodi quod carnem ſapit, quamuis mihi ipſi non proſit talis Adminiſtratio, quia mercedem non habeo, alijs tamen prodeſſe poterit, quia mihi à Domino credita erat Diſpenſatio. Manus impuræ macula myſteriorum Dei pulchritudinem decolorare non poteſt. Lucent illa in tenebris, ſplendéntque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcunt. Qua de re eleganter Gregorius Nazianzenus: [m] *Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, ac deinde ceram imprimant; quid tandem hoc ſignum ab illo ſigno differet? Nihil: materiam in cera internoſce quamlibet ſingulari ſolertia ſis. Dic vtrum è duobus ſignis aureo annulo, vtrum ferreo expreſſum ſit, quoque modo vnum idémque ſignum exiſtat. Diſcrimen enim in materia eſt, non in ſigno. Sic tibi quoque omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamuis enim alius alium vitæ probitate antecellit, eadem tamen baptiſmi vis eſt.* Sic ille. Pari modo & hortum, vel teneris plantis vel floribus conſitum, fiſtula tam lutea quàm argentea irrigari poſſe docet experientia.

l 1. Cor. 9. 17.

m Orat. 40.

Verùm ſi ponamus presbyterum, de quo agitur, ſchiſmatis & hæreſeos eſſe poſtulatum; quid tum demum dicendum erit? 4

PHIL. Idem prorſus.

ORTH. Qui in peccatis ſuis obdureſcit, quomodo alijs peccata remittet? quomodo Spiritum Sanctum dabit, qui Spiritum Sanctum non habet?

PHIL. Pulchrè reſpondit doctiſſimus noſter Cardinalis: [n] *Hæreticos non habere remiſſionem peccatorum formaliter, tamen habere miniſterialiter; quomodo famulus, qui ſæpè non habet vnum obolum, tamen defert multos aureos à Domino ſuo ad aliquem alium.*

n Bell. de ſacr. in genere, l. 1. c. 26.

ORTH. Hoc verè & eleganter dictum fateor. Cuius rei hæc eſt ratio, quod licèt baptiſmus ab hæreticis vel ſchiſmaticis miniſtretur, non tamen eſt hæreticorum vel ſchiſmaticorum baptiſmus, ſed Ieſu Chriſti. Illud enim Iohannis Baptiſtæ ſemper eſt veriſſimum, [o] *Hic eſt qui baptizat.* [p] *Neque is qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum.* Quò ſpectat illud Auguſtini: [q] *Ad baptiſmum, qui verbis Euangelicis conſecratur, non pertinere cuiuſquam vel dantis vel accipientis errorem, ſiue de Patre, ſiue de Filio, ſiue de Spiritu Sancto aliter ſentiat quàm cæleſtis doctrina inſinuat.* In magno concilio [r] Niceno ſancitum fuit Paulianiſtas, ad Eccleſiam Catholicam redeuntes, *rebaptizandos eſſe:* quibus in verbis per rebaptizationem, illius tinctionis repetitionem intelligunt, quæ per errorem

o John 1. 33.

p 1. Cor. 3. 7.

q De baptiſ. cont. Donat. l. 4. c. 15.

r Can. 19.

Digitized by Google

verus baptiſmus habebatur, cum reuera nō eſſet, ob defectum veræ ac eſſentialis verborum formæ, quam neceſſariò ſupplendā eſſe Sacroſanctum Concilium veriſſimè iudicauit. Neque tamen hac in cauſa ab Africano Concilio, ſub Stephano Romano Pontifice habito, diſſentit, in quo ſtatutum eſt, [s] Nouatianos, ad eccleſiā Catholicam redeuntes, rebaptizandos non eſſe. Cuius decreti hæc erat cauſa, quòd prius Nouatianorum baptiſma, licet ab hæreticis adminiſtratum, veram haberet verborum formulam, ac proinde, quoad ſacramenti ſubſtantiam, ſānum eſſet & integrum, nec vnquam reiterandum. Agrippinus enim, Epiſcopus Carthaginenſis, meritò redarguendus, qui [t] *Omnium mortalium primus contra diuinum canonem, contra vniuerſalis eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem ac inſtituta maiorum, rebaptizandum eſſe cenſuit.* Cui errori Sanctus [u] Cyprianus, & Epiſcopi Africani aſtipulati ſunt; quibus tamen danda eſt venia, quòd rem à nullo œcumenico concilio definitam vidiſſent. Quamuis autem toto cœlo errarent, eos tamen qui contra ſenſerunt pro hæreticis non habebant, neque baptizatos à Catholicis rebaptizabant, neque vllam in eccleſia Dei ſciſſuram faciebant, ſed vnitatem Spiritus in vinculo pacis ſeruabant. *Correxiſſe iſtam ſententiam* (inquit Auguſtinus) *non inuenitur; non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum eſt ab eis qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quanquàm non deſunt qui hoc Cyprianum omnino non ſenſiſſe contendunt, ſed ſub eius nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum.* Et paulò pòſt: *Porro autem Cyprianus aut non ſenſit omnino quod eum ſenſiſſe recitatis, aut hoc poſteà correxit in regula veritatis, aut hunc næuum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit vbere charitatis.* Et, teſte [x] Hieronymo, *Illi ipſi epiſcopi qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, ad antiquam conſuetudinem reuoluti, nouum emiſere decretum.* Cæterum Donatiſtæ priorem errorem mordicùs tenebant, & augebant, etiam cùm Eccleſia oppoſitum decreuiſſet, ac proinde meritò habiti ſunt hæretici. Immò Catholicos rebaptizare auſi ſunt. Vnde in hæc erupit verba [y] Vincentius Lyrinenſis: *O rerum mira conuerſio! Authores eiuſdem opinionis catholici, conſectatores verè hæretici iudicantur: abſoluuntur magiſtri, condemnantur diſcipuli: conſcriptores librorum filij regni erant, aſſertores verò Gehenna ſuſcipiet.* Verum hanc hæreſin iamdudum damnauit eccleſia. Cùm Prætextatus & Filicianus, qui complures in ſchiſmate baptizaſſent, ad vnitatem redirent, *à ſuis damnatoribus ſine vllo ſui honoris detrimento pro pace ſuſcepti, nec quiſquam rebaptizandos putauit, qui fuerant ab eis foris in ſchiſmate baptizati.* Proinde eccleſia illos cum legitimo ſuo baptiſmo, quem in ſchiſmate habuerunt, ſuſcepit. [z] Nam, vt colligere licet ex Auguſtino, alij poſſident baptiſmum & legitimum, & legitimè; alij legitimum, quamuis non legitimè. [a] *Nos autem baptiſmum eos non iuſtè & legitimè poſſidere concedimus, non poſſidere autem non poſſumus dicere, cùm ſacramentum Domini*

[s] Vide Bin. in notis in conc. Nicen. can. 19.

[t] Vinc. Lyrin. in commonit. c. 19.

[u] Cypr. l. 2. & conc. Carthag. ibid.

[x] In dialogo cont. Lucifer.

[y] Cap. 11.

[z] Auguſtin. contr. epiſt. Parm. l. 1. c. 4. & lib. 2. c. 13. & de Baptiſmo, lib. 3. cap. 10.

[a] Aug. de bapt. contr. Don. l. 5. c. 7.

mini

Orth. Rectè: vt Chriſtus Dominus eſt omnium ſummus baptizator, ita quoq; eſt ſummus ordinator. *Is enim*[n] *dat paſtores & doctores ad conſummationem eccleſiæ.* Sit igitur epiſcopus iniquus; ſerui tamen iniquitas, domini gratiā ac bonitatē euacuare non poteſt. Quis enim in priſca Iudęorū Eccleſia ſacerdotes creauit? Certè poſt Aaronis & filiorū inaugurationē, quę, cùm eſſet extraordinaria, à [o] Moſe præſtabatur, reliqui (licèt carnali generatione procreati) à ſummo ſacerdote ſolenniter vngebantur. Aaronem autem aureum conflâſſe vitulum, et Eli peccatis filiorum nimiùm indulſiſſe ſatis conſtat. vterque tamen, quoad vixit, pontificatu functus eſt, nec quiſquam quas illi, immo nec quas Annas et Caiphas fecerunt ordinationes, in controuerſiam vocauit. Cæterùm quid ſi epiſcopi ſchiſmatis et hæreſeos crimine teneantur?

[n] *Epheſ.4.11.*

[o] *Exod.29.& Leuit.8.*

Phil. [p] *Quis ignorat Catholicorum, baptizatos ab hæreticis, verè eſſe baptizatos, & ſimiliter ordinatos, verè eſſe ordinatos, quando ordinator hæreticus verè Epiſcopus fuerat, & adhuc erat, ſaltèm quantum ad characterem.*

[p] *Bell. de Rom. pont l.4.c.10.§. Reſpondeo falſiſſimam.*

Orth. [q] Baſilius *magnus admirabundus dixit, nullum ex omnibus totius orbis Hæreſiarchis (qui tum plures celebrabantur) conſecratos auſum fuiſſe reſecrare, prǽter Euſtathium Ancyrogalatam, cuius nefarium ſcelus ſynodus Gangrenſis exponit. In concilio* [r] *Niceno ſecundo venerabiles monachi dixerunt; iuxta ſex ſanctas & Ocumenicas Synodos, ex hæreſi redeuntes accipimus, niſi cauſa quæpiam non toleranda ſubſit. Tharaſius beatiſſimus patriarcha dixit; et nos quoque inſtructi à ſanctis patribus noſtris ſic definimus.* Et [s] rurſus; *Tharaſius beatiſſimus patriarcha dixit, Quid de Anatolio dicitis? Nonnè princeps fuit quarti ſynodi? Et tamen a Dioſcoro impio illo fuit creatus. Ergo et nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum Anatolius quoque receptus eſt.* Et [t] rurſus: Tharaſius beatiſſimus Patriarcha dixit; *Sanè et plurimi, qui in ſexta ſynodo præſides fuerant, à Sergio, Pyrrho, Paulo, et Petro, doctoribus hæreſeos Monothelitarum, fuere creati. Sed & hi viciſſim Conſtantinopolitanas ſedes inter clerum diſtribuerunt, & ab extremo eorum doctore Petro, vſque ad ſextam Synodum, anni non pauciorès quàm quindecim interceſſerunt: qui verò intermedijs temporibus fuerunt, Thomas ſcilicet, Iohannes, & Conſtantinus, ab hæreticis fuerunt ordinati: verùm ea de cauſa non ſunt reprobati. Circiter quinquaginta annos hæreſis illa viguit; et tamen in ſexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantùm damnauerunt.* Ex his ſatis liquet, hæreſin ex eorum ſententia Ordinandi poteſtatem non tollere; quod & ipſe fateris, nec vllo modo negare poteris.

[q] *Apud Nicetā in vit. Ignatij Bin t.3. part 2. p.869.*

[r] *Act. 1. Bin. t.3. Pag. 306.*

[s] *Pag. 307.*

[t] *Pag. 308.*

Nonne pontifex Romanus (ſi modò Fœlix ſecundus dicendus 8
ſit Pontifex) ab hæreticis ordinatus fuit?

Phil. [u] *Accidit, vt temporibus Gregorij decimi tertij, dùm de emendatione Romani Martyrologij, à viris eruditis ad hoc delectis, frequentes haberentur conuentus, & de Fælice non leuis controuerſia incidiſſet, expungendúſne eſſet ob vitioſum ingreſſum eius, vel abſque Martyrij titulo relinquendus, deque his diu multumqúe altercatum eſſet, et Baronius in mea*

[u] *Ex Baronio an. 357. n. 63.*

ſententiam pedibus iret vt Fœlicis nomen expungeretur, eóque argumento volumen haud breue ſcripſiſſet, cui fauerent complures viri eruditi in vrbe tunc exiſtentes, accidit planè veluti diuino miraculo, vt quidam, dum ſuffoderent vt theſaurum inuenirent, in marmoream arcam inciderint, in cuius altero latere erat corpus Fœlicis, cum lapideo laterculo his literis exarato, Corpus Fœlicis Papæ et Martyris, qui damnauit Conſtantium; quod accidit pridie eius diei quo Fœlicis dies natalis agi conſueuit. Ita Baronius Fœlici, tanquã rediuiuo, ſuámque ipſius cauſam agenti ceſſit, accedente præſertim ſententia Gregorij decimi tertij. Quamobrem Fœlicem verum fuiſſe pontificem agnoſcimus, quanquam eius in Papatum ingreſſus probari non poteſt, quia, *ex* [x] *communiori patrum ſententia, ab Arrianis intruſus, et ab ijſdem Epiſcopus ordinatus fuit:* ideóque, Liberio adhuc viuente, et pro fide catholica perſecutionem ſuſtinente, Fœlix erat ſchiſmaticus Antipapa; verùm *ab eo tempore quo Fœlix Conſtantium, Vrſacium, Valentem, alióſque Arrianos excommunicando, vexillum fidei ipſe erexit, quone Liberius, ob manifeſtã cum hæreticis communionem, à catholicorum communione planè extorris exiſtimatus eſt, quaſi impoſsibile ſit eundem cum hæreticis et catholicis ſimul communicare poſſe, ille omnium catholicorum iudicio (licet antea ſchiſmaticus fuiſſet,) legitimus Eccleſiæ Catholicæ Pontifex haberi cœpit.*

[x] *Vide Bin. in not. in vit. Fœlicis 2. t. 1. p. 490.*

Orth. Concedis igitur, idque ex omnium catholicorum iudicio, Fœlicem ab Arrianis ordinatum, legitimum fuiſſe epiſcopum. Alioqui enim quid fiet quinque illis *Diaconis, vni et viginti presbyteris, nouendecim Epiſcopis, quos ipſe* [y] *ordinauit?* Si hæretici vel ſchiſmatici nullam habeant ordinandi poteſtatem, Fœlix Epiſcopus non erat, et ex conſequente quotquot ab illo factæ ſunt ordinationes, irritæ ſunt et planè nullæ.

[y] *Vit. Fœlicis apud Bin. quo ſupra.*

Phil. Characterem eſſe indelebilem ex concilio Florentino & Tridentino ſuperiùs accepiſti: vnde ſequitur tam firmas agere radices, vt nec ſchiſma, nec hæreſis, nec vlla cenſura eccleſiaſtica poſſit euellere. Quamobrem cùm Character epiſcopalis ſit [z] *abſoluta, perfecta, & independens poteſtas conferendi ſacramenta confirmationis & ordinis, ideò non ſolum poteſt epiſcopus ſine alia diſpenſatione confirmare & ordinare, ſed etiam non poteſt impediri ab vlla ſuperiori poteſtate, quin reuera ſacramenta ille conferat, ſi velit, licèt peccet ſi id faciat prohibente ſummo Pontifice.*

[z] *Bell. de confir. c. 12.*

Orth. Nonne degradatio priuat gradu?

9

Phil. *Non eſt dubitandum* (inquit [a] Petrus à Soto) *per hæreſin, vel excommunicationem, ſiue etiam degradationem non amitti poteſtatem quæ ſacramento collata eſt, ſiue characterem, vt dicunt, baptiſmi, confirmationis & ordinis, quanquam vſus illius amittatur.* Certum eſt (inquit [b] Gregorius de Valentia) *ordinationes huiuſmodi miniſtrorum ſic eſſe immutabiles, vt qui ſemel in aliquem eiuſmodi ordinem eccleſiaſticum cooptatus ſit, nequeat omninò accepti ordinis poteſtate priuari, aut fieri Laicus, etſi poſſit vſus interdici.* Quamobrem degradatio non tollit poteſtatem, ſed vſum duntaxat, idque eatenus tantùm, vt ſi quis degradatus

[a] *Lect. 5. de inſtit. ſac. l. 5 fol. 279. edit. Diling. anno 1560*
[b] *Tom 4 diſ. 9. queſt. 1. p. 1.*

Digitized by Google

mini in euangelicis verbis cognoſcimus. Baptiſmum ergo legitimum habent, ſed non legitimè habent. Quiſquis enim eum & in vnitate catholicâ, & eo dignè viuens habet, & legitimum, & legitimè habet. Quiſquis autem vel in ipſa catholicâ, ſicut palea commixta frumento, vel extra, ſicut palea vento ſublata, habet, hunc baptiſmum legitimum quidem habet, ſed non legitimè. Ita enim habet quemadmodum eo vtitur; non autem legitimè vtitur, qui eo contra legem vtitur, quod facit omnis qui baptizatus perditè viuit, ſiue intùs, ſiue foris. Quocirca aliud eſt poſſidere rem legitimam non legitimè, aliud omninò non poſſidere. Sacramenta eccleſiæ extra eccleſiam reperiuntur, vt fluuij Paradiſi extra Paradiſum. Hæretici & ſchiſmatici rem columbæ (id eſt, gratiam Spiritus Sancti gratìs datam) habere poſſunt, interim vt ipſi ſint extra columbam.

PHIL. Hæc ita ſe habere clarum eſt & manifeſtum.

ORTH. Vt pergamus igitur; quid ſi hunc presbyterum interdici, ſuſpendi, excommunicari, degradari contigerit? 5

PHIL. Perinde eſt: ſi à Chriſti inſtituto non diſcedat baptiſmus ratus eſt, & æternæ virtutis. Hæc ſine controuerſia eſt eccleſiæ ſententia; ideóque, regnante Mariâ, quanquam regnum anteà per totos annos viginti continuos ſub Interdicto et anathemate poſitum fuiſſet, tamen in priore ſchiſmate baptizatos non rebaptizauimus, ſed ad eccleſiam reuerſos cum ſuo baptiſmo recepimus.

ORTH. De baptiſmo ſumma eſt vtrimque conuenientia: Ad Euchariſtiam igitur vt tranſeamus; num huius virtutem, miniſtri vel vitæ impuritas, vel dogmatum impietas euacuare poteſt? 6

PHIL. Nullo modo, ſi ſacroſanctum Chriſti inſtitutum non fuerit violatum.

ORTH. Rectè ſanè. Nam Eli ſacerdotis filij [b] ſcelerati erant, iramque Dei in ſe grauiſſimam ob immania flagitia prouocabant: Deus tamen, pro immenſa ſua miſericordia, ad ea ſacrificia, quæ fideles, iſtorum manibus ſecundùm legem Domini mactanda, recto corde obtulerunt, benignè reſpexit. [c] Seruator noſter Scribarum et Phariſæorum falſa et ſuperſtitioſa redarguit dogmata, quæ ita dimanarant in vulgus, & tam diù obtinuerant, vt ambigi non poſſit, quin ex ſacerdotibus complures hoc venenum imbiberint: Chriſtus tamen leproſo mandauit, vt ſe [d] *ſacerdoti oſtenderet.* Immo ille ipſe iiſdem feſtis, in quibus ab eiuſmodi ſacerdotibus immolabantur ſacrificia, interfuit. Sed hîc quoque vlteriùs quærendum, an hoc ſacramentum a presbytero interdicto, excommunicato, degradato celebrari poſſit?

PHIL. [e] *Ordinis poteſtatem habent omnes presbyteri ſub pontifice; & tamen quia eam habent à Deo, non poteſt pontifex eam ita tollere, vt iȷ, ſi velint, non poſſint ea vti. Nam presbyter, etiamſi pontifex illum excommunicet, ſuſpendat, interdicat, degradet, tamen, ſi volet, verè conſecrabit.* Quilibet enim presbyter characterem habet, qui nihil eſt aliud quàm [f] *poteſtas quædam ſpiritualis et ſupernaturalis, partim actiua, partim paſſiua,*

[b] 1. Sam. 2. 12.

[c] Mat. 5. & 15. & 23.

[d] Mat. 8. 4.

[e] Bell. de Rom. pont. l. 4. c. 24.

[f] Bell. de ſacram. in Gen. l. 2. c. 19.

Digitized by Google

paſſiua, quam tria ſola ſacramenta imprimunt, baptiſmus, confirmatio, & ordo. Ex quibus confirmatio ad præſens inſtitutum non ſpectat. [f] *Character baptiſmi eſt paſſiua poteſtas, quæ facit hominem aptum ad ſuſcipienda omnia alia ſacramenta, et ſine ipſo nulla ſacramentorum aliorū ſuſceptio eſt rata. Character ordinis eſt actiua poteſtas, ad miniſtranda alijs ſacramenta.* Eſt autem multiplex, ſed ad noſtrum inſtitutum ſatis erit, ſi presbyteralem expendamus, & Epiſcopalem. Presbyter, ratione characteris presbyteralis, eſt publicus & ordinarius Baptiſmi miniſter, cui [g] *ſuo iure* et ex officio competit baptizare. Dein (vt de pœnitentia nihil dicam) ratione eiuſdem hoſtiam conficere poteſt, quod nullus laicus, non Rex, non Imperator, ne Angeli quidem aut Archangeli præſtare queunt, quia hoc charactere ſunt deſtituti. Diacano conſecratam hoſtiam ad alios deferre licet, verùm [h] *nulla diſpenſatione fieri poteſt, vt Eucharistiam conſecret.* Quin ſi hoc facere tentauerit, nihil efficiet. At cuilibet presbytero in ordinatione ſua presbyterali imprimitur Character, id eſt, poteſtas, quæ, *quoad* [i] *baptiſmum et Euchariſtiam, eſt abſoluta, perfecta, & independens.* [k] *Vbicunque eſt talis Character, Deus ex pacto concurrit ad effectum ſupernaturalem producendum; quod non facit, vbi non eſt talis character.* Præterea characterem eſſe indelebilem ſacroſanctâ docent Concilia, Florentinum ſcilicet, et Tridentinum. In Florentino, [l] Eugenius Papa ſic decreuit: *Tria ſunt, baptiſmus, confirmatio, et ordo, quæ characterem, id eſt, ſpirituale quoddam ſignum à cæteris distinctiuum imprimunt in anima, indelebile. Vnde in eadem perſona non reiterantur.* [m] Tridentinum autem ſic ſanciuit: *Si quis dixerit per ſacram Ordinationem non imprimi characterem, vel eum qui ſacerdos ſemel fuit, Laicum rurſus fieri poſſe, anathema ſit.* Hunc autem characterem *nec deleri, nec auferri poſſe* disertè docet. Morte igitur ſola (ſi modò morte) eraditur, et expungitur.

[f] Ibid.

[g] Cat. Trident. De ſacram. Baptiſmi. cap 5.

[h] Bell. de conf. cap. 12.

[i] Ibid.

[k] Bell. de ſacram. effectu. l. 2. c. 19. §. Tertia propoſitio.

[l] Decr. Eugen. 4. in concil. Flor. Bin. t. 4. p. 484.

[m] Seſſ. 23. can. 4. Bin. t. 4. p. 848.

O r t h. Si per characterem indelebilem nihil aliud intelligatur quàm donum Dei perenne, ac initerabile, vel ſpiritualis quædam poteſtas nunquam repetenda, in baptiſmo ac ordine reperiri non inficiamur: Etenim ſi quis ritè baptizatus, Turca, vel Iudæus (quod tamen auertat Deus) euaſerit, tandémque aliquando ad fidem & eccleſiam Chriſti ſe receperit, certè non eſt rebaptizandus, prioris baptiſmi virtus non eluitur, ſed ratione diuini fœderis viget vſq; & valet. Pari modo ſi presbyter ritè ordinatus, in ſchiſma vel hæreſin lapſus, et cenſuris eccleſiaſticis irretitus, poſteà reſipiſcat, non eſt reordinandus: verùm ſi eccleſia eius miniſterio indigeat, atque vti voluerit, permittere poteſt vt eodem fungatur, ratione ordinis priùs accepti, cuius virtus adhùc manet integra et illibata. Hactenùs de presbytero.

7 Nunc tandem vt à presbytero ad Epiſcopum transferatur oratio, nunquid eius iniquitas impedimento erit, quo minùs veros ordines conferat?

P h i l. Nequaquàm: vtriuſque enim eadem eſt ratio.

gradatus eâ vtatur peccet quidem, nihilominus tamen ſupernaturalem producit effectum. Hæc eſt communis ſcholaſticorum opinio. [e] Altiſiodorenſis: *Dicimus ergo, quod ſi hæretici ſeruent formam eccleſiæ, ſiue ſunt præciſi, ſiue non, vera ſacramenta dant.* [d] Albertus: *Impoſsibile eſt per hominem hæc* (loquitur autem de ſpirituali poteſtate conſecrandi, confirmandi & ordinandi) *auferri.* [e] Adrianus: *Ex quo ſequitur irrationabilem eſſe, & in fide valde periculoſam theoricam dominorum Canoniſtarum, Innocentij, & Panormitani, &c. docentium, De conſuetudine, cap. Quanto; quod ſummus Pontifex per legem ſuam poteſt Epiſcopis auferre poteſtatem ordinandi vel baptizandi, & ſi tunc tentarent, nihil facerent, ſed per nudam prohibitionem non impediret: addunt tamen quod, ſi ſine cauſa rationabili hoc tentaret Papa, non eſſet ſuſtinendus contra ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ hoc facere; ſed, eccleſia non reſiſtente, factum Papæ validum eſſet, & teneret. Vndè & quidam eorum in hanc inſaniam eruperunt, quod poſſit circa formas ſacramentorum diſponere, ſeu aliquid inducere de neceſſitate ſacramenti; quod manifeſtiſsimè ſpectat ad poteſtatem excellentiæ, cum hoc ſit Domini legis, & non Miniſtri.* Petrus de palude: [f] *Si non omnis Epiſcopus poteſt ordines conferre, hoc eſſet vel propter demeritum vitæ, quia eſſet malus, vel propter defectum fidei, quia hæreticus, vel propter ſententiam eccleſiæ, quia eſſet excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel alias præciſus, vel propter depoſitionem ab ordine, quod eſſet degradatus: ſed nihil iſtorum impedit, quin omnis Epiſcopus poſſit veros ordines conferre.* Ergo.

[e] *Altiſiod. ſum. l. 4. tr. 8 q. 3. in ſol. fol. 44. col. 1.*
[d] *Alb. in 4 ſ. d. 25. art. 1. in ſolut.*
[e] *Adri. in 4 de ſacr. conf. art. 3. pro reſponſ.*
[f] *Petrus in quartum d. 25 q. 1. art. 1.*

Orth. Ergo Stephanus Pontifex meritò redarguendus, qui à Formoſo [g] *ordinatos exordinauit*, atque *iterum ordinauit*; Imò Formoſum è Sepulchro extraxit, in Synodo ſiſti curauit, veſtimentis Pontificalibus exutum, Toga [h] Laicali induit, pro tribunali accuſauit, condemnauit, tribúſque abſciſſis digitis, quibus inter benedicendum potiſſimum vſus eſt, in Tyberim proiecit. 10

[g] *Ex Sigeb. in chron. an. 902. & 903.*
[h] *Anaſt. in vit. Steph. 7. Bin. t. 3. p. 1047.*

Phil. [i] *Formoſus, Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis, à Papa Iohanne 8. depoſitus ac degradatus, & ad ſortem Laicorum redactus, ex vrbe diſceſſit, & iurauit nunquam ſe vel ad vrbem, vel ad epiſcopatum rediturum. Paulò pòſt, mortuo Iohanne 8. ſucceſſor eius, Martinus ſecundus abſoluit Formoſum à iuramento incautè prolato, & dignitati priſtinæ reſtituit. Non diu pòſt idem Formoſus Papa creatur, vixit annos 5. & apponitur ad patres ſuos: ſuccedit Stephanus ſextus, qui magno odio in Formoſum incenſus, & vel neſciens, vel non credens eum à Martino Papa fuiſſe abſolutum à iuramento, publicè in concilio epiſcoporum decernit, Formoſum nunquam fuiſſe legitimum Pontificem, & ideo irrita eſſe debere omnia eius acta, & qui ab illo ſacros ordines acceperant, coegit iterum ordinari tanquam ab illo nihil accepiſſent. Diſplicuit hoc factum omnibus, & ideo Pontifices tres ordine ſuccedentes, Romanus primus, Theodorus ſecundus, & præcipuè Iohannes nonus, conuocato alio concilio Epiſcopali, iudicarunt, Formoſum verum pontificem fuiſſe, & Stephani ſexti ſententiam irritauerunt.*

[i] *Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 12.*

Orth. Illis ſucceſſit Sergius, qui, in omnibus Stephanum 11

imitatus,

nuendo, illicò ſchiſmaticum euadere. De ſchiſmate hactenùs; nunc quid ſit hæreſis inueſtigandum.

3 PHIL. *Hæreſis* (definiente [f] Toleto) *eſt error pertinax hominis Chriſtiani, fidei catholicæ ex parte contrarius.* Nam hæreſeos genus eſt error, id eſt, falſa quædam exiſtimatio veri pro falſo, aut falſi pro vero. Obiectum non eſt res humana, ſed diuina; ideóque errare in rebus Phyſicis aut mathematicis non eſt hæreſis, ſed in ſacris. Hæreſeos ſubiectum eſt quidem homo, non tamen omnis; nam nondum baptizatus, etiamſi erret vt hæreticus, hæreticus tamen dici non ſolet, ſed potiùs infidelis. Et hîc etiam erroris quantitas eſt ſpectanda. Nam ſi homo baptizatus totaliter deficiat à fide, non eſt dicendus hæreticus, ſed Apoſtata. Sed errare ex parte, id eſt, in hoc vel illo articulo, eſt hæretici. Dictæ autem conditiones licèt concurrant vniuerſæ; ad conſtituendum tamen hæreticum non ſufficiunt, niſi accedat pertinacia. Dicitur autem [g] *pertinax, qui ſciens illud quod affirmat eſſe contra eccleſiam, adhuc tamen vult illud ſuſtinere.* Ex his emergit prædicta hæreſeôs definitio.

[f] Tol. de inſtruc. l.4.c.3.

[g] Ibid. n.5.

4 ORTH. Perplacet definitio. Iam, vt à *Theſi* ad *Hypotheſin* tranſeamus, *Henrici* octaui ſeparatio tantùm abeſt à ſchiſmate, vt vel ex *Bellarmini* fundamentis ſit legitima. Sic enim ille. [h] *Sicut licet reſiſtere Pontifici inuadenti corpus, ita licet reſiſtere inuadenti animas, vel turbanti rempublicam, & multò magis ſi eccleſiam deſtruere niteretur.* Quatuor ergò caſus incidere poſſunt, in quibus ſingulis licitum eſt (ex Bellarmini ſententia) Papæ reſiſtere. Quamobrem ſi Henrici reſiſtentia ad horum aliquem reduci poterit, vel aduerſario Iudice, futura eſt ligitima. Vt igitur primum & vltimum ſilentio prætercam, reliquos de anima inuadenda, & Republica turbanda, inſpiciamus. Dùm adhuc Henricus Princeps tenera eſſet ætate, diploma edidit *Iulius* ſecundus, vt liceret fratris ſui defuncti vxorem ſibi matrimonio copulare: poſteà verò, cùm per multos annos coniugio potitus eſſet, de eiuſdẽ inualiditate monitus, *Clementem* ſeptimum, qui tum eccleſiam regebat Romanam, rogauit, vt vel diſpenſationem verbo Dei conſentire oſtenderet, vel ſaltem Matrimonium (quod diſpenſatione nitebatur) caſſum atque irritum pronuntiaret. Neutrum tamen præſtare voluit Pontifex, ſed, moras nectendo, Regis anxiam & ancipitem miſerè torquebat conſcientiam, tandémque Henrico, in priori permanendum eſſe matrimonio, pro tribunali difiniuit. In priori, inquam, matrimonio, quòd non Cardinalibus modò & Academijs, ſed & Pontifici ipſi olim diſplicuit, vt ex [i] diplomate quod Campeio tradidit, cui hanc clauſulam intexuit, nempe, *Regem in priori coniugio ſine peccato perſeuerare non poſſe*, liquidò conſtat. Hoc an non ſit animas hominum inuadere, cuius æquitatis amanti iudicandum permitto. Nunc an Anglorum turbaret Rempublicam videamus. Hac diſpenſatione factum eſt vt hominum

[h] Bell de Rom. Pont. l 2.c.29. reſpondeo negando.

[i] Vide ſupr. lib. huius c.9.n.7.

cogitationes

Digitized by Google

cogitationes variè diſtraherentur, alijs Papæ adhærentibus, alijs Academiarum per orbem Chriſtianum florentiſſimarum iudicium amplectentibus. Ita totus terrarum Orbis, tanquàm in biuio conſtitutus, anceps ſtetit & incertus, adeo vt coronæ Anglicanæ hæreditas & ſucceſſio, tam à ſubditis quàm ab [k] exteris, in dubium vulgò vocaretur. Quid eſt inſignitèr turbare Rempublicam, ſi hoc non eſt? Quamobrem ex Bellarmini principijs concludo, licuiſſe Henrico & ſubditis eius Pontifici reſiſtere.

[k] *Vid. ſup. c.8.n.5.*

Phil. Modum reſiſtendi à Bellarmino expoſitum perpendere oportet. Sic enim ſe interpretatur: *Licet*, inquam, *ei* reſiſtere, *non* faciendo *quod* iubet, & impediendo *ne* faciat *voluntatem ſuam, non tamen licet eum iudicare, vel punire, vel deponere, quod non eſt niſi ſuperioris.*

Orth. Tibi quoque cogitandum eſt, aliud eſſe punire aliquem [l] *per iuriſdictionem in ipſum habitam, & aliud facto impedire iniurias, quas alijs facere tentat de facto.* Quemadmodum Veneti doctores ex Caietano, Turre-cremata, & Bellarmino ipſo probârunt. Henricus autem nullam omnino in papam iuriſdictionem ſibi arrogauit, æquum tamen erat vt ſeipſum læſus defenderet, iniurias à Papa de facto illatas remoueret, conſcientiæ ſuæ tranquillitati & ſubditorum bono conſuleret; quod licitũ eſſe doctores Veneti ex Balbo, Gerſone, Sylueſtro, Caietano, Soto, Franciſco de Victoria, Antonio Cordubẽſi, Turrecremata, Felino, Decio, Curtio, & Nauarro, abundè docuerunt. Verùm cæteris omiſſis, verba [m] Gerſonis ſic ſe habent: *Quòd ſi ſit aliquis, qui totam præſidentiam ſuam & Papalem dignitatem conuertere velit in inſtrumentum nequitiæ, & deſtructionis alicuius partis Eccleſiæ, in temporalibus vel ſpiritualibus, nec pateat ſufficiens remedium aliud, niſi ſubducendo ſe ab obedientia talis poteſtatis ſæuientis, & ſeipſa abutentis, & hoc ad tempus, vel quouſque Eccleſia vel Concilium prouideat, hoc fas erit.*

[l] *Tract. de interdicto, p.239.*

[m] *De auferib. Papæ conſ.14.*

Phil. Aliud eſt ad tempus non obedire, aliud ab eius obedientia penitùs reſilire, quod fecit Henricus.

Orth. Diſpenſationem à Iulio 2. conceſſam eius ſucceſſores, Clemens ſeptimus, & Paulus tertius, ita mordicùs defendebant, vt nulla ſpes iam prorſus abſuperesse potuerit eandem reuocandi. Hoc enim & eccleſiæ Romanæ dignitati, & infallibili pontificis iudicio vehementer derogaret. Neque hîc Henrici tantùm, ſed totius Regni cauſa agebatur; nec eorum modò qui tum in viuis agebant, ſed poſterorum etiam. Ab hoc enim filo regnandi ius, & coronæ ſucceſſionem pependiſſe quis neſcit? Quamobrem Henricus nulla alia ratione vel conſcientiæ ſuæ, vel ſubditorum bono, vel nutanti ac vacillanti Reipublicæ, niſi eiecto Pontifice, proſpicere potuit, cuius in Angliam iuriſdictionem vlteriùs in Regni perniciem tolerare non debuit. Meritò igitur, ex omnium ordinum conſenſu, ſe & regnum ſuum à Pontificis tyrannide vindicauit; quod ſi non feciſſet in Deum ipſum rebellis

Digitized by Google

rebellis extitiſſet. Quamobrem hæc Henrici ſeparatio fuit iuſtiſſima.

5 PHIL. Ego verò Henricum tum ſchiſmatis tum hæreſis reum exiſtimo; nec aliter mihi perſuaderi patiar. Nonne Paulus Pontifex, [n] *frequenti Senatu, ob inaudita hæreſis crimen, in Chriſtianorum numero haberi indignum cenſuit?*

[n] *Onuph. in Paulo. 3.*

ORTH. Quæ tandem illa inaudita hæreſis? Narrat [o] Sigonius diſputationem in concilio Moguntino fuiſſe inſtitutam, in qua quæſitum eſt, *vtrùm Henricus (Imperator) regio titulo à Gregorio Pontifice ſpoliari potuiſſet.* Qua in cauſa Epiſcoporum plurimi Geberardo, Pontificis authoritatem tuenti, aſſenſi ſunt; vndè factum eſt vt in alio concilio, cui Otho Epiſcopus Oſtienſis, Papæ legatus præfuit, Vecilo Archiepiſcopus Moguntinus, Geberardi Antagoniſta, *hæreſeos ſit notatus.* Idem narrat Henricum quartum Imperatorem, [p] *paterna hæreſi repudiata, pontificiam obedientiam ſuſcepiſſe.* Obedientiam Pontificis non ſuſcepiſſe, illa fuit demùm paterna hæreſis; filius autem erat Catholicus & Orthodoxus, quippe qui Pontifici obſequium præſtaret, quamuis interim in ſuum ipſius patrem ſceleratus & impius. Sed pace tua, Philodoxe, hæc noua eſt hæreſis, recens exorta, & ſuperioribus ſæculis inaudita. Nam ſi hæreſis ſit error in fide, ſuprematus pontificij abrogatio quomodo erit hæreſis? Num iſte ſedis Apoſtolicæ ſuprematus eſt articulus fidei? Certè non Apoſtolicæ. Non enim reperitur in Symbolo. Quid quòd (vt eleganter [q] Elienſis) *priùs completa fides catholica, quàm inchoata ſedes Apoſtolica? Vt ſi de fide ſit, de recentiori aliqua ſit: & ſanè peſſimè in ſe atque in nos conſuluerunt Patres Niceni, peſſimè Athanaſius; quorum nemo Primatum hunc ſedis huius, caput fidei, præcipuum fundamentum religionis catholicæ, Symbolis poſt ſuis inſerere vel meminit, vel curauit.*

[o] *Sig. de reg. Ital. l. 9. an. 1085.*

[p] *Sig. ibid. an. 1105.*

[q] *Tort. Torti. p. 21.*

PHIL. Henricus octauus, [r] *Patria religione deſerta, noua & nefaria Lutheri dogmata,* quæ antea ſcripto improbauerat, ſequutus eſt.

[r] *Onuph. in Clem. 7.*

ORTH. *Lutheri* dogmata? Quænam illa? Dicitur Henricus poſterioribus ſui regni temporibus in mandatis dediſſe, vt populus ſuus in articulis de Iuſtificatione, & de imaginibus non adorandis erudiretur. Sacra etiam Biblia in linguam vernaculam traduci paſſus eſt. Hæccine ſunt noua, & nefaria Lutheri dogmata? Nam de conſubſtantiatione Henricum cum Luthero ſenſiſſe non reperio; in cæteris verò Romani prorſus dogmatis fuiſſe ſcio.

6 PHIL. [ſ] *In Anglia, regnante Henrico, & poſteà Edouardo, totum regnum à fide quodammodo Apoſtatauit; regnante Maria totum regnum ad eccleſiam rediit, regnante Elizabetha iterùm regnare cœpit Caluiniſmus, & vera exulare Religio.*

[ſ] *Bell. de Rom. pont. l. 5. c. 7. § Præterea.*

ORTH. Quod vobis eſt Apoſtaſia, id demùm vera eſt Religio, & quod vobis eſt Religio, id certè non caret Apoſtaſia. Multi enim errores Papales, regnante Henrico, reſecti ſunt, plures regnante Edouardo.

Digitized by Google

Edouardo. Ita euangelium ſimile fuit Luci, pergenti ſplendore vſque ad clarum diem, cuius fulgor tum Papam tum ſuperſtitionem papalem aboleuit. Cúmque Regina Maria vtrumque reſtituiſſet, Deus opt.max. excelſum Reginæ Elizabethæ excitauit ſpiritum, vt vtrumque denuò fortitèr & heroicè profligaret. Quódque ipſa fœlicitèr eſt auſpicata, illud Iacobus Rex sereniſſimus eadem fœlicitate opus pertexuit.

Neque quiſquam illuſtribus his principibus crimen ſchiſmatis 7
affigere poteſt, quin beato Apoſtolo paritèr affigat; *qui,*[t] *cùm quidam indurarentur, & parere nollent; malè loquentes de via illa Dei apud multitudinem, abſcedens ab illis ſeparauit diſcipulos.* Quodque ipſe fecit, alijs faciendum mandauit. [u] *Si quis diuerſam docet doctrinam, neque accedit ſanis ſermonibus Domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundùm pietatem eſt doctrinæ, ſecede ab ijs qui eiuſmodi ſunt.* Et Dominus per [x] Prophetam ſuum clamauit, *Nè aſcendatis Bethauen.* Hæc Bethauen, ſi locum ſpectamus, nihil aliud erat quàm Bethel: Sed cùm nomine eſſet *Bethel*, idola colendo facta eſt Bethauen. Ergò nè aſcendatis Bethauen. Si Roma quæ olim fuit Bethel, id eſt, domus Dei, fiat Bethauen, id eſt, domus vanitatis, tum nè Romam aſcendatis; eſt enim Bethauen. [y] *Exite Babylone, popule mi.* Si Roma, quondàm virgo Sionis, euadat Meretrix Babylonis, tùm exite è Roma, popule mi, nè *participes ſitis peccatorum eius, & ex plagis eius accipiatis.* Quamobrem cum eccleſiam Romanam tot erroribus ſe implicuiſſe, & idolorũ cultui mancipaſſe res ipſa loquatur, omnia regna Chriſtiana Roma exire, & ab eiuſdem in erroribus eius communione ſecedere tenebantur.

[t] *Act.19.9.*

[u] *1.Tim.6.3,4,5*

[x] *Hoſ 4.15.*

[y] *Apoc.18.4.*

PHIL. Hæc eſt hæreticorum perpetua vox; at mihi eccleſiæ Romanæ ſententia ſemper perplacuit, quæ vos, & veſtri ſimiles (quicquid obganniatis) tum ſchiſmatis, tum hæreſis reos poſtulauit.

Digitized by Google

De ordinatione per hæreticos.

Cap. XI.

Vtrùm ſchiſma, vel hæreſis conſecrationem irritam reddat.

Partes 2.
- *Leuis velitatio*
  - *proponitur.* 1
  - *retorquetur.* 2
- *Grauior conſideratio*
  - *oſtendens, quòd*
    - *Presbyter confert*
      - *baptiſmum, etiamſi*
        - *vita impurus.* 3
        - *hæreticus. ſchiſmaticus* 4
        - *cenſuris irretitus.* 5
      - *euchariſtiam.* 6
    - *Epiſcopus ordinat etiamſi*
      - *hæreticus: quod probatur*
        - *teſtimonÿs Patrum.* 7
        - *exemplo Felicis.* 8
      - *Degradatus: quod probatur ex ſcholaſticis.* 9
  - *Redarguens*
    - *Stephanum ſeptimum.* 10
    - *Sergium ſecundum.* 11
    - *Stephanum quartum.* 12
    - *Ioh.12. quem Champnæus defendere voluit quidem, ſed non potuit.* 13

ORTH.

NOſtráne, an veſtra eccleſia horum criminum ſit rea, Deus iuſtus Iudex ſuo tempore reuelabit. Interim (quanquam hoc ipſum nullo idoneo argumento euincere poteſtis) diſputandi gratiâ fingamus, Cranmerum, quamprimùm Papæ valedixit,

ledixit, ſchiſmaticum & hæreticum ipſo facto euaſiſſe. Sed dic 1
ſodes, Philodoxe, num Epiſcopus in ſchiſma aut hæreſin lapſus, deſinit eſſe Epiſcopus? Num ordines conferendi ius & poteſtatem amittit?

PHIL. Complures (mihi crede) viri doctiſſimi in hanc propendent ſententiam: hanc tamen quæſtionem (quæ Petro [a] *Lombardo* perplexa ac penè inſolubilis viſa eſt) in vtrámque agitari poſſe partem non diffiteor. *Innocentius* primus: [b] *non videtur* (inquit) *clericos eorum* (Arianorum & huiuſmodi peſtium) *cum ſacerdotij aut miniſterij cuiuſpiam ſuſcipi debere dignitate, quoniam quibus ſolum baptiſmum ratum eſſe permittimus.* Et rurſus dicit, [c] *Ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manuum impoſitionem habere caput.* Et iterum: [d] *Aſſeritur, eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe, nec eum aliquid accepiſſe, quia nihil in dante erat, quod ille poſſet accipere.* Quod hac concluſione obſignat: *acquieſcimus, & verum eſt.* Porro Iohannes 12. à Leone 8. antipapa ſchiſmatico, ordinatos dicere compulit: [e] *Pater meus nihil habuit ſibi, nihil mihi dedit:* [f] Nicolaus primus: *Gregorius, qui canonicè ac Synodicè depoſitus & anathematizatus erat, quemadmodum poſſit prouehere vel benedicere, nulla ratio docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit.* Et rurſus. *Qui obturat aures ne audiat legē, oratio eius erit execrabilis; ſi execrabilis vtiq; & non audibilis; ſi non audibilis, ergo inefficax; ſi inefficax, profectò Photio nihil præſtans.* Quamobrem licèt Cranmerus legitimè erat conſecratus, tamen in ſchiſma & hæreſin lapſus, & ſuam ipſius ordinationē, & alios ordinandi ius videtur amiſiſſe. Quotquot igitur regnante Edouardo à Cranmero ſacrati ſunt, nihil acceperunt, quia Cranmerus quod daret nihil habebat. Similiter, quotquot ſub Elizabetha ab illis ſacrati ſunt, nihil itidem acceperunt, quia illi quod darent, nihil habebant; & quotquot ſub Iacobo his orti ſunt parentibus, nihil quoq; acceperunt, quia eorum parentes quod darent, nihil habebant.

[a] L. 4. d. 25.
[b] Innoc. ep. 18.
[c] Ep. 22. c. 3
[d] Ibid.
[e] Concil. Rom. ſub. Ioh. 12. Bin. tom. 3. p. 1066.
[f] Nic. ep. 1. Bin. t. 3. p. 698, 699.

ORTH. Caue (Philodoxe) ne dum nobis oculos erüere conaris, tui tibi-ipſi erüantur. Etenim ſi hæc vllius momenti ſint teſti- 2
monia, quid fiet Bonnero, Epiſcopo Londinenſi? Quid Nicolao Heatho, quem Reginæ Mariæ gratia ad Archiepiſcopatum Eboracenſem, &, poſt Gardineri obitum, ad ſummum Angliæ Cancellariatum prouexit? Quid Thomæ Thurlebeio, quem eadem Regina à ſede Noruicenſi ad Elienſem tranſtulit? Iſti enim eo ipſo tempore facti ſunt Epiſcopi, quo tum ordinantes, tum ordinati à Papa hæretici & ſchiſmatici iudicabantur. Nunquid vniuerſi nihil acceperunt, quia eorum parentes quod darent, nihil habebant? Si iſti non erant epiſcopi, quid fiet Cardinali Polo (etiam ad Papatum electo,) & reliquis ſub Maria inauguratis, qui his maioribus ſunt prognati? Qui ſi ipſi nihil acceperunt, nec ſacros ordines alijs conferre poterant. Ergo ab his ordinati presbyteri, presbyteri non erant; ergo licèt verba conſecrationis enunciarent, verè tamen

Q men

Digitized by Google

men conſecrare,& hoſtiam conficere non valebant, &, ex conſequente,qui hoſtiam ab illis confectam adorabant, idololatriæ crimine tenebantur.

PHIL. Bonnerus & reliqui quos narras (qualeſcunque tibi videntur) certè venerabiles erant Epiſcopi.

ORTH. Quiſquámne eſſe poteſt Epiſcopus, interim vt conſecratione efficaci,& valida ſit deſtitutus?

PHIL. Nemo prorſus.

ORTH. Aliam autem conſecrationem Epiſcopalem, præter illam quam diximus,conſequuti ſunt nullam: reordinati enim non erant,vt opinor.

PHIL. Reordinati? Minimè gentium. Nam vt rebaptizationes, ita reordinationes in Concilio [g] Capuano ſunt prohibitæ. Et Sanctus [h] Gregorius: *Sicut* (inquit) *baptizatus ſemel,iterum baptizari non debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari.* Ergo ſine dubio reordinati non ſunt. Quid igitur factum? Cardinalis Polus, pontificis Legatus,quum Regnum à priore ſchiſmate ac hæreſi abſoluiſſet, & Eccleſiæ Catholicæ reconciliâſſet, [i] *Epiſcopos omnes, qui ſententia religionis erant catholici, in priore ſchiſmate factos,confirmauit.* Ita pro legitimis habiti ſunt epiſcopis.

[g] *Baron.an.*389. *n.*74

[h] *Epiſt l.*2.*ep.* 32.*ind.*10.

[i] *Sand. de ſchiſ. l.*2.*p.*260.

ORTH. Epiſcopus,te fatente, legitimus eſſe non poteſt,cuius inualida & inefficax eſt Conſecratio. Bonnerus autem & reliqui ſub Henrico octauo,poſt eiectum Pontificem inaugurati,vobis legitimi ſunt epiſcopi. Quocirca eorum conſecratio vobis inualida & inefficax eſſe non poteſt. Hæc tamen conſecratio hæreſi & ſchiſmate,ſi tibi credimus, fœdata fuit, & contaminata; vndè ſequitur has labes non impedire quin conſecratio, his non obſtantibus,eſſe poſſit firma & valida. Verùm ne hæc non tam à ratione, quàm ab amore & affectu in veſtros fluxiſſe videantur, præſertim cùm teſtimonia à te paulò antè allata nondum ſint ſublata,agedum rem totam ſub limam reuocemus, ſenſímque ac pedetentim progredientes,ſingula rectæ rationis & iudicij lance libremus, vt quò vergat & propendeat veritas videamus. Tu verò non ex priuatis (quibus homines nimiùm indulgere ſolent) affectibus,ſed ex publicis & authenticis eccleſiæ veſtræ monumentis mihi reſpondeas.

3 Primò,igitur ſi infantem à nefario ac ſcelerato presbytero, vtpote ebrioſo, blaſphemo, adultero baptizari contigerit,nunquid hoc ſatis firmum & validum eſt baptiſma?

PHIL. Si in elemento aquæ verbis euangelicis, id eſt,*in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti*,celebretur,firmum eſt & validum, nec vnquam repetendum; vt ex clariſſimis pontificum, conciliorum,& Patrum teſtimonijs, à [k] Bellarmino citatis,eſt manifeſtum. Miniſtri impietas myſteriorum Dei puritatem polluere non poteſt. Non carebunt ſuo effectu apud filios Dei,etiamſi à Iudâ diſpenſarentur.

[k] *Bell. de ſacr. in Gen. l.*1.*c.*26.

ORTH.

Digitized by Google

ORTH. Rectè tu quidem. Etenim verba Apoſtoli de prædicatione Euangelica, ad reliqua quoque officia miniſterialia accommodari poſſunt. [l] *Si volens hoc faciam, mercedem habeo; ſin inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt.* Quaſi diceret; Si hoc ſponte & alacriter præſtitero, id eſt, animo hilari ac ſereno, cum bonæ conſcientiæ teſtimonio, nihil ſpectans præter Dei gloriam & proximi ſalutem, præmium mihi eſt repoſitum; ſin inuitus, id eſt, ob auaritiam, inanis gloriæ aucupium, aut aliud hujuſmodi quod carnem ſapit, quamuis mihi ipſi non proſit talis Adminiſtratio, quia mercedem non habeo, alijs tamen prodeſſe poterit, quia mihi à Domino credita erat Diſpenſatio. Manus impuræ macula myſteriorum Dei pulchritudinem decolorare non poteſt. Lucent illa in tenebris, ſplendéntque per ſe ſemper, neque alienis vnquam ſordibus obſoleſcunt. Qua de re eleganter Gregorius Nazianzenus: [m] *Sint duo annuli, alter aureus, alter ferreus, atque ambo eandem Imperatoris imaginem inſculptam habeant, at deinde ceram imprimant; quid tandem hoc ſignum ab illo ſigno differet? Nihil: materiam in cera internoſce quamlibet ſingulari ſolertia ſis. Dic vtrum è duobus ſignis aureo annulo, vtrum ferreo expreſſum ſit, quoque modo vnum idémque ſignum exiſtat. Diſcrimen enim in materia eſt, non in ſigno. Sic tibi quoque omnes qui baptizandi munere funguntur, idonei habeantur. Quamuis enim alius alium vitæ probitate antecellit, eadem tamen baptiſmi vis eſt.* Sic ille. Pari modo & hortum, vel teneris plantis vel floribus conſitum, fiſtula tam lutea quàm argentea irrigari poſſe docet experientia.

[l] 1. Cor. 9. 17.

[m] Orat. 40.

Verùm ſi ponamus presbyterum, de quo agitur, ſchiſmatis & hæreſeos eſſe poſtulatum; quid tum demum dicendum erit? 4

PHIL. Idem prorſus.

ORTH. Qui in peccatis ſuis obdureſcit, quomodo alijs peccata remittet? quomodo Spiritum Sanctum dabit, qui Spiritum Sanctum non habet?

PHIL. Pulchrè reſpondit doctiſſimus noſter Cardinalis: [n] *Hæreticos non habere remiſſionem peccatorum formaliter, tamen habere miniſterialiter; quomodo famulus, qui ſæpè non habet vnum obolum, tamen defert multos aureos à Domino ſuo ad aliquem alium.*

[n] Bell. de ſacr. in genere, l. 1. c. 26.

ORTH. Hoc verè & eleganter dictum fateor. Cuius rei hæc eſt ratio, quod licèt baptiſmus ab hæreticis vel ſchiſmaticis miniſtretur, non tamen eſt hæreticorum vel ſchiſmaticorum baptiſmus, ſed Ieſu Chriſti. Illud enim Iohannis Baptiſtæ ſemper eſt veriſſimum, [o] *Hic eſt qui baptizat.* [p] *Neque is qui plantat, aliquid eſt, neque qui rigat, ſed Deus qui dat incrementum.* Quò ſpectat illud Auguſtini: [q] *Ad baptiſmum, qui verbis Euangelicis conſecratur, non pertinere cuiuſquam vel dantis vel accipientis errorem, ſiue de Patre, ſiue de Filio, ſiue de Spiritu Sancto aliter ſentiat quàm cæleſtis doctrina inſinuat.* In magno concilio [r] Niceno ſancitum fuit Paulianiſtas, ad Eccleſiam Catholicam redeuntes, *rebaptizandos eſſe:* quibus in verbis per rebaptizationem, illius tinctionis repetitionem intelligunt, quæ per errorem

[o] Iohn 1. 33.

[p] 1. Cor. 3. 7.

[q] De baptiſ. cont. Donat. l. 4. c. 15.

[r] Can. 19.

Digitized by Google

Orth. Rectè: vt Chriſtus Dominus eſt omnium ſummus baptizator, ita quoq; eſt ſummus ordinator. *Is enim*[n] *dat paſtores & doctores ad conſummationem eccleſiæ*. Sit igitur epiſcopus iniquus; ſerui tamen iniquitas, domini gratiã ac bonitatẽ euacuare non poteſt. Quis enim in priſca Iudęorũ Eccleſia ſacerdotes creauit? Certè poſt Aaronis & filiorũ inaugurationẽ, quę, cùm eſſet extraordinaria, à [o] Moſe præſtabatur, reliqui (licèt carnali generatione procreati) à ſummo ſacerdote ſolenniter vngebantur. Aaronem autem aureum conflâſſe vitulum, et Eli peccatis filiorum nimiùm indulſiſſe ſatis conſtat. vterque tamen, quoad vixit, pontificatu functus eſt, nec quiſquam quas illi, immo nec quas Annas et Caiphas fecerunt ordinationes, in controuerſiam vocauit. Cæterùm quid ſi epiſcopi ſchiſmatis et hæreſeos crimine teneantur?

[n] Ephes.4.11.

[o] Exod.29.& Leuit.8.

Phil. [p] *Quis ignorat Catholicorum, baptizatos ab hæreticis, verè eſſe baptizatos, & ſimiliter ordinatos, verè eſſe ordinatos, quando ordinator hæreticus verè Epiſcopus fuerat, & adhuc erat, ſaltèm quantum ad characterem.*

[p] Bell. de Rom. pont l.4.c.10.§. Reſpondeo falſiſſimum.

Orth. [q] Baſilius *magnus admirabundus dixit, nullum ex omnibus totius orbis Hæreſiarchis (qui tum plures celebrabantur) conſecratos auſum fuiſſe reſecrare, prãter Euſtathium Ancyrogalatam, cuius nefarium ſcelus ſynodus Gangrenſis exponit. In concilio* [r] *Niceno ſecundo venerabiles monachi dixerunt; iuxta ſex ſanctas & Ocumenicas Synodos, ex hæreſi redeuntes accipimus, niſi cauſa quæpiam non toleranda ſubſit. Tharaſius beatiſſimus patriarcha dixit; et nos quoque inſtructi à ſanctis patribus noſtris ſic definimus*. Et [s] rurſus; *Tharaſius beatiſſimus patriarcha dixit, Quid de Anatolio dicitis? Nonnè princeps fuit quarti ſynodi? Et tamen a Dioſcoro impio illo fuit creatus. Ergo et nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum Anatolius quoque receptus eſt*. Et [t] rurſus: Tharaſius beatiſſimus Patriarcha dixit; *Sanè et plurimi, qui in ſexta ſynodo præſides fuerant, à Sergio, Pyrrho, Paulo, et Petro, doctoribus hæreſeos Monothelitarum, fuere creati. Sed & hi viciſſim Conſtantinopolitanas ſedes inter clerum diſtribuerunt, & ab extremo eorum doctore Petro, vſque ad ſextam Synodum, anni non pauciores quàm quindecim interceſſerunt: qui verò intermedijs temporibus fuerunt, Thomas ſcilicet, Iohannes, & Conſtantinus, ab hæreticis fuerunt ordinati: verùm ea de cauſa non ſunt reprobati. Circiter quinquaginta annos hæreſis illa viguit; et tamen in ſexta Synodo Patres quatuor illos prænominatos tantùm damnauerunt.* Ex his ſatis liquet, hæreſin ex eorum ſententia Ordinandi poteſtatem non tollere; quod & ipſe fateris, nec vllo modo negare poteris.

[q] Apud Nicetã in vit. Ignatij Bin t.3.part 2. p.869.

[r] Act.1.Bin.t.3. pag.306.

[s] Pag.307.

[t] Pag.308.

Nonne pontifex Romanus (ſi modò Fœlix ſecundus dicendus ſit Pontifex) ab hæreticis ordinatus fuit? 8

Phil. [u] *Accidit, vt temporibus Gregorij decimi tertij, dùm de emendatione Romani Martyrologij, à viris eruditis ad hoc delectis, frequentes haberentur conuentus, & de Fœlice non leuis controuerſia incidiſſet, expungendúſne eſſet ob vitioſum ingreſſum eius, vel abſque Martyrij titulo relinquendus, deque his diu multumque altercatum eſſet, et Baronius in mea*

[u] Ex Baronio an. 357.n.63.

Digitized by Google

ſententiam pedibus iret vt Fœlicis nomen expungeretur, eóque argumento volumen haud breue ſcripſiſſet, cui fauerent complures viri eruditi in vrbe tunc exiſtentes, accidit planè veluti diuino miraculo, vt quidam, dum ſuffoderent vt theſaurum inuenirent, in marmoream arcam inciderint, in cuius altero latere erat corpus Fœlicis, cum lapideo laterculo his literis exarato, Corpus Fœlicis Papæ et Martyris, qui damnauit Conſtantium; quod accidit pridie eius diei quo Fœlicis dies natalis agi conſueuit. Ita Baronius Fœlici, tanquã rediuiuo, ſuámque ipſius cauſam agenti ceſſit, accedente præſertim ſententia Gregorij decimi tertij. Quamobrem Fœlicem verum fuiſſe pontificem agnoſcimus, quanquam eius in Papatum ingreſſus probari non poteſt, quia, *ex*[x] *communiori patrum ſententia, ab Arrianis intruſus, et ab ijſdem Epiſcopus ordinatus fuit:* idcóque, Liberio adhuc viuente, et pro fide catholica perſecutionem ſuſtinente, Fœlix erat ſchiſmaticus Antipapa; verùm *ab eo tempore quo Fœlix Conſtantium, Vrſacium, Valentem, alióſque Arrianos excommunicando, vexillum fidei ipſe erexit, quo ne Liberius, ob manifeſtã cum hæreticis communionem, à catholicorum communione planè extorris exiſtimatus eſt, quaſi impoſſibile ſit eundem cum hæreticis et catholicis ſimul communicare poſſe, ille omnium catholicorum iudicio (licet antea ſchiſmaticus fuiſſet,) legitimus Eccleſiæ Catholicæ Pontifex haberi cœpit.*

[x] *Vide Bin. in not. in vit. Fœlicis 2. t. 1. p. 490.*

O r t h. Concedis igitur, idque ex omnium catholicorum iudicio, Fœlicem ab Arrianis ordinatum, legitimum fuiſſe epiſcopum. Alioqui enim quid fiet quinque illis *Diaconis, vni et viginti presbyteris, nouendecim Epiſcopis, quos ipſe*[y] *ordinauit?* Si hæretici vel ſchiſmatici nullam habeant ordinandi poteſtatem, Fœlix Epiſcopus non erat, et ex conſequente quotquot ab illo factæ ſunt ordinationes, irritæ ſunt et planè nullæ.

[y] *Vit. Fœlicis apud Bin. quo ſupra.*

P h i l. Characterem eſſe indelebilem ex concilio Florentino & Tridentino ſuperiùs accepiſti: vnde ſequitur tam firmas agere radices, vt nec ſchiſma, nec hæreſis, nec vlla cenſura eccleſiaſtica poſſit euellere. Quamobrem cùm Character epiſcopalis ſit [z] *abſoluta, perfecta, & independens poteſtas conferendi ſacramenta confirmationis & ordinis, ideò non ſolum poteſt epiſcopus ſine alia diſpenſatione confirmare & ordinare, ſed etiam non poteſt impediri ab vlla ſuperiori poteſtate, quin reuera ſacramenta ille conferat, ſi velit, licèt peccet ſi id faciat prohibente ſummo Pontifice.*

[z] *Bell. de confir. c. 12.*

O r t h. Nonne degradatio priuat gradu?

9 P h i l. *Non eſt dubitandum* (inquit [a] Petrus à Soto) *per hæreſin, vel excommunicationem, ſiue etiam degradationem non amitti poteſtatem quæ ſacramento collata eſt, ſiue characterem, vt dicunt, baptiſmi, confirmationis & ordinis, quanquam vſus illius amittatur.* Certum eſt (inquit [b] Gregorius de Valentia) *ordinationes huiuſmodi miniſtrorum ſic eſſe immutabiles, vt qui ſemel in aliquem eiuſmodi ordinem eccleſiaſticum cooptatus ſit, nequeat omninò accepti ordinis poteſtate priuari, aut fieri Laicus, etſi poſſit vſus interdici.* Quamobrem degradatio non tollit poteſtatem, ſed vſum duntaxat, idque eatenus tantùm, vt ſi quis degradatus

[a] *Lect. 5. de inſtit. ſac. l. 5 fol. 279. edit. Diling. anno 1560.*
[b] *Tom 4. diſ. 9. quæſt. 1. p. 1.*

Digitized by Google

mini in euangelicis verbis cognoſcimus. Baptiſmum ergo legitimum habent, ſed non legitimè habent. Quiſquis enim eum & in vnitate catholicâ, & eo dignè viuens habet, & legitimum, & legitimè habet. Quiſquis autem vel in ipſa catholica, ſicut palea commixta frumento, vel extra, ſicut palea vento ſublata, habet, hunc baptiſmum legitimum quidem habet, ſed non legitimè. Ita enim habet quemadmodum eo vtitur; non autem legitimè vtitur, qui eo contra legem vtitur, quod facit omnis qui baptizatus perditè viuit, ſiue intùs, ſiue foris. Quocirca aliud eſt poſſidere rem legitimam non legitimè, aliud omninò non poſſidere. Sacramenta eccleſiæ extra eccleſiam reperiuntur, vt fluuij Paradiſi extra Paradiſum. Hæretici & ſchiſmatici rem columbæ (id eſt, gratiam Spiritus Sancti gratìs datam) habere poſſunt, interim vt ipſi ſint extra columbam.

PHIL. Hæc ita ſe habere clarum eſt & manifeſtum.

ORTH. Vt pergamus igitur; quid ſi hunc presbyterum interdici, ſuſpendi, excommunicari, degradari contigerit? 5

PHIL. Perinde eſt: ſi à Chriſti inſtituto non diſcedat baptiſmus ratus eſt, & æternæ virtutis. Hæc ſine controuerſia eſt eccleſiæ ſententia; ideóque, regnante Mariâ, quanquam regnum anteà per totos annos viginti continuos ſub Interdicto et anathemate poſitum fuiſſet, tamen in priore ſchiſmate baptizatos non rebaptizauimus, ſed ad eccleſiam reuerſos cum ſuo baptiſmo recepimus.

ORTH. De baptiſmo ſumma eſt vtrimque conuenientia: Ad Euchariſtiam igitur vt tranſeamus; num huius virtutem, miniſtri vel vitæ impuritas, vel dogmatum impietas euacuare poteſt? 6

PHIL. Nullo modo, ſi ſacroſanctum Chriſti inſtitutum non fuerit violatum.

ORTH. Rectè ſanè. Nam Eli ſacerdotis filij [b] ſcelerati erant, iramque Dei in ſe grauiſſimam ob immania flagitia prouocabant: Deus tamen, pro immenſa ſua miſericordia, ad ea ſacrificia, quæ fideles, iſtorum manibus ſecundùm legem Domini mactanda, recto corde obtulerunt, benignè reſpexit. [c] Seruator noſter Scribarum et Phariſæorum falſa et ſuperſtitioſa redarguit dogmata, quæ ita dimanarant in vulgus, & tam diù obtinuerant, vt ambigi non poſſit, quin ex ſacerdotibus complures hoc venenum imbiberint: Chriſtus tamen leproſo mandauit, vt ſe [d] *ſacerdoti oſtenderet.* Immo ille ipſe iiſdem feſtis, in quibus ab eiuſmodi ſacerdotibus immolabantur ſacrificia, interfuit. Sed hîc quoque vlteriùs quærendum, an hoc ſacramentum a presbytero interdicto, excommunicato, degradato celebrari poſſit?

PHIL. [e] *Ordinis poteſtatem habent omnes presbyteri ſub pontifice; & tamen quia eam habent à Deo, non poteſt pontifex eam ita tollere, vt ij, ſi velint, non poſſint ea vti. Nam presbyter, etiamſi pontifex illum excommunicet, ſuſpendat, interdicat, degradet, tamen, ſi volet, verè conſecrabit.* Quilibet enim presbyter characterem habet, qui nihil eſt aliud quàm [f] *poteſtas quadam ſpiritualis et ſupernaturalis, partim actiua, partim paſſiua,*

[b] 1. Sam. 2. 12.

[c] Mat. 5. & 15. & 23.

[d] Mat. 8. 4.

[e] Bell. de Rom. pont. l. 4. c. 24.

[f] Bell. de ſacram. in Gen. l. 2. c. 19.

Digitized by Google

gradatus eâ vtatur peccet quidem, nihilominus tamen ſupernaturalem producit effectum. Hæc eſt communis ſcholaſticorum opinio. [c] Altiſiodorenſis: *Dicimus ergo, quod ſi hæretici ſeruent formam eccleſiæ, ſiue ſunt præciſi, ſiue non, vera ſacramenta dant.* [d] Albertus: *Impoſſibile eſt per hominem hæc* (loquitur autem de ſpirituali poteſtate conſecrandi, confirmandi & ordinandi) *auferri.* [e] Adrianus: *Ex quo ſequitur irrationabilem eſſe, & in fide valde periculoſam theoricam dominorum Canoniſtarum, Innocentij, & Panormitani, &c. docentium, De conſuetudine, cap. Quanto; quod ſummus Pontifex per legem ſuam poteſt Epiſcopis auferre poteſtatem ordinandi vel baptizandi, & ſi tunc tentarent, nihil facerent, ſed per nudam prohibitionem non impediret: addunt tamen quod, ſi ſine cauſa rationabili hoc tentaret Papa, non eſſet ſuſtinendus contra ſtatum vniuerſalis Eccleſiæ hoc facere; ſed, eccleſia non reſiſtente, factum Papæ validum eſſet, & teneret. Vndè & quidam eorum in hanc inſaniam eruperunt, quod poſſit circa formas ſacramentorum diſponere, ſeu aliquid inducere de neceſſitate ſacramenti; quod manifeſtiſſimè ſpectat ad poteſtatem excellentiæ, cum hoc ſit Domini legis, & non Miniſtri.* Petrus de palude: [f] *Si non omnis Epiſcopus poteſt ordines conferre, hoc eſſet vel propter demeritum vitæ, quia eſſet malus, vel propter defectum fidei, quia hæreticus, vel propter ſententiam eccleſiæ, quia eſſet excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel alias præciſus, vel propter depoſitionem ab ordine, quod eſſet degradatus: ſed nihil iſtorum impedit, quin omnis Epiſcopus poſſit veros ordines conferre.* Ergo.

[c] *Altiſiod. ſum. l. 4. tr. 8 q. 3. in ſol. fol. 44. col. 1.*
[d] *Alb. in 4 ſ. d. 25. art. 1. in ſolut.*
[e] *Adri. in 4 de ſacr. conf. art. 3. pro reſponſ.*
[f] *Petrus in quartum d. 25 q. 1. art. 1.*

Orth. Ergo Stephanus Pontifex meritò redarguendus, qui à Formoſo [g] *ordinatos exordinauit,* atque *iterum ordinauit*; Imò Formoſum è Sepulchro extraxit, in Synodo ſiſti curauit, veſtimentis Pontificalibus exutum, Toga [h] Laicali induit, pro tribunali accuſauit, condemnauit, tribúſque abſciſſis digitis, quibus inter benedicendum potiſſimum vſus eſt, in Tyberim proiecit. 10

[g] *Ex Sigeb. in chron. an. 902. & 903.*
[h] *Anaſt. in vit. Steph. 7. tom. t. 3. p. 1047.*

Phil. [i] *Formoſus, Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis, à Papa Iohanne 8. depoſitus ac degradatus, & ad ſortem Laicorum redactus, ex vrbe diſceſſit, & iurauit nunquam ſe vel ad vrbem, vel ad epiſcopatum rediturum. Paulò pòſt, mortuo Iohanne 8. ſucceſſor eius, Martinus ſecundus abſoluit Formoſum à iuramento incautè prolato, & dignitati priſtinæ reſtituit. Non diu pòſt idem Formoſus Papa creatur, vixit annos 5. & apponitur ad patres ſuos: ſuccedit Stephanus ſextus, qui magno odio in Formoſum incenſus, & vel neſciens, vel non credens eum à Martino Papa fuiſſe abſolutum à iuramento, publicè in concilio epiſcoporum decernit, Formoſum nunquam fuiſſe legitimum Pontificem, & ideo irrita eſſe debere omnia eius acta, & qui ab illo ſacros ordines acceperant, coegit iterum ordinari tanquam ab illo nihil accepiſſent. Diſplicuit hoc factum omnibus, & ideo Pontifices tres ordine ſuccedentes, Romanus primus, Theodorus ſecundus, & præcipuè Iohannes nonus, conuocato alio concilio Epiſcopali, iudicarunt, Formoſum verum pontificem fuiſſe, & Stephani ſexti ſententiam irritauerunt.*

[i] *Bell. de Rom. Pont. l. 4. c. 12.*

Orth. Illis ſucceſſit Sergius, qui, in omnibus Stephanum 11
imitatus,

imitatus, eorum ſententias reuocauit, Formoſum condemnauit, omnéſque ſacros ordines, ab eodem collatos, irritos dixit.

[a] *De Rom. Pont. l.4 c.12.*
[b] *De reg. Ital. l.6. an. 896.*
[c] *l.1. c.8.*

PHIL. Reſpondeo cum [a] Bellarmino, erraſſe Stephanum & Sergium, ſed *in quæſtione facti, non iuris; & malo exemplo, non falſâ doctrinâ.* Nam, vt refert [b] Sigonius, *Omnia Formoſi Pontificatus acta* reſcidit Stephanus, *atque inprimis eos qui initiati ab eo fuerant exauthorauit.* Et [c] Luitprandus, *Cunctos quos ipſe ordinauerat, gradu depoſitos, iterum ordinauit.* Hæc Stephanum de facto egiſſe, non etiam decreuiſſe obſerues velim.

[d] *An 902.*
[e] *In Steph.*
[f] *Quo ſupra.*

ORTH. [d] Sigebertus contrà: *Ordinationes eius irritas eſſe decernit,* & [e] Martinus Polonus: *Omnes ordinationes eius irritas eſſe debere decernit:* & ipſe [f] Bellarminus, quamuis hac in re huc illuc vacillet, diſertè tamen (te ipſo paulò antè referente) ſic habet: *Publicè in concilio decreuit, Formoſum nunquam fuiſſe legitimum pontificem, & ideo irrita eſſe debere omnia eius acta.*

[g] *Anaſt. in vit. Steph. 7. Bin. t.3. p.1047.*

PHIL. [g] *Nihil ſedi Apoſtolicæ præiudicaretur, ſi daremus inuaſorem non legitimè electum, ſed intruſum Pſeudopontificem, in articulis fidei aſſerendis aberrâſſe.*

[h] *An. 897. n.1.*

ORTH. Quaſi Stephanus & Sergius non eſſent veri pontifices? Quamuis enim viri eſſent omnium ſceleratiſſimi, ſedémque per intruſionem occuparent, hæc tamen non impediunt, quin vobis ſint veri & legitimi Petri ſucceſſores. [h] Narrat Baronius, nonnullos *qui ſedem tyrannicè adepti ſunt, poſtea accedente conſenſu cleri, ſatiùs eſſe exiſtimantis eos qualeſcúnque tolerandos, quàm eccleſiam ſchiſmate conſcindendã, vt legitimos Pontifices nouis comitijs cõſuetis ritibus electos fuiſſe. Hac vt dicamus* (inquit) *illud planè neceſſario cogit, quòd vniuerſa Eccleſia Catholica eos vt legitimos Pontifices coluit, iiſque obediuit, atque vt Chriſti vicarios, Petríque ſucceſſores cognouit, ac cultu, germano Pontifice digno, eoſdem frequentauit: quod nequaquam factum fuiſſet, niſi de factâ poſteà legitimâ electione conſtitiſſet.* Hæc Baronius in huius Stephani gratiam, quem, licèt inuaſorem, in verorum tamen pontificum ſerie collocat; quemadmodum & Anaſtaſius. Eodem honore proſequuntur & Sergium, quem tamen hominem appellant *vitiorum omnium ſeruum, facinoroſiſſimum omnium,* [i] *quem quidem conſtat poſt malum ingreſſum, deterioremque progreſſum, peſſimum demum eſſe conſequutum egreſſum.* Ab illo tamen Archiepiſcopi, [k] Colonienſis & Hamburgenſis, pallium acceperunt, vt *Crantzius* memoriæ prodidit. Conſtat itaque etiam hunc pro Pontifice habitum, ſedémque pacificè poſſediſſe. Quamobrem ſi quis in Sergium perinde fuerit beneuolus, ac Baronius in Stephanum, exiſtimare poteſt eundem nouis Comitijs, accedente ſcilicet conſenſu Cleri, electum eſſe, ne eccleſia ſchiſmete conſcinderetur.

[i] *Baron. an. 908. n.2.*
[k] *Hiſt. eccl Sax. lib.3. c.1. & l.2. cap.24. Bar. an. 908. n.4*

PHIL. Quicquid de Sergij & Stephani Pontificatu ſtatuamus, certè eos circa ordinationes erraſſe agnoſcimus; quamuis enim Formoſus nunquam fuiſſet Pontifex, erat tamen Epiſcopus Portuenſis: & quamuis depoſitus eſſet & degradatus, Characterem tamen

men Epiſcopalem ſemper retinuit, cuius vi, quas fecit ordinationes, firmæ erant & validæ. Quamobrem ſummâ affectus eſt iniuriâ, eiuſq; innocentia miraculo ſatis innotuit, quoniam, teſte [a] Luitprando, *Dum à piſcatoribus poſtmodum eſſe inuentus, atque ad Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſiam deportatus, ſanctorum imagines hunc in loculo poſitum venerabiliter ſalutarunt.* [a] *Lib. 1. c. 8.*

ORTH. Ergo Stephanus & Sergius errauerunt, vel ſaltem vos veſtræ fefellerunt Imagines.

PHIL. Eodem ſemper reuolueris; erraſſe fateor; quorſum & quoties inculcabimus?

ORTH. Similiter lapſus eſt & Stephanus, eius nominis quartus, qui Epiſcopos, à Conſtantino Antipapa ordinatos, reordinauit, idq; ex Concilij Romani decreto: vt refert [b] Anaſtaſius: *In eodẽ Concilio ſtatutum eſt, vt omnia quæ idem Conſtantinus in eccleſiaſticis Sacramentis, ac diuino cultu egit, iterari debuiſſent, præter ſacrum baptiſma, & ſanctum chriſma.* Pontificem autem ipſum ſuis ipſius manibus eos reordinaſſe, ex his eiuſdem Anaſtaſij verbis conſtare poteſt. [c] *Huiuſmodi promulgatis ſententijs, illico epiſcopi illi, qui ab eodem Conſtantino ordinati ſunt, reuertentes, iuxta eiuſdem Pontificis ſententiam, in priſtino honoris gradu electi demùm à Clero & plebe, factóque ſolito decreto ad ſedem Apoſtolicam properantes, ab eodem ſanctiſſimo Papa conſecrati ſunt.* [b] *In vit. Steph. 4.* [c] *Ibid.*

PHIL. Huius loci variæ ſunt lectiones: alij legunt *conciliati*, vt videre licet apud [d] Baronium. [d] *An. 769. n. 6.*

ORTH. Baronius habet in margine, *conciliati*, quia hæc ei lectio valdè arriſit; in ipſo tamen textu reponit, *conſecrati*, quoniam ita legiſſe Anaſtaſium compertum habuit. Binius autem, Baronio addictiſſimus, hîc eundem deſerit. Nam licèt in præcedentibus varias habet lectiones, tamen in verbis à me citatis legit, *conſecrati*, nec meminit, *conciliati.*

PHIL. [e] *Ne eos exiſtimes iterum conſecratos, ſed accepiſſe duntaxat more maiorum benedictionis myſterium, quod author nominat benedictionis ſacramentum.* [e] *Baron. quo ſuprà.*

ORTH. Intelligit ſacramentum ordinis. Nam Epiſcopus qui verba, quibus benedictio myſtica, aut poteſtas ſpiritualis exhibetur, enunciat, à patribus Concilij quarti [f] Carthaginenſis *benedictionem fundere* dicitur. [f] *Cap. 2. Bin. t. 1. p. 553.*

PHIL. Vel potiùs [g] *ritus illos ſolennes adhiberi ſolitos, in reconciliationem ſchiſmatici vel hæretici*; vt exiſtimat Baronius. [g] *Baron. ibid.*

ORTH. Ego ſuperiorem expoſitionem veriſſimam eſſe euincam. In eodem enim Concilio (vt antea accepiſti) *ſtatutum eſt, vt omnia quæ idem Conſtantinus in Eccleſiaſticis ſacramentis & diuino cultu egit, iterari debuiſſent, præter ſacrum baptiſmum, & ſanctum Chriſma.* Age verò, ſacer ordo nonne erat Stephano & Concilio Romano eccleſiaſticum ſacramentum?

PHIL. Erat proculdubio.

ORTH. Ergo proculdubio ſacros ordines à Conſtantino collatos,

Digitized by Google

latos, *iterari debere* ſtatuerat. Quamobrem, ſi Epiſcopos ab eodem inauguratos reconciliauit tantùm Stephanus, non etiam reſecrauit, certè & ſuum & Concilij decretum violâſſe dicendus eſt; quocirca Stephanum quartum ordinatos reordinaſſe ſatis eſt liquidum.

PHIL. Si ita ſe res habet, meritò redarguitur. Quamuis enim Conſtantinus Antipapa eſſet, & ſchiſmaticus, quamuis ex Laico, conglobatis ordinibus, ſedem Epiſcopalem derepentè inuaderet, Epiſcopum tamen fuiſſe negari non poteſt. Vndè ſequitur, eundem, ratione Epiſcopalis characteris (quem toties indelebilem eſſe diximus) & ordinare potuiſſe, & ordinandi internâ poteſtate priuari non potuiſſe.

ORTH. Quod candidè largiris, cupidè arripimus.

PHIL. Dixi quæſtionem hanc in vtrámque partem agitari poſſe; hæc tamen cogitanti mihi opinio longè viſa eſt tutior. Tandem enim aliquandò ipſa ventilando elicitur veritas, & viri docti in hanc ſententiam hodierno die conſentiunt. Qua in quæſtione euoluenda & explicanda, ſancta de charactere indelebili doctrina, à Concilio Florentino, & Tridentino tradita, erat quaſi Ariadnes filum, ad nos hoc labyrintho expediendos, & quaſi acus nauticus ad nos in hoc diſputationum pelago dirigendos.

ORTH. Si hæc firma & fixa tibi ſtat ſententia, quomodo cum ſuperioribus Innocentij, Iohannis, & Nicolai teſtimonijs cohæreat, tibi per otium eſt cogitandum.

PHIL. Innocentius, Iohannes, & Nicolaus cæteris patribus, & concilijs orthodoxis antea citatis pulchrè conſentiunt, nec vlla ex parte contradicunt. Neque enim ita ſunt intelligendi, quaſi characterem hæreticis aut ſchiſmaticis impreſſum expungerent, aut quaſi ab illis ordinatos reordinandos cenſerent, verùm, vt rectè [b] Champnæus, *Quando eos reijciunt, non ordinis poteſtatem, ſed eiuſdem poteſtatis vſum legitimum illis denegant, quem ordinati ab illis habere non poſſunt, quamdiu in hæreſi, aut ſchiſmate perſiſtunt. Nam poteſtatis Ordinis vſus legitimus vnionem vel communionem cum eccleſia Catholica neceſſariò præſupponit. Et hoc illud eſt, quod (vt Innocentius, & alij Patres affirmant) hæretici à ſe ordinatis dare non poſſunt, quia ipſi non habent: & cum hoc non habeant, & per conſequens ordinum vſu legitimo careant, nihil habere dicuntur, quoniam qui aliquid habet, quod certum in vſum deſtinatur, & hunc tamen vſum conſequi non poteſt, perinde ſe habet, ac ſi illud omninò non haberet.* Ita ingentem hanc difficultatem ſumma cum facilitate expediuit Champnæius.

[b] *Champnæus tract. de vocat. Epiſc. p. 145.*

ORTH. Dicti authores in locis citatis, vnionis, vel *communionis*, vel *vſus legitimi*, ne meminerunt quidem, ſed ſimpliciter dicunt, *in dante* (hæretico vel ſchiſmatico) *nihil fuiſſe, nihil eum habuiſſe, nihil dediſſe.* Quamobrem cùm conſtet Pontifices Romanos, Stephanum quartum, Stephanum ſeptimum, Sergium ſecundum, in hac conſtitutos fuiſſe ſententia, vt nihil, nihil omninò, à ſchiſmaticis (vel hæreticis) conferri poſſe putarent, adeo vt ab ijs ordinatos,

Digitized by Google

ordinatos, reordinandos ducerent, certè alios etiam Pontifices, quorum verba ſimiliter ſonant, ſimiliter ſenſiſſe non eſt improbabile. Quod in Iohanne 12. clariſſimè elucet, qui in Concilio ab eodem celebrato (cuius acta, vt ab alijs, ita ab ipſo [i] Baronio ex Codice Vaticano nobis integra & ſincera exhibentur) hæc habet verba: *Eos verò, quos Leo Neophytus, & inuaſor ſanctæ Catholicæ & Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, in quolibet eccleſiaſtico ordine prouexit, Apoſtolica & Canonica authoritate, & Synodali decreto in priſtinum reuocamus gradum, quia ordinator eorum nihil ſibi habuit, nihil illis dedit; ſicut olim noſter prædeceſſor piæ memoriæ Papa Stephanus ſententiam tulit de ijs qui ordinati fuerant à Conſtantino quondam Neophyto, & inuaſore ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & poſtmodùm quoſdam eorum, ſibi placabiles, presbyteros, aut Diaconos conſecrauit.* Hìc Iohannes Stephanum ſibi imitandum proponit, qui à Conſtantino ordinatos reordinauit, vt manifeſtum feci; idem ergo à Iohanne factum eſſe euincitur. Quare cùm Leonem nihil ſibi habuiſſe, nihil ordinatis dediſſe aſſerit Iohannes, non id ſibi vult, quod fingit Champnæus, ſcilicet Leonem ordinis poteſtatem & habuiſſe & dediſſe, ſed quaſi nihil dediſſe, quia vſum eiuſdem poteſtatis legitimum non dedit. Hæc enim Doctoris Sorbonici commenta ſunt, & deliria. Nam Leonem nihil, planè nihil, ſimpliciter & abſolutè nihil aut habuiſſe, aut dediſſe exiſtimauit Iohannes, vt ex ſupradictis conſtat. O quanta cum facilitate & concinnitate hæc expediuit Champnæus!

[i] *An. 964. n. 13.*

R De

De Epiſcopis ſub H. 8.

Cap. XII.

De Epiſcopis tempore Henrici octaui poſt exterminatum pontificem conſecratis.

Partes 2.
- Recapitulatio breuis. 1
- tractatio de
  - Sacrandis. 2.
  - Sacrantibus. 3
  - Sacrandi forma. 4
  - Sacrationis effectu. 5

ORTH.

VT igitur ſumma rerum capita, quæ hactenus copioſè ſunt tractata, breui complectar; nullam Anglorum Epiſcopis, Cranmero antiquioribus, litem intendis.

PHIL. Nullam prorſus.

ORTH. Ipſum autem Cranmerum, à tribus, ſecundùm illuſtrem illum, de quo diſputamus, Canonem, idque iuxta formam Eccleſiæ inauguratum concedis.

PHIL. Concedo.

ORTH. Porrò vnumquemque, ita inauguratum, ſuum Epiſcopalem habere characterem aſſeris.

PHIL. Planè aſſero.

ORTH. Præterea hunc characterem adeò eſſe indelebilem, vt non ſchiſmate, non hæreſi, non cenſuris eccleſiaſticis, non interdicto, non degradatione, ne anathemate quidem, eradi poſſit, aut expungi.

PHIL. Hoc celeberrimorum Conciliorum, Florentini ſcilicet, & Tridentini authoritate nititur.

ORTH. Vbicunque verò occurrit hic character, etiamſi in hæretico aut ſchiſmatico, ibi affirmas Deum adeſſe, & concurrere, ex pacto, ad effectus ſupernaturales producendos, nempe ad alium characterem, etiam epiſcopalem, conferendum.

PHIL. Modò manus imponantur in perſonam capacem iuxta formam Eccleſiæ, idoneo confluente Epiſcoporum numero.

ORTH.

Digitized by Google

ORTH. Vt igitur ad Præſules ſub Henrico octauò (vigente prætenſo ſchiſmate) inauguratos progrediamur, hoc primùm interrogo, an illo tempore prouecti ordinis Epiſcopalis capaces eſſent necnè. 2

PHIL. Quamuis Henricus ſummi Pontificis poteſtatem è Regno ſuo eliminâuit, Sacroſanctum tamen Miſſæ ſacrificium ad finem vſque vitæ ſuæ inuiolatum retinuit. Sacerdotium igitur eius tempore collatum verum erat Sacerdotium, in ſacrificando corpus & ſanguinem Chriſti verſatum. Quapropter nec hæreſis, nec ſchiſma, nec quicquam aliud obſtare potuit, quin iſtiuſmodi ſacerdotes characteris Epiſcopalis capaces eſſent.

ORTH. Ergo Georgius Brownus, Archiepiſcopus Dublinenſis, Edmundus Bonnerus primò Herefordenſis Antiſtes, mox Londinenſis, Thomas Thirlebeius Weſtmonaſterienſis, & huius generis reliqui ad hunc ordinem capeſcendum erant idonei.

PHIL. Non diffiteor.

ORTH. Si iſti, & ſimiles, qui poſteà, Maria regno potita, ad Papæ obedientiam reuerſi ſunt, quidni Rowlandus Leyus, Thomas Goodrichius, & Iohannes Hodgskinſus? Omnes enim perinde erant miſſifici, perinde conſecrati, Papæque primatum, regnante Henrico, perinde auerſati.

PHIL. Par omnium erat ratio.

ORTH. De ſacrandis diximus; nunc percontor an ſacrantes tales tibi videri ſoleant, quorũ opera, ordo epiſcopalis alijs impendi potuerit. Sin minùs, de Heatho, Bonnero, & ſimilibus actum erit. 3

PHIL. Nulla occurrit dubitandi ratio.

ORTH. Si *Sacrantes* erant ad hoc idonei, de numero deinceps eſt agendum: quæro igitur an illorum temporum conſecrationibus, numerus idoneorum ſemper interfuerit idoneus.

PHIL. Interfuit.

ORTH. Ergo Henricus canones illos, qui ternarium epiſcoporum numerum exigunt, non antiquauit.

PHIL. Minimè gentium, ſed authoritate [a] Parliamentaria firmauit & ſtabiliuit. Teſte enim [b] Sandero, *Comitiorum lege decreuit, Epiſcopum à tribus cum conſenſu Metropolitæ eſſe ordinandum, nec alio modo ordinatum pro Epiſcopo agnoſci oportere.*

[a] 25. H. 8. c. 20.
[b] *Sand. de ſchiſm. l. 3. p. 296*

ORTH. Quotquot igitur regnante Henrico conſecrationem ſunt adepti, illi omnes *à tribus* ſacrati videntur.

PHIL. Rectè; quî enim aliter fieri potuit? [c] Sanderus fatetur legem illam factam eſſe ad imitationem antiquorum Canonum. Ipſa quoque lex pœnam *de Præmunire* longè grauiſſimam Epiſcopis hâc in cauſâ impingentibus ſeu delinquentibus irrogat. Quare hæc fuit illorum temporum perpetua praxis.

[c] *Ibid.*

ORTH. Et mos perennis, Philodoxe, vt ex ipſis Archiuis eſt manifeſtum; ex quibus, in breuem ſynopſin contractis, huius rei ſpecimen tibi exhibeo.

Digitized by Google

[d] Regiſt.Cranmer fol.156.	[d] Rowlandus Leyus conſ.ep.Cou. & Lich. 1534.9.April. à	Thoma Cant. Ioh.Lincoln. Chriſto.Sidon.
[e] ibid.f.186.	[e] Georg.Brown.conſ.Archiep. Dublin.1535.19.Martij,à	Thoma Cant. Iohn.Roff. Nic.Sarum.
[f] ibid.fol.197.	Rob.[f] Warton conſ.Epiſ.Aſaph.1536. ſecundo Iulij à	Tho.Cant. Ioh.Bangor. Will.Noruic.
[g] ibid.fol.200.	Rob.[g] Holgat.conſ.epiſ.Landau.1537.25.Martij,à	Ioh.Roff. Nic.Sarum. Ioh.Bangor.
[h] ibid.fol.215.	Henricus [h] Holbech.conſ.Epiſt. Briſtol. 1537. 24. Martij à	Ioh.Roff. Hugo.Wigorn. Rob.Aſaph.
[i] ibid.fol.214.	Will.[i] Finch.conſec.ſuffrag. Taunton,1538.7.April à	Ioh.Roffenſi. Rob.Aſaph. Wil.Colceſt.
[k] ibid.fol.261.	Thom.[k] Thirlebeius conſ.Ep.Weſtmonaſt.1540.9.Decemb.ab	Edm.Londinenſi. Nicol.Roff. Ioh.Bedford.
[l] ibid.fol.271.	Iohn [l] Wakeman conſ.Epiſ. Glouc.1541.25.Septemb.à	Thom.Cant. Edmundo Londinenſ. Tho.Weſtmon.
[m] ibid.fol.278.	Arthur [m] Buckley conſ.Ep. Bangor.1541.19. Febr. à	Ioh.Sarum. Wil.Meneuenſi. Ioh.Glouceſt.
[n] ibid.fol.285.	Paul.[n] Buſh.conſ.Ep. Briſtol.1542.25.Ian.à	Nic.Roff. Tho.Weſtmon. Ioh.Bedford.
[o] ibid.fol.310.	Anto.[o] Kitchin conſ.Ep. Landau.1545.3.Maij à	Tho.Weſtmon. Tho.Sidon. Suffrag.Salop.

Phil. Iam à conſecrantibus ad conſecrationis formam conuertatur, ſi placet, ſermo. Hîc autem ſedulò inquirendum, an priſca conſecrandi ratio ab Henrico mutata ſit, necnè?

[p] 25.H.8.c.20. Orth. Verba [p] Statuti nullam innuunt mutationem, ſed omnes benedictiones, cæremonias, & reliqua omnia per legem requiſita, cũ omnibus debitis circumſtantijs adhibenda eſſe decernunt. Hoc autem Statutum ab Henrico antiquatum non legimus. Porrò ſi in rebus ad ordinis eſſentiam ſpectantibus quicquam immutaſſet, Sanderus

Digitized by Google

Sanderus hoc ipſum ex inſtituto tractans, vt eſt credibile, non tacuiſſet. Is autem diſertè teſtatur, Henricum [q] *Cæremoniam & ſolennem vnctionem, more Eccleſiaſtico, adhuc in conſecratione illa* (Epiſcopali) *adhiberi voluiſſe.* Et alibi docet: [r] *Epiſcopos ac presbyteros Anglicanos, ritu ferè Catholico (excepta Romani Pontificis obedientia, quam omnes abnegabant) ad illud vſque tempus* (id eſt, vſque ad Regnum Edouardi ſexti) *ordinatos fuiſſe.* Denique Senatus-conſultum Reginæ Mariæ tempore editum, omnem penitùs eximit ſcrupulum, in quo ſancitum eſt, [ſ] *Illam demùm diuina officia & ſacramenta adminiſtrandi formulam, quæ vltimo Henrici octaui anno vulgari in vſu fuit, per totum Angliæ Regnum & reliqua vniuerſa Reginæ dominia deinceps vſurpandam eſſe, & frequentandam.* Cuius legis Conditores ſacrum ordinem pro Sacramento habuiſſe nemo neſcit. Eodem igitur modo ſacri ordines ſub Regina Mariâ, quo, vltimo Henrici anno celebrabantur: & regnante Maria, ex omnium Catholicorum ſententia, vera ac legitima ordinandi formula apud Anglos viguit; eadem igitur vltimo Henrici anno ſeruata eſt & retenta. Nec tamen eandem vnquam ab Henrico antiquatam, & tum demum reſtitutam eſt exiſtimandum; hoc enim nuſquam legimus, nunquam audiuimus. Quamobrem legitimam ordinandi formulam per totum Henrici tempus obtinuiſſe, eſt clariſſimum.

[q] Sand. de ſchiſ. p.297.
[r] p.205.
[ſ] Primo Mar. ſ.2.c.2.

Orth. Si perſonæ capaces, à Canonico Epiſcoporum numero, ſecundùm formam Eccleſiæ conſecrentur; nonne hæc conſecratio futura eſt efficax?

Phil. Non repugno.

Orth. Quotquot igitur ab Henrico, etiam poſt eliminatum Romanum Pontificem, in ordinem Epiſcopalem ſunt cooptati, illi vniuerſi conſecrationem efficacem ac validam ſunt adepti: ſin minùs, Bonnerus atque ſimiles ſunt puluere obducendi, omnéſque Epiſcopi Mariani è verorum Epiſcoporum albo, in æternum ſunt expungendi.

Phil. Reſpondeo, fuiſſe quidem efficacem ad Characterem imprimendum, non tamen ad legitimam ordinationem conferendam. Ad hanc enim *in ipſo ordinante* (vt [t] Champnæus docet) *duo requiruntur, primum eſt poteſtas ſacramentalis ordinis Epiſcopalis, quæ, iuxta veram ac Catholicam doctrinam, eſt character ſpiritualis, indelebilis, & incorruptibilis, animæ illius impreſſus dum ipſe ordinaretur, vi ac virtute ſimilis Characteris in eo qui illum ordinauit. Alterum eſt legitima poteſtas, ius, ſeu authoritas exercendi dictam ſacramentalem poteſtatem. Sine iſtis duobus nemo poteſt legitimam ordinationem alteri conferre.* Sic ille. [u] Et alibi docet, hæreticos vel ſchiſmaticos primum habere poſſe, ſed non ſecundum; vnde ſequitur eos legitimam ordinationem conferre non poſſe.

[t] Champ. p. 326. & 327.
[u] Pag.380. & 382.

Orth. An hoc verum ſit, [x] paulò pòſt diſcutiam. Interim ex præmiſſis tuis concludo, Bonnerum & reliquos veſtros, qui in *ſchiſmate Henriciano* (vt [y] Sanderus loquitur) *facti ſunt antiſtites*, legi-

[x] Cap.13.n.9.
[y] Sand. de ſchiſ. p.209.

Digitized by Google

timam conſecrationem non habuiſſe, ac proinde nec legitimos fuiſſe Epiſcopos.

[x] Champ.p.327. PHIL. Non erant, fateor; ſed aduerte: [x] *Eſt inter iſta duo latum diſcrimen. Primum enim adeo abſolutè eſt neceſſarium, vt abſque eo ordinatio nulla ſit, ſed ordinatus Laicus manet, ſicut prius; vterque tamen, & ordinator, & ordinatus, graue ſacrilegium committit. Secundum verò non eſt neceſſarium, vt ordinatus characterem ſeu ſacramentalem poteſtatem accipiat, ſed tantùm vt legitimum illius vſum accipere poſſit, vel, vt alij loquuntur, non eſt neceſſarium vt ordinatio valida ſit, ſed ſolùm vt licita ſit. Hinc fit vt qui abſque primo ordines ſacros recipere tentat, iterum ordinari debeat, quia nihil in prima ordinatione recepit: qui verò abſque ſecundo ordinatus ſit, non iterum quidem ordinari, ſed id tantùm, quod illi deeſt, ſuppleri debet.* Noſtrorum quos commemoras conſecratio, licèt impedimenta haberet Canonica, nempe ſchiſma & hæreſin, quibus factum eſt vt minùs eſſet legitima, talis tamen fuit quæ characterem imprimeret. Impedimenta autem quæ obſtabant quò minùs eſſet legitima, poſteà, regnante Maria, ſunt remota. Omnes enim qui religionis ſententia erant Catholici, ab illuſtriſſimo Cardinale Polo, legato pontificio ſunt abſoluti, reconciliati, ac in ſuis ſedibus denuò confirmati. Ita quod in eorum ordinationibus malum fuit, eſt eraſum, quod deerat, eſt ſuppletum, quod bonum erat, eſt retentum: vnde factum eſt, vt eorum conſecratio redderetur legitima. Tantum potuit reconciliatio cum Eccleſia Romana.

ORTH. Hoc non erat Chriſto reconciliare, ſed fœdus cum Antichriſto redintegrare.

CAP.

Cap. XIII.

De Champnæo, eiúſque argumento, quo Cranmerum, & per Cranmeri latera, vniuerſam Eccleſiam Anglicanam confodere molitur.

- *De*
  - *Champnæo, prolegomena quædam, de*
    - *Scribendi occaſione.* 1
    - *libri*
      - *dedicatione.* 2
      - *ſucceſſu apud ſuos.* 3
  - *Argumento, quod*
    - *primò proponitur ſummatim in ſynopſi.* 4
    - *ſecundò, diſcutitur per partes, ſcil. an*
      - *nos à Cranmero oriundi?* 5
      - *Cranmerus à Rom. eccleſiæ epiſcopis?* 6
      - *iſti nobis ſint hæretici?* 7
      - *Cranmerus fuerit hæreticus?* 8
      - *hæretici dent ordinem legitimum, licèt non legitimè?* 9
      - *an talis ordo proſit?* 10
      - *defectus reſarciatur per reunionem?* 11
      - *Cranmerus ſit reunitus?* 12

Phil.

NOli nos laceſſere, Orthodoxe, ſed potiùs à Champnæi ictibus, quos adeò crebrò & neruosè ingeminat, tibi tuíſque caue.

Orth. Quantopere ſiniſtra & clypeo valeat ad ſuos protegendos paulò antè vidimus; nunc eiuſdem dexteram in noſtris feriendis experiamur. De quo glorioſo Pyrgopolynice, qui ſe Maſonum debellaſſe iactitat, pauca mihi, antequam vlteriùs congrediamur, ſunt prælibanda: Et primò quid illi anſam ſcribendi dederit, videamus. Ordinationes Anglorum Epiſcopales Papiſtæ multis contumelijs onerare, & dente canino odioſè proſcindere non deſtiterunt. Vnde Maſonus, inſpectis authenticis Eccleſiæ Anglicanæ Archiuis, Anglorum Antiſtites à maleuolorum calumnijs vindicauit, eorúmque ordinationes in clara luce conſtituit. Hîc Papiſtæ furere, debacchari, in Maſonum petulanter inuolare, eúmque falſarium eſſe, ſine dubio falſarium vociferari. Vnus tamen inter eos repertus eſt, Th. Fitzherbertus ſacerdos, qui, præter morem, ſe hîc paululûm cohibuit, enixè poſtulans, vt Regiſtra pro Parkeri conſecratione à Maſono citata, viris quibuſdam catholicis Londini agentibus, qui prudentia, eruditione, ac iudicio pollerent, oſtenderentur. Quid factum?

Digitized by Google

tùm? Reuerendiſſimus Pater *Georgius*, Archiepiſcopus Cantuarienſis, [a] quatuor viros Pontificios, qui præ cæteris prudentia, iudicio, & bonarum literarum laude florere videbantur, è cuſtodia acceſſit, iiſdémque Regiſtra, ad quæ Maſonus prouocat, in magna doctiſſimorum hominum frequentia oſtendit; monet vt legant, relegant, voluant, reuoluant, omniaque & ſingula accurata diligentia expendant. Quid tandem? Re tota ſedulò perpenſa, Regiſtra ſibi quidem videri omni exceptione eſſe maiora ingenuè agnoſcunt, idque ſe Fitzherberto Romæ tunc degenti ſignificaturos eorum nonnulli in ſe recipiunt. Ita Regiſtrorum honor, Maſoni innocentia eſt vindicata. Huius rei fama Oceanum Britannicum illico tranſuolans, ad Champnæum Lutetiæ commorantem eſt delata. Quid ille demum? Num Archiepiſcopo gratias agit? Num adeo ſpectatæ & exploratæ fidei Regiſtris fidem habet? Num veritati & innocentiæ eſt congratulatus? Nihil minus; ſed contra veritatem tam clarè micantem oculos claudit, linguam acuit, calamum ſtringit. [b] *Quod quidem* (inquit) *factum* (Archiepiſcopi ſcilicet in oſtendendis Regiſtris) *primam mihi de libro illo refellendo cogitandi occaſionem præbuit.* Quid audio, Champnæe? De libro illo refellendo? Quin hoc factum te de libro illo defendendo potiùs monere debuit, cui ſcilicet Archiua tam illuſtria, tam inſigne tulerunt teſtimonium. Hoc factum te erudire potuit, quàm honorificè de Eccleſia Anglicana ſentire oporteat, cuius conſecrationes, priſcis canonibus congruæ, authenticis Tabulis ad æternam rei memoriam conſignantur. Hoc factum vos omnes rubore pluſquam coccineo potuit ſuffundere; quum veſtrorum obſcænas calumnias, & craſſa mendacia tam inſigniter eliſerit. Denique hoc factum humanitate plenum, & omni laude digniſſimum, luculenter oſtendit, quantum Ampliſſimo Præſuli debeatis, qui vobis errantibus lampadem prætulit, & comiter monſtrauit viam. Sed Champnæus, homo miſer, noluit reduci in viam; errare maluit, amat tenebras, ac proinde, Regiſtrorum lucem ac ſplendorem non ferens, fremit, frendit, ac in obuium quenque furioſè irruit.

2 Epiſtolæ eius Dedicatoriæ inſcriptionem, primum quaſi per tranſennam, pauliſper inſpicere erit operæpretium. Champnæus enim librum ſuum Anglicanum, perinde ac Maſonus ſuum, Reuerendiſſimo Patri Georgio, nunc Archiepiſcopo Cantuarienſi, dicat dedicatque. Quid dixi? Archiepiſcopo? Fallor, Philodoxe, ampliſſimum præſulem, quem priſca ſæcula ſplendidiſſimo [c] Patriarchæ titulo ſolebant inſignire, Doctor iſte Sorbonicus Archiepiſcopi elogio non dignatur, ſed librum ſuum inſcribit *dicto Cantuarienſi Archiepiſcopo*, quaſi verò noſtri reipſa Archiepiſcopi non eſſent, ſed dictione tantùm & titulo tenùs. Totius igitur Angliæ Primatem ac Metropolitanum, quo tandem honoris vocabulo decorandum cenſet? An forte Epiſcopi? Minimè. An reuerendi patris? Nequaquam. An Doctoris, ſeu Theologiæ Profeſſoris?

Ne

[a] *Vide infra, l. 3 c. 18. n. 16.*

[b] *Champ. in epiſt. ad Archiep. Cant.*

[c] *Gloſſ. in diſt. 21 decretis.*

Digitized by Google

Ne hoc quidem. Quò igitur? Certè Præſulem apud nos illuſtriſſimum ac eminentiſſimum, [d] Magiſtri duntaxat nomine ſalutauit. Deus bone, quò homines tranſuerſos rapit liuor & inuidia? Porrò Champnæus in ipſa Epiſtola Librum quendã manuſcriptum nobis commemorat ab Archiepiſcopo interceptum, detentum, ac tenebris ſepultum: qua de re ipſum Reuerendiſſimum Archiepiſcopum aliquandò ſum percontatus; qui reſpondit hoc totum merum eſſe commentum, & à veritate alieniſſimum. Reliquas eiuſdem, quibus Præſulem optimum & ſplendidiſſimum aſpergere voluit, calumnias & contumelias, vt inanes & futiles, prudens omitto.

[d] *Phraſi Latinâ eadem eſt Miniſtri & Doctoris ſignificatio; ſed idiomate patrio (quo Champnæus vſus) ingens diſcrimen.*

Porrò, de libri Champnæani fato & ſucceſſu hoc vnum addam. A ſuis enim non vſque adeo eſſe collaudatum frequens in Angliam dimanauit fama, quod & mihi non admodum videtur improbabile. Nam cùm quatuor theologi pontificij ex Anglia oriundi, nempe Gabriel de ſancta Maria (hunc enim Anglum eſſe teſtatur [e] Epiſcopus Pariſienſis, & *Giffordium* eſſe perhibent) Biſhoppius, Bagſhawus, & Champnæus, ea ipſa de cauſa Pariſijs commorentur, vt libris omnibus, contra doctrinam Pontificiam ex Anglia emiſſis, pro virili reſpondeant: Champnæus contra Maſonum aliquid tentauit, quod qualecúnque ſit, Biſhoppi & Gabrielis de ſancta Maria calculis comprobatur. Verùm hîc illud mihi ſubit, quod eſt apud [f] Platonem, vnus, duo, tres, quartus verò ille vbi eſt? Bagſhawus enim, omnium ſubtiliſſimus ac acutiſſimus, nuſquàm comparet. Quò diuerſus abit? An fortè illi, quod ità temerè falſóque edidit Champnæus, parùm placuit: Sed hæc in coniectaneis reponantur: Nunc huius fortiſſimi athletæ tela amentata expectamus.

[e] *In approbatione operis Champnæani editioni Anglicanæ præfixa.*

[f] *In Principio Timæi.*

PHIL. Argumentum eius eſt tanquam catena multis conſtans annulis, vel tanquam corolla ex multis floribus contexta: idcirco locos varios, vnde depromitur, hinc illinc decerpere & ſubnectere geſtit animus. [g] *Pudeat illum* (Maſonum ſcilicet) *& omnes pariter Proteſtantes Anglos, illam Religionem & Eccleſiam ſectari & profiteri, quæ talem patrem & progenitorem habuerit*; Cranmerum autem intelligit. Et alibi. [h] *Obſeruandum eſt quòd Maſonus, credens Papam eſſe Antichriſtum, ſaltem in generali illo & latiori ſenſu, quo omnes hæretici Antichriſti ſunt, & conſequenter omnes Romanæ eccleſiæ Epiſcopos qui cum eo communicant, hæreticos quoque eſſe in eodem ſenſu, Cranmerum, ab eis ordinatum, legitimum eſſe Epiſcopum nulla probabili ratione defendere poteſt, vi talis ordinationis.* Et rurſus: [i] *Cranmerum, iuxta doctrinam Maſoni cæterorúmque Proteſtantium, qui dicunt Papam reliquóſque eccleſiæ Romanæ Catholicæ Epiſcopos hæreticos eſſe, nullam Canonicam ordinationem habere potuiſſe oſtendemus.* Et rurſus: [k] *Cranmerum hæreticum fuiſſe probabo.* Et alibi: [*] *Quibus omnibus conſtat hæreticos ius ordinandi non habere. Vnde vlterius etiam ſequitur, Cranmerum, qui ab eis, quos Maſonus hæreticos æſtimat, ordinationem ſuam habuit, iuxta eius do-*

[g] Champn p. 371

[h] Pag. 326.

[i] P. 329.

[k] Pag. 383.

[*] P. 335.

Ctrinam,

[l] P.326. & 327. *ctrinam, legitimè ordinatum non fuiſſe.* Et alibi: [l] *Sciendum eſt ad legitimam ordinationem duo neceſſariò requiri in ipſo ordinante: primum eſt poteſtas ſacramentalis ordinis epiſcopalis; alterum eſt legitima poteſtas, ius, ſiue authoritas exercendi dictam ſacramentalem poteſtatem. Sine iſtis duobus nemo poteſt legitimam ordinationem alteri conferre.* Et alibi: [m] *Iſtum ordinis vſum, quamdiu ab eccleſiæ vnitate per hæreſin ſeparantur, obtinere nequeunt: rectus enim ac legitimus ſacri ordinis vſus, vnionem & communionem cum eccleſia Catholica (ex doctrina omnium Orthodoxorum) neceſſariò requirit.* Et alibi: [n] *Defectus ille, qui Cranmero neceſſariò inerat, propter hæreſin in ſuo ordinatore, vt Maſonus exiſtimat, nulla ratione ſuppleri poteſt, niſi per vnionem & reconciliationem veræ Eccleſiæ, veriſq; paſtoribus; ſed iſta vnio in caſu Cranmeri erat omninò impoſſibilis.* Et alibi: [o] *Ex hactenus dictis conſtat, quòd etiamſi nullus alius in epiſcopis proteſtantibus Angliæ defectus, præter illum quem ex Cranmero neceſſariò trahunt, inueniretur, iſtum tamen abundanter ſufficere, vt probentur aliam vocationem ad munera Paſtoralia non habere, quàm habuerunt olim Ariani, Nouatiani, alijque quiuis damnati hæretici.* Hæc verba, quæ ex Champnæo adduximus, multa monent. Primò, omnes Angliæ miniſtros à Cranmero eſſe oriundos. Secundò, Cranmerum ordinationem ſuam ab Eccleſiæ Romanæ Epiſcopis eſſe mutuatum. Tertiò, hos ipſos à Proteſtantibus haberi pro hæreticis. Quartò, Cranmerum ipſum fuiſſe hæreticum. Quintò, hæreticos ordinationem legitimam conferre non poſſe, quia vſu ordinis deſtituuntur, ob defectum vnionis vel communionis cum Eccleſia Catholica. Sextò, defectum hunc reſarciri non poſſe niſi per reunionem cum Eccleſia Catholica. Septimò, Cranmerum nunquam fuiſſe reunitum. Ex hac ſupputatione illa ſumma naſcitur, ſcilicet, Cranmerum legitimam vocationem ſeu ordinationem nec ipſum accepiſſe, nec alijs contuliſſe. Ita, duce Champnæo, totum Maſoni librum euacuaui.

[m] P.380.

[n] P.337.

[o] P.390.

ORTH. Egregium ſanè bellatorem, qui tot phalanges vno quaſi ſpiritu difflâſti. Sed videſis ne fortè triumphum canas antè victoriam: quid enim ſi bellum nondum ſit confectum? Quid ſi redintegretur etiam?

5 PHIL. Vt igitur rem ab origine repetamus, & ſingula diligentiùs perſcrutemur. Nonne Cranmerus [p] *religionis & eccleſiæ veſtræ pater eſt & progenitor,* à quo ordinationes veſtræ profluxerunt.

[p] Champ. p. 371.

ORTH. Religionis noſtræ, Philodoxe? Minimè gentium; ſed Deus optimus maximus, Pater, Filius & Spiritus ſanctus; noſtrorum autem ordinum author eſt ipſe Chriſtus, à quo ordinandi poteſtas, tanquam à fonte limpidiſſimo ſcaturiens, primò in Apoſtolos, deindè ab Apoſtolis in Epiſcopos eſt transfuſa: qui primùm aurei, pòſt argentei, deníque, metallo in deterius vergente, & errore gliſcente, aliqua ex parte facti ſunt plumbei. Ordines igitur, qui primitùs pellucidi erant & cryſtallini, poſt aliquot ſęcula per canales pontificios fluxerunt turbidi, & tales ad Cranmerum deuenerunt

runt

runt. Ipſe autem Cranmerus, regnante Henrico 8. ordines Eccleſiæ Romanæ more, id eſt, ſuis corruptelis coïnquinatos contulit. Cæterùm ordinandi Formula ſub Edouardo ſexto, Cranmeri ac aliorum opera, à contractis Pontificiorum ſordibus percolata eſt & defæcata. Vndè factum, vt Cranmerus poſteà ordines traderet puriores, & emendatam formulam ad poſteros tranſmitteret. Quamobrem ſiue ordinantium ſucceſſionem, ſiue limatiorē ſpectemus ordinandi formulam, ordinationes noſtras à Cranmero fluxiſſe fateor. Nec quicquam eſt, vt nos talis patris ac progenitoris pudeat. Champnæum potiùs, quòd glorioſum Martyrem tot conuicijs proſcindat, erubeſcere oportet.

PHIL. Nunc ſecundum huius ſcalæ aſcende gradum, & dic quod rogo, nempe, an Cranmeri ordinatores Eccleſiæ Romanæ eſſent Epiſcopi, vt aſſerit [q] Champnæus? 6 [q] Pag. 326.

ORTH. Romanæ? Minimè; ſed Anglicanæ?

PHIL. Quaſi verò tunc Anglicana non eſſet Romana, quippe quæ & fidem profiteretur Romanam, & cum Pontifice Romano communicaret.

ORTH. Hoc igitur quæris, an Cranmerus ſacratus ſit ab iſtiuſmodi Epiſcopis, qui à nobis Papiſtæ, vel Pontificij appellantur.

PHIL. Rem tenes, id ipſum volo.

ORTH. Vereor, vt hoc tibi poſſim concedere, à Papa, denominatur Papiſta, cui eſſentiale eſt, vt Papatum, id eſt, Papæ ſuprematum tueatur ac defendat. Si quis in reliquis religionis capitulis cum Eccleſia Romana ſentiat, in hoc autem ſupremo de ſuprematu articulo diſſentiat, næ ille (ſi propriè loqui velimus) *Papiſta* dici non poteſt, immo, vt ſuperiùs vidimus, vobis erit ſchiſmaticus & hæreticus: at Cranmerus ſacrationis ſuæ tempore tantùm abfuit ab hoc tuendo, vt, licèt conſuetum Papæ iuramentum iure pontificio exhibere teneretur, hoc ipſum tamen niſi interpoſita proteſtatione, quæ ipſius Papatus neruos incîdit, præſtare recuſaret. Hiccine Papiſta, qui Papam ſic vulnerat & cruentat? Deindè ordinatores eius, licet antè præſtitum Papæ abſolutum iuramentum manus illi per Leges Pontificias imponere prohiberentur, hanc tamen Proteſtationem admiſerunt. Quid hoc erat, aliud quàm ſupremum Romanæ fidei articulum abnegare? Quales demum cenſendi ſunt Papiſtæ, qui ipſum Papatum huiuſmodi cuniculis ſubruunt ac demoliuntur? Veruntamen, quùm in alijs ferè religionis articulis (vt tum temporum erat conditio) cum Papiſtis ſentirent, & fidem Eccleſiæ Romanæ amplecterentur, vocentur, ſi placet, Papiſtæ, vel eccleſiæ Romanæ Epiſcopi; ſed quid tum poſtea?

PHIL. Nonne omnes Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi vobis ſunt hæretici? 7

ORTH. Omnes? Nequaquam. Quanquam & hoc nobis tribuit [r] Champnæus. Etenim vt quis dicatur hæreticus, duo concurrant oportet, error in fide, & pertinacia. In fide tum erràſſe eos nullus du- [r] Pag. 326. & 329.

bito,

bito, pertinaciter tamen omnes erraſſe aſſerere, nec charitas mea, nec Proteſtantium moderatio patitur. Certè hoc crimen in Cranmerum ipſum impingi non poteſt. *Scito* (inquit [t] Tolletus) *eſſe pertinacem, qui ſciens eſſe illud quod affirmat contra Eccleſiam, adhuc vult illud ſuſtinere. Errare igitur cum pertinacia, non eſt nimis adhærere ſuis dictis, ſed, cognoſcendo eſſe contra eccleſiam, id recipere, putà falſum pro vero, aut verum pro falſo: talis pertinacia eſt neceſſaria in hæreſi, ita vt quamuis quis teneat contra ipſos articulos, aut contra ſcripturam, ſi ignorabat eſſe contra articulos, aut Scripturam, non ſit hæreticus.* Hactenùs Tolletus. Quamobrem licet Cranmerus conſecrationis ſuæ tempore, multa dogmata parùm Orthodoxa (ſæculi ſui vitio) ſit amplexus, non tamen ea de cauſa, ſi Tolleto credimus, fuit hæreticus. Siquidem, vt tunc erant tempora, eadem ſacris ſcripturis repugnare minimè perſpectum aut exploratum habuit. Poſteà autem, quum errores ſuos reſciſceret, ſe ſex articulis, in ampliſſimo ordinum conuentu publicè, regnante Henrico octauo, oppoſuit, &, regnante Edouardo, cœleſti iubare plenè irradiatus, Papæ & ſuperſtitioni Papali palàm renunciauit. Pertinax igitur, & hæreticus, ex noſtra ſententia, dici non potuit.

[t] De inſtruct. ſacerd. l. 4. c. 3. n. 3

Phil. [t] *Ego Cranmerum hæreticum fuiſſe probabo. Primò ipſemet paulò ante mortem ita profitetur:* [u] *Ego Thomas Cranmerus, nuper Archiepiſcopus Contuarienſis, abiuro, abhorreo, & deteſtor omnia genera hæreſeôn, & errorum Lutheri & Zuinglij, & omnes alias doctrinas ſanis veriſque doctrinis aduerſantes, & conſtantiſſimè corde credo, & ore confiteor vnam ſolam Catholicam & viſibilem eccleſiam, extra quam nulla eſt ſalus,* illius ſupremum in terris caput agnoſco Epiſcopum Romanum, quem ſupremum Epiſcopum fateor, Papam, & Chriſti vicarium, cui totus *populus Chriſtianus ſubiectus eſſe debet, & Deum innoco teſtem, me neque fauore neque timore cuiuſpiam, ſed liberè ſpontéque ad conſcientiæ meæ purgationem, & aliorum inſtructionem hanc proteſtationem, feciſſe. Hoc vnicum argumentum* (vti [x] Champnæus aſſerit in operis ſui editione Anglicana) *in rigore legis, ad eum hæreſeôs conuincendum ſufficeret, non quidem propter hanc quam fecit abiurationem, ſed quia, ad abiuratos errores perfidè rediens, in iiſdem mortuus eſt.*

[t] Champnæus p. 383.
[u] Foxius in act. & mon. p. 1710.
[x] Champ. edit. Angl. p. 148.

Orth. Quid Cranmero contigit quod in [y] Liberium non cadebat, qui Arianiſmo ſubſcripſit, ſicut Cranmerus Papiſmo, & poſt ſubſcriptionem, ad veritatem à ſeipſo damnatam rediens, in eadem mortuus eſt? Immò quid hîc memoras, quod non in ſanctum Petrum quadrat, qui & ipſe Chriſtum abiurauit, & poſt abiurationem ad Chriſti profeſſionem eſt reuerſus, & in eadem mortuus?

[y] Vid. ſupr. c. 9. n. 2.

Phil. [z] Secundò, *Doctrina, quam Cranmerus, poſtquam ab eccleſia Romana receſſit, profeſſus eſt, per eandem authoritatem, eandémque iudicij formam, quo olim Arianiſmus omnéſque aliæ hæreſes ab Apoſtolorum tempore damnatæ fuerunt, nimirum, per eiuſdem Eccleſiæ in Concilio generali congregatæ ſententiam, hæreſis & erroris condemnata eſt.*

[z] Champn. p. 384

Orth. Túne illud generale appellas *Concilium*, in quo, cùm ex

ex reliquo orbe vniuerſo vix octoginta adeſſent Epiſcopi, ex ſola Italia penè ducenti, intérque illos, *Nullatenſes* nonnulli, conuolârunt? Ita id vſuvenit, de quo Baſileæ conqueſtus eſt Cardinalis Arelatenſis, ſcilicet, [a] *In Concilijs id demum fieri quod Nationi placeat Italicæ*. Qua de re eleganter veſter [b] Eſpencæus: *Hæc eſt illa Helena, quæ nuper Tridenti obtinuit.* Porrò Tridentinum Concilium an ſit priſco illi Nicæno æquiparandum, illa ipſa, in qua hæc ſcripſit Champnæus, teſtis ſit Gallia.

[a] *Apud Æneum Syl.u. de geſt. con Baſil. l. 1.*
[b] *In Titum c. 1. p 42. in octauo.*

PHIL. Tertiò, [c] *Quicunque eccleſiam illam, in qua baptiſmum ſuſcepit, deſerit, eiúſque doctrinam ſcientèr impugnat, hæreticus eſt, niſi illam eccleſiam ab alia priori & antiquiori prius exijſſe oſtendere poterit:* at ſic Cranmerus; ergo.

[c] *Champnæus p. 386.*

ORTH. Cranmerus non receſſit ab Eccleſia, ſed ab Eccleſiæ ſordibus & inquinamentis.

PHIL. Nonne receſſit ab eccleſia Romana?

ORTH. Ab hodierna Romana contaminata receſſit, vt ad priſcam puram & Apoſtolicam, & ſi ſenſu ſobrio capias, Romanam, poſſet accedere. Ita reliquit Romanam, non quatenùs erat vera & antiqua, ſed quatenùs nouis erat erroribus imbuta.

PHIL. Quartò, [d] *Cranmerus, eccleſiam Romanam deſerens, ſeipſum illi Congregationi aggregauit, cuius primi fundatores Chriſtianos ſe aliter oſtendere nequeunt, niſi mediante traditione & ſucceſſione illius eccleſiæ quam deſeruerunt, Romanæ ſcilicet. Sed qui ſocietati alicui ſe aſſociat, quam Chriſtianam aliter oſtendere nequit, niſi per ſucceſſionis lineam illius Eccleſiæ quam deſeruit & impugnat, eſt hæreticus. Ergo Cranmerus fuit hæreticus.*

[d] *Ibid.*

ORTH. Secunda Champnæi propoſitio eſt neganda: ſiquidem ſucceſſio Chriſtianitatis quam à Romana Eccleſia mutuatus eſt Cranmerus, non debetur Romanæ quatenùs eſt Romana, ſed quatenus Romana aliquid quod Chriſti eſt, in ſe habet, quoad baptiſmum, ſacros ordines, & Orthodoxa quædam dogmata, quæ ab Apoſtolorum vſque temporibus retinuit. Hæc vbicúnque ſunt, Chriſti ſunt, & per conſequens noſtra ſunt. Errores autem in illa Eccleſia graſſantes, veſtri ſunt, non Chriſti. Potuit igitur Cranmerus ſine vlla hæreſeos aſpergine, quod apud vos malum erat, deſerere & impugnare; quod bonum erat, tanquam ſuum, ſibi vendicare & retinere. Hactenus Cranmero hæreſeos notam inurere voluit Champnæus, ſed conatu irrito. Cæterùm vt hoc quoque, diſputandi gratiâ, largiamur, ponamus tum Cranmerum, tum ſacratores eius, ipſius ſacrationis tempore fuiſſe hæreticos; quid inde concludes?

PHIL. Si erant hæretici, ordinationem legitimam conferre non poterant. Ad hanc enim non ſolùm requiritur in ordinante Epiſcopalis ordinis poteſtas, ſed etiam eiuſdem poteſtatis exercitium & vſus legitimus, quo omnes hæretici deſtituuntur; quippe cùm ſint extra communionem Romanæ Eccleſiæ, vt in 9

e P. 326, 327, 380, & 337. locis citatis oſtendit [e] Champnæus.

Orth. Hæc duo, quæ memorat Champnæus, non ad hoc requiruntur, vt ordinatio conferatur legitima, ſed vt conferatur legitimè. Legitima enim conferri poteſt ab Epiſcopo, qui ordine ſuo legitimo in hæreſi aut ſchiſmate, id eſt, non legitimè vtitur. Etenim ſi quis ab Epiſcopo hæretico, & extra Eccleſiæ communionem poſito, iuxta formam Eccleſiæ ſit baptizatus, is, ſecundùm Sanctum [f] Auguſtinum, baptiſmum accepit *legitimum, licèt non legitimè*. Si is legitimum accepit, profectò & Epiſcopus legitimum dedit. Nam quod is accepit, ille dedit *miniſterialitèr*; Epiſcopus igitur, quantumuis hæreticus, modò baptizet iuxta formam Eccleſiæ, ex ſententia Auguſtini, dat baptiſmum legitimum, licèt non legitimè. Sed eadem planè eſt & ſacri ordinis ratio, iuxta Auguſtinum, vt ex eiuſdem verbis licet colligere, qui de hæreticis & ſchiſmaticis ab eccleſia recedentibus ſic loquitur: [g] *Nulla oſtenditur cauſa cur ille, qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſſit. Vtrunque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrunque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: & ſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinati; ſed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium quod vnitatis pace correctum eſt, non in ſacramentis, quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Neutri ſacramento iniuria facienda eſt. Si ſancta malos fugiant, vtrunque fugiat. Si ſancta in malis inuiolabilitèr maneant, vtrunque maneat.* Et alibi: [h] *Non ideo non ſunt ſacramenta Chriſti & Eccleſiæ, quia eis illicitè vtuntur non hæretici ſolùm, ſed etiam omnes iniqui & impij: ſed tamen illi corrigendi aut puniendi, illa verò agnoſcenda & veneranda ſunt.* Hîc habemus primò ordinem eſſe ſacramentum; nempe ſenſu paulò latiori, quia ſcilicet eſt ſacrum ſignum à Deo inſtitutum, cui promiſſio gratiæ (licèt non iuſtificantis, ſicut in baptiſmo & Euchariſtia) eſt annexa. Secundò, vtrunque ſacramentũ, tam ordinis quàm baptiſmi, conſecratione quadã dari. Tertiò, nec hoc nec illud in recedentibus ab Eccleſia amitti poſſe, ſed inuiolabilitèr manere. Quartò, non ſolùm ipſum ordinem manere, ſed etiam *ius dandi*; *ius*, id eſt, poteſtatem, ſeu authoritatem internam, à Deo in ordinatione acceptam, *dandi*, id eſt, conferendi baptiſmum & euchariſtiam, ſi ſint presbyteri, & ſacros inſuper ordines ſi ſint Epiſcopi, modò hæc ſacramenta adminiſtrent iuxta formam Eccleſiæ. Quintò hæc ipſa ſacramenta ſic ab hæreticis adminiſtrata, eſſe Chriſti ſacramenta; & etiam in impijs integra, ſancta, vera, veneranda. Hęc omnia ex locis allatis ſatis liquent. Quare Epiſcopus hæreticus, non obſtante ſua hæreſi, conferre poteſt non ſolùm baptiſmum legitimum, ſed etiam ordinationem integram, ſanctam, veram, venerandam; id eſt, vt ego interpretor, legitimam. Hactenùs de ſententia Auguſtini: nunc ad Champnæum venio, ex quo hoc idem licet aſtruere. In operis ſui editione Anglicana, cùm noſtrum illud attuliſſet, *Miniſtrum hæreticum dare poſſe*

f De baptiſ. contr. Donat. l. 5. c. 7.

g Contr. epiſt. Parm. l. 2. c. 13.

h De bapt. contr. Donat. l. 3. c. 10.

Digitized by Google

poſſe baptiſmum legitimum, licèt non legitimè, ſtatim attexuit, *eandem & ordinis eſſe rationem, idque ex ſententia Eccleſiæ Catholicæ*; vnde ſequitur, Epiſcopum hæreticum ordines legitimos conferre, licèt non legitimè, idque ex ſententia Eccleſiæ Catholicæ, teſte Champnæo. Verùm quia hæc verba in editione eius Latina non comparent, videamus an ex alijs locis editionis Latinæ hoc poſſit elici. Sic igitur ille: [i] *Ordines ſacros, ſicut & baptiſmum, ab hæreticis validè conferri eccleſia ſemper docuit*: Et alibi hæc ſunt eius verba: [k] *Supponemus contra clariſſimam veritatem conſecrationes ſuas fuiſſe, quoad ſubſtantiam, legitimas & canonicas, ſeu quod idem eſt, fuiſſe veras ac validas.* Si conſecratio quoad ſubſtantiam legitima & canonica, idem ſit quod vera & valida, conſecratio ab hæreticis facta, quoniam, teſte Champnæo, & vera & valida, erit etiam, eodem teſte, quoad ſubſtantiam legitima & Canonica; quoad ſubſtantiam, inquam, licèt non quoad modum, quia datur in hæreſi, id eſt, non legitimè.

[i] P. 378.
[k] P. 768.

Phil. Hoc ad noſtrum inſtitutum ſatis eſt. Hinc enim ſequitur, Cranmerum, cuius conſecratores hęreticos fuiſſe ſupponimus, non eſſe legitimè conſecratum. Porrò, qui ſacramentum non habet legitimè, idem nec ſalubritèr habet, vt ex [l] Auguſtino percipi poteſt: habet quidem quoad [m] *adeſſe, ſed non quoad prodeſſe*. Hoc pungit Proteſtantes Anglos, quorum ordinationes à Cranmero deriuari eſt manifeſtum.

[l] *De bapt. contr. Donat. l. 5. c. 7. & 8. inter ſe collatis.*
[m] *Tunc non aderunt, ſed tunc proderunt, quæ habentur. Aug. ep. 48.*

Orth. Quaſi verò Papiſtarum, qui regnante Maria floruerunt, inaugurationes ab eodem fonte non profluxiſſent. Cranmerus vtriſque communis Parens, vtrique à Cranmero, vel potiùs per Cranmerum genus & proſapiam ducunt. Siqua igitur eius conſecrationi inhæreat macula, eadem in vos perinde ac in nos redundat. Verùm age; tu ipſe, Philodoxe, in Anglia natus es, atque à Miniſtro (vt tua iam fert opinio) hæreſi ac ſchiſmate contaminato baptizatus. Baptiſmum igitur habuiſti vt videtur; in ſe quidem ſalubrem, ſed tibi non item; habuiſti, inquam, quoad adeſſe, ſed non quoad prodeſſe, quia non collatus erat legitimè.

Phil. Verum narras.

Orth. Quum igitur tibi ex Chriſti mandato incumbat, vt baptizeris, ſi prior tibi baptiſmus non profuit, quid demum agere oportet? Num rebaptizandus denuò?

Phil. Nequaquam. Angli enim baptizant ſecundùm formam Eccleſiæ, & omnia adhibent ad baptiſmi eſſentiam neceſſaria: baptiſmum igitur licèt non habui ſalubritèr, habui tamen, qui & ab initio ad hoc mihi profuit, vt characterem imprimeret, ac proinde nunquam eſt repetendus. Nam verè [n] Auguſtinus: *Ad hoc hæretici ad Catholicam veniunt, vt quod eorum malum eſt corrigatur, non quod bonum Dei eſt repetatur.*

[n] *De bapt. cont. Donat. l. 4. c. 15.*

Orth. Nonne iam faſſus es, habuiſſe te, quoad eſſe, ſed non quoad prodeſſe?

Phil. Id volui aquam baptiſmi, licèt in ſe ſanctam atque ſa-

lutarem, mihi tamen, quandiu in hæreſi ac ſchiſmate perſiſterem, non profuiſſe [o] *ad ſalutem,* [p] *& remiſſionem peccatorum.*

[o] *L.4.c.2.*
[p] *L.5.c.8.*

Orth. Qua igitur ratione tibi facta eſt ſalutaris?

Phil. Quòd antea mihi ſalutaris non eſſet, in cauſa erant ſchiſma ac hæreſis: amotis igitur impedimentis, iam prodeſt baptiſmus, quem nunc & habeo & ſalubriter habeo. Rectè [q] Auguſtinus: *Lauacri ſacramentum non vt habeant, ſi iam eodem ipſo quamuis in hæreſi tincti ſunt, ſed vt ſalubritèr habeant, ad catholicam vnitatem veritatémq; feſtinent.* Ad hunc igitur defectum emendandum, non rebaptizatione, ſed vitiorum correctione opus erat, & reunione ac reconciliatione cum Eccleſia Chriſti.

[q] *Ibid.*

Orth. Et ego tibi perinde de Cranmero per omnia reſpondeo. Licèt enim conſecrationis ſuæ tempore & ipſe & ſacratores eius fuiſſent hæretici & ſchiſmatici, ſacratus tamen fuit iuxta illam formam, quæ in veſtra ipſorum viget eccleſia, quæque, licèt non careat maculâ, omnia ad ordinis Epiſcopalis eſſentiam neceſſaria in ſe complectitur. Ordinem igitur Epiſcopalem, quamuis non habuerit ſalubriter, habuit tamen, qui & ab initio ad hoc ei profuit vt characterem inſculperet, ac proinde nunquam eſt repetendus. Poſteà verò, amotis impedimentis, impenſiùs profuit; quem iam non ſolùm habuit, ſed etiam ſalubritèr habuit ad Dei gloriam, atque Eccleſiæ bonum; non quidem per reordinationem, ſed per errorum correctionem, id eſt, per reunionem & reconciliationem cum Eccleſiâ Chriſti. Hæc vera erat reconciliatio, & Chriſtiano digna. Tu autem, mi homo, hodiernam Anglicanam deſeruiſti, vt in Romanam tranſeas; quod eſt à veritate ad errores, à ſole ad tenebras confugere.

11 Phil. Fruſtrà ſudas, neque proficis hilum. [r] *Nam defectus ille, qui Cranmero neceſſariò inerat propter hæreſim in ſuo ordinatore, nulla ratione ſuppleri poteſt, niſi per vnionem & reconciliationem veræ Eccleſiæ, veriſque paſtoribus. Sed iſta vnio in caſu Cranmeri erat omninò impoſſibilis, quia, præter Eccleſiam Romanam & eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopos & paſtores, nulla erat in toto orbe vel Eccleſia vel Paſtores, quibus reconciliatus vocationis ſuæ defectum ſupplere poterat. Nam ſi effugere exiſtimet dicendo, alias Proteſtantium Eccleſias iam antè Cranmeri ordinationem fundatas fuiſſe, quibus is vnitus & coniunctus, id quod ad legitimam vocationem ei deerat, recipere potuit, hallucinatur. Illæ enim Eccleſiæ (ſi tamen eccleſiæ dicendæ ſunt) eandem, immo & maiorem difficultatem in probanda Vocatione ſua, quàm Eccleſiâ Anglicana patiuntur: ac proinde ad illas in iſta neceſſitate recurrere, aliud non eſt, quàm hominem ſpoliatum à nudo veſtimentum petere, aut cæcum ab alio cæco etiam & claudo ducâtum quærere. Aliæ quidem erant Eccleſiæ diu antè Lutheri Apoſtaſiam, à Romana, per hæreſes & ſchiſmata, ſeparatæ; nimirum Æthiopica, Græca, Ruſſiana, & aliæ huiuſmodi, ſed tamen à nulla iſtarum noui noſtri Reformatores vocationem ſuam recipere prætendunt, neque quidem prætendere poſſunt, quandoquidem non minùs ab illis, quàm à Catholica Romana, tam in dog-*

[r] *Champn.p.337*

matibus

matibus fidei, quàm in paſtorum ſuorum ordinatione, diſcrepare noſcantur. Vnde tandem ineuitabiliter concluditur, nullam planè extare vel extitiſſe Eccleſiam præter Romanam, cui Cranmerus vnitus, ordinationis ſuæ ſupplementum recipere poterat.

ORTH. Hic defectus reſarcitur, ſi quis veræ Eccleſiæ reuniatur.

PHIL. Dic obſecro, quando eſt Cranmerus reunitus?

ORTH. Tempore Regis Edouardi ſexti.

PHIL. Cui tandem eccleſiæ? Reuniri non poteſt quiſpiam, niſi per reditum ad Eccleſiam, ex qua exierat.

ORTH. Redijt ad eccleſiam Chriſti, in qua baptizatus eſt, ex qua eatenùs exierat, quatenùs in errores Pontificios inciderat.

PHIL. Baptizatus eſt in eccleſia Romana, ad quam tempore Edouardi ſexti non redijt, ſed ab eadem longiùs receſſit.

ORTH. In Romana, vt dixi, non quatenùs erat Romana, ſed quatenùs erat Chriſti.

PHIL. Ergo Eccleſia Romana erat Eccleſia Chriſti.

ORTH. Ex parte fateor: nec Papiſtarum modò, ſed Donatiſtarum etiam, Arianorum, & reliquorum hæreticorum cœtus, modò Chriſti inſtitutum in Baptiſmo miniſtrando obſeruent. Etenim (vt antea[s] monuiſti) inter Apoſtatam & hæreticum hoc intereſt, [s Suprà, c.9.n.3] quòd Apoſtata fidei Chriſtianæ omninò & totalitèr, hæreticus ex parte tantùm renunciet. Ergo omnis hæreticus eccleſiæ Chriſti ex parte cohæret, & ex parte ab eadem ſeparatur. Vnde [t] Auguſtinus: [t In Pſal. 54.] *In multis erant mecum; baptiſmum habebamus vtrique, in eo erant mecum; euangelium vtrique legebamus, erant in eo mecum; feſta Martyrum celebrabamus, erant ibi mecum; Paſcha ſolennitatem frequentabamus, erant ibi mecum; ſed non omninò mecum: in ſchiſmate non mecum, in hæreſi non mecum.* Et alibi: [u] *Nobiſcum eſtis in baptiſmo, in ſymbolo,* [u Epiſt. 4.] *in cæteris dominicis ſacramentis, in ſpiritu autem vnitatis, & vinculo pacis, in ipſa denique Catholica Eccleſia nobiſcum non eſtis.* Et alibi: [x] *In quo* [x De baptiſ. contr. Donat. l.1.c.1.] *nobiſcum ſentiunt, in eo etiam nobiſcum ſunt. In eo autem à nobis receſſerunt, in quo à nobis diſſentiunt: non enim acceſſus iſte atque diſceſſus corporalibus motibus, & non ſpiritalibus eſt metiendus. Sicut enim coniunctio corporum fit per continuationem locorum, ſic animorum quidam contractus eſt conſenſio voluntatum. Si ergo qui receſſit ab vnitate aliquid aliud agere voluerit, quàm quod in vnitate percepit, in eo recedit atque diſiungitur: quòd autem ita vult agere, ſicut in vnitate agitur, vbi hoc accepit & didicit, in eo manet atque coniungitur.* Eccleſia igitur Romana in quibus cum Apoſtolica ſentit, in ijs eſt cum Apoſtolica: in quibus autem diſſentit, in illis ab eadem diſiungitur. Et adhùc iterùm idem Auguſtinus: [y] *Si nonnulla eadem faciunt, non ſe in eis ſeperauerunt, & ex ea* [y Ibid. l.1.c.1.] *parte in textura compage detinentur, in cæterá ſciſſi ſunt.* Proinde *ſi quem ſociauerint ſibi, ex ea parte nectitur Eccleſia, in qua nec illi ſeparati ſunt.*

PHIL. Negat tamen hæreticos ſecum eſſe in Eccleſia Catholica.

ORTH. Negat quidem ſecum eſſe ſimpliciter & abſolutè.

Digitized by Google

Quoad errores enim, quos imbiberant, cum Eccleſia non ſunt: ſed quatenùs rectè ſentiunt, ea ex parte nō diſtinguntur, ſed in texturę compage detinentur. Quod de veſtra quoque Romana eſt dicendum. Paulus enim futurum prædixit, vt [a] *homo peccati*, id eſt, Antichriſtus ſederet in *Tēplo Dei*, id eſt, in Eccleſia. Non quærendus igitur Antichriſtus in antiquæ Babylonis ruderibus, nec apud Turcas, aut Paganos, ſed in tēplo Dei, nempe in ipſo ſinu & gremio eccleſiæ. Nec hîc in omnibus ſe Chriſto opponit, ſed in multis cū Chriſto eſt. Cum Chriſto eſt quatenùs agnoſcit ſcripturas, cum Chriſto quatenùs Chriſti miniſtrat baptiſmū, cū Chriſto quatenùs doctrinam de Trinitate, de perſona Chriſti, & multis alijs articulis Orthodoxè docet: his in rebus Chriſto cohæret & coniunctus eſt; ſed in multis tamen ab eodem ſciſſus eſt: ſedem ſuam in fundamentis Chriſti collocat, ſed his fundamentis Papatum ſeu Antichriſtianiſmum ſuperædificat. Ipſe igitur Papatus eccleſia non eſt, ſed eccleſiæ adnatū vlcus; ciuitas Dei non eſt, ſed graſſans in ciuitate peſtis; horreum Chriſti non eſt, ſed palea in horreo frugibus admixta; deníque de iam Romana idem ſtatuendum videtur, quod de priſca Iſraelitica, quæ, quoad legem, quoad circumciſionem, & varios ritus erat eccleſia Dei, & Deo filios peperit, quos poſteà idolis dedicabat, iuxta illud Ezechielis: [a] *Sic dicit Dominus, Sumens filios tuos & filias tuas, quas pepereras mihi, hos mactâſti illis* (id eſt, idolis) *conſumendos.* Donatiſtarum quoque eccleſiæ hodierna Romana non eſt abſimilis, de quâ ſic Auguſtinus: [b] *Videntur ſibi argutiſſimè quærere, vtrùm generet filios baptiſmus Chriſti in parte Donati, an non generet? Vt ſi conſenſerimus quòd generet, ſuam eſſe aſſeuerent Eccleſiam Matrem, quæ filios potuit de Chriſti baptiſmate generare: & quia vnam oportet eſſe Eccleſiam, ex hoc iam noſtram non eſſe eccleſiam criminentur. Si autem dixerimus, non generat; cur ergo, aiunt, apud vos non renaſcantur per baptiſmum, qui tranſeunt à nobis ad vos, cùm apud nos fuerint baptizati, ſi nondum nati ſunt?* Cui quæſtioni egregiè reſpondet Auguſtinus his verbis: *Quaſi verò ex hoc generet, vnde ſeparata eſt, & non ex hoc, vnde coniuncta eſt. Separata enim eſt à vinculo charitatis, & pacis, ſed adiuncta eſt in vno baptiſmate. Itaque eſt vna eccleſia, quæ ſola Catholica nominatur, & quicquid ſuum habet in communionibus diuerſorum à ſua vnitate ſeparatis, per hoc quod ſuum in eis habet, ipſa quoque generat, non illæ: neque enim ſeparatio earum generat, ſed quod ſecum de iſta tenùerunt. Quòd ſi & hoc dimittant, omnino non generant.* Sic igitur habe. Cranmerus in eccleſia quidem Romana baptizatus eſt, & cōſecratus, non quatenùs erat Romana, ſed quatenùs erat Chriſti. In errores autem incidens, aliqua ex parte exijt ab eccleſia, quatenùs erat Chriſti, & ingreſſus eſt Romanam, quatenùs erat Antichriſti: deníque ad veritatem Catholicam & Apoſtolicam reuerſus, deſerùit Romanam, quatenùs erat Antichriſti, ac redijt ad Catholicam ſeu Apoſtolicam, quæ erat Chriſti.

[a] 2.Theſ.2.3,4.

[a] Ezech.16.20.

[b] De bapt. contr. Donat. l.1.c.10.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XIV.

De argumento Cardinalis Perrionij contra Eccleſiam Anglicanam.

Hic
- *primò diſtinguit miſſionem duplicem*
  - *Characteris, ſeu ſacramẽtalẽ.* 1
  - *Authoritatiuã quã appellat.* 2
- *ſecundò, applicat quoad*
  - *Characterem, quem iuxta principia*
    - *ipſorum nobis concedit.* 3
    - *noſtra nobis negat.* 4
  - *Authoritatem, quam nobis omninò detrahit: eius argumentum*
    - *proponitur.* 5
    - *refellitur.* 6

Phil.

SEd miſſo Champnæo, nunc placet proponere nobiliſſimi Cardinalis nobile argumentum; cuius hæc ſunt verba: [a] *Hoc ſolùm dicam, nempe in perſonali epiſcopatus continuatione duo eſſe ſucceſſionum genera, alterum authoritatis, characteris alterum. Vnde manifeſtum eſt, iuxta principia illis nobiſque communia, alterum non habere, alterum verò, iuxta principia ipſorum propria, habere non poſſe.*

[a] Card. Perron. cap. 75.

Orth. Vtriuſque dicti rationem expecto.

Phil. [b] *Iuxta noſtram ſententiam in miſſione epiſcopali duo ſunt; primum ad authoritatis collationem ſpectat, ſecundum ad Characteris impreſſionem, quæ fluit à ſacramento ordinis, qui (vti nos dicimus) ſigillum indelebile imprimit. Nunc verò conditio quoad characterem (quam nos hic miſſionem appellabimus ſacramentalem) extra eccleſiam ſeruari poteſt, quia character eſt indelebilis, & conſequentèr extra eccleſiam, licèt non legitimè, verè tamen atque realitèr per eos conferri poteſt, qui eundem extra eccleſiam exportârunt. Conditio tamen quoad authoritatem, quam nos hic, licèt barbarè, miſſionem vocabimus Authoritatiuam, quamuis intra eccleſiam nunquàm ſine illa altera cuiquam impendatur, extra tamen eccleſiam tranſportari, aut ibi vna cum altera conferri nequit. Ipſa autem eccleſia ab ijs quibus contulit, quotieſcunque eoſdem deponere aut degradare neceſſarium videbitur, auferre poteſt. Sic Concilium Sardicenſe Narciſſum, Menophantem, & alios depoſuit, qui, hoc non obſtante, ſacramenti characterem in ſe retinuerunt. Quemadmodum principis officiarij rebellium factioni adhærentes, ſecum ſigillum ſeu characterem*

[b] Perron. ibid.

literarum, quibus offitium illud illis demandatum fuit, ſecum extra remp. exportare poſſunt, & apud ſe retinere, officij tamen ſui authoritatem ſecum exportare non poſſunt. Quando igitur per eccleſiam degradati, vel extra eccleſiam ordinati ad eccleſiam redeunt, legitima functiones ſuas exercendi authoritas illis eſt reſtituenda, vel per particularem rehabilitationem, vel per publicam eccleſia declarationem, &c.

3 ORTH. Eſto; ſed quid hæc contra eccleſiam Anglicanam?

PHIL. Ex his, quæ tam eruditè poſuit illuſtriſſimus Cardinalis, ſatis conſtat, vos (quippe qui extra eccleſiam eſtis) ex noſtra ſententia characterem habere poſſe, ſed non miſſionem authoritatiuã. At ſi veſtra ſequamur principia, ne characterem quidem habetis;

4 nullum enim agnoſcitis. Præterea cum alijs eccleſijs reformatis communionem habetis, qui characterem penitùs negant.

ORTH. Ad characterem quod attinet, tollantur otioſæ ac putidæ Sophiſtarum nugæ, nec dubitabo quin eccleſiæ reformatæ Auguſtini ſententiam, piam illam quidem ac Orthodoxam, ſint amplexuræ. Mittantur igitur hæc de charactere, & videamus quonam argumento à miſſione authoritatiua nos excludat Cardinalis.

5 PHIL. Cardinalis argumentum eſt clariſſimum; quod ſic breuiter concinnari poteſt. Eccleſia quæ fuit in Anglia, & alijs Europæ locis, ſub initio Regni Henrici octaui, vel fuit vera eccleſia, vel non fuit: ſi fuit, ergò veſtra non poteſt eſſe vera eccleſia, quia ab illa antiqua eccleſia receſſit, eiúſque communionem abiecit: ſi non fuit, ergò nec veſtra poteſt eſſe vera eccleſia, quum ab illa ſola nata ſit & orta. Verùm age, reſponde punctis. Eccleſia illa quæ fuit in Anglia ſub initio Regni Henrici octaui, fuitnè vera eccleſia, vel non fuit?

6 ORTH. Fuit vera Chriſti eccleſia.

PHIL. Ergò veſtra non eſt vera eccleſia, quia ab illa antiqua receſſit, eiúſque abiecit communionem.

ORTH. O ingentis Cardinalis ingens argumentum! Magnum quiddam promittit & ſpirat, ſed inſtar bullæ in nihilum recidit. Nam Cardinalis, quantumuis eruditus, fallitur, & fallit. Non enim, vt ſæpè diximus, ab antiqua illa eccleſia receſſimus, ſed ab eius duntaxat ſordibus & inquinamentis. Nos enim vel ab eccleſia receſſiſſe, vel eius communionem reliquiſſe, nec ipſe Cardinalis, nec tota Ieſuitarum cohors vnquam probare poterit. Hactenus de Henrici temporibus; nunc ad Edouardum Sextum pergamus, exploraturi vtrùm, illo regnante, epiſcopi aurei eſſent an plumbei.

De

Digitized by Google

De Epiſcopis ſub Edouardo ſexto.

Cap. XV.

De Epiſcopis regnante Edouardo ſexto creatis, quæritur.

An
- *Presbyteri?* 1
- *Epiſcopi? Quod*
  - *Proponitur ex Parſonio Ieſuita, & Cardinale Alano.* 2
  - *Vbi obiter de Latimero contra Kelliſonum.* 3
  - *diſcutitur*
    - *confutando argumenta Champnæi, ex*
      - *Papiſtis*
        - *eccleſiaſticis, viz. legatis Pontificijs.* 4
        - *ciuilibus*
          - *Reginâ Mariâ.* 5
          - *Regni Iudicibus.* 6
      - *Proteſtantibus*
        - *Ridleio.* 7
        - *Iohanne Foxo.* 8
    - *confirmando, quia ſacrati*
      - *ab Idoneis, id eſt, à tribus epiſcopis.* 9
      - *ratione Idoneâ, id eſt iuxta nouum ordinale, de quo cap. prox.* 10

Phil.

QVi ſub Edouardo floruerunt epiſcopi, nobis epiſcopi non ſunt.

Orth. At ſint, oportet; ſuadet æquitas, poſtulat ratio. Quod vt reddatur illuſtrius, in duas claſſes ſunt diſtinguendi; in quarum prima, collocandi quotquot ſub Henrico octauo inaugurati, honoribus ſuis ſub Edouardo fruebantur. In ſecunda reponentur, qui ſub ipſo Edouardo ſunt conſecrati. De prima diximus; pergamus ad ſecundam, illuſtri ſanctiſſimorum hominum & beatiſſimorum

tiſſimorum Martyrum, Ridleij, Hooperi, atque Ferrari coronâ inſignem. Sed quum nemo epiſcopus eſſe poſſit, qui non eſt presbyter, de his ac reliquis ſub Eduardo euectis, ante omnia mihi reſpondeas velim, num vobis videantur presbyteri?

PHIL. Non ſunt vnius generis, vt eſt credibile. Alij enim eorum, ſiue ſub Henrico, ſiue fortè ſub initio Regni Regis Edouardi, ante vetera ordinalia eliminata, ſecundùm formam antiquam facti ſunt presbyteri, quos vniuerſos pro veris atque legitimis presbyteris amplectimur: alij autem fortè iuxta nouum ritum erant initiati, quos omnes ſimplicitèr reijcimus ac repudiamus.

ORTH. Hæc noſtra reformata ordinandi formula non niſi [a] triennio, aut circiter, ante obitum Edouardi in publicum eſt emiſſa. Quare vllum omnino presbyterum, iuxta illam normam ordinatum, ad muneris epiſcopalis culmen, in viuis adhuc agente Edouardo, intra tantillum ſpacium aſcendiſſe parùm eſt probabile. Ego ſanè in iſtiuſmodi neminem adhuc legendo incidere potui. Cæterùm ſi tibi forſan diligentiùs indaganti tales aliqui occurrant, eoſdem, & noſtros porrò vniuerſos ſub Elizabetha Regina, atque ſereniſſimo Rege Iacobo ſimilitèr ordinatos, veros eſſe ac legitimos euangelij miniſtros ſuo [b] loco oſtendam. Interim hæc diſputatio non eſt huius loci. Verùm ne ex non conceſſis diſputare videar, de purpuratis illis, quos recenſui, Martyribus quid ſentias, eloquere. Dic igitur num tibi videantur presbyteri, nec ne?

[a] *Vide 3. & 4. Edou. 6. c. 12.*

[b] *Lib. 5.*

PHIL. *Ridleius* (teſte patre [b] Parſonio) *Cantabrigiæ literis operam dedit, ibique presbyter factus transfretauit in Gallias, Lutetiam contendit, indéque reuerſus Henrico octauo à ſacellis fuit.* Itidem *Iohannes Hooperus* (vt ex veſtro Foxo refert idem [c] Parſonius) *Oxoniæ commorans, presbyteratum ſuſcepit regnante Henrico octauo.* Denique & [d] *Ferrarus presbyter fuit, & Crannero à ſacellis, tempore Henrici octaui.*

[b] *3. conuerſ. part. 3. p. 204.*

[c] *Pag. 305.*

[d] *Pag. 336.*

2 Quocirca presbyteros fuiſſe, idque ſecundùm ritum Romanum concedo, epiſcopos verò minimè. Nam [e] Parſonius de Kalendario Foxiano agens, & ſanctis Menſi Februario aſcriptis (ex quo numero erant Hooperus & Ferrarus) *Inter ſanctos* (inquit) *Foxianos, neque eſt eremitica nec monaſtica vita, nec à mundo aut mulieribus ſolitudo, nec quiſquam in quouis ſexu vel præ ſe ferens titulum virginitatis, nec vllus omninò verus Epiſcopus, ſi eorum ordinatio excutiatur.* Et Cardinalis Alanus, cùm de Crannero verba feciſſet, hæc ſtatim attexüit. *Alij autem epiſcopi vel clerici, ex tota combuſtorum turba, extiterunt nulli.*

[e] *3. conu. part. 3 p. 340.*

ORTH. Quid audio, Alane? Nulline clerici? Hoc quàm ſplendidum ſit mendacium vel Parſonium tuum compello iudicem, qui, verbis proximè à te citatis, Ridleium, Hooperum, atque Ferrarum presbyteros fuiſſe faſſus eſt, niſi forſan presbyteri Alano non ſint clerici.

3 Sed vt hæc ſicco pede tranſiliam, an ex combuſtorum numero

ſolus

Digitized by Google

ſolus Cranmerus erat epiſcopus? Vide quæſo, vt Cardinalis ſuos ſibi cruentat digitos, adeo vt ipſa, qua fulget, purpura ſint rubicundiores. Etenim ſi ſolus Cranmerus; ergo non Latimerus; nam & ipſe Mariano incendio conflagrauit. Porrò, ſi Latimerus non fuit epiſcopus, ergò nec Heathus, nec Thirlbeius, nec Bonnerus; qui omnes eodem planè modo ac Latimerus, regnante Henrico, poſt exterminatum pontificem, facti ſunt epiſcopi.

PHIL. Quoad Latimerum hoc negat Kelliſonus.[f] *Ridleius* (inquit) *& Latimerus, licèt ſub Henrico octauo nominati erant & electi, non erant tamen viuente Henrico ordinati & conſecrati, ſed initio Edouardi cöoptati ſunt cum Hoopero, Poyneto, &c.*

[f] *Kelliſ. exam. part. 1. c. 3.*

ORTH. Kelliſonus his verbis ſe noſtrarum rerum oſtendit imperitiſſimum. Siquidem Ridleius (quem ſub Henrico electum, ſub Edouardo conſecratum teſtantur Archiua) non fuit cöoptatus vnà cum Hoopero, vt ſomniat Kelliſonus, ſed ante illum toto triennio, vt paulò pòſt liquebit. Deinde nec Hooperus & Poynetus ſimul ſunt conſecrati, ſed Poynetus menſe Iunio, Hooperus Martio ſubſequente. Denique in Latimero vehementer lapſus eſt, qui non ſub Edouardo, vt perperàm Kelliſonus, ſed longè antea ſub Henrico conſecrationem adeptus eſt.

PHIL. Sententiam ſuam duorum probat teſtimonio, quorum alter ex noſtris eſt, nimirum, Sanderus; alter ex veſtris, nempe Maſonus.

ORTH. In vtroque citando ſupinam prodit negligentiam: neque hic neque ille id teſtatur quod delirat Kelliſonus, ſed potiùs contrarium. Nam[g] Maſonus Hugonem Wigornienſem, id eſt, Latimerum, anno Domini 1537. id eſt, octo atque eo ampliùs annis ante mortem Henrici octaui, in conſecratione epiſcopali aſſiſtentem, & Henrico Holbeacho Briſtolienſi manus imponentem introducit: [h] Sanderus porrò eundem ab epiſcopatu Wigornienſi per Henricum deturbatum narrat. Quid multis? Ad epiſcopatum Wigornienſem anno Domini 1535. euectus eſt, quem tamen anno Domini 1539 (quòd ſex articulis conſentire noluerit) ſponte abdicauit. Quamobrem cùm eadem prorſus ſit Latimeri ac Bonneri & reliquorum quos recenſui ratio, ſi illis characterem tribuas epiſcopalem, pari modò & Latimero tribuas oportet; Latimero hic honor ſi denegetur, & reliquis perinde eſt denegandus. Sed quid tum obſecro, de Cardinale Polo, qui ab his conſecrationem ſuam eſt mutuatus, ſtatuendum erit? Quid de reliquis prælatis Marianis, quibus iſti manus ſimiliter impoſuerunt? Quid de presbyteris qui per eoſdem in ſacros ordines ſunt aſciti? Ita Alanus, tanquam aper Sylueſtris, Romanam veſtram vineam vaſtat & depopulatur.

[g] *In edit. Angl. p. 90.*

[h] *De ſchiſm. p. 193.*

Hæc de Latimero contra Alanum atque Kelliſonum obiter dicta ſunto; nunc vt ad inſtitutam diſputationem redeamus. Ridleium, Hooperum & Ferrarum, quos presbyteros fuiſſe concedis, qua ratione epiſcopos extitiſſe negas?

PHIL.

PHIL. Legati pontificij ordinem eorum presbyteralem, Henrici tempore acceptum, pro verò ordine agnoſcentes, degradando abſtulerunt; epiſcopalem verò, regnante Eduardo collatum, pro nullo habentes, degradando non detraxerunt. Nam quod non eſt, tolli non poteſt. Hoc ex verbis Doctoris Brooki, Epiſcopi Glouceſtrenſis, Legati Apoſtolici, luculentèr apparet; qui Ridleium inter degradandum ſic eſt allocutus: [i] *Iam nobis, quamuis inuitis, pergendum tamen ad degradationem ſecundùm mandatum Apoſtolicum; dignitatem igitur presbyteralem tibi auferemus; nam te pro epiſcopo non agnoſcimus.* Hoc argumentum inter alia, quæ nos mutato duntaxat ordine proponemus, adducit Champnæus, idémque duplici ratione corroborat. Prima ducitur à Ridleij ſilentio, quod [k] Champnæus ſic vrget: *Cui ipſe nihil reſpondens, neque gradum vel ordinem epiſcopalem vel minimo verbo ſibi vendicans, ſilentio ſuo dictum Epiſcopi Glouceſtrenſis nonnihil confirmauit: iuxta illud axioma, Qui tacet, conſentire videtur. Quod in illo multò veriſimilius eſt, qui (vt patet ex Foxij narratione) in alijs rebus minoris multò momenti non erat eo tempore mutus; idcirco videtur quòd Ridleius ipſe nouerit, agnoueritque ſe ipſum non fuiſſe epiſcopum verè ordinatum.*

[i] Act. & monum. p. 1604.

[k] Champn. p. 428

ORTH. Quum Chriſtus [l] *accuſaretur à primarijs Sacerdotibus & ſenioribus, nihil reſpondit; tum dixit Pilatus, Non audis quàm multa aduerſus te teſtificentur? Et non reſpondit ei ad vllum verbum; ita vt miraretur Præſes valdè.* Siquidem, (vt ſapienter Eccleſiaſtes) [m] *eſt tempus ſilendi, & tempus loquendi.* Hoc tempus Ridleio ſilentium imperauit. Quorſum enim loqueretur? Sententia eius legato pontificio iampridèm innotuit, nec verbis quicquam proficere potuiſſet, quum de totius rei euentu, ídque ex decreto pontificis, firma illis & fixa iamdudum ſtaret ſententia. Hoc igitur ſilentium ſiluiſſe præſtitit.

[l] Mat. 27. 12.

[m] Eccleſiaſt. 3. 7

PHIL. Secundò, obſeruandum (vt verbis vtar [n] Champnæi) quòd *Maſonus, hoc ipſum Epiſcopi Glouceſtrenſis ad Ridleium dictum ſibi in perſona aduerſarij ſui obijciens, aliud non reſpondet, niſi quòd ipſe Ridleius, & cæteri eius ſocij, à ſufficienti numero epiſcoporum ordinati fuerint: ac ſi quæſtio tantùm eſſet de numero ordinantium, & non de natura & qualitate ipſius ordinationis.* Sic Champnæus.

[n] P. 429.

ORTH. Sic quidem in editione Latina. In [o] Anglicana verò affirmat præterea argumentum ſuum à Maſono vehementer confirmari, quippe cui non aliter reſpondeat quàm hac impertinente propoſita quæſtiuncula: *nonne tum ipſe, tum reliqui omnes ab idoneo ſacrati ſunt epiſcoporum numero?* Sed primò quæſtio illa impertinens dicenda non eſt, quæ ad id de quo agitur tantoperè ſpectat. Secundò, falſum eſt Maſonum non alitèr reſpondere. O quàm ſomnolentè & oſcitantèr hæc legebat Doctor Sorbonicus? Solet enim Maſonus non plura interrogata ſophiſticè conglobare & inuoluere, ſed ſenſim ac pedetentim progredi, &, vt omnia fiant dilucida, conatur quidem res diſtinctas gradatim ac diſtinctè proponere.

[o] P. 166.

Digitized by Google

Quod ipſum hoc in loco de epiſcopis ſub Eduardo ſexto creatis, in editione Anglicana accuratè præſtitit. Nam primò quærit, an ex veſtra ſententia eſſent presbyteri, & per conſequens epiſcopalis officij capaces: quo conceſſo, pergit quærere an eſſent Epiſcopi: quo negato, idque ex ſententia legati pontificij, ad confutationem ſe accingit. A *ſacrandis* igitur ad *ſacrantes* orationem transferens, primò quærit, an illo tempore confluere ſoleret Epiſcoporum conſecrantium idoneus numerus? Num hîc ſubſiſtit, nec pergit vlteriùs? Nihilne de conſecrationis *materia*, nihil de *forma* ſubiunxit? An de his apud eum altum ſilentium, vt hîc innuit Champnæus? Immò verò de *materia* & *forma* eodem in capite copiosè diſputat. Neque hoc ignorauit Champnæus; quippe qui eius ſententiam de Epiſcopalis conſecrationis *materia* & *forma* ſibi paulò pòſt confutandam propoſuit. Deus bone, qualis hic homo? Vt frontem perfricuit? Sed his diutiùs immorari non libet; ad alia argumenta Champnæana eſt properandum.

PHIL. [p] *Quale fuit totius Regni, de eorum ordinationibus qui ſub Edouardo Rege ad ſacros ordines prouecti erant, iudicium, ex decreto de eis iterùm ordinandis, ſub Regina Maria edito, & à Foxio relato, luce clariùs conſtat. Sic verò ſe habet. Quantum ad eos ſpectat, qui hactenùs ad vllos ordines, iuxta nouum ritum ordinandi, promoti fuerunt, quandoquidem non erant reuera ordinati, Epiſcopus cuiuſque diœceſis, ſi eos inuenerit capaces & idoneos, quod illis deerat ſupplebit, & ſecundùm prudentiam ſuam ad adminiſtrationem eos admittet.* [p] Champ. p. 430.

ORTH. De ordinibus noſtris quid ſentiret Maria Regina ex hoc articulo apparet; cæterùm rectène an ſecùs ita ſentiret, hinc non apparet: dicit modò, non probat. Nulla hîc ratio, argumentum nullum. Præterea de hoc loco [q] alibi copioſiùs eſt agendum; nùnc igitur pergamus ad reliqua. [q] L. 5. c. 14. n. 13

6

PHIL. [r] *Iudices Regni, ſub ipſamet Elizabetha Regina, ordinationes Epiſcoporum factas ſub Eduardo adeo in dubium vocârunt, vt eas nullas fuiſſe exiſtimâſſe videantur. Iſta enim quidam eorum in libro de caſibus iuris ſcribit: Dicitur Epiſcopos tempore Eduardi Sexti creatos non fuiſſe conſecratos, atque adeo non fuiſſe Epiſcopos, ac proinde locationes terrarum pro certo annorum termino per eos factas, confirmatas etiam per Decanum & Capitulum, ſucceſſorem eius non obligabunt, quia tales nunquam fuerunt Epiſcopi.* Hæc ipſe. Ita *Superintendentes*, Eduardi tempore creatos, ob veræ conſecrationis defectum, non fuiſſe veros Epiſcopos *ex Magiſtratuum tam ciuilium quàm eccleſiaſticorum iudicio conſtat*, vt ait Champnæus in editione Anglicana, pag. 167. [r] champ. p. 432.

ORTH. Ex his verbis hoc non euincitur. Quamuis enim hæc ſunt verba Domini Roberti Brooki, equitis aurati, & in communium placitorum curia, Regnante Elizabetha, quondam Iudicis, ea tamen non protulit quatenùs erat Iudex. Tùnc enim tribunal non aſcendit, ſententiam non dixit, retulit modò, non iudicauit; aliud eſt referre, aliud iudicare. Nec narrat quid alij iudicârint, ſed quid

alij dixerint; nec tamen quid pro tribunali ſedentes dixerint; neque dicit ſancitum eſſe, iudicatum eſſe, definitum eſſe, aut quid eiuſmodi, ſed tantùm *dictum fuiſſe*. Champnæo tamen idem eſt dicere, quod iudicare. Ex verbo, *dicitur*, ſententiam Iudicis nobis fabricat, immò Iudicum ſub ipſa Elizabetha florentium, quos ordinationes, Regnante Eduardo, celebratas *in dubium vocâſſe*, atque adeo *videri quidem pro nullis duxiſſe*, affirmat. Neque hîc ſe cohibet, ſed non fuiſſe veros epiſcopos, *ex magiſtratuum ciuilium iudicio conſtare*, aſſerit; in quo tamen ſibi ipſi non conſtat. Hoc enim in editione Latina, pungente (credo) conſcientia, prætermiſit. Cæterùm fingamus hoc non modò *dictum*, ſed pro tribunali etiam olim à Iudicibus definitum eſſe; num inde ſequitur, Iudices ſub glorioſiſſima florentes Elizabetha idem ſenſiſſe? Verùm ex hoc pumice hæc aqua non exprimitur. Quandò enim hæc contigiſſe refert Brookus? Nonne anno ſecundo Mariæ Reginæ? Equidem tùnc
f 1. Mar. ſeſſ. 2. cap. 2. temporis rem ita definitam eſſe minimè miror. [f] Primo Mariæ ordinandi formula, quæ ſub Eduardo obtinuerat, eſt antiquata. Per reliquum igitur Mariæ tempus, Iudices (qui ſecundùm Leges præſentes cauſas ſolent dirimere) ordines noſtros pro nullis habuiſſe eſt credibile. Sed quid tum demum? Ergóne Epiſcopi ſub Eduardo conſecrati, ex ſententia Legum vel Iudicum, non ſunt veri Epiſcopi? Non ſequitur; ſed illud potiùs; ergo regnante Regina Maria pro veris Epiſcopis non habebantur; quod eſt clariſſimum. At iſtæ leges eadem authoritate qua ſancitæ, paulò pòſt ſub Elizabetha ſunt reuocatæ. Iam igitur ſtimulo carent, aculeum non habent, non pungunt, non feriunt. Alia quoque iam Iudicum mens, alius animus; Iudicum, inquam, qui iſtis Marianis nec ingeniorum acumine, nec multiplici rerum cognitione, nec iudicij maturitate, nec illibatæ conſcientiæ rectitudine vlla ex parte ſunt inferiores. Quæ hactenùs (Philodoxe) à te allata ſunt Champnæi argumenta vide, obſecro, quàm ſint ridicula. Huc enim redeunt omnia; Legatus pontificius, Regina Maria, Iudices papiſtici, Proteſtantium ordines non approbârunt, ergo non ſunt approbandi. O quàm elegantèr & lepidè! *Et vitulâ tu dignus, & ille.*

7

Phil. Quin hoc ipſum ex veſtrorum hominum teſtimonio
e Champ. p. 432. oſtendam: [e] *Ridleius, qui tempore Eduardi ſexti ſedem Londinenſem vſurpabat, & locationes nonnullas feciſſet, condemnatus iam ad mortem propter obſtinatiam ſuam in hæreſi, ſupplex à Regina Maria, teſte Foxio, illam petijt gratiam, vt locationes per ipſum factæ validæ haberentur ac firmæ. At ſi verus fuiſſet Epiſcopus & legitimus ſedis illius poſſeſſor, illud non gratiæ loco petijſſet, ſed tanquam ius, expreßis Regni legibus ſtabilitum, exegiſſet. Hinc igitur clarè conſtat, quòd Ridleius, vel ſeipſum non verum Epiſcopum, vel ſaltem quòd ab alijs pro non Epiſcopo habitus ſit, nouerit.*

Orth. Ad verba prouoco; æquus iudicet arbiter. Ridleius igitur cùm iam eſſet incendio moriturus, nobilem quendam aſtantem ſic eſt allocutus: *Cùm adhuc ſede potitus ſum Londinenſi, complures*

tenuioris

Digitized by Google

tenüioris fortunæ ac conditionis viri firmas à me elocatas & dimiſſas, pro quibus mecum contraxerant, poſſederunt: nunc autem, vt accepi, Epiſcopus, qui eandem ſedem occupat, quæ à me illis conceſſa ſunt, rata non habet, ſed eadem, omni iure & conſcientia reclamante, illis eripuit, nec permittere vult vt iiſdem fruantur. Obſecro igitur (illuſtriſſime Domine) vt eorum cauſam apud Reginam agere digneris, quò illis tua opera frui poſſint: ſic enim bonum opus perficies, & Deus ipſe remunerabit. An hinc clarè conſtat, Ridleium ſibi conſcium, ſe Epiſcopum non fuiſſe, & per conſequens *firmas* illas elocandi poteſtate caruiſſe? Immò contrarium planiſſimè his verbis innuit Vir Dei, dum Bonnerum firmas illas eripientem, tanquam omnes iuris & conſcientiæ leges violantem, increpat. *Act. & monum. in vita Ridlei pag. 1604.*

PHIL. Hæc verba, Ridleium, vel ex ſua ipſius, vel ſaltem ex aliorum ſententia, Epiſcopum non fuiſſe, ſatis arguunt.

ORTH. Ex aliorum fateor, nempe Boneri & ſimilium.

PHIL. Ergo Champnæana propoſitio disiunctiua eſt veriſſima.

ORTH. Sit veriſſima; ad inſtitutum tamen ineptiſſima, & futiliſſima. Siquidem inter Papiſtas & Proteſtantes controuertitur, an Epiſcopi ſub Eduardo ſexto ſacrati veri fuerint Epiſcopi: nos affirmamus, illi negant. Iam Champnæus, quaſi nos omnes debellaturus, prodit in aciem, & contendit non eſſe; hoc iam fretus argumento, quia ſcilicet Bonnero & ſimilibus Papiſtis ita viſum eſt. En vobis nobilem Nugatorem.

PHIL. Hoc ipſum [a] Champnæus, Iohannis quoque Foxij, viri apud vos nominatiſſimi, probauit teſtimonio; qui ita ſcribit: [x] *Quia Ridleius, Hooperus, & Ferrarius mortem Epiſcopi Roffenſis æquare non poterant, viſum eſt Cranmerum illis addere, vt æqualitas fieret. Hoc dicit hæreticus ille in opprobrium quidem iudicij, quo prædicti pſeudoepiſcopi condemnati erant; quaſi ſcilicet in vindictam mortis Epiſcopi Roffenſis, & non ex iuſto iudicio paſſi eſſent. Interim tamen his clarè demonſtrat prædictos tres, falsò dictos epiſcopos, non fuiſſe veros Epiſcopos. Nam ſi tales verè fuiſſent, vnus ex illis in illius ſenſu Roffenſi æquiparatus fuiſſet, multò verò magis omnes tres ſimul: aut certè ſi illi tres pari & iuſta menſura pro morte Roffenſis ſatisfacere non potuerint, Cranmeri mors defectum illum ſupplere non potuit, quandoquidem in illo nihil plus erat, quàm quod in illis fuit; niſi dicamus illum verè ordinatum fuiſſe, iſtos verò non item.* 8

[a] Champ. p. 429. [x] Act. & mon. p. 1711.

ORTH. Hæc non ſunt verba *Iohannis Foxij*, ſed *Coli*, Doctoris pontificij, in concione funebri, quam *Oxoniæ* habuit, cum *Cranmerus* iamiam Martyrio erat coronandus. *Colus* autem in hac concione rationes reddit, cur *Mariæ* Reginæ ac conſiliarijs eius viſum ſit, vt *Cranmerus* etiã, poſt hæreſes abrenuntiatas, flammis addiceretur: nempe propterea quòd (vt breui complectar) in exterminando Papa operam nauâſſet, nuptias *Henrici* & *Katharinæ* reſcidiſſet, ipſéque non modò hæreticus, ſed etiam hæreſium fons, & hæreticorum fautor ac defenſor extitiſſet: denique *quia par & æquum, ſecundùm*

dùm legem talionis,cenſebatur,vt quemadmodum nuper ducis Northumbrij mors,Thomæ Mori Cancellarij (qui pro [h] *eccleſia paſſus eſt) necem adæquauit, ita exiſteret aliquis, qui Roffenſi eàdem paritate reſponderet; & quia Ridleius, Hooperus, & Ferrarus Fiſhero epiſcopo æquiponderare non poterant,viſum eſt,vt Cranmerus illis, quaſi ad æquilibrium adijceretur.* Sic Colus apud Foxium. Deus bone,an credibile eſt Doctorem Sorbonicum tam gnauitèr eſſe impudentem,vt nobis Colum pro Foxio,id eſt,carbonē pro auro obtruderet? Sed ſic ſunt tēpora, & tales eſſe ſolent transfugarum cauteriatæ conſcientiæ. Foxius enim ipſe quid de hoc ſentiret æquilibrio ſatis aperūit his verbis margini appoſitis,ídque Latinè: *Lex non æqualitatis,ſed iniquitatis.* Champnæus tamen ex Foxio æquilibrium,& ex æquilibrio argumentum(adeò leue quidem,vt lancem non moueat,ſed riſum) fabricare non erubeſcit. Sed nunquid aliud ſupereſt huius tam ſtrenui ducis,quod in hos epiſcopos contorqueat,telum? Vel fortè tota exhauſta eſt pharetra?

[h] *An Morus pro eccleſia paſſus ſit vide apud Regem ſereniſſ. in apol.pro Iuramento fidelitatis,edit.Lat. pag.47.& 104.*

PHIL. Vnum adhuc ſupereſt, quod adeo medullis & viſceribus veſtris infixū inhæret,vt prorſus reuelli nequeat. Hoc Hornū Wintonienſem rectà petit,ſed per eius latera vos omnes fodit.

ORTH. Hornus ſub Elizabetha clarüit,ac proinde hæc ſagitta non eſt huius loci.

PHIL. Recondam igitur in pharetram; quam tamen poſtea ſuo * loco ſum deprompturus.

* *L.3.c.11.*

ORTH. Hactenùs Champnæi iacula,contra epiſcopos Eduardi tempore factos vibrata, à nobis retuſa ſunt & alliſa; nunc ad eoſdem confirmandos feſtinat oratio, quod ipſum hoc vnico abſoluam argumento. Si perſonæ idoneæ, ab idoneo confluentium epiſcoporum numero,ratione ſacrarentur idonea, ſacrati veri erant ac legitimi epiſcopi: at in his hæc tria concurriſſe manifeſtum faciam. Perſonas ſacrandas fuiſſe idoneas, & proinde characteris Epiſcopalis capaces,inficiari non potes, quia ſecundùm veſtrum ipſorum ritum erant presbyteri. Vt pergamus igitur; quæro hic iterum,an illis temporibus canonicus conſecrantium numerus ſoleret confluere.

PHIL. Legem de numero præſentium Epiſcoporum,qui manus ordinando imponerent,Eduardi tempore ſemper ſeruatam eſſe diſertus teſtatur [i] *Sanderus.*

ORTH. Hoc tamen [k] *Kelliſonus,* neſcio qua fronte,negare non erubeſcit. *Nullus* (inquit) *eorum* (ſub *Henrico* ordinatorum) *præter vnum Cranmerum,miniſtris nouis manus imponere voluit.* Hoc quàm falſum ſit ex Archiuis integerrimis, & fide digniſſimis demonſtrari poteſt: ex quibus illuſtrium iſtorum martyrum conſecrationes, in compendium redactas,tanquam breui tabella depictas,tibi fidelitèr ob oculos ponam.

[i] *De ſchiſm.l.3. pag.297.*
[k] *Exam.Par.1. c.3.*

Nicolaus

Digitized by Google

Nicolaus [k] Ridleius conſ.epiſ. Roff. 5. Sept. 1547. ab	Henrico Lincolnienſi. Iohanne Bedfordienſi. Thoma Sidon.	[k] *Regiſt.Cranm. fol.321.*
Robertus [l] Ferrarus conſ.ep. Meneu. 9. Sept. 1548. à	Tho.Cant. Henrico Lincoln. Nicol.Roff.	[l] *Ibid.fol.327.*
Iohannes [m] Hooper conſ. epiſ. Glouceſtr. 8. Martij 1550. à	Thom.Cantuar. Nicol.Londin. Ioh.Roffenſi.	[m] *Ibid.fol.330.*

His adiungamus nobiles illos confeſſores, *Iohannem Poynetum, Iohannem Scoræum*, & *Milonem Couerdalium.*

Iohannes [n] Poynetus conſ. ep. Roff. 29. Iun. 1550. à	Thom.Cantuar. Nicolao Londin. Arthuro Banchor.	[n] *Ibid.fol.331.*

Iohan. [o] Scoræus Milo Couerdalius	conſec. ep.	Ciceſtr. Exon.	30. Aug. 1551. à	Thom. Cantuar. Nicol.Londin. Ioh.Bedfordi.	[o] *Reg.Cran. fol.334.*

Ex his qui nouis manus admouebant epiſcopis, non ſolus Cantuarienſis, ſed & *Henricus* [p] Lincolnienſis, [q] *Arthurus* Banchorenſis, [r] Iohannes Bedfordienſis, & [s] *Thomas Sidon* ſub Henrico erant conſecrati. Quare quum conſtet perſonas ſacrandas ordinis epiſcopalis fuiſſe capaces, & porrò ſacrantium epiſcoporum numerum canonicum manus illis impoſuiſſe; quid obſtat quo minùs ipſi ſint veri epiſcopi? Si *Cranmerus*, vel quiuis alius legitimus epiſcopus, eiuſdem authoritate decoratus, duobus alijs aſſiſtentibus Canonicos epiſcopos creare poterat Regnante *Henrico*, quidni idem *Cranmerus* vel ſimilis, ſimilibus aſſiſtentibus, ſimiles creare poterat Regnante *Eduardo*?

[p] *Henr.Holbech. de quo c.12.n.3.*
[q] *Buckley de quo ibidem.*
[r] *Ioh.Hodgskins de quo infra, l.3. c.9 n.3.*
[s] *Qui regnante H 8. manus impoſuit Antonio Kitchin vt antea retuli, l.2. c.12.n.3. quem inter reliquos confirmauit Card.n.Polus.*

PHIL. Eſt diſpar ratio. Nam Eduardo rerum potito, in Comitijs Parliamentarijs ſtatutum eſt: [t] *Vt cùm epiſcopi ac presbyteri Anglicani, ritu ferè Catholico (excepta Romani Pontificis obedientiâ, quam omnes abnegabant) ad illud vſque tempus ordinati fuiſſent, in poſterum alia omninò forma ab ipſis præſcripta ordinationes fierent.* 10

[t] *Sander.de ſchiſm.l.2. p.205.*

ORTH. Primò leges de antiquis *ordinalibus* abrogandis & nouis ſtabiliendis latæ ſunt annis Eduardi tertio & quarto, vt patet ex [u] ſtatutis. *Ridleius* autem primo *Eduardi*, *Ferrarus* eiuſdem Regis anno ſecundo eſt ſacratus, vterque ante veterum *ordinalium* abdicationem, &, per conſequens, vterque ſecundùm veſtram formam.

[u] *3. & 4. Ed.6. cap.10. & 12.*

Digitized by Google

mam. Tua igitur obiectio ad hos duos non pertingit. Secundò, reliquos, quos recenſui iuxta nouam formulã, conſecratos eſſe fateor. Sed attende (*Philodoxe*) in hac formulã nihil deeſt quod ad ſacrorum *ordinum* pertinet eſſentiam, nihil planè quod eſt neceſſarium; & tamen nihil habet otioſum, nihil redundans. Hîc vniuerſa ita religioſè diſponuntur, vt ædificent; ita honeſtè ac decentèr, vt nihil ſuprà; ac proinde hæc noſtra ordinandi formula eſt commodiſſima.

PHIL. Hæc magis ad pompam quàm ad veritatem à te dicta eſſe demonſtrabo. Quod vt fiat liquidiùs, à noui ordinalis veſtri ortu & incunabulis nouum ducetur exordium.

ORTH. Placet vel maximè.

CAP. XVI.

De hodierno ordinali Anglicano, quod ſub Eduard. 6. emanauit; & de ordinantium intentione.

De
- *ordinalis*
  - *emanatione, quando & quibus auſpicijs in publicum emanârit.* 1
  - *argumento, an repugnet*
    - *ſcripturis quoad verba, actiones, aut ceremonias.* 2
    - *ritui Apoſtolico, quoad*
      - *adiuncta, nempe*
        - *ceremonias reſectas.* 3
        - *preces adiectas.* 4
      - *eſſentiã hic*
        - *ſigillatim de*
          - *materia.* 5
          - *forma.* 6
        - *coniũctim de vtriſq;.* 7
- *ordinantium intentione, quam, vt eſſentialem, vrget Fitzſimon.* 8

PHIL.

ORdinale veſtrum nec à iuſta dimanauit authoritate, nec quoad argumentum rectè ſe habet.

ORTH. Annis Eduardi ſexti tertio & quarto, in celeberrimis Regni Comitijs, ab omnium ordinum conuentu [a] ſtatutum eſt, vt *libri ſuperſtitioſi*, &, inter reliquos, *ordinalia* abolerentur. Eodem ferè tempore alia promulgata eſt lex de Miniſtris Eccleſiaſticis ordinandis, in hæc verba: [b] *Illa epiſcopos,*

[a] *An. 3°. & 4°.*

[b] *Ibid. cap. 12.*

epiſcopos, presbyteros, & diaconos ordinandi ratio, quæ à ſex prælatis, & ſex alijs, de hoc Regno in lege Dei peritis, à Regia maieſtate nominandis & aſſignandis, vel à maiori eorum parte hunc ipſum in finem excogitata erit, & ante primum diem Aprilis proximè ſubſequentis ſub magno Angliæ ſigillo in publicum emanabit, huius ſtatuti vigore licitè vſurpabitur, nec alia præterea vlla, quouis ſtatuto, lege, aut conſuetudine in contrarium vllo modo non obſtante. Annis quinto & ſexto eiuſdem Regis emiſſum eſt aliud [c] *ſenatus-conſultum*, de explanando & perficiendo publicarum precum libro; libérque ita explanatus ſtatuto annexus eſt, cum formula conſecrandi miniſtros adiuncta. Quæ quidem formula, vt [d] hodierno die, ita illis etiam temporibus non habebatur pro libro diſtincto, ſed potiùs libri publicarum precum, vel liturgiæ noſtræ pars & membrum. Primo [e] Mariæ, hac lege antiquata, liber ipſe diſparuit, qui tamen, in ſolio fulgente Elizabetha, priſtinam dignitatem & ſplendorem [f] recuperauit; idémque anno eiuſdem Reginæ [g] octauo eſt denuò confirmatus, adeo vt vniuerſi eccleſiæ Anglicanæ miniſtri, iuxta formulam illo libro expreſſam, hodierno die ſacris ordinibus initientur.

[c] *An. 5°. & 6. Ed. 6. c. 1.*
[d] *vid. can. 36.*
[e] *1. Mar. ſeſ. 2. cap. 2.*
[f] *1. Eliz. c. 2.*
[g] *8. Eliz. c. 1.*

PHIL. Hæc tamen, te fatente, à veſtris eſt excogitata. *Noli lector* (inquit [h] Champnæus) *verbum iſtud leuitèr præterire, quod ipſiſſimum eſt decreti verbum. Et vide quàm Sacroſancta iſta conſecrandi forma eſſe debet, quæ tali authoritate inſtituitur. Hinc Maſonus ipſe, & omnes alij, nimia peruerſitate non occæcati, videre poſſunt nouum iſtum conſecrandi epiſcopos excogitatum morem (quem vſque hodie apud illos in vſu eſſe fatetur) merum eſſe humanum commentum, heſternæ tantùm antiquitatis, nullâ vel ſacræ ſcripturæ, vel eccleſiaſticæ traditionis authoritate communitum, vmbram & ſpeciem inanem, abſque omni rei ſacræ ſubſtantia, nouitatem à vertiginoſis & turbulentis hominibus inuentam & introductam.*

[h] *Champ. p. 407.*

ORTH. Hoc eſt caleſcere in re frigida. Siquidem, ſi res ipſas ſpectemus, hæc formula eſt ſecundùm Scripturas; ſin diſpoſitionē & ordinem, ab hominibus in lege Dei peritis eſt excogitata. Quid? Pontificale veſtrum (vt de miſſali nihil dicam) an cœlo repentè defluxit? An illud fortè ab aſtris immediatè dictauit Dominus? Sin minùs, profectò ab hominibus aliquo modo excogitatum dici & poteſt & debet.

PHIL. Veſtra formula [i] *temporali poteſtate pueri vix duodecim annorum primo fuit ſtabilita, deinde ſimili mulieris poteſtate confirmata.*

[i] *Champ. ibid.*

ORTH. Ecquis tam vecors eſt, vt de ætate vel ſexu litem moueat? Quaſi verò non pari authoritate polleret Debora fœmina, ac mas Othoniel, puer Ioſias, ac vir Hezechias?

PHIL. Emiſſa eſt authoritate regia: nunquid hoc ad Reges pertinet?

ORTH. Vos ſemper de authoritate regia ſoletis delibare. Nos è contra nihil ab Eduardo hac in cauſâ geſtum eſſe contendimus, quod non pium ac religioſum deceat principem. Eduardus

k 1. Chron. 13. 3. ómnium ordinum conuentum indixit; ſic & [k] Dauid etiam de arca reducenda. Eduardus religionem genuinæ ſuæ puritati reſtituit; ſic
l 2. Chron. 19. 4. & [l] Ioſaphat populum ad purum Dei cultum reduxit. Eduardus I-
m 2. Reg. 18. 4. dola & ſuperſtitionem eſt demolitus; ſic [m] Hezechias, ſic & [n] Ioſias.
n 2. Reg. 23. 3. Eduardus leges tulit pro Chriſto; ſic & Conſtantinus, Theodoſius, Iuſtinianus, Carolus magnus. Denique Eduardus in publica eccleſiæ Anglicanæ liturgia adornanda ſcripturæ non carüit authoritate. Nam ſi hæc omnia quæ recenſui non ſine laude præſtare potuit, certè & precandi & ordinandi formulam à corruptelis quę irrepſerant, ſecundùm Verbum Dei, doctorum hominum opera, perpurgare, & ita perpurgatam edictis & legibus ſancire potuit. Quid? Túne, Champnæe, principes ſeculares ab hoc mune-
* 2. Chro. 24. 30 re præſtando excludendos cenſes? Nonne * *Hezechias Rex & principes eius Leuitis edixerunt, vt laudarent Iehouam verbis Dauidis & Aſaphi videntis?* En tibi, *edixerunt*: hîc eſt edictum quod eſt ſupremæ authoritatis. Sed quis edixit? *Rex & principes eius*: Rex iure ſuo Regio; principes iure quidem, ſed quod à Rege, tanquam lumen à Sole, ſunt mutuati. Verùm quibus edixerunt? *Leuitis* ſcilicet, nempè viris eccleſiaſticis, ídque in re eccleſiaſtica, de laudando Domino. Nec in genere tantùm edicunt vt laudarent Iehouam, ſed in ſpecie, vt *laudarent verbis Dauidis & Aſaphi videntis.* Quid ergo inquies? Ergo ad officium ſpectat regium, vt ſolicitus ſit etiam de verbis quibus publicè laudandus ſit Dominus. Ergo etiam *liturgiæ* ſanctè inſtitüendæ cura ab officio principis non eſt aliena. Nec tamen ad ſola Dauidis vel Aſaphi verba liturgiæ ſunt reſtringenda, ſed pulchrè ſe res habet ſi ómnia ſacris ſcripturis ſint conſentanea. Sed miror, Champnæe, te in Gallia degentem, regiam hac in cauſa poteſtatem tantoperè vellicare. Recole memoria Robertum Regem, cuius aliquandò & mens, & manus, in liturgia componenda ſunt adhibitæ. Vel ſi hoc tibi fortè excidit, conſule *Miſſale* veſtrum *Romanum*, in quo occurrunt *ſequentiæ*, quas appel-
o De ritib. eccl. Cath. l. 2. c. 22. n. 3. lant, de quibus ſic [o] Stephanus Durantus: *Robertus Rex Franciæ ſequentias, ſacráque reſponſoria compoſuit, quæ ſequuntur. Sancti Spiritus nobis adſit gratia; O conſtantia Martyrum! O Iudà & Ieruſalem; Cornelius Centurio.* Quod multorum probat teſtimonijs. At Eduardus nullam liturgiæ noſtræ particulam ipſe compoſuit, ſed à *viris in lege Dei peritis* compoſitam cónfirmauit. Age verò. Nonne Moguntini Patres *Carolum Magnum* impensè rogabant, vt *capitula* ſua, in quibus de *prædicatione* euangelij, de *Sacramentorum* admini-
p Bin. t. 3. p. 463. ſtratione, de *precibus* quoque & *Letanijs* decernunt, [p] *Imperiali ſua authoritate firmare dignaretur?* Liturgias igitur concinnare, ex huius Concilij ſententiâ, eſt virorum *in lege Dei peritorum*, ſed eaſdem firmare eſt *Regum* ac *Imperatorum.*

2 Hæc de ordinalis noſtri emanatione dicta ſunto; nunc ad eius argumentum expendendum accedamus. Et hîc ſcire velim, ecquid in eo occurrat, quod mori ſeu ritui eccleſiaſtico aduerſatur.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. [q] *Si per morem Eccleſiaſticum, ea tantùm verba, actiones, & ceremonias, quæ in Scripturis ſacris expreſſa inueniuntur, intelligas, Puritani, ſeu Caluiniſtæ (quos tanquam fratres tuos in Reformationis negotio amplecteris) pro nobis ſatisfacient, oſtendentes ordinationes ſuas in plurimis ritum Eccleſiaſticum iuxta hanc acceptionem tranſgredi. Exempli gratiâ, in Letanijs, in hymno, Veni Creator Spiritus; in iuramento Primatus Regij, in omnibus precationibus, ſtatutis, & determinatis, quæ in Rituali iſto nouo præſcribuntur.* [q] Champn.p.400

ORTH. Quàm bellè hæc interpretaris, mi Champnæe? Obſecro te per Muſas; An *ritus, ſeu mos eccleſiaſticus*, ſignificat *ea tantùm verba, actiones, & ceremonias, quæ in Scripturis ſacris expreſſa inueniuntur?* Verùm eſto, boni conſulamus; tu igitur, vt, quæſtioni ſatisfacias, oſtende quibuſnam verbis, actionibus, & cæremonijs in Scriptura expreſſis, ordinale noſtrum repugnat. Vt hoc doceas, quatuor nobis exempli gratiâ proponis, videlicet, *letanias, hymnum* de Spiritu ſancto, *iuramentum* primatus, & *precationes.* Sed heus tu, an hæc vllis verbis, actionibus, aut cæremonijs in Scriptura expreſſis aduerſantur? Deus bone, qualis eſt hæc calumnia? Quin veſtras *letanias* & *precationes* inſpicias, & occurrent tibi nonnullæ, in quibus Sanctorum defunctorum auxilium imploratur, nonnullæ in quibus licèt ſolus Deus, per Sanctorum tamen merita, inuocatur. Hæc ſunt, Champnæe, quæ reuera expreſſis Scripturis aduerſantur. Sed quo vultu, hymnum de Spiritu ſancto, in veſtra ipſorum eccleſia toties decantatum, ſugillare audes? Ad *primatum* autem quod attinet, pulchrè vobiſcum ageretur, ſi vos *Pontificium*, tam verè & ſolidè ex Scriptura poſſitis aſtruere, ac nos *Regium.* Sed *Puritanos* nobis obijcis; nec quenquam tamen nominas, nec vlla verba citas, nec in margine ad vllum locum digitum intendis. Quid eſt in tenebris ambulare, ſi hoc non eſt?

PHIL. [r] *Nihil horum in ſacra Scriptura expreſſè inuenitur. Et, quod magis ad rem ſpectat, forma ipſa verborum, quæ ſimul cum Manuum impoſitione, tam in Diaconorum & Sacerdotum, quàm Epiſcoporum ordinatione pronunciantur, & quæ proinde eſſentiam ipſam ordinationis conſtituere debent, in nullo ſacræ Scripturæ loco præſcribitur. Vbi enim in Scripturis ſacris leguntur iſta verba in ordinatione Diaconi prolata? Accipe poteſtatem Diaconi officium in Eccleſia Dei tibi commiſſa exercendi; In Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Vel quod Epiſcopus, tradens ei Nouum Teſtamentum; ita eum alloqueretur; Accipe poteſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, &c? Vel vbi inuenitur in Scripturis, quòd Apoſtoli iſtis verbis in ordinandis presbyteris vſi ſint, vel vtenda præceperint? Accipe Spiritum ſanctum, quorum peccata remiſeris, remittuntur eis, & quorũ retinueris, retenta ſunt, & eſto fidelis Verbi diuini, & ſanctorum eius ſacramentorum Diſpenſator. In Nomine Patris, &c. vel vbi præcipitur, vt ſacra Biblia eis tradantur cum iſtis verbis: Accipe poteſtatem prædicandi, [ſ] ſanctorúmque ſacramentorum adminiſtrandi in hac congregatione, quæ tibi deſignatur:* [t] *Et de Conſecratione Epiſcoporum, vbi præcipitur vſus iſtorum*

[r] Champ. ibid.

[ſ] Sanctaque ſacramenta dixiſſet opinor, ſed nihil mutandum duxi.

[t] P.402.

iſtorum verborum? Accipe Spiritum ſanctum, & Memento ſuſcitare gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem Manuum, quia Deus non nobis dedit Spiritum timoris, ſed poteſtatis & ſobrietatis.

ORTH. Quàm ſeriò hîc triumphat Champnæus? Sed ſine victoria. Namque aliud eſt hæc in ſacris literis non præſcribi, quod vrget Champnæus, aliud ijſdem aduerſari, quod illi probandum fuit. In qualibet Eccleſia multa ſunt, quæ in ſacro codice non præſcribuntur, nec reperiuntur quidem, ſed ab Eccleſiæ pendent arbitrio. O quàm deplumis futura eſſet Eccleſia Romana, ſi his denudaretur pennis! Profectò ità illi defluerent cęremoniæ, vt Autumno folia.

3 PHIL. [u] *Si reſpondeas, quòd per morem ſeu ritum Eccleſiaſticum, intelligas morem illum, qui in Eccleſia ſemper in vſu fuit, & ab ipſis Apoſtolis, per continuam & non interruptam ſucceſſionem ad nos peruenit, omninò rectè ſentis. Sed eorum ordinationes, eccleſiaſtico modo hoc ſenſu explicato, adeo manifeſtè aduerſantur, vt non ſatis mirari poſſim tuam aut ignorantiam aut peruicaciam, cùm dicas, te intelligere velle, in quo modus ordinandi, in eccleſia veſtra receptus, morem Eccleſiaſticum tranſgreditur. Equidem ſi ordinationes veſtras, cum ritu Romanæ Eccleſiæ conferre & comparare velis, à more Eccleſiaſtico adeo in omnibus diſcrepare videbis, vt vix in vno aliquo cum eo conueniat.*

[u] Champ. p. 405.

ORTH. Supponis veſtram ordinandi conſuetudinem ab Apoſtolis fluxiſſe; ſed quo tandem confiſus argumento?

PHIL. [x] *Cùm ritus Romani nullum initium poſt Apoſtolorum tempora inueniatur, ab ipſis Apoſtolis acceptum fuiſſe cum ſancto Auguſtino tutò credere potes.*

[x] Ibidem.

ORTH. Verba igitur Auguſtini inſpiciamus. [y] *Quod* (inquit) *vniuerſa tenet Eccleſia, nec Concilijs inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, non niſi authoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur.* Sic ille. Ritum verò veſtrum ab vniuerſa Eccleſia ſemper retentum eſſe, vnde conſtat? Immò contrarium conſtat, quia Eccleſia Græca, à maioribus ſuis edocta, ſacros ordines confert, non vt Romana, ſed *enuncians per deprecationem,* vt tradit [z] Salmeron. Quid quòd multa in veſtram iamdiù Eccleſiam irrepſerint, quæ priſcis ſeculis erant incognita? Vt ſuo [a] loco oſtendam. Cæterùm nos a more Apoſtolico vſque adeo digreſſos eſſe quomodo probas?

[y] Aug. de bapt. contr. Donat. l. 4. cap. 24.

[z] In 1. Tim. 1. diſp. 2.

[a] Cap. proximo.

PHIL. [b] *Hoc alia non indiget probatione, quàm vt iſti ritus ad inuicem conferantur; quod Maſono, vel cuiuis alteri illius ſuccenturiatori, ſi videbitur, faciendum relinquo.*

[b] Champ. p. 406.

ORTH. Laudo ingenium. Nam, vt poëta cecinit, [c] *hominum quoque mos eſt, Quæ nos cunque premunt, alieno imponere tergo.* Verùm de ordinalium collatione [d] poſtea. Interim ad ritus quod ſpectat, quamuis nobis non deſint, quæ ad hanc ſolennitatem honeſtè & decorè peragendam conducunt, non arridet tamen nimia cæremoniarum exuberantia. Quare *oleum, mitram, baculum, annulum,* & magnum inſuper huius tam lautæ ſupellectilis apparatum & pompam,

[c] Mant. dial.

[d] Cap. proximo.

Digitized by Google

pam, à Rege Eduardo ſublata eſſe, res ipſa loquitur, & nos agnoſcimus.

Phil. Si tot ex antiquo ordinali à vobis expuncta ſint & exciſa, cur igitur tam ſollicitè quæris, quænam illa ſint, in quibus ordinale veſtrum à more recedit Eccleſiaſtico?

Orth. Non hoc eo quæſiui animo, quaſi nos à veſtra eccleſia nulla ex parte diuertere putarem, ſed vt ea omnia in quibus deflectimus, iſtiuſmodi eſſe oſtenderem, in quibus iure diuertere & deflectere liceat.

Phil. Siccine vos limâ politulâ & elegantulâ ritus Apoſtolicos radere?

Orth. Tuum eſt (Champnæe) qui antiquitatem adeo crepas Apoſtolicam, ſolidis & dilucidis docere argumentis hanc veſtram ordinandi formam, vel ſecundùm ſe totam, vel ſaltem ea ex parte, quam eccleſia amputauit Anglicana, eſſe planè Apoſtolicam: quod vbi præſtiteris, tum demum ritus Apoſtolicos à nobis abraſos eſſe iure obijcere poteris. Interim ludis operam, & nihil agis.

Phil. Hæc iam ſufficiant de cæremonijs reſectis, verùm quid reſpondes de [e] *Caluinicis deprecationibus adiectis?* 4

[e] *Sand. p. 297. Caluinicas aliquot deprecationes ſubſtituit.*

Orth. Precandi formulæ, quas dente canino rodit Sanderus, non ſunt nobis maculæ aut dedecori, ſed ſummæ laudi & ornamento, quippe cum piæ ſint ac religioſæ, & praxi Apoſtolicæ per omnia conformes. Nam vbi Scripturæ [f] Diaconos & [g] Presbyteros manuum impoſitionem, fuſis ad Deum precibus, accepiſſe commemorant, [h] Salmeron Ieſuita ſic exponit: *Intelligendum eſt de precibus quibus à Deo petebant, vt efficeret illos bonos Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos, poteſtatémque illis ad ea munera præſtaret.* Huiuſmodi autem preces in Eccleſia Anglicana vſurpantur; verbi gratia, in ordinatione presbyterali. *Omnipotens Deus, largitor bonorum omnium, qui per ſanctum tuum Spiritum diuerſos miniſtrorum ordines in Eccleſia tua conſtituiſti, dignare quæſumus benigno miſericordiæ tuæ aſpectu hos famulos tuos intueri, qui hodierno die ad presbyterij functionem vocantur, ita illos veritate tuæ doctrinæ inſtruas, ita vitæ innocentia communias, vt in ſuo munere præſtando fidelem tibi operam præſtare poſſint, tam verbo quàm exemplo, ad nominis tui gloriam, & emolumentum Eccleſiæ, propter merita Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui viuit & regnat tecum, & cum Spiritu Sancto, in ſecula ſeculorum, Amen.* Et in conſecratione Epiſcopali: *Omnipotens Deus, concedas quæſumus huic ſeruo tuo eam gratiam, vt ſemper ſit paratus ad euangelium, lætúmque noſtræ tecum reconciliationis nuncium promulgandum: præterea vt authoritate ſibi conceſſa, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem, non ad detrimentum, ſed ad emolumentum Eccleſiæ vtatur, itáque familiæ tuæ (ſicut fidum ac prudentem decet œconomum) eſcam ſuo tempore diſtribuens, recipiatur tandem in cæleſte gaudium, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui tecum & cum Spiritu ſancto viuit & regnat vnus Deus in omnem æternitatem,*

[f] *Act. 6. 6.*
[g] *Act. 14. 23.*
[h] *In 2. Tim. 1. diſp. 2.*

Digitized by Google

tatem, Amen. En tibi quales ſint precationes, quibus obſtrepit Sanderus; neque pudet hominem maleuolum & maledicum, criminationes generales, & quaſi in nubibus volitantes, architectari, cùm nihil in ſpecie poſſit obtendere. Quocirca non ſine ſolatio illud

[i] 1. Pet. 4. 14. Petri nobis ipſis hunc in modum accommodare poſſumus: [i] *Si probris aſſicimur in Nomine Chriſti, beati ſumus, quoniam & gloria, & Dei Spiritus ſuper nos requieſcit, qui, quod ad aduerſarios noſtros attinet, blaſphematur, quod ad nos autem, glorificatur.* Cæterùm par eſt (Philodoxe) vt vel defectum aliquem in ordinationibus noſtris eſſentialem demonſtres, vel eaſdem tuo comprobes calculo & ſuffragio.

5

[k] In replic. ad Doct. Sutl. f. 31. b. P HIL. *Tempore Eduardi ſexti* (inquit [k] Kelliſonus) *nec materia nec forma ordinationis in vſu fuit; nec quiſquam erat verè ordinatus; tantùm abfuit vt prædicandi hæreſes authoritate pollerent, vt alios ad prædicandum mittere non poterant. Vnde ſequitur, vniuerſos Anglorum ſuperintendentes & miniſtros legitima vocatione eſſe deſtitutos.*

O RTH. Quid intelligendum venit per ordinationis *materiam*?

P HIL. *Sacer ordo*, ſecundùm doctrinam Eccleſiæ Catholicæ,

[l] Bellarm. de ſacr. in Gen. l. 1. c. 18. eſt nouæ legis ſacramentum. [l] *Vnumquodque autem nouæ legis ſacramentum ex rebus & verbis conſtat, tanquam ex materia & forma, quæ adeo certa ſunt & determinata à Deo, vt mutare non liceat.* Porrò ordinationis *materia* eſt ſignum aliquod ſenſibile, quale (exempli gratia) eſt *impoſitio manuum*, quæ Bellarmino eſt *materia* [m] *eſſentialis.*

[m] Ibid.

[n] Salmer. to. 15. in 2. Tim. 1. diſp. 2.
[o] In carn. ſtruntin. lac. p. 112. edit. Venet. 1602.
[p] Nau. manual. c. 22. p. 585.
[q] Champ. p. 160. edit. Angl. in margine.

O RTH. Non omnes veſtri idem ſentiunt. [n] Salmeron Ieſuita, hac propoſita quæſtione, in vtrámque partem diſputat; videtur tamen in contrariam propendere. Fabius [o] Incarnatus quærit *quot ſunt de ſubſtantia ordinis?* Et reſpondet, *Sex*, quorum tamen in numero, non eſt impoſitio manuum. [p] Nauarrus dicit, *illam non eſſe de ſubſtantia ſacramenti*, & ſibi aſtipulantem adducit *Sotum.*

P HIL. Hîc [q] Champnæus Maſonum eo nomine perſtringit, quòd pro prima opinione ſolùm Bellarminum adduxerit, eúmque falsò.

O RTH. Falsò! Immò veriſſimè. Nec ſemel hoc dicit Bellarminus, ſed ſæpiùs inculcat. Maſonus autem, quamuis ſolùm nominat Bellarminum, nec pennas ſuas explicare voluit (vt ſolent veſtri:) in Bellarmino tamen ô quantam teſtium citauit nubem? Sic

[r] De ſacram. ord. c. 9. enim ille: [r] *Probatur hæc ſententia primò, quia Scriptura paſſim tradunt pro Symbolo externo ordinationis, manus impoſitionem, vt patet, Act. 6. & 13. & 14. & 1. Tim. 4. & 5. & 2. Tim. 1. Reſpondent, Impoſitionem manuum requiri, ſed non eſſe de eſſentia. Contrà, ſi ita eſt, non poſſumus conuincere hæreticos, ordinationem eſſe ſacramentum propriè dictum, quia non poſſumus in Scriptura demonſtrare Symbolum externum huius ſacramenti. Deinde ſi ita liceret exponere, poterimus negare materias omnium aliorum ſacramentorum. Dicam enim, aquam non eſſe de eſſentia in baptiſmo ſecundùm Scripturas, nec vinum in euchariſtia, nec oleum in extrema vnctione. Præterea non ſolet (Scriptura) in alijs ſacramentis tradere*

niſi

Digitized by Google

niſi eſſentiales ceremonias,& vix etiam illas integrè. Quis ergo ſibi perſuadeat in hoc ſacramento ſemper nominari ritum accidentarium, omiſſo eſſentiali? Denique Paulus dicit,*Per manus impoſitionem dari gratiam. Ergo manus impoſitio eſt pars ſacramenti eſſentialis, non enim gratia promiſſio facta eſt carimonijs accidentarijs, ſed eſſentialibus.* Secundò, idem probat ex *Pontificibus,Concilijs,* & *Patribus,* tàm *Græcis,*quàm *Latinis.* Ex pontificibus adducit Clementem, Damaſum, Innocentium 1. Leonem 1. Alexandrum 2. & Vrbanum 2. Ex *Concilijs*, Nicenum,Antiochenum,Carthaginenſe quartum, & addit *omnia alia antiqua Concilia paſſim affirmare manuum impoſitione conferri ordines.* Affirmat quoque ipſum etiam Tridentinum Concilium *declarare,tunc ordinari presbyteros, & tunc dari illis gratiam Spiritus ſancti, cùm eis dicitur, Accipe Spiritum ſanctum: at cùm hoc dicitur,Manus imponuntur,vt patet ex Pontificali,& Eccleſiæ conſuetudine; ergo ſentiebat Concilium,illam impoſitionem manus eſſe de eſſentia.* Sic ille. A *Concilijs* tranſit ad *Patres,*tum *Græcos,* qui ordinationem vocant χειροτονίαν, id eſt,manus impoſitionem, tum *Latinos,* Ambroſium, Hieronymum,Auguſtinum; quorum teſtimonia hac concluſione obſignat; *Quis credat tot patres & Concilia,quum nihil frequentiùs tractent quàm ordinationes ſacerdotum,ne ſemel quidem attigiſſe id quod ad eſſentiam ſacramenti pertinet?* Tertiò,idem probat ex *Scholaſticis,*Bonauentura,Scoto,Paludano,& Altiſiodorenſi; qui apertè dicunt, eſſe de eſſentia. Ex his conſtat Maſonum,dum Bellarminum adduxit, & verè ſinceréque adduxiſſe,& in Bellarmino ingentem teſtium cateruam conglomeratam adduxiſſe.

PHIL. [t] *Bellarminus eò loci manuum impoſitionem ad presbyteratus materiam eſſentialem ſpectare probat,at de ordinis Epiſcopalis materia nihil dicit.* [t] *Champ. ibid.*

ORTH. Verba ſua etiam de ordine Epiſcopali intelligi voluit. Qod inde patet, quia attulit teſtimonia ex 1. Tim. 4. & 2.Tim.1. Nam [x] alibi dicit,*Scripturas, quibus Catholici probant ordinationem eſſe ſacramentum,de ordine Epiſcopali eſſe intelligendas; vt patet ex 1.Tim.4.& 2.Tim.1.* Hactenùs calumniam Champnæanam, de Bellarmino perperàm citato,contriuimus. Sed quæ tandèm eſt ipſius Kelliſoni hac de re ſententia? [x] *De ſacr. ordin. c.5.*

PHIL.Ordinis Epiſcopalis *materiam* eſſe [u] *manuum impoſitionem* ſatis indicat. [u] *Kelliſon. examp. c.p.16.3. p.162.*

ORTH. Ergo Kelliſonus, qui negat ordinis *materiam* in vſu fuiſſe tempore Eduardi,mendacij & calumniæ reus eſt peragendus. Siquidem ipſe Sanderus,licèt perfrictæ frontis homo,hunc tamen ritum ſemper ſub Eduardo retentum eſſe,palàm profitetur. Quid, quòd hoc ipſum ex Archiuis luculentèr oſtendi poteſt? Sed quid opus eſt ad Archiua recurrere,quum ipſum ordinale, eo ipſo tempore Lege ſtabilitum,manuum impoſitionem efflagitet?

PHIL. Præter manuum impoſitionem, in ordine Diaconali Euangeliorum,in Presbyterali patinæ & calicis porrectio requiri-

tur ? & vtraque cæremonia eſt eſſentialis ſecundùm Bellarminum; quidni igitur in conſecratione etiam epiſcopali aliæ quoque cæremoniæ ad eſſentiam ſpectare poſſint ?

ORTH. Euangeliorum porrectio eſt ritus Eccleſiaſticus adiaphorus, decorus quidem, & ad ædificationem vtilis; ſed patinæ & calicis porrectio, O quantam redolet impietatem ?

PHIL. Nonne Chriſtus hæc Apoſtolis ſuis tradidit in vltima cœna ?

ORTH. Primò, panem dediſſe legimus, patinam tradidiſſe non legimus. Secundò, calicem præbuit quidem, ſed ad bibendum, non (vt vos) ad ſacrificandum. Veſtra igitur porrectio in Chriſti facto fundari non poteſt. Neque ab Apoſtolis eſt profecta, neque vllam à Scripturis authoritatem habet. Nunc, vt ab ordine Preſbyterali ad Epiſcopalem veniam, Timotheum fuiſſe Epiſcopum inter nos conuenit; de cuius Conſecratione Epiſcopali locutum eſſe Apoſtolum, prima ad Tim. c. 4. v. 14. & ſecunda ad Tim. c. 1. v. 6. veſtri fatentur. His autem in locis Spiritus ſanctus ſolius meminit *Impoſitionis manuum*, neque vllius præterea cæremoniæ, in Epiſcoporum ordinatione ab Apoſtolis adhibitæ, vſpiam in Scripturis fit mentio : cùm hæc tamen manuum impoſitione, gratiam ordinato collatam eſſe teſtatur Spiritus ſanctus. Hanc igitur, vt ſignum ordinis ſenſibile, & Symbolum gratiæ amplectimur : reliquas verò cæremonias, humano ingenio excogitatas, tanto honore non dignamur : hanc gloriam (quanta quanta eſt) ſola Impoſitio manuum ſuo ſibi quaſi iure vendicat.

PHIL. Nullæné igitur aliæ Epiſcopalis ordinis externo Symbolo accenſendæ videntur ?

ORTH. Quæ tandem aliæ ? Num ſacrum oleum, quo caput conſecrandi inungitur, Epiſcopo dicente : [x] *Vngatur & conſecretur caput tuum cæleſti benedictione in ordine Epiſcopali ?* Hoc quidem valdè vult [y] Champnæus, ſed [z] Bellarminus & [a] Vaſques contradicunt. Num *annulus*, qui, adhibitis precibus & aqua benedicta, digito his verbis imponitur; [b] *Accipe annulum, ſignaculum fidei ?* Num *baculus*, qui traditur his verbis, [c] *Accipe baculũ paſtoralis officij ?* Si hæc, vel his ſimilia, vt neceſſaria obtrudas, dabitur ſpero reijciendi venia, quum nihil ſint aliud quàm humana inuenta, quæ, pro regionum & temporum diuerſitate, retineri poſſunt, vel reijci. Nonne ſuperiùs ex Bellarmino aſſeruiſti, *materiam* ſacramentorum à Deo eſſe determinatam ? Vbi autem, quę Deus determinauit reperiri poſſunt, præterquam in libro Dei ? Ex libro igitur Dei hæc nobis oſtende; ſi non expreſſis Chriſti verbis inſtituta & mandata, ſaltem (quod nos in Impoſitione manuum facimus) ab Apoſtolis in ordinis ac gratiæ Epiſcopalis collatione obſeruata, & ſtatim acquieſcimus. Hactenùs de *materia* : nunc de forma.

[x] *Pontificale Romæ impr. 1595. f. 96.*
[y] *Champ. p. 441.*
[z] *De ſacr. ord. c. 9.*
[a] *Vaſq. t. 3. diſp. 240.*
[b] *Pontif. f. 105.*
[c] *Ibid.*

6 PHIL. [d] *Conuenit inter omnes, formam eſſe verba, quæ dicuntur dum ſignum ſenſibile exhibetur.*

[d] *Bell. de ſacr. ord. c. 9.*

ORTH.

ORTH. Spero equidem te non dicturum, hæc verba, *Accipe annulum*, vel, *Accipe bacculum*, ad *formam* ſacri ordinis eſſentialem pertinere. Expone igitur enucleatè quænam ſint verba, in quibus ordinis Epiſcopalis ſita eſt *forma*, vt Kelliſoni criminationem ventilemus.

PHIL. Quid hac in cauſa ſentiat Kelliſonus, ex eius verbis manifeſtum eſt: [e] *Tres* (inquit) *ad minimum ſolent materiam & formam conſecrationis applicare, imponendo manus, & proferendo illa verba, Accipe Spiritum ſanctum.* [e] Kelliſ. exam. part. 3. c. 2. p. 169.

ORTH. Si hæc ſint vera conſecrationis *materia* & *forma*, ſecundùm Kelliſonum, profectò Kelliſonus conſecrationis veram *materiam* & veram *formam* nobis in vſu fuiſſe, regnante Eduardo, fateri cogitur. Hæc enim verba, *Accipe Spiritum ſanctum* (vt ex ordinali noſtro, ſub eodem Rege in publicum emiſſo, conſtat) ad manuum Epiſcoporum impoſitionem erant prolata. Vnde ſequitur illo tempore conſecratos veros fuiſſe Epiſcopos, ac proinde Kelliſonum, qui hoc negat, inſignem & nobilem eſſe calumniatorem.

PHIL. Hîc te rurſùm oppugnat [f] Champnæus his verbis: *Clarum eſt, ſacrum ordinem Eccleſiaſticas quaſdam et Spirituales actiones, effectum ſuum in animis hominum & ſacramentis ipſis habentes, exercendi poteſtatem conferre, quæ nulla alia ratione dari, vel accipi poteſt, niſi qua Chriſtus Dominus, eius author & fundator, eam dandam & accipiendam, pro ſua authoritate, inſtituit. Maſono itaque incumbit ex Scripturis oſtendere, verba & actiones, iam relatas, & ab Eccleſia Anglicana in ordinationibus vſurpatas, à Chriſto, vt legitimam conferendi ſacros ordines rationem, inſtitutas eſſe, aut certè ordinationes ſuas ſacrilegos & ſuperſtitioſos ritus eſſe neceſſe eſt fateatur. Sacrilegos quidem, quia rerum ſacrarum abuſum inuoluunt; ſuperſtitioſos verò, quia ſacram poteſtatem rebus & verbis, talem poteſtatem non habentibus, aſcribunt. Porrò, cùm manifeſtum ſit neque Maſonum, neque quenquam alium, ex ſacra Scriptura, oſtendere poſſe, Chriſtum præfatas ordinationum formas inſtituiſſe, & præterea, cùm traditionum authoritatē, in omnibus alijs Fidei & Religionis articulis probandis aut confirmandis, procul reijciat, ac proinde ad illas, in iſta quæſtione tractanda, abſq; ſummæ leuitatis & temeritatis nota, recurrere nequeat, tametſi ei maximè fauerent, impoſſibile eſt has Epiſcoporum & Presbyterorum ordinationes, à ſacrilega ſuperſtitione, humana inuentione introductas, excuſare.* [f] Champ. p. 402.

ORTH. Primò, Miniſtros in Eccleſia, vſque *ad* [g] *ſanctorum conſummationem*, eſſe debere ex Scripturis liquet. Secundò, tres miniſtrorum gradus, nempe diaconorum, presbyterorum, & epiſcoporum, nobis ſacræ literæ graphicè depingunt. Tertiò, horum ſingulorum officia ac munera in Scripturis ſatis diſtinctè ac dilucidè explicantur. Quartò, hos miniſtros non à quibuſlibet, ſed à Titis, vel Timotheis, id eſt, ab Epiſcopis conſtituendos eſſe docet Paulus. Etenim licèt in Eccleſia tam Cretenſi, quàm [h] Epheſina, complures eſſent presbyteri, illis tamen ordinandi poteſtatem non per- [g] Eph. 4. 12. [h] Act. 20. 17.

miſit,ſed ad Cretenſes [i] Titum,ad Epheſi os [k] Timotheum illa ipſa de cauſa tranſmiſit. Quintò,hos ordines per manuum impoſitionem collatos eſſe eſt certiſſimum : at verba quæ inter ordinandum ſunt adhibenda,in ſacro codice,fateor,non præſcribuntur,nullum de his extat præceptum,mandatum nullum, immò ne exemplum quidem,vnde conſtare poſſit,quibus locutionum formulis in creandis miniſtris vſi ſint Apoſtoli.

[i] 1.Tim.1.5. [k] 1.Tim.5.22.

PHIL. Ergo hîc ad Verbum Dei non Scriptum(id eſt) ad diuinas traditiones recurrere oportet.

ORTH. Id negat [l] Innocentius,dum veſtras ordinandi formulas *per Eccleſiam poſitas* eſſe dicit, *& inuentas*. Verba igitur inter ordinandum adhibita,ſi Innocentio credimus, non manârunt à diuina Traditione, ſed ab authoritate Eccleſiæ.

[l] Innoc.de ſacram.non iterandis.

PHIL. An quælibet igitur verba,ab eccleſia excogitata,huic inſtituto inſeruire poſſunt?

ORTH. Non quælibet (Philodoxe) ſed quæ ad ordinis conferendi poteſtatem exprimendam ſunt accommodata. Nam Miniſtros in Eccleſia conſtituendos eſſe, Chriſtus ipſe præcepit per [m] Apoſtolum. In Apoſtolo enim loquitur [n] Chriſtus. Miniſtros autem conſtituere,nihil eſt aliud,quàm poteſtatem illis miniſterialem tradere, quæ ſine verbis idoneis tradi omninò non poteſt. Quamobrem dum per Apoſtolum in mandatis dedit Chriſtus, vt crearentur Miniſtri,mandauit quoque,licèt implicitè,vt inter ordinandum verba adhiberentur idonea,id eſt,talia,quæ dati tum ordinis poteſtatem complecterentur. Iſtiuſmodi autem verba, quatenùs datam poteſtatem denotant, ſunt illius ordinis *forma* eſſentialis : *forma* igitur ordinum eſſentialis implicitè habetur in Scripturis,ac inde colligi poteſt. Quid igitur? Quod nos Scriptura docuit,id amplectimur. Habet enim Eccleſia Anglicana ſuos Titos & Timotheos,id eſt,epiſcopos, qui Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos,per manuum impoſitionem,conſtituunt iſtiuſmodi verbis vtentes,quæ ordinis collati officium, in Scripturis expreſſum delineant. Hîc igitur nihil eſt ſacrilegum,nihil ſuperſtitioſum.

[m] Tit.1.5. [n] 2.Cor.13.3.

PHIL. [o] *Innumera penè ſunt alia ſacræ Scripturæ verba,quæ non minùs,immò magis aptè,huic vſui accommodari poſſent, quàm nonnulla ex iſtis; quæ tamen ad ſacrum ordinem conferendum non ſufficere Maſonius (vti exiſtimo) non ibit inficias; niſi fortè plures formas eiuſdem rei admittere non putet abſurdum,quod tamen abſurdum eſſe per ſe conſtat.*

[o] Champ. p.402.

ORTH. Vnius ordinis vnicam agnoſco *formam* eſſentialem.

PHIL. Forma eſſentialis ſita eſt in verbis, quæ proferuntur dum ſignum ſenſibile exhibetur : hæc autem verba,vt videtur, in multiplici eſſe poſſunt varietate : vnde ſequitur varias vnius ordinis eſſe formas eſſentiales,quod eſt abſurdum.

ORTH. In verbis duo ſpectanda; ſonus, & ſenſus : ſonorum diuerſitas diuerſas *formas* eſſentiales non conſtituit, vbi vnus idémque ſubeſt ſenſus.

PHIL.

Digitized by Google

Phil. Quis igitur erit ſenſus, qui requiritur ad ordinis *formam* eſſentialem?

Orth. Is ſcilicet, per quem tota illius ordinis poteſtas traditur, qui tamen ſub alia atque alia verborum quaſi veſte poteſt delitescere. Quod ipſum in ſacramento baptiſmi illuſtrabo. Eccleſia Græca baptizat his verbis: [p] *Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:* Latina his: Ego te baptizo, &c. Hîc duo ſunt diuerſa eloquendi genera, *formam* tamen baptiſmi eſſentialem vtrunque complectitur, quoniam tam Græci quàm Latini baptizant in Nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quod eſt eſſentiale: hæc autem verborum diuerſitas, eſt quiddam adiaphorum & accidentale. Rectè igitur Eugenius quartus; [q] *Non negamus* (inquit) *quin per illa verba, Baptizetur talis ſeruus, &c. Verum perficiatur baptiſma.* Similitèr quoque de Abſolutione loquitur Bellarminus: [r] *Quod attinet ad formam, non diſſentiunt inter ſe, qui certa verba abſolutionis formam eſſe dicunt, & qui contendunt nulla eſſe verba determinata, quibus abſolutio impendatur. Nam ſi de ſono & numero ſyllabarum agatur, nulla ſunt verba determinata, quæ ad ſacramenti eſſentiam neceſſariò requirantur. Siue enim quis dixerit, Abſoluo te, ſiue, Remitto tibi peccata: & ſiue id Latinè, ſiue Græcè, ſiue barbara aliqua lingua pronunciauerit, ſemper efficitur ſacramentum. Si verò de ſententia verborum ſermo ſit, nemo Catholicorum negat verba eſſe determinata, atque ex diuinis literis deprompta.* Sic Bellarminus. Idem quoque de ordinatione eſt dicendum. Epiſcopi Occidentales conferunt ordines per modum imperandi, vt notum eſt. Orientales, à maioribus ſuis edocti, eoſdem dantes [ſ] *enunciant per deprecationem,* teſte Salmerone. Vtrique tamen veros conferunt ordines, quia verbis vtuntur ad inſtitutum ſuum ſatis appoſitis. Nam Innocentius dicit, [t] *ſufficere, ſi ordinator diceret ordinando, Sis Presbyter, Sis Diaconus; ſed quia formæ ſunt per eccleſiam poſitæ & inuentæ, illæ ſeruandæ ſunt.* Idem prorſus & de ordine epiſcopali eſt affirmandum; in quo impendendo Eccleſia Occidentalis, dum imponuntur manus, vtitur his verbis; *Accipe Spiritum ſanctum:* quæ cùm valdè ſint appoſita & idonea, retinenda ſunt. Verùm ſi diceretur tantùm, *Eſto epiſcopus,* vel, *Accipe ordinem epiſcopalem,* vel quid huiuſmodi, hæ formulæ ſufficerent. Quamuis enim quoad verba ſint diuerſa, quoad ſenſum tamen in idem recidunt, & per has ſingulas munus epiſcopale totum & integrum conferri poteſt. Conueniunt igitur in materia, id eſt, impoſitione manuum, & in forma eſſentiali (id eſt) in verborum ſenſu ad conferendum ordinem idoneo: verborum autem varietas, in qua diſcrepant, eſt quiddam *adiaphorum,* & accidentale.

[p] *Salmeron in 2. Tim. 1. diſp. 2.*

[q] *Eug. decr. in Concil. Florentino.*

[r] *De pœnitent. l. 1. c. 16.*

[ſ] *Salmeron quo ſupra.*

[t] *Inn. de ſacram. non iter. vid. Roſellum pár. 4. c. 16.*

Phil. [u] Champnæus negat impoſitionem manuum, cum his verbis, *Accipe Spiritum ſanctũ,* eſſe ipſam Epiſcopalis conſecrationis *materiam & formam, quia neq; vna, neq; altera, neq; ambæ ſimul poteſtatẽ collatam in illo ordine, ſed potiùs Spiritus ſancti donũ et gratiã, qua ordinatus poteſtatẽ & ordinẽ acceptũ rectè exercere valeat, exprimere videntur.*

[u] *Champ. p. 420.*

V 3 Orth.

Digitized by Google

x Bell. de ſacram. in Gen. l.1.c.26. ORTH. x Bellarminus tractans hæc verba; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum, &c. per Spiritum* (inquit) *ſanctum, intelligimus poteſtatem remittendi peccata, vt intelligunt Chryſoſtomus & Cyrillus.*

PHIL. Illa verba vſurpari ſolent in ordinatione Presbyterali, nos autem de epiſcopali agimus.

ORTH. Nonne hîc quoque per Spiritum intelligitur poteſtas ſpiritualis?

PHIL. Ex parte fator; ſed nunquid poteſtas Epiſcopalis tota & integra?

ORTH. Etiam tota & integra. Nam qui presbyterum electum Archiepiſcopo præſentant, humiliter rogant vt conſecretur in Epiſcopum: deindè, poſt preces, & alia, quæ ad tantam ſolennitatem decorè celebrandam ſpectant, peracta, benedictio funditur his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum*, id eſt, poteſtatem ſpiritualem, per quam ex Presbytero fias Epiſcopus. Ita hæc verba, licèt pauciſſima, quæ tamen ad officium ſpectant Præſulare denotant vniuerſa. Ante hæc verba prolata, conſecrandus erat Presbyter modò, & Epiſcopus electus tantùm, non ſimpliciter; at his enunciatis, eſt verè conſecratus, actu & abſolutè Epiſcopus.

PHIL. Id negat Champnæus, negatiuo præcipuè adductus argumento; quod in editione Anglicana ſic ſe habet, pagina, 160. *Solam manuum impoſitionem, cum his verbis, Accipe Spiritum ſanctum, eſſe totam & integram ordinis Epiſcopalis materiam & formam, neque docent Scripturæ, Concilia, Patres, neque Theologi, vno ſolo excepto: ergo hoc ipſum ſine fundamento aſſeritur.*

ORTH. O nobilem Champnæum! O virum planè admirabilem, qui labores exantlauit pluſquam Herculeos.

PHIL. Quorſum hæc?

ORTH. O quantum mihi videre videor librorum helluonem, qui omnes Scripturas, omnia Concilia, Patres omnes, omnes Theologos, omnes, inquam, ad vnum omnes, & legit & fideli memoria recondidit? Hîc ego non obſtupeſcerem? Hunc non ſuſpicerem? Non adamarem?

PHIL. Quin mitte iocos, & reſponde argumento.

ORTH. Reſpondeo igitur primò, huius argumenti antecedens iſtiuſmodi eſſe, cui probando, nec ipſe Champnæus, nec omnes quotquot vſpiam ſunt Papiſtæ ſufficiunt. Nam neque ipſe, neque quiſpiam alius, neque vniuerſi qui viuunt mortales, hoc vnquam præſtiterunt. Quid? An cunctos legerunt patres? An proferre poſſunt? An acquirere? Penè dixeram, an nominare? Hoc igitur à Champnæo arrogantèr & futilitèr dictum. In editione y Latina *Theologos* omittit, ſed eorum loco *Traditiones* & Eccleſiæ *praxin* ſubſtituit. Dicit enim poſitionem noſtram neque ex *Scriptura* ſacra, neque ex *Traditionibus*, *Concilijs*, *Patribus*, vel *eccleſiæ praxi* probabilitèr colligi poſſe. Secundò, huic ſimile adornabo argumentum, ſed longè verecundius, hunc in modum. Champnæus *annulos*

y P.418.

&

& *baculos* ad ordinis Epiſcopalis eſſentiam pertinere contendit. Neque tamen pro ſe vel vnum *Scripturæ* locum, vel vllum *Concilium*, vel *patrem*, vel *Theologum*, vel vllam ſolidam *rationem* produxit; ergo hoc ſine fundamento aſſerüit. Hactenùs in genere; nunc ad partes reſpondeo. Et primò *Scripturæ* affirmant per manuum impoſitionem dari [a] gratiam, nempe Epiſcopalem, vt rectè interpretatur [a] Bellarminus: neque vlla alia occurrit in Scripturis cæremonia, per quam dari poſſit. Quorſum igitur nos alias ex noſtro cerebro fingimus? Nónne hæc abundè & cumulatè ſufficit? Nónne ſignificat nos Domino eiúſque cultui, ſingulari ratione dedicari & mancipari? Nónne diuina in nos chariſmata cœlitùs deffluentia denotat, & poteſtatem deſuper datam? Nónne docet nos, in manu Chriſti, tanquam ſeptem Stellas Apocalypticas, teneri? De *Patribus* & *Concilijs* paulò antè ex Bellarmino diximus. Ad *Theologos* venio, quo titulo *ſcholáſticos* (vt opinor) deſignat, ex quibus vnum pro me facere ingenuè fatetur. Sed quis tandem ille? Gabriel Vaſques: agnoſco nobilem Ieſuitam. Audiamus igitur verba. [b] *Mihi* (inquit) *videtur cum Maiori & Armilla* (ergo hic vnus non eſt vnicus) *materiam propriam huius ordinationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum, verba autem illa (Accipe Spiritum ſanctum) quæ ſimul à tribus Epiſcopis dicuntur, eſſe formam. Quamuis enim ſolùm dicant hi authores ordinem (quem putant eſſe ſacramentum) conferri in ipſa manuum impoſitione, tamen neceſſariò eo ipſo denotant, eam eſſe materiam & formam quam diximus.* Sic Vaſques. Hoc ſi ſanum ſit & ſolidum, profectò complures Patres & Synodos noſtræ ſententiæ ſuffragari liquebit. Porrò Vaſques hoc duobus probat argumentis: alterum deſumitur ex Scriptura: [c] *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij. Vnde* (inquit) *ſequitur manifeſtò, eam manuum impoſitionem eſſe materiam, ac proinde verba, quæ ſimul cum ea proferuntur, eſſe formam: nam gratia ſacramentalis in ipſa applicatione materiæ & formæ, & per ipſam confertur.* Hoc argumentum eſt ſolidiſſimum, nec vllam omninò admittit exceptionem. Alterum ducitur à *Patribus*, ſecundùm quos plures ad ordinem Epiſcopalem conferendum requiruntur Epiſcopi. Vndè infert, huius ordinis *materiam à tribus eſſe adhibendam, & eam quæ ab vno adhibetur à non-miniſtro adhiberi.* Hæc eſt recepta (licèt parùm ſolida) eccleſiæ veſtræ doctrina, vt tu ipſe ex pontificibus, Iuriſtis, Canoniſtis, Ieſuitis, & Seminariorū alumnis abundè [d] docuiſti. Age igitur, videamus quid hinc ex veſtris ipſorum principijs ſequatur. Poſitio Euangelij in ſcapulis conſecrandi, eſt antiqua & vtilis cæremonia; excluditur tamen à conſecrationis *materia,* quia non fit ab Epiſcopis conſecratoribus, ſed *ab vno ex Capellanis, vt dicitur in rubrica Pontificalis,* referente Vaſque. *Vnctio* in capite, eſt cæremonia magni apud vos pretij, quam *Vaſques* dicit *ab vno ſolo Epiſcopo fieri.* Vnde concludit, *non eſſe huius materiam, nec verba tunc prolata formam.* Eadem autem ratione & *annu-*

[a] 1.Tim.4.14. 2.Tim.1.6.
[a] De ſacram. ord.c.5. Ibid.c.9.
[b] Vaſq.t.3. diſp.240.c.5. p.739.
[c] 1.Tim.1.14.
[d] Lib.1.c.4.

Digitized by Google

lum excludere potuit,quia per vnum duntaxat Epiſcopum digito imponitur,vt patet ex *ſacrarum caremoniarum libro,* in conſecratione ſummi Pontificis: & *baculum* quoque, vel *pedum* paſtorale, de quo tradendo nulla ibi mentio. Quare ſi *baculus* ſit *materia* Epiſcopalis ordinis eſſentialis, *Summi Pontificis* conſecratio eſt irrita, quia deficit in eſſentialibus. Denique ad *praxin* prouocas. Veſtram igitur praxin, cum ſuperiori doctrina coniunctam animaduerte; totũ (ſi placet) percurre *Pontificale,* ordinationis Epiſcopalis totam ſeriem perlege, &, ſi Vaſqui credas, *nulla* occurret *alia caremonia* (præter *impoſitionem manuum) quæ à tribus epiſcopis adhibetur. Nihil igitur aliud ſupereſt quod materia eſſe poſſit.* Si hæc ſola ſit *materia,* ſola illa verba (*Accipe Spiritum ſanctum*) erunt *forma.* Quamobrem cùm hæc in noſtrorum conſecratione adhibeantur, indè ſequitur Anglorum Epiſcopos veros eſſe Epiſcopos.

8 PHIL. Siſte parumper; nondùm enim eſt debellatum. Henricus Fitzſimon, [e] *Vices tuas & anxietatem miſertus, aliud grande indicat impedimentum quo minùs ſint Epiſcopi.* Sed ipſum loquentem audiamus: [f] *Cùm in ſacramento mutatur materia, forma, intentio faciendi quod facit Eccleſia, quæ eius eſſentiam conficiunt, deſinit eſſe ſacramentum, omnium qui antè te vixerunt, tecum viuunt, & poſt te victuri ſunt, Orthodoxè ſentientium, conſenſu.*

[e] *Fitzſimon. Britanno. mach. p.319.*
[f] *P.306.*

ORTH. De *materia* & *forma* ſuperiùs; nunc ad *intentionem,* animi acies eſt intendenda. Et primò illud monſtri ſimile eſt, quòd Ieſuita plura requirat ad eſſentiam conficiendam, quàm *materiam* & *formam.* Conſulat Ieſuita Petrum [g] Caniſium Ieſuitam, qui quærit, *quibus partibus conſtet ſacramentum?* & reſpondet, *Verbo & Elemento. Intentionem* autem inter *adiuncta* collocat, quæ ad cuiuſque ſacramenti tum idoneam collationem, tum dignam ſuſceptionem ſpectant. Plures non profero in re notiſſima.

[g] *Sum. doctr. Chriſtian. cap. 4. de Sacrament. in genere, q. 4.*

PHIL. De voce non litigabo. Eſto igitur; ſi accuratè loquamur, non ſit hæc *intentio* de ipſa eſſentia; ad Ordinis tamen efficaciam eſt prorſus neceſſaria; quod eòdem redit, & Eccleſiam Anglicanam iugulat. Hoc enim impedimentum eſſe oppidò ingens, quod nullæ machinæ Reformatorum amoliri valeant, ſic oſtendit Fitzſimon: [h] *Vtroque enim* (ſcilicet tam ordinante quàm ordinato) *deinceps intendente, explicitáque ac ſolenni declaratione profitente, ſacerdotium verum ſe, ac * ſacrum verum abiurare & deteſtari, nulla ordinatio, niſi fortè informis, inopinata, caſſa, irrita, inanis, concipi poteſt.*

[h] P.319.
* *Sacrificium.*

ORTH. Non opus eſt Archimede, aut magno aliquo molimine, ad hoc obſtaculum remouendum; eſt enim leue admodum & planè ſtramineum. Neque enim intendimus, nedum ita ſolenniter profitemur, nos verum ſacerdotium, aut verum ſacrificium abiurare & deteſtari, ſed Papiſticum ſacerdotium, & Miſſaticum ſacrificium. Sacramenta autem à Chriſto inſtituta, ſecundùm eius voluntatem, celebrare intendimus, & hoc ipſum profitemur. Quid tu contra?

PHIL.

Digitized by Google

Phil. An intenditis facere quod facit Eccleſia?

Orth. Quam mihi narras Eccleſiam?

Phil. Noſtram; Romanam ſcilicet; hanc enim intelligit Fitzſimon[i].

Orth. Hîc quoque egregiè fallitur Ieſuita, teſte ipſo Bellarmino Ieſuitarum Principe. [k] *Non eſt opus* (inquit) *intendere quod facit Eccleſia Romana, ſed quod facit vera Eccleſia quæcunque illa ſit, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod faciunt Chriſtiani; iſta enim in idem recidunt.* Immò *ſi quis intendat facere quod aliqua Eccleſia particularis & falſa, vt Geneuenſis* (hoc enim elogio eam exornat Cardinalis) *& intendat non facere quod facit Eccleſia Romana, reſpondeo* (inquit) *etiam id ſufficere. Nam qui intendit facere quod facit Eccleſia Geneuenſis, intendit facere quod facit Eccleſia Vniuerſalis. Ideo enim intendit facere quod facit talis Eccleſia, quia putat illam eſſe membrum veræ Vniuerſalis, licèt fallatur in cognitione veræ Eccleſiæ: non autem tollit efficaciam ſacramenti error Miniſtri circa Eccleſiam.*

Phil. At *defectus intentionis tollit*, vt verbis proximis oſtendit Bellarminus.

Orth. Hanc igitur nobis intentionem clarè, obſecro, & enodatè explica.

Phil. [l] Triplex eſt, *actualis, habitualis, virtualis. Actualis dicitur, quandò miniſter actu habet talem intentionem; quæ quidem actualis intentio non requirit (vt quidam ſcrupuloſè faciunt) vt dicamus ore vel corde illa formalia verba, intendo hoc facere, aut volo hoc facere, ſed tantùm requirit, vt homo ſit præſens animo, & attentè faciat quod facit. Habitualis dicitur inclinatio quædam ſeu promptitudo, ex habitu infuſo vel acquiſito, qualis etiam in dormiente eſſe poteſt. Virtualis dicitur, cum actualis intentio in præſenti non adeſt, ob aliquam euagationem mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius fit operatio. Porrò non requiritur neceſſariò actualis intentio, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis requiritur & ſufficit; quamuis danda ſit opera vt actualis habeatur.*

Orth. Si ab huiuſmodi *intentione* Miniſtri penderet *efficacia* ſacramenti, periret certitudo quam homo habere debet de effectu ſacramenti, & conſolatio ſpiritualis; quia nemo poteſt certus eſſe de intentione alterius. Age enim Fitzſimon, vnde tibi conſtat te eſſe presbyterum? Manuum impoſitionem ſentis, verba audis, at Epiſcopi animum perſpectum & exploratum non habes. Quamobrem licèt fortè ſis Presbyter, hoc tamen latet animum tuum. Præterea tu miſſam celebras, ſed vnde populus quid tacitus apud te cogites aſſequi poterit? Vel, vt te dimittam, alius miſſam dicturus, in libros Caluini incidit, voluit, de cauſa veſtra non adeo honorificè ac olim ſentire incipit. Pergit tamen, ad Canonem ventum eſt, quem legendo tranſcurrit, neque ſacrificare tamen, neque tranſſubſtantiare intendit, immò intendit hæc non facere; quid hîc dicendum? Nunquid conſecratio ob intentionis defectum futura eſt inefficax? Ergò hoſtia verè non conficitur, ſed elementa priſtinam

[i] *Quoad facit noſtra Eccleſia, p. 306.*
[k] *De ſacr in Gen. l. 1. c. 27.*
[l] *Bell. ibid.*

Digitized by Google

ſtinam ſuam naturam & conditionem retinent. Quotquot igitur hanc adorant hoſtiam Idololatriâ coinquinantur. Nónne vides in quas te anguſtias hæc coniecit *intentio?*

[m] *Bell. de ſacr. in Gen. l. 1. c. 21.*

PHIL. Non requiritur certitudo infallibilis: [m] *Certitudinem autem humanam vel moralem, quæ ſufficiat vt homo quieſcat, ex ſacramentis habemus, etiamſi pendeant ab intentione alterius. Nam cùm habere intentionem ſit facillimum, nulla eſt cauſa dubitandi, an Miniſter habuerit intentionem, niſi aliquo ſigno exteriori id prodat.*

ORTH. Ergò quum Epiſcopi noſtri, regnante Eduardo, ordines collaturi, ſe ad hanc ſolennem actionem perficiendam ſeriò componerent, nec contrarium vllo ſigno exteriori proderent, Fitzſimoni dubitandum non eſt, quin intentionem habuerint faciendi quod facit Eccleſia, Eccleſia (inquam) non Romana, ſed Anglicana; & hæc intentio ſecundum Bellarminum ſufficit. Ecquid iam (Philodoxe) eſt aliud, quod in noſtrorum Præſulum conſecratione deſideras?

PHIL. Quid vltra deſiderem, ex ordinalium collatione facilè liquebit. Quod opus Maſono (ſi viſum fuerit) perficiendum reliquit Champnæus.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XVII.

De ordinalium collatione.

- *Collatio*
  - *Anglicani cum*
    - *Antiquis eccleſiæ ſtatutis in Concilio Carthaginenſi quarto*
      - *propter*
        - *antiquitatem.* 1
        - *authoritatem.* 2
      - *quoad*
        - *Diaconos.* 3
        - *Presbyteros.* 4
        - *Epiſcopos.* 5
    - *Pontificali Innocentij 8. in*
      - *genere.* 6
      - *Specie, quoad*
        - *Diaconos.* 7
        - *Presbyteros.* 8
        - *Epiſcopos.* 9
  - *Romanorum*
    - *paulo antiquiorum inter ſe quanta diſcrepantia?* 10
    - *priſcorum cum nouis; quanta nunc nouitas?*
      - *noua indumenta.* 11
      - *nouum iuramentum.* 12
      - *noua fides.* 13

Orth.

QVoniam ordinalium collationem in me reiecit [a] Champnæus, monens vt *ritum noſtrum vel cum Romano conferrem, vel ſaltem alium Romano antiquiorem, vel æquè antiquum, cum quo noſter concordat, proferrem,* conabor quidem in eius gratiam vtrumque præſtare. *Anglicanum* igitur primò cum antiquis Eccleſiæ ſtatutis, in *Concilio* Carthaginenſi quarto expoſitis, deinde cum hodierno *Pontificali Romano* comparare inſtitui. Hoc *Concilium* (ſi antiquitatem ſpectemus) anno Domini 398. à Patribus ducentis ac quatuordecim (inter quos ſanctus Auguſtinus) eſt celebratum, idémque *Pontificali Romano* eſſe antiquius vel inde elucеſcit, quia in eodem [b] *Pontificali* citatur. Porrò hunc titulum fronte ſignatum gerit, ſcilicet, *ſtatuta Eccleſiæ antiqua;* vt apud [c] Binium licet videre. Quæ quidem ſtatuta habenda

[a] p.406.

[b] Pontif. in conſecr. epiſ.

[c] Bin. t.1. p.583

da ſunt antiqua, non modò reſpectu noſtri temporis, ſed illius etiam in quo habitum eſt Concilium. Sic enim [d] Baronius : *Extitit huiuſmodi Carthaginenſe Concilium, veluti Eccleſiaſticæ promptuarium diſciplinæ, non quidem recens inuenta, ſed ab antiquioribus vſu receptæ, atque ad priſtinam conſuetudinem reuocatæ, niſi in quibus, noua emergente cauſa, noua ſanciendæ legis neceſſitas illis incubuit.*

[d] Bar. ann. 398. n. 68. Bin. p. 555.

2 Ex his quæ de antiquitate diximus, eorundem quoque ſtatutorum dignitas & authoritas clareſcit. Illud tamen ex [e] Baronio adijciam : *Ab his patribus primò quæ eſſent Epiſcopis, ac deinde quæ alijs Clericis obſeruanda; fuiſſe ſummo conſilio ſaluberrimè inſtituta, ſeu potiùs reſtituta,* 104. *ſancitis regulis, quarum exempla tum reliquæ Occidentales Eccleſiæ, tum Orientis Epiſcopi mutuati eſſe noſcuntur.* Vnde patet hoc Concilium omnium ordinalium eſſe exemplar, & quaſi *ideam.* Quanti autem in Romana eccleſia ſit pretij inde elucet, quòd à Leone 4. ſit [f] approbatum. Quare ſi ordinale noſtrum cum hoc Concilio concordare conſtiterit, præclarè conſtitutum eſſe, ne Champnæus quidem, opinor, eſt negaturus. Vt igitur rem ipſam aggrediar, illud admoneo, me non de ſingulis, quæ in hoc Concilio continentur, verba facturum (namque hîc ſumma diligentia de reſtituendâ in integrum eccleſiaſticâ diſciplinâ eſt laboratum) ſed de ſacris tantùm ordinibus; in quibus à diaconatu auſpicari lubet.

[e] An. 398. n. 67.

[f] Bin. p. 552.

3 Verba Concilij ſic ſe habent : [g] *Diaconus quum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat : quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Hîc ſunt tria, nempe huius ordinis *miniſter, materia,* & *forma.* Miniſter, ſolus Epiſcopus; materia, ſeu Symbolum externum, manuum impoſitio; forma in ſpecie non exprimitur, ſed includitur in hac voce, *Benedicit.* Nam benedicere hîc nihil eſt aliud, quàm verba proferre, per quæ huius ordinis poteſtas traditur. Quare licèt Concilium hæc verba non exprimat, iſtiuſmodi tamen eſſe debere, per quæ hic ordo conferri poſſit, ſatis innuit. Quas leges omnes, à Concilio poſitas, ſtudioſè admodum & ſolicitè, in creandis diaconis cuſtodit Eccleſia Anglicana.

[g] Cap. 4.

4 Pergamus igitur ad Presbyteros; de quibus ſic ſtatuit [h] Concilium : *Presbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Huius quoque ſanctionis Eccleſia Anglicana eſt obſeruantiſſima; quam *veſtra* violat, in qua præſentes Presbyteri non tenent manus iuxta manum Epiſcopi. Deinde nihil hîc de paramentis veſtris, nihil de *amictu, alba, cingulo;* nihil de *manipulo, candelis, crucibus,* nihil de *orario,* aut *planeta :* immò (quod caput eſt cauſæ) de *ſacrificio* veſtro nihil hîc, nihil omninò.

[h] Cap. 3.

PHIL. Sacrificandi poteſtas fortè in benedictione, ab Epiſcopo prolata, continetur.

ORTH. Fieri non poteſt. Hæc benedictio datur vnà cum impoſitione

Digitized by Google

poſitione manuum, vt ex verbis Concilij eſt manifeſtum. Veſtra autem ſacrificandi poteſtas non datur cum impoſitione manuum; ſed per traditionem *patinæ & calicis*, vt patet ex [i] *pontificali.*

Sed ad Epiſcopos propero, de quibus examinandis & conſtitu- 5
endis valdè ſolicitè cauet Concilium. Inprimis autem, quia, docente [k] Apoſtolo, *nemini manus temerè ſunt imponendæ*, de futuri Epiſcopi *ætate, vitâ, & doctrinâ*, diligenter inquirendum ſtatuunt, & *ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat.* Hæc ſaluberrima inſtituta nos ad amuſſim obſeruamus; ſed dic ſodes, an vos perinde? Quoad *ætatem*, pueros apud vos factos eſſe Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Cardinales (vt de Papis nihil dicam) [l] anteà oſtendi: quoad *mores*, ſcortorum amaſios in ſedem Petri olim intruſos fuiſſe conqueritur [m] Baronius: quoad *doctrinam*, quantoperè deflexeritis à priſca puritate, [n] mox dicetur. Porrò Patres Carthaginenſes in conſtituendo Epiſcopo [o] *conſenſum clericorum & Laicorum, conuentum totius prouinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani, vel authoritatem vel præſentiam requirunt*: quæ omnia apud nos ſummâ cum laude præſtantur. Nam Epiſcopum ſuum eligunt Clerici, nempe Decanus & Capitulum. Secundò, electioni conſentiunt Laici, horum enim ſuffragia in aſſenſu Regio includuntur. Etenim (vt verbis vtar doctiſſimi Epiſcopi) [p] *Vniuerſus huius Regni populus (quod nemo noſtratium poteſt ignorare) lege lata, omne ius ſuum in Principem tranſtulit, eiúſque iudicio & prudentiæ ſubmiſit: quod tum iure, tum prudenter ab eo factum eſt.* Tertiò, cùm omnes totius Prouinciæ Epiſcopi non poſſint ſatis commodè confluere, pulchrè comparatum erit, ſi tres in vnum conueniant, reliquis conſenſum ſuum præbentibus. Quod apud nos accuratiùs fieri ſolere, quàm apud vos, ſæpè iam monui. Denique Metropolitano ſua ſemper apud nos integra manet authoritas. Pontifex verò Romanus, horum omnium ius inuadens, Canonum omnium repagula pro ſua libidine frangit & perrumpit. Tandem aliquandò ad ipſum ordinandi actum accedimus; de quo ſic præcipit *Concilium*: [q] *Epiſcopus quum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput*, & [r] ceruicem eius, &, vno ſuper eum fondente benedictionem, reliqui omnes *Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant.* Hîc tria efflagitant; *librum* collocandum, *manus* imponendas, & *benedictionem* fundendam. Sed libri collocatio non pertinet ad ordinis eſſentiam, vt reliqua duo (teſtibus [s] Vaſque, & Ioh. de [t] Turre-cremata:) in qua tamen vtraque Eccleſia à Concilij normâ aliquantulùm deflectit: Veſtra, quia duo Epiſcopi non collocant librum, ſed vnus ex Capellanis, ſi [u] Vaſquii credimus: Noſtra, quia non ponimus ſuper caput, ſed in manum tradimus, adhibita admonitione vt *attendat lectioni, exhortationi, atque doctrinæ, vt quæ in hoc libro continentur ſeriò meditetur, & ea vtatur diligentiâ, vt profectus eius in iſtis rebus, omnibus fiat manifeſtus.* Sed eodem res redit, nempe

[i] *Fol.2.c.2.*
[k] *1.Tim.5.22.*
[l] *L.1.c.6.n.2.*
[m] *an 912.n.8.*
[n] *Infra n.13.*
[o] *Cap.1.*
[p] *Tho. Bilſon ep. Wint. de perpet. eccl Chriſti gub. c.15.p.430.*
[q] *Cap.2.*
[r] *Verticem.*
[s] *Vaſq.t.3. diſp.240.*
[t] *In Gratianum p.493.*
[u] *Quo ſupra.*

vt officij ſui in euangelio prædicando admoneatur. Verum hæc Eccleſię noſtrę conſuetudo illa altera à Concilio præſcripta (quod tamen quà decet modeſtia & reuerentia dictũ velim) longè videtur expreſſior, & ad ædificandum accommodatior. Duo reliqua à Concilio requiſita ſunt, manuum impoſitio, & Benedictio. Ad impoſitionem quod attinet, ſic ſe habent verba: *Reliqui omnes Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant?* Reliqui omnes, ſcilicet, præter fundentem benedictionem, & tenentes librum. Quid? An illi excluduntur? Minimè verò; ſed de his tribus neminem dubitare poſſe putabant, quin manus imponerent; hoc igitur, vt rem perſpicuam, & ſua ipſius luce ſatis illuſtrem, ſilentio prætereunt: de reliquis autem aſtantibus, quoniam res erat obſcurior, diſertè loquuntur: quaſi dicant, non ſolùm iſti tres qui negotio præſunt, ſed omnes quoque reliqui præſentes Epiſcopi manus debent imponere. Et hic (niſi fallor) eſt verus ac genuinus huius loci ſenſus, à quâ norma & regula Eccleſia Anglicana nunquam aberrat. Supereſt benedictio; quæ fit (vt verè * Vaſques) his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum*. Hanc Concilium ab vno fundendam eſſe decernit; cui Eccleſiæ Anglicanæ praxis ad amuſſim conſentit, in qua ſolus Archiepiſcopus, vel alius Epiſcopus eius vicem ſupplens, hæc verba enunciat. Veſtra autem Eccleſia ab hoc Concilio aliquantulum diuertit, in qua conſecrator alta voce, aſſiſtentes ſubmiſſa, hæc eadem proferunt. Ita hoc Concilium, quatenus de Epiſcopis ordinandis tractat, perluſtraui; nec occurrit quicquam, in quo Eccleſiam noſtram, vt eiuſdem inſtituta violantem, iure reprehendas. Hîc enim de *mitra, chirothecis, ſandalijs, annulo, baculo*, & *oleo*, ne verbum quidem.

* Tom.3. diſp.240.

PHIL. Non erat Concilij inſtitutum vt *libros Rituales* ſcriberent, ſed tantùm vt maximè neceſſaria attingerent.

ORTH. Rectè. Ideóque, illis breuiter delibatis, reliqua vt libera & adiaphora omiſerunt. Vides igitur quàm bellè nobis hac in cauſa cum antiquis Eccleſiæ ſtatutis conueniat.

6 Nunc Pontificale, quod ſacrandi formulas, in Eccleſia Romana authenticas, graphicè depingit, cum ordinali Anglicano conferre, erit operæpretium. Sed hic monendus es me, cùm hanc collationem inſtituerem, Pontificalis editionem Venetam aut Romanam (quibus alibi vſus ſum) præ manibus non habuiſſe; aliam tamen vtraque longè antiquiorem, ex amici mei, lectiſſimi viri, Roberti Redmani legum Doctoris, & Reuerendi Patris Epiſcopi Noruicenſis Cancellarij, bibliotheca mihi comparaſſe, ab Auguſtino Patricio de Picolominibus, Epiſcopo Pientino, Innocentij octaui iuſſu emendatam, & anno Domini 1511. Lugduni impreſſam; ex cuius cum noſtro ordinali comparatione, magnum & memorabilem in ſacris ordinibus (nos enim inferiores non agnoſcimus) eſſe conſenſum liquidò conſtabit, ſiue in genere conſiderentur, ſiue in ſpe-

Digitized by Google

cie. In genere, multa nobis vobiſcum ſunt communia. Primò, apud vos ſoli [x] Epiſcopi ordinare ſolent; & apud nos quoque hic [x] *Pontificale in ſingulis ordinib.* honor ſolis Epiſcopis eſt peculiaris. Secundò, apud vos non debet quiſpiam promoueri *ſine* [y] *titulo alicuius beneficij, vel ſaltem patrimo-* [y] *Pontif. fol. 2 col. 4.* *nij ſufficientis:* & apud nos quoque idem obtinet. Tertiò, apud vos præcedit [z] *examen:* & noſtra quoque Eccleſia hac in cauſa eſt val- [z] *fol. 2. c. 4.* dè ſolicita. Quartò, apud vos certa tempora conferendis ordinibus ſunt deſtinata: & nos quoque vel in diebus Dominicis, vel ſaltem in feſto aliquo ſolenni hunc honorem impendimus. Quintò, omnes apud vos ordinandi debent ſe in [a] *Eccleſia* ſiſtere: & nos [a] *fol. 3. c. 3.* quoque ſacros ordines in facie Eccleſiæ ſolenniter celebramus. Sextò, apud vos ordines ſuſcepturi *flectunt* [b] *genua*, & nobis hic [b] *fol. 15 c. 3.* geſtus placet vel maximè. Septimò, apud vos qui ordinibus initi- *& fol. 26. c. 3.* antur, tenentur [c] *communicare:* & apud nos quoque ſacræ cœnæ fi- *& fol. 21. c. 4.* [c] *fol. 9. c. 1.* unt participes, ſacræ, inquam, cœnæ, quam nec mutilamus, nec deprauamus (vt ſolent veſtri) ſed iuxta Sacroſanctum Chriſti inſtitutum miniſtramus.

De conuenientia *in genere* diximus; de eadem *in ſpecie* dicturi, à 7 diaconatu exordiemur. Primò igitur, apud vos [d] Archidiaconus [d] *fol. 13. c. 2.* ordinandos Epiſcopo offert, ſeu præſentat: & eadem apud nos viget conſuetudo. Secundò, apud vos Epiſcopus ab Archidiacono quærit, an [e] *ſciat eos dignos eſſe:* & perinde facit apud nos. Tertiò, [e] *Ibidem.* apud vos Epiſcopus monet aſtantes; [f] *Vt ſi quis habet aliquid contra* [f] *fol. 13. c. 2.* *eos, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat;* & non diſſimili vtitur hortatione apud nos. Quartò, apud vos Epiſcopus ordinandos [g] *inſtruit* & admonet: & eodem planè fungitur officio apud [g] *Ibidem.* nos. Quintò, apud vos aliquando dicuntur [h] *letaniæ:* & hic mos [h] *fol. 13. c. 2.* apud nos ſemper religiosè cuſtoditur. Sextò, apud vos Epiſcopus populum hortatur ad [i] *orandum, vt qui totius Eccleſiæ prece ad diacona-* [i] *Ibidem.* *tus miniſterium præparantur, Leuiticæ benedictionis ordine clareſcant, & ſpirituali conuerſatione præfulgentes, ſanctificationis gratiâ eluceſcant:* & eôdem planè tendunt precationes apud nos. Septimò, apud vos [k] *ſolus* Epiſcopus Diaconis manum imponit: & ſimiliter fieri ſolet [k] *fol. 14. c. 4.* apud nos. Octauò, apud vos Epiſcopus [l] *tradit* illis Euangeliorum [l] *fol. 15 c. 3.* librum, atque vna poteſtatem legendi euangelium in Eccleſia Dei: & hoc quoque apud nos eſt in perpetuo vſu. Nonò, vnus de nouiter ordinatis *euangelium* [m] *dicit:* & apud nos quoque eorum aliquis [m] *fol. 16. c. 1.* euangelium legit. Ita magna ex parte nobis vobiſcum conuenit, non tamen ſimpliciter. Nam primò, quæ apud vos mala ſunt repudiamus. Etenim in letanijs veſtris non ſine ſacrilegio inuocantur [n] Sancti & [o] Angeli, in noſtris ſolus Deus. Deinde vos Diaco- [n] *fol. 9. c. 4.* [o] *Ibidem.* nis poteſtatem facitis legendi euangelium pro [p] defunctis: quod [p] *fol. 15 c. 3.* tamen *ſcriptum eſt vt homines* [q] *credant*; fides verò [r] per auditum: [q] *Ioh. 20. c. 31.* defunctos autem lectum euangelium audituros, & audiendo cre- [r] *Rom. 10. 17.* dituros quis credat? Secundò, quæ apud vos ſunt parum ex-

preſſa,apud nos pleniùs & planiùs explicantur. Exempli gratia.
f fol.14.c.4. Eccleſia veſtra poteſtatem diaconalem his verbis tradit: [f] *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & reſiſtendum diabolo & tentationibus eius, in Nomine Domini*; quæ ſunt nimis generalia, omnibúſque Chriſtianis communia; noſtra autem illis: *Accipe authoritatem exequendi officium Diaconi in Eccleſia Dei tibi commiſſa, in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti*; quæ ſunt magis appoſita & accommodata.
Tertiò, quæ apud vos ſunt ſuperflua præcidimus; qualia ſunt a-
t fol.12.c.2. mictus, alba, cingulũ,manipulus,quibus [t] *diaconandi parantur*,[u] *crux*,
u fol.15.c.3. quâ ſignantur,[x] *candelæ*,quas in dextris tenent:[y] ſtola,&[z] dalmatica,
x fol.12.c.2. *y fol.15.col.3.* quibus ab epiſcopo,cum certis verborũ formulis,induuntur. Nos
z Ibidem. tamen ſacris vtimur indumentis, decoris illis quidem, ſed paucis, & ad euangelij ſimplicitatem magis accedentibus. Quartò,quod in veſtra formula ad tanta myſteria dignè celebranda deſideratur, id in noſtra diſertè exprimitur. Ordinationes enim noſtræ ſolent à *Concione* ſacrâ exordiũ ducere, cuius in *Pontificali* veſtro nulla ſit mentio. Omitto quòd nos,ordines accepturi, ſupremaatum Regium iureiurando aſſeramus, cùm veſtræ religionis ſit infamia & dedecus,quòd in *vnctos Domini* minimè ſitis officioſi.

8 A Diaconis pergamus ad Presbyteros. Hos ordinandos in ec-
a fol.16.c.2. cleſia veſtra, primò, *præſentat* [a] *Archidiaconus*. Secundò,[b] *Epiſcopus*
b Ibid. *interrogat, an ſciat eſſe dignos.* Tertiò, monet populum,vt ſit quid
c fol.16.c.3. *d Ibidem.* contra eos habeant, [c] *dicant* & eloquantur. Quartò, [d] *inſtruit* or-
e fol.17.c.1. dinandos. Quintò,fiunt [e] *Litaniæ*.Sextò,Epiſcopus [f] *orat* pro ordi-
f fol.17.c.2. *g fol.21.c.1.* nandis. Septimò,[g] *communionem* celebrat. Octauò,[h] *manus* impo-
h fol.21.c.4. nit,dicens,*Accipe Spiritum ſanctum,quorum,&c.* Nonò, ordinatus
i fol.22.c.1. [i] *promittit* ordinario ſuo reuerentiam & obedientiam. Decimò,
k fol.22.c.2. Epiſcopus [k] *hortatur* ad ſanctè viuendum,quæ omnia perinde fiunt in noſtra Eccleſia. Sed & hîc quoque multa intercedunt diſcrimina. Nam primò apud vos vnguntur ſacerdotes, apud nos non
l fol.9.col.3. fol.12.c.2. item. Secundò,apud vos [l] *Presbyteri* parantur amictu, alba, cingu-
m fol.19.c.2. lo,manipulo, & candelis, & ita paratis,epiſcopus aptat [m] orarium
n Ibidem. ſiue ſtolam,& imponit [n] caſulam ſiue [o] planetam: quæ omninò fer-
o fol.9.c.2. ri poterant,ſi non in tantam multitudinem eámque ferè hiſtrionicam, excreſcerent,(ſunt enim potiùs oneri quàm ornamento) & abuſu ſuo ad ſuperſtitionem vergerent. Tertiò, illud omnem ſuperat impietatem,quòd Epiſcopi veſtri dent Presbyteris poteſta-
p fol.20.c.2. tem offerendi [p] ſacrificium(propriè dictum & verè propitiatorium) Deo,miſſáſque celebrandi tam pro viuis,quàm pro defunctis. In his omnibus nobis fauet Concilium Carthaginenſe, vt antea vidimus,in quo ſacrificij,olei,& tantæ cęremoniarum ſupellectilis nul-
q fol.21.c.4. la prorſus mentio. Denique apud vos [q] ſolus Epiſcopus Presbytero manum imponit; at in noſtra Eccleſia etiam omnes, qui adſunt Epiſcopi manus ſuas, iuxta manum Epiſcopi,ſuper caput illius tenent,idque iuxta expreſſam ſanctionem Concilij Carthaginen-
ſis.

ſis. Sed, miſſis Presbyteris, tandem aliquandò ad Epiſcopos ve-
niamus.

Et hîc quoque multa nobis vobiſcum ſunt communia. Nam 9
primò apud vos fit [r] examen de fide & rebus alijs. Secundò, conſe- [r] *fol.24.c.2.*
cratori aſſiſtere ſolent [s] duo ad minimum Epiſcopi. Tertiò, legi- [s] *fol.23.c.3.*
tur [t] epiſtola ex primæ ad Timotheum capite tertio. Quartò, fi- [t] *fol.25.c.4.*
unt [u] *preces* pro electo. Quintò, dum imponuntur manus, iſta verba [u] *fol.26.c.2.*
proferuntur, [x] *Accipe Spiritum ſanctum.* Sextò, conſecrato [y] tradi- [x] *fol.26.c.4.*
tur codex euangelicus. Hæc omnia Eccleſiæ noſtræ praxis in ge- [y] *fol.31.c.1.*
nere approbat. Non tamen deſunt in quibus diſcrepamus; quæ
partim ſunt minutula, qualia ſunt iſta. Primò, apud vos [z] *ſenior* dun- [z] *fol.26.c.4.*
taxat aſſiſtentium præſentat electum, apud nos duo. Secundò,
apud vos non ſolùm conſecrator enunciat hæc verba, *Accipe Spiri-*
tum ſanctum, ſed & [a] *aſſiſtentes* etiam, licèt voce ſubmiſſa: apud nos [a] *fol.26.ibid.*
ſolus conſecrator, idque iuxta ſanctionem Concilij [b] Carthagi- [b] *Concil. Carth. 4 cap. 2.*
nenſis. Tertiò, apud vos Euangeliorum codex electi imponitur
capiti, iuxta eiuſdem Concilij præſcriptum; quem nos eidem in
manus tradimus. Sed, præter hæc minutula, ſunt alia maioris pon-
deris, in quibus licèt ſit quædam conuenientia in genere, in ſpecie
tamen toto cœlo diſiungimur. Nam primò vtrobique requiritur
ſuperioris *mandatum*, ſine quo nemo conſecrari poteſt; ſed apud
vos [c] Pontificium, apud nos Regium: vtrobique *iuramentum*, ſed [c] *fol.22.c.4.*
apud vos in gratiam [d] Pontificis, apud nos in cauſa Regis: vtrobi- [d] *fol.24.c.1.*
que *examen*, & hîc vos Concilium Carthaginenſe ſecuturos profi-
temini, [e] Decretales tamen Epiſtolas & obedientiam [f] *Romano pon-* [e] *fol.24.c.3.*
tifici exhibendam intexitis, de quibus in illo Concilio altum ſilen- [f] *Ibidem.*
tium. Denique vt ad *indumenta* accedam, electi apud vos [g] paran- [g] *fol.23.c.3.*
tur *amictu, alba, cingulo, ſtola pluuiali* & *ſandalijs*, accipiunt autem [h] *fol.25.c.3.*
[h] *crucem* pectoralem, & [i] *ſtolam* ita adaptatam, vt ab humeris depen- [i] *fol.28.c.2.*
deat, deinde *tunicellam, dalmaticam,* & *caſulam*; poſtea conſecrator [k] *fol.30.c.2.*
eorum vngit [i] *caput* & [k] *palmas*; præterea benedicit [l] *baculum*, & [l] *fol.30.c.4.*
tradit conſecrato, & ſimiliter [m] *annulum* cum [n] *gemma*, [o] *mitram* & [m] *fol.31.c.3.*
[p] *chirothecas*. Nobis quidem tantus cæremoniarum ſplendor non [n] *fol.23.c.3.* [o] *fol.33.c.1.* [p] *fol.33.c.2.*
arridet; noſtri tamen Epiſcopi ſua ſacra habent indumenta, quibus
nihil modeſtius, nihil decentius. Ita in noſtrorum conſecratione
cruces, oleum, mitras, chirothecas, ſandalia, annulos vel baculos
non video; at ſacras conciones, exhortationes, examinationes, ad-
monitiones, precationes, manuum impoſitionem, & benedictio-
nem video; id eſt, omnia neceſſaria video: ſed veſtra, ad pompam
potiùs quàm ad pietatem ſpectantia, non video, nec videre cu-
pio.

Hactenus Anglicanum cum veſtro Innocentiano contulimus; 10
ſupereſt vt Romana paulò antiquiora inter ſe comparemus. Sed
quanta hîc, *ò quanta eſt diſcordia fratrum?* Quod ne temerè aut in-
uidiosè à me dictum putes, audi quæſo Epiſcopum Pientinum, ho-

 minem

Digitized by Google

[i] 1.Tim.1.5. [k] 1.Tim.5.22.

miſit, ſed ad Cretenſes [i] Titum, ad Epheſi os [k] Timotheum illa ipſa de cauſa tranſmiſit. Quintò, hos ordines per manuum impoſitionem collatos eſſe eſt certiſſimum: at verba quæ inter ordinandum ſunt adhibenda, in ſacro codice, fateor, non præſcribuntur, nullum de his extat præceptum, mandatum nullum, immò ne exemplum quidem, vnde conſtare poſſit, quibus locutionum formulis in creandis miniſtris vſi ſint Apoſtoli.

PHIL. Ergo hîc ad Verbum Dei non Scriptum (id eſt) ad diuinas traditiones recurrere oportet.

[l] Innoc. de ſacram. non iterandis.

ORTH. Id negat [l] Innocentius, dum veſtras ordinandi formulas *per Eccleſiam poſitas* eſſe dicit, *& inuentas.* Verba igitur inter ordinandum adhibita, ſi Innocentio credimus, non manârunt à diuina Traditione, ſed ab authoritate Eccleſiæ.

PHIL. An quælibet igitur verba, ab eccleſia excogitata, huic inſtituto inſeruire poſſunt?

ORTH. Non quælibet (Philodoxe) ſed quæ ad ordinis conferendi poteſtatem exprimendam ſunt accommodata. Nam Miniſtros in Eccleſia conſtituendos eſſe, Chriſtus ipſe præcepit per [m] Apoſtolum. In Apoſtolo enim loquitur [n] Chriſtus. Miniſtros autem conſtituere, nihil eſt aliud, quàm poteſtatem illis miniſterialem tradere, quæ ſine verbis idoneis tradi omninò non poteſt. Quamobrem dum per Apoſtolum in mandatis dedit Chriſtus, vt crearentur Miniſtri, mandauit quoque, licèt implicitè, vt inter ordinandum verba adhiberentur idonea, id eſt, talia, quæ dati tum ordinis poteſtatem complecterentur. Iſtiuſmodi autem verba, quatenus datam poteſtatem denotant, ſunt illius ordinis *forma* eſſentialis: *forma* igitur ordinum eſſentialis implicitè habetur in Scripturis, ac inde colligi poteſt. Quid igitur? Quod nos Scriptura docuit, id amplectimur. Habet enim Eccleſia Anglicana ſuos Titos & Timotheos, id eſt, epiſcopos, qui Diaconos, Presbyteros & Epiſcopos, per manuum impoſitionem, conſtituunt iſtiuſmodi verbis vtentes, quæ ordinis collati officium, in Scripturis expreſſum delineant. Hîc igitur nihil eſt ſacrilegum, nihil ſuperſtitioſum.

[m] Tit.1.5. [n] 2.Cor.13.3.

[o] Champ. p.402.

PHIL. [o] *Innumera penè ſunt alia ſacræ Scripturæ verba, quæ non minus, immò magis aptè, huic vſui accommodari poſſent, quàm nonnulla ex iſtis; quæ tamen ad ſacrum ordinem conferendum non ſufficere Maſonius (vti exiſtimo) non ibit inficias; niſi fortè plures formas eiuſdem rei admittere non putet abſurdum, quod tamen abſurdum eſſe per ſe conſtat.*

ORTH. Vnius ordinis vnicam agnoſco *formam* eſſentialem.

PHIL. Forma eſſentialis ſita eſt in verbis, quæ proferuntur dum ſignum ſenſibile exhibetur: hæc autem verba, vt videtur, in multiplici eſſe poſſunt varietate: vnde ſequitur varias vnius ordinis eſſe formas eſſentiales, quod eſt abſurdum.

ORTH. In verbis duo ſpectanda; ſonus, & ſenſus: ſonorum diuerſitas diuerſas *formas* eſſentiales non conſtituit, vbi vnus idémque ſubeſt ſenſus.

PHIL.

Phil. Quis igitur erit ſenſus, qui requiritur ad ordinis *formam* eſſentialem?

Orth. Is ſcilicet, per quem tota illius ordinis poteſtas traditur, qui tamen ſub alia atque alia verborum quaſi veſte poteſt deliteſcere. Quod ipſum in ſacramento baptiſmi illuſtrabo. Eccleſia Græca baptizat his verbis: [p] *Baptizetur talis ſeruus Chriſti in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti:* Latina his: Ego te baptizo, &c. Hîc duo ſunt diuerſa eloquendi genera, *formam* tamen baptiſmi eſſentialem vtrunque complectitur, quoniam tam Græci quàm Latini baptizant in Nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, quod eſt eſſentiale: hæc autem verborum diuerſitas, eſt quiddam adiaphorum & accidentale. Rectè igitur Eugenius quartus; [q] *Non negamus* (inquit) *quin per illa verba, Baptizetur talis ſeruus, &c. Verum perficiatur baptiſma.* Similitèr quoque de Abſolutione loquitur Bellarminus: [r] *Quod attinet ad formam, non diſſentiunt inter ſe, qui certa verba abſolutionis formam eſſe dicunt, & qui contendunt nulla eſſe verba determinata, quibus abſolutio impendatur. Nam ſi de ſono & numerò ſyllabarum agatur, nulla ſunt verba determinata, quæ ad ſacramenti eſſentiam neceſſariò requirantur. Siue enim quis dixerit, Abſoluo te, ſiue, Remitto tibi peccata: & ſiue id Latinè, ſiue Græcè, ſiue barbara aliqua lingua pronunciauerit, ſemper efficitur ſacramentum. Si verò de ſententia verborum ſermo ſit, nemo Catholicorum negat verba eſſe determinata, atque ex diuinis literis deprompta.* Sic Bellarminus. Idem quoque de ordinatione eſt dicendum. Epiſcopi Occidentales conferunt ordines per modum imperandi, vt notum eſt. Orientales, à maioribus ſuis edocti, eoſdem dantes [ſ] *enunciant per deprecationem,* teſte Salmerone. Vtrique tamen veros conferunt ordines, quia verbis vtuntur ad inſtitutum ſuum ſatis appoſitis. Nam Innocentius dicit, [t] *ſufficere, ſi ordinator diceret ordinando, Sis Presbyter, Sis Diaconus; ſed quia formæ ſunt per eccleſiam poſitæ & inuentæ, illæ ſeruandæ ſunt.* Idem prorſus & de ordine epiſcopali eſt affirmandum; in quo impendendo Eccleſia Occidentalis, dum imponuntur manus, vtitur his verbis; *Accipe Spiritum ſanctum:* quæ cùm valdè ſint appoſita & idonea, retinenda ſunt. Verùm ſi diceretur tantùm, *Eſto epiſcopus,* vel, *Accipe ordinem epiſcopalem,* vel quid huiuſmodi, hæ formulæ ſufficerent. Quamuis enim quoad verba ſint diuerſa, quoad ſenſum tamen in idem recidunt, & per has ſingulas munus epiſcopale totum & integrum conferri poteſt. Conueniunt igitur in materia, id eſt, impoſitione manuum, & in forma eſſentiali (id eſt) in verborum ſenſu ad conferendum ordinem idoneo: verborum autem varietas, in qua diſcrepant, eſt quiddam *adiaphorum,* & accidentale.

Phil. [u] Champnæus negat impoſitionem manuum, cum his verbis, *Accipe Spiritum ſanctũ,* eſſe ipſam Epiſcopalis conſecrationis *materiam & formam, quia neq; vna, neq; altera, neq; ambæ ſimul poteſtatẽ collatam in illo ordine, ſed potiùs Spiritus ſancti donũ et gratiã, qua ordinatus poteſtatẽ & ordinẽ acceptũ rectè exercere valeat, exprimere videntur.*

[p] Salmeron in 2.Tim.1.diſp.2.

[q] Eug. decr. in Concil. Florentino.

[r] De pœnitent. l.1.c.16.

[ſ] Salmeron quo ſupra.

[t] Inn. de ſacram. non iter. vid. Roffenſem par.4. c.16.

[u] Champ. p. 410.

x Bell. de ſacram. in Gen. l. 1. c. 26.

ORTH. x Bellarminus tractans hæc verba; *Accipe Spiritum ſanctum, quorum, &c. per Spiritum* (inquit) *ſanctum, intelligimus poteſtatem remittendi peccata, vt intelligunt Chryſoſtomus & Cyrillus.*

PHIL. Illa verba vſurpari ſolent in ordinatione Presbyterali, nos autem de epiſcopali agimus.

ORTH. Nonne hîc quoque per Spiritum intelligitur poteſtas ſpiritualis?

PHIL. Ex parte fator; ſed nunquid poteſtas Epiſcopalis tota & integra?

ORTH. Etiam tota & integra. Nam qui presbyterum electum Archiepiſcopo præſentant, humiliter rogant vt conſecretur in Epiſcopum: deindè, poſt preces, & alia, quæ ad tantam ſolennitatem decorè celebrandam ſpectant, peracta, benedictio funditur his verbis, *Accipe Spiritum ſanctum*, id eſt, poteſtatem ſpiritualem, per quam ex Presbytero fias Epiſcopus. Ita hæc verba, licèt pauciſſima, quæ tamen ad officium ſpectant Præſulare denotant vniuerſa. Ante hæc verba prolata, conſecrandus erat Presbyter modò, & Epiſcopus electus tantùm, non ſimpliciter; at his enunciatis, eſt verè conſecratus, actu & abſolutè Epiſcopus.

PHIL. Id negat Champnæus, negatiuo præcipuè adductus argumento; quod in editione Anglicana ſic ſe habet, pagina, 160. *Solam manuum impoſitionem, cum his verbis, Accipe Spiritum ſanctum, eſſe totam & integram ordinis Epiſcopalis materiam & formam, neque docent Scriptura, Concilia, Patres, neque Theologi, vno ſolo excepto: ergo hoc ipſum ſine fundamento aſſeritur.*

ORTH. O nobilem Champnæum! O virum planè admirabilem, qui labores exantlauit pluſquam Herculeos.

PHIL. Quorſum hæc?

ORTH. O quantum mihi videre videor librorum helluonem, qui omnes Scripturas, omnia Concilia, Patres omnes, omnes Theologos, omnes, inquam, ad vnum omnes, & legit & fideli memoria recondidit? Hîc ego non obſtupeſcerem? Hunc non ſuſpicerem? Non adamarem?

PHIL. Quin mitte iocos, & reſponde argumento.

ORTH. Reſpondeo igitur primò, huius argumenti antecedens iſtiuſmodi eſſe, cui probando, nec ipſe Champnæus, nec omnes quuotquot vſpiam ſunt Papiſtæ ſufficiunt. Nam neque ipſe, neque quiſpiam alius, neque vniuerſi qui viuunt mortales, hoc vnquam præſtiterunt. Quid? An cunctos legerunt patres? An proferre poſſunt? An acquirere? Penè dixeram, an nominare? Hoc igitur à Champnæo arrogantèr & futilitèr dictum. In editione y Latina *Theologos* omittit, ſed eorum loco *Traditiones* & Eccleſiæ *praxin* ſubſtituit. Dicit enim poſitionem noſtram neque ex *Scriptura* ſacra, neque ex *Traditionibus, Concilijs, Patribus*, vel *eccleſiæ praxi* probabilitèr colligi poſſe. Secundò, huic ſimile adornabo argumentum, ſed longè verecundius, hunc in modum. Champnæus *annulos*

y P. 418.

&

& *baculos* ad ordinis Epiſcopalis eſſentiam pertinere contendit. Neque tamen pro ſe vel vnum *Scripturæ* locum, vel vllum *Concilium*, vel *patrem*, vel *Theologum*, vel vllam ſolidam *rationem* produxit; ergo hoc ſine fundamento aſſeruit. Hactenùs in genere; nunc ad partes reſpondeo. Et primò *Scripturæ* affirmant per manuum impoſitionem dari [a] gratiam, nempe Epiſcopalem, vt rectè interpretatur [a] Bellarminus: neque vlla alia occurrit in Scripturis cæremonia, per quam dari poſſit. Quorſum igitur nos alias ex noſtro cerebro fingimus? Nónne hæc abundè & cumulatè ſufficit? Nónne ſignificat nos Domino eiúſque cultui, ſingulari ratione dedicari & mancipari? Nónne diuina in nos chariſmata cœlitùs defluentia denotat, & poteſtatem deſuper datam? Nónne docet nos, in manu Chriſti, tanquam ſeptem Stellas Apocalypticas, teneri? De *Patribus* & *Concilijs* paulò antè ex Bellarmino diximus. Ad *Theologos* venio, quo titulo *ſcholaſticos* (vt opinor) deſignat, ex quibus vnum pro me facere ingenuè fatetur. Sed quis tandem ille? Gabriel Vaſques: agnoſco nobilem Ieſuitam. Audiamus igitur verba. [b] *Mihi* (inquit) *videtur cum Maiori & Armilla* (ergo hic vnus non eſt vnicus) *materiam propriam huius ordinationis Epiſcopalis eſſe impoſitionem manuum, verba autem illa (Accipe Spiritum ſanctum) quæ ſimul à tribus Epiſcopis dicuntur, eſſe formam. Quamuis enim ſolùm dicant hi authores ordinem (quem putant eſſe ſacramentum) conferri in ipſa manuum impoſitione, tamen neceſſariò eo ipſo denotant, eam eſſe materiam & formam quam diximus.* Sic Vaſques. Hoc ſi ſanum ſit & ſolidum, profectò complures Patres & Synodos noſtræ ſententiæ ſuffragari liquebit. Porrò Vaſques hoc duobus probat argumentis: alterum deſumitur ex Scriptura: [c] *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij. Vnde* (inquit) *ſequitur manifeſtò, eam manuum impoſitionem eſſe materiam, ac proinde verba, quæ ſimul cum ea proferuntur, eſſe formam: nam gratia ſacramentalis in ipſa applicatione materiæ & formæ, & per ipſam confertur.* Hoc argumentum eſt ſolidiſſimum, nec vllam omninò admittit exceptionem. Alterum ducitur à *Patribus*, ſecundùm quos plures ad ordinem Epiſcopalem conferendum requiruntur Epiſcopi. Vndè infert, huius ordinis *materiam à tribus eſſe adhibendam, & eam quæ ab vno adhibetur à non-miniſtro adhiberi.* Hæc eſt recepta (licèt parùm ſolida) eccleſiæ veſtræ doctrina, vt tu ipſe ex pontificibus, Iuriſtis, Canoniſtis, Ieſuitis, & Seminariorũ alumnis abundè [d] docuiſti. Age igitur, videamus quid hinc ex veſtris ipſorum principijs ſequatur. Poſitio Euangelij in ſcapulis conſecrandi, eſt antiqua & vtilis cæremonia; excluditur tamen à conſecrationis *materia*, quia non fit ab Epiſcopis conſecratoribus, ſed *ab vno ex Capellanis, vt dicitur in rubrica Pontificalis*, referente Vaſque. *Vnctio* in capite, eſt cæremonia magni apud vos pretij, quam *Vaſques* dicit *ab vno ſolo Epiſcopo fieri.* Vnde concludit, *non eſſe huius materiam, nec verba tunc prolata formam.* Eadem autem ratione & *annulum*

[a] 1.Tim.4.14. 2.Tim.1.6.
[a] De ſacram. ord.c.5. Ibid.c.9.
[b] Vaſq.t.3. diſp 240.c.5. p.739.
[c] 1.Tim.1.14.
[d] Lib.1.c.4.

lum excludere potuit, quia per vnum duntaxat Epiſcopum digito imponitur, vt patet ex *ſacrarum cæremoniarum libro*, in conſecratione ſummi Pontificis: & *baculum* quoque, vel *pedum* paſtorale, de quo tradendo nulla ibi mentio. Quare ſi *baculus* ſit *materia* Epiſcopalis ordinis eſſentialis, *Summi Pontificis* conſecratio eſt irrita, quia deficit in eſſentialibus. Denique ad *praxin* prouocas. Veſtram igitur praxin, cum ſuperiori doctrina coniunctam animaduerte; totũ (ſi placet) percurre *Pontificale*, ordinationis Epiſcopalis totam ſeriem perlege, &, ſi Vaſqui credas, *nulla* occurret *alia cæremonia* (præter *impoſitionem manuum*) *quæ à tribus epiſcopis adhibetur. Nihil igitur aliud ſupereſt quod materia eſſe poſſit.* Si hæc ſola ſit *materia*, ſola illa verba (*Accipe Spiritum ſanctum*) erunt *forma*. Quàmobrem cùm hæc in noſtrorum conſecratione adhibeantur, indè ſequitur Anglorum Epiſcopos veros eſſe Epiſcopos.

8 PHIL. Siſte parumper; nondùm enim eſt debellatum. Henricus Fitzſimon, [e] *Vices tuas & anxietatem miſertus, aliud grande indicat impedimentum quo minùs ſint Epiſcopi.* Sed ipſum loquentem audiamus: [f] *Cùm in ſacramento mutatur materia, forma, intentio faciendi quod facit Eccleſia, quæ eius eſſentiam conficiunt, deſinit eſſe ſacramentum, omnium qui ante te vixerunt, tecum viuunt, & poſt te victuri ſunt, Orthodoxè ſentientium, conſenſu.*

[e] *Fitzſimon. Britanno. mach. p. 319.*
[f] *P. 306.*

ORTH. De *materia* & *forma* ſuperiùs; nunc ad *intentionem*, animi acies eſt intendenda. Et primò illud monſtri ſimile eſt, quòd Ieſuita plura requirat ad eſſentiam conficiendam, quàm *materiam* & *formam*. Conſulat Ieſuita Petrum [g] Caniſium Ieſuitam, qui quærit, *quibus partibus conſtet ſacramentum?* & reſpondet, *Verbo & Elemento. Intentionem* autem inter *adiuncta* collocat, quæ ad cuiuſque ſacramenti tum idoneam collationem, tum dignam ſuſceptionem ſpectant. Plures non profero in re notiſſima.

[g] *Sum. doctr. Chriſtian. cap. 4. de Sacrament. in genere, q. 4.*

PHIL. De voce non litigabo. Eſto igitur, ſi accuratè loquamur, non ſit hæc *intentio* de ipſa eſſentia; ad Ordinis tamen efficaciam eſt prorſus neceſſaria; quod eòdem redit, & Eccleſiam Anglicanam iugulat. Hoc enim impedimentum eſſe oppidò ingens, quod nullæ machinæ Reformatorum amoliri valeant, ſic oſtendit Fitzſimon: [h] *Vtroque enim* (ſcilicet tam ordinante quàm ordinato) *deinceps intendente, explicitáque ac ſolenni declaratione profitente, ſacerdotium verum ſe, ac* * *ſacrum verum abiurare & deteſtari, nulla ordinatio, niſi fortè informis, inopinata, caſſa, irrita, inanis, concipi poteſt.*

[h] *P. 319.*
* *Sacrificium.*

ORTH. Non opus eſt Archimede, aut magno aliquo molimine, ad hoc obſtaculum remouendum; eſt enim leue admodum & planè ſtramineum. Neque enim intendimus, nedum ita ſolenniter profitemur, nos verum ſacerdotium, aut verum ſacrificium abiurare & deteſtari, ſed Papiſticum ſacerdotium, & Miſſaticum ſacrificium. Sacramenta autem à Chriſto inſtituta, ſecundùm eius voluntatem, celebrare intendimus, & hoc ipſum profitemur. Quid tu contra?

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. An intenditis facere quod facit Eccleſia?

ORTH. Quam mihi narras Eccleſiam?

PHIL. Noſtram; Romanam ſcilicet; hanc enim intelligit Fitzſimon[i].

ORTH. Hîc quoque egregiè fallitur Ieſuita, teſte ipſo Bellarmino Ieſuitarum Principe. [k] *Non eſt opus* (inquit) *intendere quod facit Eccleſia Romana, ſed quod facit vera Eccleſia quacunque illa ſit, vel quod Chriſtus inſtituit, vel quod faciunt Chriſtiani; iſta enim in idem recidunt.* Immò *ſi quis intendat facere quod aliqua Eccleſia particularis & falſa, vt Geneuenſis* (hoc enim elogio eam exornat Cardinalis) *& intendat non facere quod facit Eccleſia Romana, reſpondeo* (inquit) *etiam id ſufficere. Nam qui intendit facere quod facit Eccleſia Geneuenſis, intendit facere quod facit Eccleſia Vniuerſalis. Ideo enim intendit facere quod facit talis Eccleſia, quia putat illam eſſe membrum veræ Vniuerſalis, licèt fallatur in cognitione veræ Eccleſiæ: non autem tollit efficaciam ſacramenti error Miniſtri circa Eccleſiam.*

[i] *Quod facit noſtra Eccleſia, p. 306.*
[k] *De ſacr in Gen. l. 1. c. 27.*

PHIL. At *defectus intentionis tollit*, vt verbis proximis oſtendit Bellarminus.

ORTH. Hanc igitur nobis intentionem clarè, obſecro, & enodatè explica.

PHIL. [l] Triplex eſt, *actualis, habitualis, virtualis. Actualis dicitur, quandò miniſter actu habet talem intentionem; quæ quidem actualis intentio non requirit (vt quidam ſcrupuloſè faciunt) vt dicamus ore vel corde illa formalia verba, intendo hoc facere, aut volo hoc facere, ſed tantùm requirit, vt homo ſit præſens animo, & attentè faciat quod facit. Habitualis dicitur inclinatio quædam ſeu promptitudo, ex habitu infuſo vel acquiſito, qualis etiam in dormiente eſſe poteſt. Virtualis dicitur, cum actualis intentio in præſenti non adeſt, ob aliquam euagationem mentis, tamen paulò antè adfuit, & in virtute illius fit operatio. Porrò non requiritur neceſſariò actualis intentio, nec ſufficit habitualis, ſed virtualis requiritur & ſufficit; quamuis danda ſit opera vt actualis habeatur.*

[l] *Bell. ibid.*

ORTH. Si ab huiuſmodi *intentione* Miniſtri penderet *efficacia* ſacramenti, periret certitudo quam homo habere debet de effectu ſacramenti, & conſolatio ſpiritualis; quia nemo poteſt certus eſſe de intentione alterius. Age enim Fitzſimon, vnde tibi conſtat te eſſe presbyterum? Manuum impoſitionem ſentis, verba audis, at Epiſcopi animum perſpectum & exploratum non habes. Quamobrem licèt fortè ſis Presbyter, hoc tamen latet animum tuum. Præterea tu miſſam celebras, ſed vnde populus quid tacitus apud te cogites aſſequi poterit? Vel, vt te dimittam, alius miſſam dicturus, in libros Caluini incidit, voluit, de cauſa veſtra non adeo honorificè ac olim ſentire incipit. Pergit tamen, ad Canonem ventum eſt, quem legendo tranſcurrit, neque ſacrificare tamen, neque tranſſubſtantiare intendit, immò intendit hæc non facere; quid hîc dicendum? Nunquid conſecratio ob intentionis defectum futura eſt inefficax? Ergò hoſtia verè non conficitur, ſed elementa priſtinam

ſtinam ſuam naturam & conditionem retinent. Quotquot igitur hanc adorant hoſtiam Idololatriâ coinquinantur. Nónne vides in quas te anguſtias hæc coniecit *intentio?*

m Bell. de ſacr. in Gen. l. 1. c. 28.

PHIL. Non requiritur certitudo infallibilis: m *Certitudinem autem humanam vel moralem, quæ ſufficiat vt homo quieſcat, ex ſacramentis habemus, etiamſi pendeant ab intentione alterius. Nam cùm habere intentionem ſit facillimum, nulla eſt cauſa dubitandi, an Miniſter habuerit intentionem, niſi aliquo ſigno exteriori id prodat.*

ORTH. Ergò quum Epiſcopi noſtri, regnante Eduardo, ordines collaturi, ſe ad hanc ſolennem actionem perficiendam ſeriò componerent, nec contrarium vllo ſigno exteriori proderent, Fitzſimoni dubitandum non eſt, quin intentionem habuerint faciendi quod facit Eccleſia, Eccleſia (inquam) non Romana, ſed Anglicana; & hæc intentio ſecundum Bellarminum ſufficit. Ecquid iam (Philodoxe) eſt aliud, quod in noſtrorum Præſulum conſecratione deſideras?

PHIL. Quid vltra deſiderem, ex ordinalium collatione facilè liquebit. Quod opus Maſono (ſi viſum fuerit) perficiendum reliquit Champnæus.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XVII.

De ordinalium collatione.

Collatio
- *Anglicani cum*
  - *Antiquis eccleſiæ ſtatutis in Concilio Carthaginenſi quarto*
    - *propter*
      - *antiquitatem.* 1
      - *authoritatem.* 2
    - *quoad*
      - *Diaconos.* 3
      - *Presbyteros.* 4
      - *Epiſcopos.* 5
  - *Pontificali Innocentij* 8. *in*
    - *genere.* 6
    - *Specie, quoad*
      - *Diaconos.* 7
      - *Presbyteros.* 8
      - *Epiſcopos.* 9
- *Romanorum*
  - *paulo antiquiorum inter ſe quanta diſcrepantia?* 10
  - *priſcorum cum nouis; quanta nunc nouitas?*
    - *noua indumenta.* 11
    - *nouum iuramentum.* 12
    - *noua fides.* 13

Orth.

Voniam ordinalium collationem in me reiecit [a] Champnæus, monens vt *ritum noſtrum vel cum Romano conferreus, vel ſaltem alium Romano antiquiorem, vel aquè antiquum, cum quo noſter concordat, proferrem,* conabor quidem in eius gratiam vtrumque præſtare. *Anglicanum* igitur primò cum antiquis Eccleſiæ ſtatutis, in *Concilio* Carthaginenſi quarto expoſitis, deinde cum hodierno *Pontificali Romano* comparare inſtitui. Hoc *Concilium* (ſi antiquitatem ſpectemus) anno Domini 398. à Patribus ducentis ac quatuordecim (inter quos ſanctus Auguſtinus) eſt celebratum, idémque *Pontificali Romano* eſſe antiquius vel inde eluceſcit, quia in eodem [b] *Pontificali* citatur. Porrò hunc titulum fronte ſignatum gerit, ſcilicet, *ſtatuta Eccleſiæ antiqua*; vt apud [c] Binium licet videre. Quæ quidem ſtatuta haben- da

[a] p. 406.
[b] *Pontif. in conſecr. epiſ.*
[c] *Bin. t. 1. p. 553*

Digitized by Google

da ſunt antiqua, non modò reſpectu noſtri temporis, ſed illius etiam in quo habitum eſt Concilium. Sic enim [d] Baronius: *Extitit huiuſmodi Carthaginenſe Concilium, veluti Eccleſiaſticæ promptuarium diſciplinæ, non quidem recens inuenta, ſed ab antiquioribus vſu recepta, atque ad priſtinam conſuetudinem reuocata, niſi in quibus, noua emergente cauſa, nouæ ſanciendæ legis neceſſitas illis incubuit.*

[d] Bar. ann. 398. n. 68. Bin. p. 555.

2 Ex his quæ de antiquitate diximus, eorundem quoque ſtatutorum dignitas & authoritas clareſcit. Illud tamen ex [e] Baronio adijciam: *Ab his patribus primò quæ eſſent Epiſcopis, ac deinde quæ alijs Clericis obſeruanda; fuiſſe ſummo conſilio ſaluberrimè inſtituta, ſeu potius reſtituta, 104. ſancitis regulis, quarum exempla tum reliquæ Occidentales Eccleſiæ, tum Orientis Epiſcopi mutuati eſſe noſcuntur.* Vnde patet hoc Concilium omnium ordinalium eſſe exemplar, & quaſi *ideam*. Quanti autem in Romana eccleſia ſit pretij inde elucet, quòd à Leone 4. ſit [f] approbatum. Quare ſi ordinale noſtrum cum hoc Concilio concordare conſtiterit, pręclarè conſtitutum eſſe, ne Champnæus quidem, opinor, eſt negaturus. Vt igitur rem ipſam aggrediar, illud admoneo, me non de ſingulis, quæ in hoc Concilio continentur, verba facturum (namque hîc ſumma diligentia de reſtituendâ in integrum eccleſiaſticâ diſciplinâ eſt laboratum) ſed de ſacris tantùm ordinibus; in quibus à diaconatu auſpicari lubet.

[e] An. 398. n. 67.

[f] Bin. p. 552.

3 Verba Concilij ſic ſe habent: [g] *Diaconus quum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manum ſuper caput illius ponat: quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur.* Hîc ſunt tria, nempe huius ordinis *miniſter*, *materia*, & *forma*. Miniſter, ſolus Epiſcopus; materia, ſeu Symbolum externum, manuum impoſitio; forma in ſpecie non exprimitur, ſed includitur in hac voce, *Benedicit*. Nam benedicere hîc nihil eſt aliud, quàm verba proferre, per quæ huius ordinis poteſtas traditur. Quare licèt Concilium hæc verba non exprimat, iſtiuſmodi tamen eſſe debere, per quæ hic ordo conferri poſſit, ſatis innuit. Quas leges omnes, à Concilio poſitas, ſtudioſè admodum & ſolicitè, in creandis diaconis cuſtodit Eccleſia Anglicana.

[g] Cap. 4.

4 Pergamus igitur ad Presbyteros; de quibus ſic ſtatuit [h] Concilium: *Presbyter quum ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius tenente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt, manus ſuas iuxta manum Epiſcopi ſuper caput illius teneant.* Huius quoque ſanctionis Eccleſia Anglicana eſt obſeruantiſſima; quam *veſtra* violat; in qua præſentes Presbyteri non tenent manus iuxta manum Epiſcopi. Deinde nihil hîc de paramentis veſtris, nihil de *amictu, alba, cingulo*; nihil de *manipulo, candelis, crucibus*, nihil de *orario*, aut *planeta*: immò (quod caput eſt cauſæ) de *ſacrificio* veſtro nihil hîc, nihil omninò.

[h] Cap. 3.

PHIL. Sacrificandi poteſtas fortè in benedictione, ab Epiſcopo prolata, continetur.

ORTH. Fieri non poteſt. Hæc benedictio datur vnà cum impoſitione

poſitione manuum, vt ex verbis Concilij eſt manifeſtum. Veſtra autem ſacrificandi poteſtas non datur cum impoſitione manuum; ſed per traditionem *patinæ & calicis*, vt patet ex [i] *pontificali*.

Sed ad Epiſcopos propero, de quibus examinandis & conſtitu- 5
endis valdè ſolicitè cauet Concilium. Inprimis autem, quia, docente [k] Apoſtolo, *nemini manus temerè ſunt imponendæ*, de futuri Epiſcopi *ætate, vitâ, & doctrinâ*, diligenter inquirendum ſtatuunt, & *ante omnia, ſi fidei documenta verbis ſimplicibus aſſerat*. Hæc ſaluberrima inſtituta nos ad amuſſim obſeruamus; ſed dic ſodes, an vos perinde? Quoad *ætatem*, pueros apud vos factos eſſe Epiſcopos, Archiepiſcopos, & Cardinales (vt de Papis nihil dicam) [l] antè oſtendi: quoad *mores*, ſcortorum amaſios in ſedem Petri olim intruſos fuiſſe conqueritur [m] Baronius: quoad *doctrinam*, quantoperè deflexeritis à priſca puritate, [n] mox dicetur. Porrò Patres Carthaginenſes in conſtituendo Epiſcopo [o] *conſenſum clericorum & Laicorum, conuentum totius prouinciæ Epiſcoporum, maximéque Metropolitani, vel authoritatem vel præſentiam requirunt*: quæ omnia apud nos ſumma cum laude præſtantur. Nam Epiſcopum ſuum eligunt Clerici, nempe Decanus & Capitulum. Secundò, electioni conſentiunt Laici, horum enim ſuffragia in aſſenſu Regio includuntur. Etenim (vt verbis vtar doctiſſimi Epiſcopi) [p] *Vniuerſus huius Regni populus (quod nemo noſtratium poteſt ignorare) lege lata, omne ius ſuum in Principem tranſtulit, eiúſque iudicio & prudentiæ ſubmiſit: quod tum iure, tum prudenter ab eo factum eſt*. Tertiò, cùm omnes totius Prouinciæ Epiſcopi non poſſint ſatis commodè confluere, pulchrè comparatum erit, ſi tres in vnum conueniant, reliquis conſenſum ſuum præbentibus. Quod apud nos accuratiùs fieri ſolere, quàm apud vos, ſæpè iam monui. Denique Metropolitano ſua ſemper apud nos integra manet authoritas. Pontifex verò Romanus, horum omnium ius inuadens, Canonum omnium repagula pro ſua libidine frangit & perrumpit. Tandem aliquandò ad ipſum ordinandi actum accedimus; de quo ſic præcipit *Concilium*: [q] *Epiſcopus quum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput*, & [r] ceruicem eius, &, vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes *Epiſcopi qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant*. Hîc tria efflagitant; *librum* collocandum, *manus* imponendas, & *benedictionem* fundendam. Sed libri collocatio non pertinet ad ordinis eſſentiam, vt reliqua duo (teſtibus [s] Vaſque, & Ioh. de [t] Turre-cremata:) in qua tamen vtraque Eccleſia à Concilij normâ aliquantulùm deflectit: Veſtra, quia duo Epiſcopi non collocant librum, ſed vnus ex Capellanis, ſi [u] Vaſquio credimus: Noſtra, quia non ponimus ſuper caput, ſed in manum tradimus, adhibita admonitione vt *attendat lectioni, exhortationi, atque doctrinæ, vt quæ in hoc libro continentur ſeriò meditetur, & ea vtatur diligentiâ, vt profectus eius in iſtis rebus, omnibus fiat manifeſtus*. Sed eodem res redit, nempe

[i] *Fol.2.c.2.*
[k] *1.Tim.5.22.*
[l] *L.1.c.6.n.2.*
[m] *an 912.n.8.*
[n] *Infra n.13.*
[o] *Cap.1.*
[p] *Tho. Bilſon ep. Wint. de perpet. eccl Chriſti gub. c.15.p.430.*
[q] *Cap.2.*
[r] *Verticem.*
[s] *Vaſq.t.3. diſp.240.*
[t] *In Gratianum p.493.*
[u] *Quo ſupra.*

cie. In genere, multa nobis vobiſcum ſunt communia. Primò, apud vos ſoli [x] Epiſcopi ordinare ſolent; & apud nos quoque hic honor ſolis Epiſcopis eſt peculiaris. Secundò, apud vos non debet quiſpiam promoueri *ſine* [y] *titulo alicuius beneficij, vel ſaltem patrimonij ſufficientis:* & apud nos quoque idem obtinet. Tertiò, apud vos præcedit [z] *examen:* & noſtra quoque Eccleſia hac in cauſa eſt valdè ſolicita. Quartò, apud vos certa tempora conferendis ordinibus ſunt deſtinata: & nos quoque vel in diebus Dominicis, vel ſaltem in feſto aliquo ſolenni hunc honorem impendimus. Quintò, omnes apud vos ordinandi debent ſe in [a] *Eccleſia* ſiſtere: & nos quoque ſacros ordines in facie Eccleſiæ ſolenniter celebramus. Sextò, apud vos ordines ſuſcepturi *flectunt* [b] *genua,* & nobis hic geſtus placet vel maximè. Septimò, apud vos qui ordinibus initiantur, tenentur [c] *communicare:* & apud nos quoque ſacræ cœnæ fiunt participes, ſacræ, inquam, cœnæ, quam nec mutilamus, nec deprauamus (vt ſolent veſtri) ſed iuxta Sacroſanctum Chriſti inſtitutum miniſtramus.

[x] *Pontificale in ſingulis ordinib.*
[y] *Pontif. fol. 2. col. 4.*
[z] *fol. 2. c. 4.*
[a] *fol. 3. c. 3.*
[b] *fol. 15 c. 3. & fol. 26. c. 3. & fol. 21. c. 4.*
[c] *fol. 9. c. 1.*

De conuenientia *in genere* diximus; de eadem *in ſpecie* dicturi, à 7
diaconatu exordiemur. Primò igitur, apud vos [d] Archidiaconus ordinandos Epiſcopo offert, ſeu præſentat: & eadem apud nos viget conſuetudo. Secundò, apud vos Epiſcopus ab Archidiacono quærit, an [e] *ſciat eos dignos eſſe:* & perinde facit apud nos. Tertiò, apud vos Epiſcopus monet aſtantes; [f] *Vt ſi quis habet aliquid contra eos, pro Deo, & propter Deum cum fiducia exeat, & dicat;* & non diſſimili vtitur hortatione apud nos. Quartò, apud vos Epiſcopus ordinandos [g] *inſtruit* & admonet: & eodem planè fungitur officio apud nos. Quintò, apud vos aliquando dicuntur [h] *letaniæ:* & hic mos apud nos ſemper religioſè cuſtoditur. Sextò, apud vos Epiſcopus populum hortatur ad [i] *orandum, vt qui totius Eccleſiæ prece ad diaconatus miniſterium præparantur, Leuiticæ benedictionis ordine clareſcant, & ſpirituali conuerſatione præfulgentes, ſanctificationis gratiâ eluceſcant:* & eôdem planè tendunt precationes apud nos. Septimò, apud vos [k] *ſolus* Epiſcopus Diaconis manum imponit: & ſimiliter fieri ſolet apud nos. Octauò, apud vos Epiſcopus [l] *tradit* illis Euangeliorum librum, atque vna poteſtatem legendi euangelium in Eccleſia Dei: & hoc quoque apud nos eſt in perpetuo vſu. Nonò, vnus de nouiter ordinatis *euangelium* [m] *dicit:* & apud nos quoque eorum aliquis euangelium legit. Ita magna ex parte nobis vobiſcum conuenit, non tamen ſimpliciter. Nam primò, quæ apud vos mala ſunt repudiamus. Etenim in letanijs veſtris non ſine ſacrilegio inuocantur [n] Sancti & [o] Angeli, in noſtris ſolus Deus. Deinde vos Diaconis poteſtatem facitis legendi euangelium pro [p] defunctis: quod tamen *ſcriptum eſt vt homines* [q] *credant;* fides verò [r] per auditum: defunctos autem lectum euangelium audituros, & audiendo credituros quis credat? Secundò, quæ apud vos ſunt parum ex-

[d] *fol. 13. c. 2.*
[e] *Ibidem.*
[f] *fol. 12. c. 2.*
[g] *Ibidem.*
[h] *fol. 13. c. 1.*
[i] *Ibidem.*
[k] *fol. 14. c. 4.*
[l] *fol. 15 c. 3.*
[m] *fol. 16. c. 1.*
[n] *fol. 9 c. 4.*
[o] *Ibidem.*
[p] *fol. 15 c. 3.*
[q] *Ioh. 20. c. 31.*
[r] *Rom. 10. 17.*

Digitized by Google

preſſa,apud nos pleniùs & planiùs explicantur. Exempli gratia. Eccleſia veſtra poteſtatem diaconalem his verbis tradit: [f] *Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & reſiſtendum diabolo & tentationibus eius, in Nomine Domini*; quæ ſunt nimis generalia, omnibúſque Chriſtianis communia; noſtra autem illis: *Accipe authoritatem exequendi officium Diaconi in Eccleſia Dei tibi commiſſa, in Nomine Patris,& Filij,& Spiritus ſancti*; quæ ſunt magis appoſita & accommodata. Tertiò, quæ apud vos ſunt ſuperflua præcidimus; qualia ſunt amictus, alba, cingulũ,manipulus,quibus [t] *diaconandi parantur*,[u] *crux*, quâ ſignantur,[x] *candelæ*,quas in dextris tenent:[y] ſtola,&[z] dalmatica, quibus ab epiſcopo,cum certis verborũ formulis,induuntur. Nos tamen ſacris vtimur indumentis, decoris illis quidem, ſed paucis, & ad euangelij ſimplicitatem magis accedentibus. Quartò,quod in veſtra formula ad tanta myſteria dignè celebranda deſideratur, id in noſtra diſertè exprimitur. Ordinationes enim noſtræ ſolent à *Concione* ſacrâ exordiũ ducere, cuius in *Pontificali* veſtro nulla ſit mentio. Omitto quòd nos,ordines accepturi, ſuprematum Regium iureiurando aſſeramus, cùm veſtræ religionis ſit infamia & dedecus,quòd in *vnctos Domini* minimè ſitis officioſi.

[f] fol.14.c.4.
[t] fol.12.c.2.
[u] fol.15.c.3.
[x] fol.12.c.2.
[y] fol.15 col.3.
[z] Ibidem.

8 A Diaconis pergamus ad Presbyteros. Hos ordinandos in eccleſia veſtra, primò, *præſentat* [a] *Archidiaconus*. Secundò,[b] *Epiſcopus interrogat, an ſciat eſſe dignos*. Tertiò, monet populum,vt ſit quid contra eos habeant, [c] *dicant* & eloquantur. Quartò, [d] *inſtruit* ordinandos. Quintò,fiunt [e] *Litaniæ*. Sextò,Epiſcopus [f] *orat* pro ordinandis. Septimò,[g] *communionem* celebrat. Octauò,[h] *manus* imponit,dicens,*Accipe Spiritum ſanctum,quorum,&c*. Nonò, ordinatus [i] *promittit* ordinario ſuo reuerentiam & obedientiam. Decimò, Epiſcopus [k] *hortatur* ad ſanctè viuendum,quæ omnia perinde fiunt in noſtra Eccleſia. Sed & hîc quoque multa intercedunt diſcrimina. Nam primò apud vos vnguntur ſacerdotes, apud nos non item. Secundò,apud vos [l] *Presbyteri* parantur amictu, alba, cingulo,manipulo, & candelis, & ita paratis,epiſcopus aptat [m] orarium ſiue ſtolam,& imponit [n] caſulam ſiue [o] planetam: quæ omninò ferri poterant,ſi non in tantam multitudinem eámque ferè hiſtrionicam, excreſcerent,(ſunt enim potiùs oneri quàm ornamento) & abuſu ſuo ad ſuperſtitionem vergerent. Tertiò, illud omnem ſuperat impietatem,quòd Epiſcopi veſtri dent Presbyteris poteſtatem offerendi [p] ſacrificium(propriè dictum & verè propitiatorium) Deo,miſſáſque celebrandi tam pro viuis,quàm pro defunctis. In his omnibus nobis fauet Concilium Carthaginenſe, vt antea vidimus,in quo ſacrificij,olei,& tantæ cęremoniarum ſupellectilis nulla prorſus mentio. Denique apud vos [q] ſolus Epiſcopus Presbytero manum imponit; at in noſtra Eccleſia etiam omnes, qui adſunt Epiſcopi manus ſuas, iuxta manum Epiſcopi,ſuper caput illius tenent,idque iuxta expreſſam ſanctionem Concilij Carthaginenſis.

[a] fol 16.c.2.
[b] Ibid.
[c] fol.16.c.3.
[d] Ibidem.
[e] fol.17.c.1.
[f] fol.17.c.2.
[g] fol.21.c 1.
[h] fol.21.c.4.
[i] fol.22.c.1.
[k] fol.22.c.2.
[l] fol.9.col.3. fol.12 c.2.
[m] fol.19.c.2.
[n] Ibidem.
[o] fol.9.c.2.
[p] fol.20.c.2.
[q] fol.21.c.4.

Digitized by Google

ſis. Sed, miſſis Presbyteris, tandem aliquandò ad Epiſcopos veniamus.

Et hîc quoque multa nobis vobiſcum ſunt communia. Nam 9
primò apud vos fit [r] examen de fide & rebus alijs. Secundò, conſe- [r] *fol. 24. c. 2.*
cratori aſſiſtere ſolent [s] duo ad minimum Epiſcopi. Tertiò, legi- [s] *fol. 23. c. 3.*
tur [t] epiſtola ex primæ ad Timotheum capite tertio. Quartò, fi- [t] *fol. 25. c. 4.*
unt [u] *preces* pro electo. Quintò, dum imponuntur manus, iſta verba [u] *fol. 26. c. 2.*
proferuntur, [x] *Accipe Spiritum ſanctum.* Sextò, conſecrato [y] tradi- [x] *fol. 26. c. 4.*
tur codex euangelicus. Hæc omnia Eccleſiæ noſtræ praxis in ge- [y] *fol. 31. c. 1.*
nere approbat. Non tamen deſunt in quibus diſcrepamus; quæ
partim ſunt minutula, qualia ſunt iſta. Primò, apud vos [z] *ſenior* dun- [z] *fol. 26. c. 4.*
taxat aſſiſtentium præſentat electum, apud nos duo. Secundò,
apud vos non ſolùm conſecrator enunciat hæc verba, *Accipe Spiri-*
tum ſanctum ſed & [a] *aſſiſtentes* etiam, licèt voce ſubmiſſa: apud nos [a] *fol. 26. ibid.*
ſolus conſecrator, idque iuxta ſanctionem Concilij [b] Carthagi- [b] *Concil. Carth. 4 cap. 2.*
nenſis. Tertiò, apud vos Euangeliorum codex electi imponitur
capiti, iuxta eiuſdem Concilij præſcriptum; quem nos eidem in
manus tradimus. Sed, præter hæc minutula, ſunt alia maioris pon-
deris, in quibus licèt ſit quædam conuenientia in genere, in ſpecie
tamen toto cœlo disiungimur. Nam primò vtrobique requiritur
ſuperioris *mandatum,* ſine quo nemo conſecrari poteſt; ſed apud
vos [c] Pontificium, apud nos Regium: vtrobique *iuramentum,* ſed [c] *fol. 22. c. 4.*
apud vos in gratiam [d] Pontificis, apud nos in cauſa Regis: vtrobi- [d] *fol. 24. c. 1.*
que *examen,* & hîc vos Concilium Carthaginenſe ſecuturos profi-
temini, [e] Decretales tamen Epiſtolas & obedientiam [f] *Romano pon-* [e] *fol. 24. c. 3.*
tifici exhibendam intexitis, de quibus in illo Concilio altum ſilen- [f] *Ibidem.*
tium. Denique vt ad *indumenta* accedam, electi apud vos [g] paran- [g] *fol. 23. c. 3.*
tur *amictu, alba, cingulo, ſtola pluuiali* & *ſandalijs,* accipiunt autem [h] *fol. 25. c. 3.* [i] *fol. 28. c. 2.*
[h] *crucem* pectoralem, & *ſtolam* ita adaptatam, vt ab humeris depen- [k] *fol. 30. c. 2.*
deat, deinde *tunicellam, dalmaticam,* & *caſulam*; poſtea conſecrator [l] *fol. 30. c. 4.*
eorum vngit [i] *caput* & [k] *palmas*; præterea benedicit [l] *baculum,* & [m] *fol. 31. c. 3.*
tradit conſecrato, & ſimiliter [m] *annulum* cum [n] *gemma,* [o] *mitram* & [n] *fol. 23. c. 3.* [o] *fol. 33. c. 1.*
[p] *chirothecas.* Nobis quidem tantus cæremoniarum ſplendor non [p] *fol. 33. c. 2.*
arridet; noſtri tamen Epiſcopi ſua ſacra habent indumenta, quibus nihil modeſtius, nihil decentius. Ita in noſtrorum conſecratione cruces, oleum, mitras, chirothecas, ſandalia, annulos vel baculos non video; at ſacras conciones, exhortationes, examinationes, admonitiones, precationes, manuum impoſitionem, & benedictionem video; id eſt, omnia neceſſaria video: ſed veſtra, ad pompam potiùs quàm ad pietatem ſpectantia, non video, nec videre cupio.

Hactenus Anglicanum cum veſtro Innocentiano contulimus; 10
ſupereſt vt Romana paulò antiquiora inter ſe comparemus. Sed quanta hîc, *ò quanta eſt diſcordia fratrum?* Quod ne temerè aut inuidioſè à me dictum putes, audi quæſo Epiſcopum Pientinum, ho-

minem in ſacris cæremonijs longo tempore verſatum, qui Innocentium octauum pontificem maximum ſic alloquitur : [q] *Pontificalis libri emendationem (beatiſsime Pater) tuo iuſſu aggreſſus ſum; opus ſanè laborioſum, varium, atque vt multis fortaſſe gratum, ita & inuidiâ plenum. Rei enim vetuſtate, eccleſiarum multitudine, temporum & prælatorum varietate affectum eſt, vt vix duo aut tres codices inueniantur, qui idem tradunt. Eodem modo, quot libri, tot varietates : ille deficit, hic ſuperabundat; alius nihil omninò de ea re habet : rarò aut nunquam conueniunt.* Sic ille. O rarum & prædicandum conſenſum!

[q] *In proœmio pontificali præfixo.*

Porrò vt antiquiores formulæ à ſe inuicem diſſonant, ita veſtram hodiernam ab antiquiſſimis, non paucis in rebus, diſcrepare nullus dubito. Cuius rei explicandæ gratia ab *indumentis* ſi placet exordiamur; in quibus primò occurrit *pallium*.

PHIL. Vſus pallij eſt antiquiſſimus, quod à Lino Pontifice, Petri Apoſtoli immediato ſucceſſore, originem habuit, vt docet [r] Marcellus, Archiepiſcopus Corcirenſis, idque teſtimonio Maximi, atque Euſebij Cæſarienſis, dicentis, *Nihil antiquius eſſe veſte illa ſacerdotali præſulis noſtri, quam Linus pallium appellauit.*

[r] *Sacr. ceremon. l. 1. fol. 113.*

ORTH. Si à Lino erat inſtitutum, non igitur ab Apoſtolo : Linus enim non fuit Apoſtolus. Si à ſucceſſore Petri, ergò non niſi poſt mortem Petri. Petrus enim (qui ex veſtra ſententia erat Romanus Epiſcopus vſque ad mortem) vicarium habere potuit adhuc viuus, ſucceſſorem habere non potuit niſi defunctus. Hinc ſequitur viuentibus Petro & Paulo (qui eodem die cenſentur martyrio coronati) pallium in rerum natura nondum extitiſſe. Hac tamen veſte (inquis) *nihil antiquius.* Omnia igitur veſtimenta veſtra poſt mortem Petri & Pauli ſunt excogitata, ac proinde in conſecratione Titi aut Timothei non ſunt adhibita. Ergò in antiquiſſima illa ordinandi formula, qua vſi ſunt Petrus & Paulus, de veſtris ſacris indumentis altum ſilentium. Quare ſi indumenta ſpectemus, ordinale nunc Anglicanum illi formulæ, qua vſi ſunt Petrus & Paulus, longè eſt ſimilius, quàm hodiernum Romanum. Præterea inter ſacra indumenta Epiſcopalia, vix vllum apud vos maiori eſt in pretio quàm *mitra*. Verùm an hæc ab Apoſtolis manauit? An ſemper ab vniuerſa eccleſia eſt retenta? An ſemper à Romana? Atqui (vt vir [ſ] doctiſſimus obſeruauit) *Amalarius Fortunatus, & Rabanus Maurus, et Walafridus Strabo, qui ſupra Octingentos poſt Chriſtum annos vixerunt, atque de veſtimentis ſcripſerunt, quibus ipſorum temporibus vſi ſunt Epiſcopi, de mitra non verbum loquuntur. Et Alcuinus ille, Caroli magni præceptor, qui non multò illis ſenior vixit, ſcripſitque, de ſacerdotalibus veſtimentis agens, in iiſque de mitra Iudaicorum ſacerdotum, huiuſcemodi (inquit) veſtis non habetur in Romana eccleſia, vel in noſtris regionibus. Porrò Iuo Carnotenſis, qui circiter trecentos annos poſt Alcuinum floruit, oſtendit ſuis temporibus ipſam adhuc non irrepſiſſe : & diſertis verbis, auream laminam cõmemorans, aſſerit, nullos noui teſtamenti ſacerdotes*

[ſ] *Rainold. ſumm. colloq. c. 8. ſ. 4.*

eam

Digitized by Google

eam induere. Hęc ſi vera ſunt, nulla omninò erat *mitræ* mētio in illorū temporum ordinalibus. Quare *mitram* quoque reſecare potuit Eccleſia Anglicana, interim vt cæręmonias Apoſtolicas non violaret.

Phil. Ecquid erat vt tam ſpecioſi ritus expungerentur?

Orth. Multæ rationes reddi poſſunt; ſed duæ præcipuè, redundantia & ſuperſtitio. Vt foliorum luxuries fructibus officit, ita nimia cæremoniarum redundantia pietati. Miſſales autem epiſcoporum veſtes, quæ ante 800. annos erant tantùm 7. (nam octaua erat Archiepiſcoporum propria) iam ad [t] quindecim excreuerunt. [t] *Vide Rainold. quo ſupra.* Quanta autem ſuperſtitione indumentum contaminari poſſit, in vno, ſed inſigni quidem illo, oſtendam, nempe in pallio, quod ſolis Archiepiſcopis & Patriarchis (niſi forſan alijs ſpeciali indultū ſit priuilegio) proprium eſt & peculiare. Primò, hoc pallium confectum eſt ex lana duorum agnorum candidorum: [u] *Quos ſanctimoniales monaſterij ſanctæ Agnetis, vel religioſi qui ſunt in illa Eccleſiæ, offerunt quotannis ſuper altare illius Eccleſiæ, dum in Miſſa ſolenni cantatur Agnus Dei.* [u] *Marc. Corcir. ſacr. cærem l. 1. fol. 11. 2.* Quid eſt ſuperſtitioſum, ſi hoc non eſt? Secundò, pallium ex horum lana confectum, portatur ad Baſilicam Principis Apoſtolorum, & per Canonicos illius Eccleſiæ ponitur *ſuper* [x] *corpora Petri & Pauli* [x] *fol. 113.* ſub Altari maiori; vbi, factis ex more Vigilijs, per noctem dimittitur. Hoc ſi non ſit ſuperſtitioſum, cuiquam pio & prudenti cogitandum relinquo. Tertiò, traditur his verbis, [y] *Ad honorem omnipotentis Dei & beatæ Mariæ ſemper-virginis, atq; beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon Eccleſiæ tibi commiſſæ, tradimus tibi Pallium, de corpore beati Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo Pontificalis officij, &c.* [y] *fol. 114.* En tibi niueum Pallij candorem, quem turpiter decolorârit Superſtitio. Quartò, non ſine immenſa pecunia comparari potuit. O pretioſas nugas! ecquis hæc tam rancida ab ordinalibus expungi vetat?

Phil. Quin nobis narra, qua authoritate antiqua ordinalia ita delumbaſtis?

Orth. *Docemur* (teſte iure [z] canonico) *exemplo Hezechiæ frangentis ſerpentem æneum, quæ in ſuperſtitionem vertuntur, illa ſine tarditate aliqua, & cum magna authoritate à poſteris deſtrui poſſe.* [z] *Diſt. 63. quia.* Quinetiam vt agricola non modò putrida, ſed etiam otioſa ſarmenta, ita quælibet Eccleſia, quæ ſui eſt iuris, (qualis eſt Anglicana) no modò ſuperſtitioſas, ſed & inutiles & redundantes cæremonias poteſt abſcindere. Ipſum Concilium [a] Tridentinum declarat hanc poteſtatem perpetuò in *Eccleſia* fuiſſe, vt vel in Sacramentis (quorū in numero à vobis reponitur ordinatio) *Salua illorū ſubſtantia, illa ſtatuere vel mutare poſſit, quæ ſuſcipientiū vtilitati, vel ipſorū ſacramentorū venerationi, pro rerū, temporū, & locorū varietate, magis expedire iudicauerit.* [a] *Seſſ. 21. c. 2.* Quod verum eſt, nō modò ſi loquamur de *tota Eccleſia* in Concilio Oecumenico repræſentata, ſed etiā ſi intelligatur de eccleſia particulari. Inde enim fluxit, quòd tanta in *adiaphoris* apud priſcos Chriſtianos eſſet diſcrepantia. Rectè enim [b] Greg. *In vna fide nihil officit* [b] *Lib. 1. Epiſt. 41.*

Digitized by Google

ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa. Quamobrem, vt vobis nouas cæremonias excogitare; ita nobis eaſdem iuſtis de cauſis reſecare licuit. Nunc à nouis *Indumentis*, pergamus ad nouum *Iuramentum.*

12 Etenim his poſterioribus ſeculis, inter ordinandum, exigitur ab Epiſcopis deſignatis *Iuramentum obedientiæ* Romano Pontifici præſtandæ, cuius (opinor) antiquiſſima ordinalia non meminerunt: nam Metropolitanos ad hoc ſuſcipiendum, circa tempus Paſchalis ſecundi primùm adactos eſſe ſuo loco [c] oſtendam. Poſt aliquod temporis interuallum ſerpſit longiùs, & ad omnes Epiſcopos ordinandos ſe diffudit. An ſic in antiquis ordinalibus?

c L.4.c.16.

13 Nec nouum ſolummodò *Iuramentum*, ſed nouum etiam *ſymbolum* poſt aliquot ſecula derepentè emicuit, in quo Nicenæ fidei articuli aurei, & noui aliquot, ſed pluſquam plumbei (quales ſunt *Tranſubſtantiatio*, humana *merita, traditiones, purgatorium, indulgentiæ,* & id genus alij) *arte* credo *chymica* commiſcentur, & in vnum conflantur. Hanc fidem vt deſignati profiterentur Epiſcopi, inſtituit *Pius quartus*, teſte [d] Onuphrio. Immò idem Pius (O pietatem) huic *fidei formulæ, extra quam nemò ſaluus eſſe poteſt*, obedientiæ Pontificiæ iuramentum doloſè immiſcuit. Age igitur (mi Champnæe, qui tantoperè antiquitatem crepas) tu mihi, ſi potes, talem fidei profeſſionem, qualis in veſtris iam obtinet ordinationibus, in antiquis oſtende ordinalibus, & non recuſo quin cauſa ſis ſuperior.

d In vit. Pij.4.

PHIL. Tu tua fruere ſententia, ego in Eccleſiæ iudicio acquieſcam.

CAP.

Cap. XVIII.
De Epiſcopis ſub Regina Maria florentibus.

Epiſcopi Mariani
- *diſtribuuntur in Antiquos, & Nouos.* 1
- *diſcutiuntur tum*
  - *Antiqui.* 2
  - *Noui.* 3

Orth.

HActenus honore Epiſcopali ſub Eduardo exornatos perluſtrauimus, nunc ipſa temporum ſeries ad Epiſcopos Marianos quaſi manu ducit; de quibus tuam poſco ſententiam.

Phil. Non opus eſt: ſatis enim tibi iamdudum innotuit.

Orth. Vt diſtinctè agamus, in duas diſtribuentur claſſes; quarum prima antiquiores, ſecunda recentiores complectetur. *Antiquiores* appello, qui ante regnum Mariæ, infulam induti Præſularem, priſtinis ſub eadem gaudebant honoribus; *Recentiores*, qui, ſceptrum tenente Maria, cathedram Epiſcopalem ſunt conſecuti.

Phil. Vis vt verbo dicam? Quotcunque ſub Maria claruerunt, ſiue Veteres, ſiue Noui, omnes ad vnum erant Canonici.

Orth. Antiquiorum plærique ſub Henrico octauo ſacrati 2
ſunt, ídque vel à Cranmero ipſo, vt Robertus Warton, quem Maria regno potita ab Eccleſia Aſaphenſi ad Herefordenſem traduxit; vel ab alijs, quibus Cranmerus vices ſuas demandârat, vt Heathus, Bonnerus, & alij. Horum etiam nonnulli apud Eduardum Regem ſumma erant gratiâ, vt Thomas Thirlebeius, quem Henricus ad Weſtmonaſterienſem, Eduardus ad Norwicenſem, Maria denique, cui à ſecretioribus fuit conſilijs, ad epiſcopatum Elienſem extulit. Porrò Antonius Kitchin, alias, Dunſton, Landauenſem Epiſcopatum, quem ſub Henrico nactus erat, ſub Eduardo, Maria, atque Elizabetha vſque ad mortem ſuam, quæ contigit anno Elizabethæ quinto, retinuit. Quare dum antiquiores veſtros ſub Maria florentes tantoperè laudas, eodem planè halitu, omnium ſub Henrico, quorundam ſub Eduardo, vnius denique ſub Elizabetha degentis conſecrationem calculo tuo comprobas.

Phil. Nequaquam; neque enim eſt horum omnium eadem ratio.

ORTH. Nónne omnes ſecundùm formam Eccleſiæ veſtræ, idque à Canonico conſecrantium numero ſunt inaugurati?

PHIL. Canonici igitur erant quoad conſecrationis formam, & porrò quoad conſecrantium numerum, ſed non quoad perſonarum qualitatem, quia erant *ſchiſmatici*.

ORTH. Immò hâc quoque ex parte par planè & ſimilis omnium conditio. Singuli enim Regem *Caput Eccleſiæ Anglicanæ* renunciârant; ac proinde, ſi vobis credimus, hæreſi & ſchiſmate non leuiter erant tincti, ſed penitus imbuti. Quamobrem ſi huiuſmodi ordinationes habendæ ſint Canonicæ, quod de hæreſi ac ſchiſmate obtendi ſolet, id in poſterum, quoties de ordinationibus agitur Canonicis, alto & æterno ſilentio eſt ſepeliendum.

PHIL. Nec ordinationes iſtæ, nec ordinati, ipſo ordinationis tempore, in vſque quaque Canonicis numerari merebantur; verùm poſtea, correctis erroribus, cœleſte acceſſit *Abſolutionis* remedium. Quamuis autem vniuerſi in ſchiſmate eſſent pares, pares in hæreſi, hîc tamen omnino diſpares erant, & diſſimiles. Omnes ob hæc crimina cenſuris per 20. annos fuerant irretiti, ſed non omnes, regnante Mariâ, erant abſoluti. Hanc gratiam ſolis pœnitentibus, ſéque in Romani Pontificis obedientia deinceps permanſuros profitentibus, per Legatum ſuum illuſtriſſimum Cardinalem [a] Polum, indulſit ſanctiſſimus Pater Paulus quartus.

[a] *Sand. de ſchiſ. l. 2. p. 260.*

ORTH. Hoc non erat reuera abſoluere, ſed peccatis potiùs recidiuis implicare atque inuoluere. Verùm de *antiquioribus* ſatis, iam *recentiores* videamus.

3 PHIL. Maria Regina Holimannum ad Epiſcopatum Briſtolienſem, Coteſium ad Ceſtrenſem, Morganum ad Meneuenſem, Brocum ad Glouceſtrenſem, Chriſtophorſonum ad Ciceſtrenſem, Dauidem Polum ad Petroburgenſem, & Cardinalem Polum ad Cantuarienſem prouehendos curauit.

ORTH. Et eadem regnante, Buſhus Briſtolienſis, Birdus Ceſtrenſis, Taylerus Lincolnienſis, Scoræus Ciceſtrenſis, Barlous Bathenſis ac Wellenſis, atque alij Epiſcopatus ſuos deſerere, & in exilium pergere coacti ſunt. Ob quod delictum? Partim, quia Pontifici & Religioni Pontificiæ non aſſenſerant, nec obſequium *Principi* debitum, in *Sacerdotem exterum* transferri voluerant; partim, quia Vxores ſancto ſibi matrimonio copulârant. Hoc enim Gregorius Martinus *ſacrorum ordinum* [b] *pollutionem* appellat, quod tamen (teſte Spiritu ſancto) eſt [c] *honorabile inter omnes, & thorus immaculatus*. Si iſtæ cauſæ iniuſtæ erant (vt erant iniuſtiſsimæ) qui horum Sedes & Cathedras inuaſerunt, pro inuaſoribus iniuſtis, atque prædonibus ſunt habendi. Sed quales quales fuerint, eorum conſecrationes nobis expone.

[b] *Defect. c. 15. n. 11.*
[c] *Heb. 13. 4.*

PHIL. Dabo tibi ſpecimen, ab illuſtriſsimo Cardinale Polo exorſus.

Digitized by Google

Reginaldus [d] Polus, conſ. Arch. Cant. 1557. 22. Martij, à { Nicol. Eborac. / Thom. Elienſi. / Edm. Londin. / Rich. Wigorn. / Iohan. Lincolnienſi. / Mauricio Rôffenſi. / Thoma Aſaphenſi. }

[d] *Ex Regiſt. Poli. fol. 3.*

Thom. [e] Watſon. / Dauid [f] Polus, { conſ. Epiſ. } { Lincoln. / Petroburg. } { 1557. 15. Aug. à } { Nic. Ebor. / Tho. Elienſ. / Guil. Banch. }

[e] *Ibid. fol. 10.*
[f] *Ibid. fol. 11.*

Ioh. Chriſtopherſon. conſ. Epiſ. Ciceſt. 1557. 21. Nou. ab { Edmon. Londin. / Thom. Elienſ. / Mauricio Roffenſ. }

ORTH. Hi quatuor à Thoma Elienſi ſunt oriundi, Elienſis, à Iohanne Bedfordienſi, Iohannes, à Roberto Aſaphenſi, Robertus, à Thomâ Cranmero Cantuarienſi.

Finis Libri ſecundi.

Digitized by Google

LIBER TERTIVS.

Cap. I.

Ad Papiſtarum querelas de Mulctâ, & Epiſcopis indignè (vt calumniantur) tractatis, Reſponſio.

Querelæ
- *Proponuntur, ſunt autem de* — *Depoſitione ipſa.* / *eiuſdem* — *antecedentibus.* / *conſequentibus.* 1
- *examinantia*
  - *hic quoad*
    - *antecedentia: hic ſpectanda*
      - *pœna, præcipuè autem Mulcta.* 2
      - *culpa in*
        - *genere quòd religioni non conſenſerint.* 3
        - *ſpecie circa*
          - *inaugurationem.* 4
          - *diſputationem.* 5
          - *excommunicationẽ.* 6
    - *conſequentia, videlicet quomodo depoſiti ſint tractati.* 7
  - *poſtea, quoad depoſitionem ipſam.* cap. 2. & 3.

Phil.

DVm temporis omnia circumrotantis curſum ſequimur, ecce; ad Regnum Elizabethæ deuoluimur. Et hic mihi ſuboritur triſtis & ater ille dies, in quo vniuerſi Eccleſiæ Anglicanæ Prælati, vniuerſi, inquam, ſi vnum duntaxat excipias, à ſuo gradu & dignitate deiecti ſunt & deturbati. Nam (vt refert * Sanderus) *poſt certum diem, id eſt, feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ anno 1559. miſſam facientibus aut audientibus, aliúdue quodcunque officium Eccleſiaſticum ritu veteri procurantibus, ſacramentúmue aliquod Romano more adminiſtrantibus, grauis indicitur mulcta, nimirùm, vt qui in hanc legem primâ vice committeret, vel ducentos aureos dependeret, vel ſex menſibus in vinculis ageret; ſecunda vice quadringentos aureos, aut vnius anni vincula exolueret. Tertia demum*

* De ſchiſm. l.3.p.285.

vice perpetuis carceribus addiceretur, omnibúſque bonis excideret. Quo factum eſt, vt ad præſcriptum diem ceſſarent ſacra publicè fieri per totum Regnum. Quia verò his impietatibus epiſcopi conſentire noluerunt, nec Iureiurando affirmare, ſe in conſcientia credere ſolùm Reginam ſub Chriſto eſſe Anglicanæ Eccleſiæ ſupremam Gubernatricem, præter Vnum omnes ſunt paulò pòſt de gradu & dignitate ſuâ depoſiti, ac carceribus variiſque cuſtodijs commiſſi, vnde omnes hodiè longo miſeriarum tædio extincti ſunt. Quorum glorioſiſſimorũ confeſſorum nomina ad æternam rei memoriam apponam. Inprimis Nicolaus Eboracenſis Archiepiſcopus, paulò antè Angliæ Cancellarius: Deinde Edmundus Londinenſis Epiſcopus, Tonſtallus Dunelmenſis, Iohannes Wintonienſis, Thomas Lincolnienſis, Thurlbeius Elienſis, Thurberuilus Exonienſis, Burnus Batuonienſis, Polus Petroburgenſis, Baynus Litchfildenſis, Cuthbertus Ceſtrenſis, Oglethorpius Carliolenſis, Thomas autem Goulduellus Aſſaphenſis, plenus pietatis & dierum, 26. poſteà annos Romæ vixit, & non ita pridem fœliciſsimè ac ſanctiſſimè in Domino obijt. Hactenùs Sanderus, cui conſonat Cardinalis Alanus, ſic ſcribens: [a] *Quatuordecim nobiliſſimi antiſtites virtute & doctrina (ſi qui alij) per totam Europam inſignes, honoribus & dignitatibus quibus potiebantur ſunt exuti, plerique etiam in carceres detruſi, & indignis modis per omnia tractati.*

[a] *Cathol. defenſio Anglicã p. 45.*

Orth. Duo hìc ventilanda; veterum Prælatorum deiectio, & Nouorum euectio. Ad primum quod attinet, præſules veſtros non modò depoſitos, ſed etiam indignè habitos, tam ante depoſitionem quàm poſteà grauiter conquereris. Primò igitur de antecedentibus & conſequentibus, dein de ipſa depoſitione agemus.

2 Phil. Aio *miſſam facientibus vel audientibus, aliúdue quocunque officium eccleſiaſticum ritu veteri procurantibus, grauem mulctam eſſe indictam.*

Orth. Nouitates veſtras *Antiquitatis* titulo ſoletis venditare, illúdque pro ritu veteri obtrudere, quod heri aut nudiuſtertius eſt enatum. Sed perge.

Phil. Hæc mulcta ad quoduis ſacramentum Romano ritu adminiſtratum ſe porrigebat.

Orth. Sanctus Paulus ait: [b] *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Quibus verbis demonſtrat, ſacramenta eo more miniſtranda eſſe, quem docuit Dominus. Nos igitur morem Romanum non moramur, nec cuiuſquam vrbis aut regionis ritum; quippe qui ſolius Ieſu Chriſti Seruatoris noſtri inſtituto aſtringimur. Hoc ſi ſequatur Roma, nos vnà cum Roma amplectemur; huic ſi valedicat Roma, & nos Romæ valedicemus. Sed de *mulcta.*

[b] *1. Cor. 11. 23.*

Phil. Grauis indicebatur *mulcta,* nimirum, vt qui in hanc legem committeret, pro prima, ſecunda, aut tertia vice pœnas, quas dixi, lueret.

Orth. Quid fecit glorioſiſsima Elizabetha, quod non optimi & clementiſsimi Principes ingenti cum laude factitarunt? Num

Digitized by Google

Num leges promulgauit, quarum vigore vera Chriſti Religio poſſet efflorescere? Hoc idem fecerunt [a] Gratianus, Valentinianus, Theodoſius, & omnes laudati Imperatores. Num pœnas harum legum violatoribus irrogauit? Ita Conſtantinus in Donatiſtas conſtituit: [e] *Vt res conuictorum & vnitati peruicaciter reſiſtentium fiſco vendicarentur:* Ita [f] Theodoſius; *Legem generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quiſquis eorum Epiſcopus vel Clericus vbilibet eſſet inuentus, decem libris auri mulctaretur.* Quæ quidem leges à ſancto Auguſtino eximiè laudantur; cuius tamen primitùs ſententia erat; [g] *Neminem ad vnitatem Chriſti eſſe cogendum, verbo eſſe agendum, diſputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus.* Hæc eius opinio, *non contradicentium verbis, ſed demonſtrantium ſuperabatur exemplis:* exemplis (inquam) multarum ciuitatum, quæ, cùm eſſent Donatiſtarum erroribus imbutæ, per leges Imperatorum factæ ſunt Catholicæ. His exemplis Auguſtino à Collegis ſuis propoſitis, ipſe, quo erat candore, veritati ceſſit, tum demum intelligens circumcelliones, tanquam phreneticos, legum Imperialium quaſi vinculis ligatos, ad mentis ſanitatem fuiſſe perductos; & complures hæreſium ſuarum ſomno lethargico ſepultos, legum Imperialium ſeueritate excitatos, tandem aliquandò euigilaſſe. Ita didicit, reges terræ ſeruire Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto. Qua laude inprimìs ornanda eſt Elizabetha, quæ ſanctam legum ſeueritatem ſingulari manſuetudine temperauit. Cuius miranda clementia longè futura eſt ſplendidior, ſi ad ſororem eius, Reginam Marinam, oculos retorſeris: cui non ſatis erat aliter ſentientes pœna pecuniaria aut libertatis iactura multare, quin rogo impoſitos flammis crepitantibus combuſſit, & ad cineres redegit. 2

PHIL. Quaſi verò mori non præſtaret, quàm tanto cum tædio vitam trahere.

ORTH. Duo hìc ſinceri iudicij lance libranda ſunt, eorum ſcilicet *merita*, & *merces*. Quid meriti ſint ex eo in genere licet conijcere, quòd ruituræ ſuperſtitioni humeros ſuos, tanquam Atlantes, ſupponerent, & vniuerſæ reformationis fabricæ totis ſe viribus opponerent. 3

In ſpecie autem hæc tria tibi animo ſunt recolenda; nempe *Inauguratio, Diſputatio,* & (de qua diſplodenda cogitabant) *Excommunicatio.* Quando Elizabetha more Regali ſolenniter eſſet inauguranda, omnes vnanimi conſenſu ſuam, quæ illis ex officio incumbebat, negabant operam, præter vnum Owenum Oglethorpium, Epiſcopum Carlioleſem. 4

PHIL. Nec immeritò. Siquidem Elizabetha: [h] *Animum ſuum in religionis negotio ſtatim patefecit, cum alijs modis, tum maximè quod Catholicis concionatoribus mox ſilentium indixerit, hæreticos in regnum ex varijs, vbi exulauerant, locis redire permiſerit, Epiſcopóque cuidam coram ſe facturo ſacrum, iámque ad Altare ſacris veſtibus induto, præcepe-*

[a] Codex.l.1. tit.1.cunctos.
[e] Auguſtin.ep.48.
[f] Aug.ep.50.
[g] Epiſt.48.
[h] Sand.de ſchiſ. l.3.p.272.

rit, non eleuare conſecratam hoſtiam. Vnde factum eſt, vt Archiepiſcopus Eboracenſis, cui tum ex officio (defuncto priùs Cardinale Polo Cantuarienſi Primate) munus ipſum in Reginam inungendi & conſecrandi obuenit, negauerit operam ſuam; negarent quoque cæteri Epiſcopi, præter vnum, eumque penè vltimum, omnes.

ORTH. Eleuatio ad hoſtiæ adorationem, id eſt, idololatriam tendit. Quare dum hoſtiam eleuari prohibuit, nihil ſe indignum, nihil ab officio principis alienum fecit. Nam, vt rectè Auguſtinus, [i] *In hoc Reges, ſicut eis diuinitùs præcipitur, Deo ſeruiunt in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona iubeant, mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad diuinam Religionem.* Cæterùm fingamus quam Papa profitetur, eam demum veram eſſe religionem; fingamus hac in re erràſſe Elizabetham: at vera fuit Regina; iure Regnum poſſidebat; omnes ordines Principem ſuam agnouerant; & Archiepiſcopus porrò Eboracenſis, ſummus tunc Angliæ Cancellarius, reliquíque Proceres clangore tubæ Reginam publicè declaràrant. Cur igitur Epiſcopi hanc ſolennem vnctionis & inaugurationis cæremoniam, quæ nulli vnquam maiorum ſuorum eſt denegata, rogati non impenderent? Si illorum capitibus tiaras illa ipſa de cauſa detraxiſſet, quòd ſacro capiti diadema imponere detrectaſſent, quid hoc eſſet aliud quàm iuſtam mercedem rependiſſe? Sed de inauguratione hactenus, nunc ad diſputationem properamus.

[i] *Contra Creſconium, l. 3. c. 51.*

5 Vbi viſum erat Reginæ, vt quædam religionis controuerſiæ ab Epiſcopis vel eorum athletis ex vna parte, & ſelectis quibuſdam theologis ex altera diſputando ventilarentur, Epiſcopi, primùm tergiuerſantes, omninò intereſſe recusàrunt, pòſt, vbi veniſſent, nec argumenta texere, nec reſponſa dare voluerunt.

PHIL. Nec ſine cauſa. Siquidem, vt ipſi reſponderunt, [k] *Æquum non erat vt ea quæ iam à multis ſæculis tot & tam celebribus pontificum, Conciliorum, & Patrum iudicijs definita ſunt, in quæſtionem & diſputationem venirent.*

[k] *Sand. l. 3. p. 283.*

ORTH. Pontifices, Concilia, & Patres nobis (Philodoxe) commemoras, at de ſacris Scripturis altum ſilentium: noſtra ſanè fides Concilijs & Patribus non nititur, ſed Sacroſancto Dei Verbo, ſcripturis Propheticis & Apoſtolicis comprehenſo. Pro cuius intelligentia antiquorum Conciliorum, & patrum ſcriptis vtimur, quippe de quibus perquàm honorificè ſentimus: ea tamen lege, vt inter hæc & Dei viuentis Verbum, diſcrimen immenſum ſtatuamus. Siquidem Verbum Dei ita eſt infallibile, vt nec falli poſſit, nec fallere: verbum autem hominum (ſint licèt ſanctiſſimi & doctiſſimi) eſt errori obnoxium. Hîc ergo omnia ſunt exploranda, vt quod bonum eſt teneamus; lapis autem Lydius eſt Verbum Dei. Neque tamen nos Concilia aut Patres extimeſcimus. Vos ea quidem à vobis ſtare, & nobis aduerſari gloriamini,

ſed

Digitized by Google

ſed rem longè aliter ſe habere non ſemel experti ſumus. Ad pontifices quod attinet, ſi priſcos illos Romæ Epiſcopos intelligas, eoſdem quo decet honore proſequimur, quorum ſcripta genuina ſi extarent, non inuiti amplecteremur; ſin recentiores innuas, certè non magni facimus. Præterea, ſi epiſcopi veſtri antiquorum Conciliorum, & patrum iudicia ſecum conſentientia producere potuiſſent, tantò expeditiùs nobilem victoriam reportaſſent; quòd ſi ita ſe res haberet, calcar credo fuiſſet ad eos incitandum, non frænum ad cohibendum.

PHIL. Minus æquum erat; [a] *Vt ea quæ in Academijs certo ordine, coram doctis ac iudicio valentibus agitari deberent, coram imperito, & nouitatis ſtudioſo populo, qui clamoribus potiùs quàm argumentis rem omnem definire ſolent, tractarentur.* [a] *Quo ſuprà.*

ORTH. Quaſi hæc diſputatio coram imperita multitudine habenda eſſet, & non potiùs coram proceribus, grauitate, prudentia, iudicio pollentibus. Sed, vt quod res eſt liberè dicam, cauſæ ſuæ diffidebant, neque ſe eandem Scripturarum teſtimonijs ſatis tueri poſſe ſperabant.

PHIL. Aſſerebant [b] *contra contentioſos, & eccleſiæ iudicio non acquieſcentes parum profici diſputationibus.* Et ſanè mirandum non eſt, ſi rem tantam diſputationibus tranſigi nollent, cum [c] *Iudex (ſi Dijs placet) Nicolaus Baconus eſſet homo Laicus, hæreticus, ac rerum diuinarum prorſus imperitus, aſſiſtente, ad ſpeciem tantùm, reuerendiſſimo Archiepiſcopo Eboracenſi. Dies aduenit, qui fuit tertius* [d] *Aprilis: infiniti confluxerunt, iniquæ diſputandi leges ab hæreticis tantùm præſcribuntur: nihil ordine & ratione factum, declamationibus hinc inde tempus elabitur, profanus Iudex omnia vt volebat moderatur, res ad nihilum redit, hæretici in inſania pergunt.*

[b] *Sand. p. 284.*
[c] *Sand. ibid. Pollinus l. 4. c. 5. p. 420. Eud. Iob. Paral. c. 5. p. 244.*
[d] *Ann. 1559.*

ORTH. Iſta ſunt pigmenta rhetorica, quibus orationem veſtram, tanquam gemmulis quibuſdam vel ſtellulis, ornare ſoletis & illuminare. Ita enim vobiſcum comparatum eſt, vt ſi quis Papæ adhæreſcat, is verè Catholicus & inſigniter eruditus euadat illicò. Hoc ipſum credo eſt in Parnaſſo bicipiti ſomniaſſe, vel in fonte Caballino labra proluere, vt eſt apud poëtam. Verùm, ſi quis Deum, patriam, ac Principem Papæ prætulerit, næ is in fide hæreticus, in bonis literis ſtipes & fungus derepentè fiet, vel, tanquam viſo Gorgone, in ſaxum aut ſilicem obdureſcet. Cæterùm tantus huius viri clariſſimi erat ſplendor, vt nullis calumniarum veſtrarum præſtigijs obſcurari poſſit. Age enim, quid demum eſt quod illi vitio vertis? An quòd apud ſereniſſimum Principem ſumma floreret gratia? Quin [e] Salomon dicit; *Qui amat munditiem animi, pro gratia labiorum eius, Rex amicus eius futurus eſt.* An quòd à Principe diſputantium moderator ſit deſignatus? Summâ erat ſapientiâ, alto & excelſo ingenio, ſingulari fide, inſigni zelo & pietate, incredibili candore, &, vt paucis dicam, iuſtitiâ (quæ heſpero & Lucifero eſt ſplendidior) & omni virtutum genere inclytus; in quo nihil [e] *Prou. 22. 11.*

 quicquam

quicquam erat quod iure reprehendas. Quin tu igitur ad Sereniſſimæ Reginæ Elizabethæ admirabilem clementiam oculos conuerte, quæ ſolùm Baconum diſputationis moderatorem non conſtituit, ſed Nicolaum Heathum, Archiepiſcopum Eboracenſem, & Angliæ Cancellarium, hominem veſtrarum partium, in eccleſia & republica eminentiſſimum, eodem honore dignata eſt, qui non ad ſpeciem tantùm, vt fingit Sanderus, aſſiſtebat, ſed authoritate erat inſtructus ad curandum, vt ſuis pontificijs plena eſſet libertas, animi ſui ſententias in frequentiſſimâ illâ & ſplendidiſſimâ hominum coronâ proloquendi. An res maiori cum æquitate tranſigi potuit?

Phil. Siccine hominem Laicum de epiſcopis, ſummiſque theologis iudicare?

[a] Sozom. l.4. c.5.

[b] Breuic. coll. in præfation. & c.2.

[c] Aug. epiſt. 178.

[d] Apud Bin. t.2. p.1.

[e] Apud Bin. t.3. p.7.

[f] Cap. 32. Bin. t.1. p.732.

Orth. Nónne Baſilius Ancyræ Epiſcopus diſputauit contra Photinum, Iudicibus [a] *qui & doctrina & authoritate primas in palatio obtinere videbantur, ex mandato Imperatoris Concilio præſidentibus?* Nónne [b] Auguſtinus aliíque Catholici cum Donatiſtis contulerunt apud Marcellinum tribunum, cognitorem & Iudicem, idque iubente Imperatore? Nónne idem Auguſtinus Paſcentio Ariano congreſſus eſt arbitro [c] Laurentio? Quin ſi Conciliorum volumina inſpicere libeat, reperies in Concilio Chalcedonenſi primo, generali autem quarto, quoſdam [d] Laicos nobiliſſimos Iudices conſtitutos, quorum nomina in actione primâ recenſentur. Simile occurrit in [e] Conſtantinopolitano tertio, generali autem ſexto: Et in [f] Epheſino primo, quod erat tertium generale, Theodoſius & Valentinianus Candidianum Comitem, Iudicem deſignârunt.

[g] Ibidem.

Phil. Iſti Iudices quidem erant, ſed quo tandem modo? Hoc ex his Theodoſij ac Valentiniani verbis conſtabit: [g] *Ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus Candidianum, ſed ea lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſijs quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat.*

Orth. Rectè. Sed primò, vt eos qui ſpectandi tantùm gratiâ confluxerant, ſubmoueret, ne ſacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedirent. Secundò, vt ſtudioſè obſeruaret, ne quem ex ſacra Synodo reditum molientem, aut ad alium quemcunq; locum abſcedere cupientem, priùs inde abire permitteret, quàm diligenti adhibita diſcuſſione, ea omnia decreta definitáque fuerint, quæ in diſquiſitionem veniunt. Tertiò, ne vllam omninò controuerſiam vndecunque natam aut motam, quæ ad propoſitam ſancti dogmatis conſiderationem non pertineat, antè moueri fineret, quàm eorum omnium, quæ tunc in quæſtionem vocata erant, ambiguitate ſoluta, ea quæ ad veritatis inueſtigationem faciunt, exactiſſimè diſcuterentur, finémque Orthodoxæ Religioni congruum ſortirentur. Quartò, ne qua grauior diſſenſio, ex mutuo repugnandi ſtudio coorta, veritatis indagationem quouis modo obturbaret.

Digitized by Google

turbaret. Denique vt operam daret ſedulam, quò, omnibus & ſingulis quę dicuntur ritè perceptis, ſinguli inoffensè, quod viſum fuerit, in medium proponere, vel ab alijs propoſitum, ſi opus fuerit, refutare poſſent. Eodem planè modo Baconus ad hæc & ſimilia officia præſtanda ſelectus eſt, non autem ad controuerſias fidei dirimendas.

PHIL. Atqui erat [h] *Catholicorum capitalis hoſtis.* [h] Eudemon. c.5.p.244.

ORTH. Quæcunque in illo congreſſu dicta aut facta ſunt, typis excuſa conſpicienda proſtant. Ex quibus liquet omnia eius geſta in hoc negotio iſtiuſmodi fuiſſe, quæ virum optimum & æquitatis amantiſſimum decere poſſent. Epiſcopi profectò ſe ſatis difficiles & moroſos præſtiterunt, Baconus tamen Candidiano tuo longè erat candidior.

PHIL. [i] *Proteſtantes omninò voluerunt vt diſputarent propoſitis in quæſtionem, vt fit, ijs articulis qui videbantur habere maiorem pro hæreticis probationis ſpeciem, vt de communione ſub vtrâque ſpecie, de publicis precibus habendis in lingua vulgari & ſimilibus.* [i] Sand. de ſchiſ. l.3.p.284.

ORTH. In publica Eccleſiæ reformatione, primum locum ſibi iure vendicare poteſt diuina officia & ſacramenta adminiſtrandi ratio. Quocirca quæſtiones ſingulari cum iudicio & prudentia ſelectæ erant. Primà, de precibus publicis & ſacramentis in lingua ignota non celebrandis; altera, de poteſtate Eccleſiæ circa ritus & cæremonias; tertia, de ſacrificio miſſæ. Quibus in rebus quanta; O quanta iniuria populum Dei affecerat eccleſia Romana? Et hîc Proteſtantes viſos eſſe maiorem in Scripturis probationis ſpeciem habere agnoſcis. Quid? An Scripturæ his in cauſis probationis tantùm ſpeciem nobis ſuppeditant, non etiam ſolidam probationem? Si hæc Epiſcopis penitùs inſediſſet opinio, feruentiores credo ad pugnam exiluiſſent, nec adeò timidè fugam adornaſſent. Porrò, nunquid in his duntaxat articulis à nobis ſtant Scripturæ? Si quæſtio de Idolorum cultu, Sanctorum inuocatione, operum meritis, & iſtiuſmodi rebus alijs inſtituta fuiſſet, nónne perinde, in his ac in prioribus noſtræ cauſæ aſtipularentur? Verumenimvero ſi quis venis veſtris micantibus digitum admoueat, næ is cordis tremorem & trepidationem facilè perſentiſcet. Hæc enim verba quæ à Sandero mutuatus es, ſatis indicant, veſtros ideo arenam & puluerem detrectaſſe, quia dogmata ſua ex Scripturis tueri non poterant.

Neque circa Coronationem tantùm, & diſputationem parum officiosè ſe geſſerant, ſed plærique etiam obſequij & fidelitatis in optimam Principem adeò erant obſtiti, vt aduerſus eandem excommunicationis fulmen vibrandum eſſe cenſerent, [k] Sandero & [l] Alano teſtibus, qui hunc conatum ſummoperè laudant, quaſi tantam hîc *animi magnitudinem oſtendiſſent; quantam in tam repentina hæreſis irruptione optare quiſquam poterat.* Quid igitur de Regia Maieſtate meriti ſint, æquo Lectori ex his tribus penſandum [k] Sand. quo ſuprà. [l] Defenſ. Cathol. p.52.

 relinquo;

relinquo; pro quibus tamen Elizabetha (qua erat clementia) nullâ ſeueriori pœnâ in eos animaduertit. Nam quòd poſteà ſunt depoſiti, in cauſa fuit iuramenti detrectatio, eáque ſola; de qua ſuo loco.

PHIL. Epiſcopos Catholicos à Maſoni calumnijs vindicauit Champnæus.

ORTH. Vel potiùs inſignem calumniatorem ipſe agit. Sed audiamus hominem.

[c] Champ. p. 534. PHIL. [c] *Dicimus primò nihil horum contra iſtos olim obiectum eſſe.*

ORTH. Hinc elucet Elizabethæ incredibilis clementia.

[d] Ibid. PHIL. [d] *Neque aduerſarios ſuos, quamuis implacabiles & acerbiſſimos, minimam cuiuſquam horum mentionem tanquam iuſtæ cauſa priuationis feciſſe, quod argumento eſt, eos nihil tale cogitâſſe.*

ORTH. Non opus erat iſtis inſiſtere tanquam depriuationis cauſis, quum læſæ maieſtatis (ob reiectum iuramentum) atrox crimen, cui diſerta Statuti verba depoſitionis pœnam irrogabant, in propatulo eſſet.

[e] Ibid. PHIL. [e] Secundò, *Falſum eſt omnes depoſitos horum reos eſſe.*

ORTH. Quaſi verò Maſonus hoc vſpiam dixiſſet. Quid eſt ſycophantam agere, ſi hoc non eſt?

[f] Ibid. PHIL. [f] *Oglethorpius Epiſcopus Carliolenſis neque excommunicandam Elizabetham cenſuit, neque eam coronare recuſauit.*

ORTH. Quorſum hæc? Maſonus enim hæc non tribuit omnibus: ſed authores ſuos Alanum & Sanderum adamuſsim eſt ſecutus. Alanus ſic ſcripſit, ſi verba Latinè reddantur: *Multi eorum in eâ erant ſententiâ, vt excommunicationis cenſuram contra celſitudinem eius adhibere expediret.* Sanderus autem ſic; *Sua priuata pericula adeo neglexerunt, vt eorum plerique excommunicationis cenſuram aduerſus Reginam, alióſque nonnullos adhibendam cenſerent.* Neque Maſonus vſpiam ſcripſit, eos omnes coronandi prouinciam detrectâſſe, ſed Oglethorpium ſemper diſertis verbis clariſsimè excipit.

[g] P. 535. PHIL. [g] *Eſto, omnes depoſitos horum trium reos fuiſſe; inde tamen depoſitionem non meritos eſſe clarum eſt. Nam neque Sanctus Ambroſius qui & diſputationem cum Arianis iure recuſauit, & Theodoſium Imperatorem re ipſa excommunicauit, neque Euphemius Patriarcha, qui Anaſtaſium noluit Imperatorem agnoſcere, ſed, tanquam hæreticum & indignum vt Chriſtianis imperaret, donec de amplectenda Concilij Chalcedonenſis doctrina ſtipulatus eſſet, repulit, depoſitionem meruiſſe hactenùs à quoquam iudicatus fuit.*

ORTH. Hîc nihil ſimile. Neq; enim aut nos ſumus Ariani, aut veſtri præſules Ambroſij inſtar, aut Euphemij, qui pro vera tunc fide erat ſolicitus. Neq; Regina Elizabetha Anaſtaſio Imperatori, impio & hæretico, vlla ex parte ſimilis; denique nec talis qualis tunc Theodoſius, cuius adhuc manus recenti ſtillabant cæde & ſanguine.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. [b] *Vera & vnica iſtos depriuandi cauſa fuit fidei Catholicæ profeſſio, & iuramenti primatus reiectio.* [b] *Ibidem.*

ORTH. An hæc vobis vnum idemq; ſunt? Quo tandem in ſymbolo reperitur hic articulus, de primatu regio reijciendo? Deus bone! Quo res euaſit pontificia? Niſi quis in principem ſit inofficioſus, non futurus eſt vobis verè Catholicus. Verùm age, conuenit inter nos vel eo nomine fuiſſe depoſitos, quod iuramentum ſuſcipere noluerint. Quid tu ergo?

PHIL. [c] Ergo *ineptè omninò, & impertinenter Maſonus tot impendit verba in argumento quod ad inſtitutum ſuum nullatenus ſpectat.* [c] *Champ. p.536.*

ORTH. Videris, mi Champnæe, ad ea quæ dicta ſunt non ſatis attentus; refricabo igitur tibi memoriam. Sanderus Epiſcopos veſtros ab Elizabetha non modò depoſitos, ſed etiam in carcerem coniectos, & indignè tractatos eſſe conqueritur. Maſonus, vt hanc contereret contumeliam, oſtendit quantorum criminum eſſent rei; quippe qui non modò religioni reformandæ reſiſterent, ſed & Reginæ diadema imponere præter vnum omnes abnuerent; &, ad certamen ſcholaſticum euocati, diſputare recuſarent; quin & contra Reginam excommunicationem diſplodere cogitarent: horum tamen neminem Regina, toties laceſſita, his de cauſis vel capite vel fortunis plectere voluit. O inauditam clementiam! O prædicandam mitiſſimæ Principis lenitatem! Hæccine nihil ad inſtitutum? Immò vel maximè, ſed non ad tuum.

PHIL. [d] *Miſer homo timens ne ex propria cauſa depoſitionem iſtorum iuſtificare nequeat, alias cauſas, non minùs ineptas, quàm impias contra eos confingit.* [d] *Ibid.*

ORTH. Ain'tu? Confingit? At in his ſingulis, vt iam vidimus, Sanderum, hoſtem noſtrum capitalem, habet confitentem. Tuipſe igitur ineptus es, & impius, qui eum fingere, tam audaci fronte fingis & calumniaris. Hæc non ſunt à nobis ficta, ſed à vobis facta; neque tamen ob iſta tam præclara facinora deponebantur, ſed quum iuramenti detrectatio tanquam ad cumulum acceſſiſſet, tum demum ob læſam maieſtatem ſecundùm ſtatutum ſunt depoſiti. Sed de ipſa depoſitione poſteà; interim in ijs, quæ circumſtant, verſamur. De antecedentibus hactenus, nunc ad ea quæ depoſitionem conſecuta ſunt conuertatur oratio.

PHIL. Hæc nobis indicat Pius Quintus in ſententia declaratoria aduerſus Reginam Elizabetham: [e] *Catholicos* (inquit) *antiſtites & eccleſiarum rectores in vincula coniecit, vbi multi, diuturno languore & triſtitia confecti, extremum vitæ diem miſerè finierunt.* [e] *Apud Sand. de ſchiſm. l.3. p.317*

ORTH. Epiſcopi depoſiti numero tredecim à Sandero recenſentur, quibus ſi Patus Wigornienſis adijciatur, quatuordecim emergunt, vt eſt apud [f] Alanum. Ex his ad prouinciam Eboracenſem quatuor, reliqui ad Cantuarienſem ſpectabant. Ex prouincia Eboracenſi primus eſto Nicolaus Heathus Archiepiſcopus, &, vt anteà dictum eſt, ſummus Angliæ Cancellarius, qui in maximis [f] *Defenſ. Cathol. p.45.*

Regni

Regni Comitijs & Reginæ Mariæ obitum, & iuſtum Elizabethæ titulum primus promulgauit, vndè ſtatim Regina eſt ſalutata, ac ſolenniter declarata. Pro quo in Principem officio [g] *honorificè ſemper eſt habitus, nec vlli vnquam cuſtodiæ demandatus*, ſed ſuo iure & rure tranquillè vixit, tandémque plenus dierum teſtamentum condidit. Huic proximus Cuthbertus Tonſtallus Dunelmenſis, qui Epiſcopatu exutus apud Matthæum Cantuarienſem Lambehithæ lautè exceptus, annóſque natus plus minùs octuaginta quinque, fatis conceſſit, & honorificè ſepultus eſt. Tertius erat Owenus Oglethorpius Carliolenſis, qui vt in Reginam fuiſſet cæteris officioſior, eò quòd eius capiti regale diadema impoſuiſſet, ita hanc retulit gratiam, vt, liber ſemper exiſtens, nec carcere nec cuſtodia ſit detentus; qui tamen paulò pòſt, apoplexia extinctus, debitum naturæ perſoluit. Horum vltimus Cuthbertus Scotus Ceſtrenſis, qui cuſtodia elapſus vltrò exulauit. Iam vt ab Eboracenſi prouincia ad Cantuarienſem veniamus, hîc mihi primus occurrit Iohannes Whitus Wintonienſis, *qui in carcere quidem fuit ad tempus*, non eam tamen ob cauſam quam veſtri innuunt, ſed *quòd quædam minùs pro officio in concione dixiſſet: verùm dimiſſus tamen indè pòſt, atque extra carcerem fato functus eſt.* Thomas Thurlbeius Elienſis carcerem ſalutauit, quem & breuem & leuem expertus, poſteà per totum decennium, id eſt, vſque ad vltimum halitum tam lætè & lautè apud Archiepiſcopum Cantuarienſem exceptus eſt, vt totum hoc tempus maiori cum ſolatio tranſegiſſe putetur, quàm cum ipſe ſummis honoribus cum omnium rerum affluentiâ abundaret. Gilbertus Burnus Bathonienſis apud ornatiſſimum virum Carewum, Decanum Exonienſem, antiqua ſibi familiaritate coniunctum, commoratus eſt. Iacobus Turberuillus Exonienſis, cùm multos per annos vitam egiſſet priuatam, ſumma gaudens libertate, ſupremum diem clauſit. Dauid Polus Petroburgenſis, maxima cum lenitate tractatus, & libertate fruens, domi ſuæ conſenuit. Neque reperio Baynum Litchfeildenſem cuſtodia detentum, qui non multò pòſt ex calculo obijt. Richardus Patus, Wigornienſis, & Thomas Gouldwellus Aſaphenſis in exilium non eiecti, ſed ſua ſponte profecti. Thomas Watſonus Lincolnienſis, homo proteruus & moroſus, poſt amiſſum epiſcopatum vixit annos 24. primò, in ædibus Epiſcoporum Elienſis & Roffenſis ſplendidè exceptus, ſed poſteà cùm emiſſarij veſtri eccleſiam turbare cœperunt, in arcem inſulæ Elienſis eſt ablegatus. Iam tandem ad Bonnerum Londinenſem ventum eſt, [h] *Qui regnante Maria cum Lanienæ præeſſet, in odium venerat omni populo, vt nec tutum eſſet ei prodire in publicum, ne ſaxis obrueretur. Ille quidem in carcere conſenuit, ſed vbi ſi vidiſſes, inedia confectum non diceres. Viuebat opiparè, horti erant & pomaria, ſi volebat expatiari, denique, niſi quòd certo ſpatio circumſcriptus, haud quicquam inſtar carceris.* Ita conſtat ex his quatuordecim, quoſdam ne circumſcriptos quidem; alios circumſcriptos, ſed ita,

[g] *De hoc & reliquis vid. Tortur. Torti. p. 146.*

[h] *Ibid. pag. 147.*

ita, vt apud amicos ſuos & lautè & liberè viuerent, carcerem autem omninò non ſalutarent; alios ſalutaſſe, ſed paulò pòſt dimiſſos; eóſque qui diutiſſimè carceribus ſunt mancipati, in vincula tamen non fuiſſe coniectos, vt Pius parum piè diuulgauit. Porrò, iſti quatuordecim vniuerſi tam diu vixerunt, quovſque ipſa natura vitæ ſtamen producere potuit; plærique etiam in ædibus epiſcoporum, vel amicorum, quorum ipſi conuictum expetebant, *gratis, ſine ſumptu; copiosè, ſine defectu; in otio, ſine moleſtia omni degentes, ad vltimas quas illis natura deſcripſerat annorum metas, peruenerunt.* Si nobis fidem adhibere nolueris; audi amicum tuum, hoſtem noſtrum capitalem, Philopatrum ſcilicet, Reginam Elizabetham ſic alloquentem: [a] *Dum initio Regni tui mitius aliquanto cum Catholicis ageres, dum nullum adhuc vehementiſſimè vrgeres, nullum admodum premeres, vel ad ſectæ tuæ participationem, vel fidei antiquæ abnegationem, omnia ſanè tranquilliore curſu incedere videbantur, nec audiebantur magnæ querelæ, nec inſignis aliqua diſſenſio aut repugnantia cernebatur.* Ita ipſa inuidia, veritate victa, illuſtre Reginæ Elizabethæ teſtimonium perhibuit, agnoſcens Regni initia fuiſſe mitiora, neminē tunc valdè preſſum, nec magnas tum auditas querelas. Hinc à veſtro Ieſuita ediſcere potuiſti, quàm nulla de cauſa tam triſtes ſubortæ ſint querimoniæ. Si vobis digitus doleat, omnia implentur vlulatibus: nobis verò ſi ipſum cor doloribus transfixum fuerit, apud vos pro nihilo erit. Veſtri miſeriarum colliculi intumeſcunt in montes; noſtri montes gracileſcunt in colliculos. Hæc de ijs quæ depoſitionem conſecuta ſunt, dicta ſunto. Hactenus de quibuſdam parergis, nunc depoſitionem ipſam intueamur.

[a] *Pa. 103. citante doctiſſimo epiſcopo in Tort.*

Cap. II.

Epiſcoporum pontificiorum depoſitio, exemplo Abiatharis à Salomone eiecti, defenditur.

Argumenti
- *Antecedens in teſtamento*
  - *veteri: Rex*
    - *Salomon depoſuit*
      - *quem? Abiatharem pontificem, ſed nullus vnquam pontifex depoſuit Regem.* 1
      - *quo iure? Authoritate*
        - *legitima.* 2
        - *nõ prophetia.* 3
        - *ſed Regia.* 4
    - *quilibet quolibet ſacerdote ſuperior: quod conſtat ex*
      - *Scripturis.* 5
      - *Papiſtis.* 6
  - *nouo eadem regum poteſtas quæ in veteri.* 7
- *Conſequens: ergo idem Reginæ Elizabethæ hâc in causâ licuit.* 8

Phil.

IN legitimâ depoſitione duo concurrunt, iuſta authoritas & idonea cauſa. Primùm igitur quæro, quânam ſint authoritate depoſiti?

Orth. ~~Et ego viciſſim~~ quæro, quânam authoritate [a] Abiathar à Salomone ſit exauthoratus?

[a] 1.Reg.2.27.

Phil. Semper nobis Salomonem & Abiatharem obtenditis. Profectò, ſi Salomon Rex pontificem hunc exauthorauit, [b] *alius pontifex Reginam* (nempe Athaliam) *non ſolùm exauthorauit, ſed etiam interfici iuſſit.*

[b] Bell.reſpon. ad apol.p.157.

Orth. *Non Reginam* (Philodoxe) pace tua dixerim, *quæ, contra ius fáſque omne, ſolium, non ſine tot nepotum ſuorum cæde & ſanguine, per ſummum ſcelus occupârat. Soſpes tum & ſuperſtes regni verus hæres, verus Rex Ioas, quo in viuis exiſtente Athaliâ Reginâ eſſe non potuit, vt veriſſimè dixit doctiſſimus* [c] *epiſcopus.* [d] Alanus in Catholicorum defenſione, appellat *Reginam prætenſam*, Regnúmque *vſurpâſſe* dicit. Vide igitur, quæſo, quâ cæcitate & vertigine acti ſint, qui ſe principi & patriæ perfidè opponunt. Alanus enim ſine omni rubore adducit exemplum

[c] Tort.Tort. p.371.
[d] Pag.92.

emplum Iehoidæ deponentis Athaliam, prætenſam illam & vſurpatricem Reginam, vt inde probet licere Romano pontifici Reges legitimos deponere. Porrò, quamuis Iehoida fuit pontifex, hoc tamen vt pontifex non fecit. Quicquid hâc in re molitus eſt, id omne facere potuiſſet etiam non pontifex. Si quidem vxor eius [a] Iehoſheba *filia fuit Regis Iehora, & ſoror Regis Abaziæ*, qui fuit pater Ioæ. Vnde liquet Iehoſhebam fuiſſe Regis Ioæ amitam, & Iehoidam præ cæteris mortalibus eidem affinitate proximum. Præterea quùm Athalia, truculenta Tygris, totum ſemen Regium domus Iehudæ perderet, Iehoſheba vxor Iehoidæ, *accipiens Ioam filiam Abaziæ, furtim ſurreptum è medio filiorum Regis qui afficiebantur morte, abdidit ipſum & nutricem eius in conclaue lectorum:* [b] *ita fuit cum ipſis in Domo Dei latitans ſex annis.* Sic Iehoida perſonæ Regiæ protector, diuinâ prouidentiâ eſt conſtitutus: cúmque tempus aduentâſſet quo eum manifeſtare viſum eſt, aſſumpſit ſecum in fœdus [c] *Centuriones & primarios paternarum familiarum Iſraëlis.* Quid hoc erat aliud quàm ſupremi Domini ſui perſonã, ætatem, innocentiã protegere? Quid aliud quàm, quod ipſi lege naturæ & iure gentiũ incubuit, præſtare officium? Quamobrẽ, quoties hoc ad primatum pontificis ſtabiliendũ adducitis, toties toto cœlo aberratis. Ex ſacris enim Scripturis, ne vnum quidẽ exemplum eruere poteſtis, vnde legitimum Principem à pontifice depoſitũ poſſet conſtare. Reges Iſraelis idola colebãt vniuerſi, & ex Regibus Iudæ quatuordecim; nullus tamẽ vel pontifex vel Propheta horum quenquã imperio priuare tentauit. Nos è contra hoc conſpicuũ & illuſtre oſtendimus exemplũ, quo verum pontificem à Rege abdicatum liquet.

[a] 2.Chron.22.11

[b] V.12.

[c] Cap.23.1.

Phil. [d] *Aliud eſt facta Regum referre, aliud, authoritatem, poteſtatémque probare.* 2

[d] Bell. quo ſupra.

Orth. Quaſi Spiritus ſanctus rem geſtam tantùm hiſtoricè narraret, non etiam vt rectè geſtam approbaret. Sed quid audio? Nunquid in Regem Salomonem audes incurrere, tanquam hoc ab eo factũ eſſet ſine legitimâ authoritate? Siccine verò? Sed audiat Ieſuita Ieſuitã, Italus Hiſpanum, [e] Suarẽ in Academia Conimbricenſi ſacrarum literarum primarium profeſſorem: *Alij* (inquit) *non dubitant dicere Salomonem in eo facto iniuſtè egiſſe, vſurpando poteſtatem, quam non habebat. Ego verò id affirmare non audeo, propter verba Scripturæ, quæ ex cap.3. allegaui; Et quia apud antiquos patres & expoſitores non inuenio factum illud inter peccata Salomonis numeratum, éiue in culpam tributum.* Sic ille. Verba autem quæ ſe allegâſſe dicit, hæc ſunt: *Dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis Dauid patris ſui, excepto quòd in excelſis immolabat:* quæ exceptio (inquit Suarez) qualiſcunque illa ſit, oſtendit Salomonem vſque ad illud tempus ſeruâſſe alia præcepta, & conſequenter in illo facto non peccâſſe. Hucuſq; Suarez. Quin ſi Salomon legitimam authoritatem non habuit, hæc exauthoratio pro nulla habenda eſt. Quomodo enim ſententia iudicialis valida eſſe poterit, ſi in ipſo Iudice non ſit authoritas? Si hæc exauthoratio nulla fuit, tum Abiathar, illâ non obſtante, pon-

[e] Defenſ. fid. Catohol. li.3. c.26. num.7.

Digitized by Google

tificatum iure & titulo vſq; retinuit. Sed quid hoc eſt rei? Nunquid duo eſſe poſſunt vno eodémque tempore ſummi pontifices?

[f] *Luc.3.2.*

PHIL. Nequaquam. Nam licèt Sanctus Lucas dicat, [f] *Factū eſſe Verbum Domini ad Iohannē ſub Principibus Sacerdotū Anna & Caipha,* non putandū eſt tamen vtrunq; ſemel & ſimul æquali authoritate floruiſſe. Etenim (vt ex [g] Baronio colligimus) ſummus Sacerdos vel Princeps Sacerdotū trifariam dicitur: Primò, cum eſſent vices Sacerdotales 24. qui cuiuſq; vicis Princeps & caput erat, idem Princeps Sacerdotum vocabatur. Secundò, collegiū apud Iudæos, vulgò Synedrim, ex 72. conſtabat viris, quorum primus, Princeps quoq; Sacerdotum dicebatur. Denique ſummus Sacerdos frequētiſſimè & maximè propriè appellabatur, qui primū omnium locum tenebat, reliquíſq; præeſſet Principibus Sacerdotū. Iam verò Annas primo & ſecundo ſenſu erat Princeps Sacerdotū, Caiphas autem tertio, ac proinde abſolutè & ſimpliciter ſummus, quo ſenſu plures ſimul nec vnquam fuêre, nec eſſe poſſunt. *Vnum tantummodò* (inquit [h] Baronius) *non duos ſimul & ante & poſt hæc tempora ſummum Sacerdotem penes Iudæos fuiſſe certū exploratúmq; habeatur.* Hinc Card. [i] Bellar. alijq; eruditi Theologi inferunt, eccleſiā noui Teſtamenti vnū habere viſibilē rectorē, ſicut habuit eccleſia teſtamēti veteris.

[g] *Baron. an. 31. nu. 9, 10.*
[h] *Num. 8.*
[i] *De Rom pontif. l. 1. c. 9.*

ORTH. Si vnus duntaxat vno eodémq; tempore eſſe potuit ſummus pontifex, & Abiathar, quamuis amotus, quoad iuris tamen & tituli veritatem, pontifex remanſit, tum Sadok non erat legitimus pontifex, ſed intruſor. Itáne verò?

PHIL. Sadok intruſor? Hoc nimis aſperum eſt, & rigidum. Nam [k] *Sadok idem eſt quod iuſtus, & reuerà fuit Sadok nomine & factis.*

[k] *Hect. Pintus Ezech. c. 44.*

ORTH. Si Sadok non erat intruſor, ſed legitimus pontifex, Abiathar pontifex eſſe deſijt. Conuenit enim inter nos, duos ſimul eſſe non potuiſſe pontifices maximos. Cæterùm ſi Abiathar iam non fuit pontifex, ſedes pontificalis erat verè & legitimè vacans, ſed quâ tandem ratione? Non ratione mortis (quia in viuis adhuc erat Abiathar) non ratione reſignationis aut ſpontaneæ ceſſationis (hæc enim ne fando quidem audiuimus) ſed ſolummodo ratione depoſitionis. Vnde ſequitur iuſtam & legitimam fuiſſe depoſitionem in iuſtâ & legitimâ authoritate fundatam. Quamobrem vt Sadok legitimus erat pontifex, legitimâ authoritate ſurrogatus; ita Abiathar eadē authoritate factus eſt expontifex, id eſt, pontificatu abdicatus.

3 PHIL. Eſto; ſed quid tum poſteà? An quia legitimè erat depoſitus, ideóne authoritate Regia? Non ſequitur. Salomon enim non modò erat Rex, ſed etiam Propheta.

ORTH. Vniuerſi veteris teſtamenti libri [l] *Prophetiæ* nomine inſigniuntur, eò quòd de Ieſu Chriſto prophetârunt. Non igitur inficior, quin *ſancti Dei homines qui loquuti ſunt prout acti ſunt à Spiritu ſancto,* (inter quos Salomon) Prophetæ dici poſſint.

[l] *2. Pet. 1. 20.*

PHIL. Dico igitur Salomonem [m] *non vt Regem, ſed vt Prophetam, & executorem diuinæ iuſtitiæ, depoſuiſſe Abiatharū, ſubſtituto Sadok.*

[m] *Bell. de Rom. pontif. l. 2 c. 29.*

ORTH. Si non Rex, vt Rex, quis tandem erit alius [n] *qui gladium geſtat*

[n] *Rom. 13. 3, 4.*

Digitized by Google

geſtat non fruſtra? Immò verò Rex, vt Rex, eſt *miniſter Dei, vltórq; ad iram ei qui quod malum eſt faceret.* Rex ergo, vt Rex, eſt diuinæ iuſtitiæ executor. Quocirca cùm hoc Salomoni tribuis, non vt Regi, ſed vt diuinæ iuſtitiæ executori, ea coniungis quæ Deus disiunxit. Nam Propheta, vt Propheta, eſt os Domini; executor diuinæ iuſtitiæ, quâ talis, non eſt os Domini, ſed manus Domini: os & manus ſunt diſtinguenda.

PHIL. Probo hoc feciſſe Salomonem quatenus erat Propheta. Nam [o] *Abiatharum amouiſſe dicitur, vt impleretur ſermo Domini.* [o] *Bel. quo ſupra.*

ORTH. Huiuſcemodi loquutiones cauſam finalem, vel agentis intentionem non innuunt: [p] *Milites, cùm crucifixiſſent Ieſum, acceperunt eius veſtimenta, & fecerunt quatuor partes vnicuiq; militi partem, & tunicam: erat autem tunica inſutilis, à ſummo contexta tota: dixerunt ergo inter ſe, Ne ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius futura ſit, vt Scriptura impleretur, dicens, Partiti ſunt veſtimenta ſibi, et ſuper veſte meâ iecerunt ſortem.* Nunquid milites hoc ſibi propoſuerunt, vt implerent Scripturas? Tantundem profectò ac Iudas, cùm *Dominum* [q] *traderet pro triginta argenteis*, vel Herodes, cùm *infantes* [r] *occideret*, vel Iudæi, cùm ſitientis ori [ſ] acetum admouerent. Immò verò non hæc eo egerunt animo, vt ſermonem Domini implerent, id tamen (Deo ita diſponente) fecerunt, vnde impletus eſt ſermo Domini. Eodem planè modo in hoc de quo agitur ſe res habet, vt teſtatur Toſtatus, Epiſcopus Abulenſis, his verbis: [t] non ponitur (vt) denotando cauſam finalem, ſed conſequutiuam. Verùm fingamus Salomonem hoc illo ipſo feciſſe intuitu, vt ſermo Domini impleretur. Num inde euinci poteſt hoc Salomoni tribuendum eſſe vt Prophetæ? Iehu cùm Iehoramum percuſſiſſet, dixit Bidkari tribuno ſuo, [u] *Tolle, proijce eum in portionem agri Nabothi Iizrehelitæ. Nam recordare, me & te pariter equitantibus, binis, poſt Achab patrem, Iehouam protuliſſe aduerſus eum onus hoc: Ne viuam, niſi cædem Nabothi & cædem filiorum eius viderim heſterna veſperia. Dictum Iehouæ, & rependero tibi in hac ipſa portione, dictum Iehouæ: quare hunc tolle, proijce eum in hanc portionem, ſecundùm verbum Iehouæ.* Quæ quidem proiectio, non ſolùm erat prophetiæ impletio, ſed eo animo & indicta & facta eſt, vt Verbum Domini poſſet impleri; tu tamen ipſum Iehu non numerabis, opinor, inter Prophetas: tantum abeſt, vt probatum dederis hoc feciſſe Salomonem quatenus erat Propheta.

[p] *Ioh. 19. 24.*
[q] *Mat. 26. 15.*
[r] *Mat. 2. 17.*
[ſ] *Ioh. 19. 28.*
[t] *In 3. Reg. c. 2. q. 28.*
[u] *2. Reg. 9. 25.*

PHIL. Vel vt Rex, vel vt Propheta; non fecit hoc vt Rex, ergo vt Propheta.

ORTH. Non vt Rex? Quid ita? Promiſerat Iehoua [x] *ſe firmaturum ſolium regni Salomonis vſq; in ſeculũ*: ac proinde Solomon erat regni hæres, inſtituente Domino. Adonias tamen, ſe efferens dicendo, [y] *Ego regnaturus ſum, parauerat ſibi currum & equites, & quinquaginta viros præcurrentes ſibi.* [z] Ioabus autem & Abiathar *Adoniam ſecuti, adiuuerunt*, & dixerunt, [a] *Viuat Rex Adonias.* Vnde tres illi læſæ Maieſtatis facti ſunt rei, & ſinguli à Rege Salomone puniebantur.

[x] *1. Chron. 22. 16. 2. Sam. 12. 1.*
[y] *1. Reg. 1. 5.*
[z] *v. 7.*
[a] *v. 25.*

Digitized by Google

PHIL. A rege fateor, ſed non poteſtate regiâ.

ORTH. Immò poteſtate regia. Rex vt Rex in eos animaduertit: &, vt ab Adonia exordiar, Rex, hâc lege ei condonauit, [b] *Vt ſi futurus eſſet ſtrenuus, non caderet vllus è capillis eius in terram, ſed ſi malum deprehenderetur in illo, vtique moreretur*. Verùm quùm poſteà [c] *Abiſhagam ſibi in vxorem dari peteret*, Salomon, quâ erat ſapientiâ, in arcanas Adoniæ cogitationes & ſcopum penetrans, hanc eius poſtulationem tanquam regni affectationem eſt interpretatus: [d] *Mittens itaque Rex, iuſſit eum occidi per Benaiam filium Iehoidæ, qui irruit in ipſum, ita vt moreretur*. Quis miſit? Spiritus ſanctus dicit, Regem miſiſſe. Hoc igitur Regi tribuitur; ſed fortè inquies, non vt Regi. Itáne verò? Quiſquámne perduellibus veniam indulgere poteſt, præterquam Rex ſolus, idque vt Rex eſt? Cedo mihi, cuius eſt gladium, iniuſtitiæ vindicem in facinoroſos ſtringere, niſi eius ſolius, qui gladium non geſtat fruſtra? Is autem eſt Rex quâ Rex. De Ioabo autem ſic nunciatum eſt Regi Salomoni: [e] *Fugit Ioabus ad tentorium Iehouæ, & ecce, eſt prope altare. Miſit autem Salomon Benaiam filium Iehoidæ*, qui dixit, *Sic edicit Rex, Egredere; reſpondit Ioabus, Nequaquam, ſed hîc moriar: & retulit Benaias rem Regi, dixitque Rex, Fac quemadmodum locutus eſt, & irrue in eum*. Obſerua ipſum orationis filum quo vtitur Scriptura; edicit Rex, rem retulit Regi, dixítque Rex. Ergo Scriptura hoc Regi tribuit, quatenus eſt Rex. Reſtat Abiathar eodem innodatus crimine, de quo Rex, quâ Rex, ſupplicium ſumpſit, vt eodem fere verborum tenore oſtendit Scriptura: [f] *Abiathar Sacerdoti edixit Rex*, nempe, qui verſu proximè præcedente Adoniam occidi iuſſit, id eſt, Rex, quâ Rex, authoritate regiâ. Quod etiam vlteriùs ex ipſo edicto apparet. [g] *Abi Anathoth ad agrum tuum*; quibus verbis Salomon Abiatharem certo loco circumſcripſit, Cancellóſque & terminos, extra quos egredi non potuit, circundedit: quod certè eſt Regis, quatenus eſt Rex. Et rurſus *dignus es morte, non tamen hoc die afficiam te morte, quia portâſti arcam Domini Iehouæ coram Dauide patre meo, & quia afflixiſti te in omnibus, in quibus afflictus eſt pater meus*. Hîc Salomon reo mortis vitam indulget, quod non eſt cuiuſpiam niſi gladium portantis, id eſt, Regis, quatenus eſt Rex. Ita [h] *eiecit Salomon Abiatharem, ne eſſet Sacerdos Iehouæ*. Hîc Salomon pœnam capitalem in depoſitionem commutauit, quod ipſum quoque poteſtatem regiam demonſtrat. Denique dicit Scriptura, Regem *præpoſuiſſe Benaiam exercitui, loco Ioabi*. Hoc ſine dubio ſpectabat ad Regem, quatenus erat Rex. Et ſtatim eodem verſu ſubiungitur; *Sadocum vero poſuit Rex loco Abiatharis*. Vides igitur hoc Regi, vt Regi, per totam hiſtoriæ ſeriem aſcribi. Quid igitur eſt quod te in aliam impellit ſententiam?

5 PHIL. In veteri teſtamento Leuitæ à ſecularium Principum poteſtate lege diuinâ exempti erant: [i] *Siquidem in libro Numerorum, cap. 3. Deus non ſemel, ſed ſæpiùs repetit, Leuitas propriè ſuos eſſe, atque ſe*

eos

[b] 1.Reg.1.52.
[c] 1.Reg.2.17.
[d] 1.Reg.2.25.
[e] V.29.
[f] V.26.
[g] Ibidem.
[h] V.27.
[i] Bell. de exempt. cler. C.1.p.264.

Digitized by Google

eos ſibi ex omni populo delegiſſe: & in eodem loco, dono dari iuſſit omnes Leuitas Aaroni & filijs eius, id eſt, ſummo Sacerdoti, & ſacerdotibus eius. Quos enim ſibi ipſe delegiſſet ad miniſterium templi rerúmque ſacrarum, ſoli pontifici (qui locum Dei repræſentabat in terris) ſubiectos eſſe voluit, ac per hoc à Iuriſdictione terrenorum Principum liberauit. Clerici enim ſunt miniſtri Dei, conſecrati ad obſequium ſolius Dei, atque ad hoc ipſum ab vniuerſo populo Deo oblati, vnde Clerici dicuntur, tanquam ad ſortem Domini pertinentes, vt ſanctus Hieronymus docet in epiſtola ad Nepotianum. Certè autem in ea quæ ſunt oblata & conſecrata Deo, & quaſi propria ipſius Dei facta, nullum ius habere poſſunt Principes ſeculi. Id quod & lumen rationis oſtendit, & Deus ipſe in Scripturis ſanctis non obſcurè tradit, cùm ait Leuitici vltimo, Quicquid ſemel Deo fuerit conſecratum, Sanctum ſanctorum erit Domino?

ORTH. Vt fundi & domicilia Deo dicata, in eius perpetuam poſſeſſionem tranſierunt, ita tribus Leui Deo ſacra, facta eſt eiuſdem propria peculiaris & ſempiterna hæreditas. Verùm quid inde? Num idcirco Leuitæ à poteſtate Principum ſunt alieni? Tota gens Iudæorum dicta eſt [k] *regnum ſacerdotale & gens ſancta.* Omnes maſculi in Iſraele, Dei viuentis [l] *ſigillum* [m] *carni ſuæ impreſſum* gerebant, nec tamen eorum quiſquam eo nomine à Principum poteſtate immunis erat. Leuitæ quidē in rebus ad officium ſuum ſpectantibus, ſubditi erant ſacerdotibus, Sacerdotes autem pontifici maximo, iuxta legem Dei: vniuerſi tamen tam pontifices quàm Sacerdotes, poteſtatibus ſupereminentibus ſubijciebantur. [n] *Ioſophatus miſit ſacerdotes & Leuitas ad docendum per ciuitates Iudæ.* Nunquid hoc ſine authoritate fecit? [o] *Conſtituit idem Ioſophatus ex Leuitis & Sacerdotibus ad iudicia Iehouæ, & Amariam Sacerdotem, primarium inter eos poſuit in omni negotio Iehouæ.* An hoc quoque fecit legitimâ authoritate deſtitutus? [p] *Hezechias congregauit Sacerdotes, & iuſſit ſanctificare ſeipſos & Domum Iehouæ; quod & fecerunt ſecundùm præceptum Regis.* Edixit quoque [q] *Sacerdotibus filijs Aaronis, vt offerrent in altari Iehouæ.* Quod perinde ac iuſſi ſunt, peregerunt. Porrò *reſtituit Leuitas in Domo Iehouæ cum Cymbalis, cum nablijs & cum cytharis.* Et [r] *aſtabant Leuitæ cum inſtrumentis Dauidis,* Sacerdotes autem cum tubis. Edixit etiam vt offerrent holocauſtum in altari; & obtulerunt: [s] *Edixítque Rex & Principes, vt laudarent Iehouam verbis Dauidis & Aſaphi videntis; & laudàrunt.* Tum edixit [t] *vt adducerent euchariſtica;* & adduxerunt. Porrò Rex iſte ſanctiſſimus [u] *reſtituit diſtributiones Sacerdotum ac Leuitarum per diſtributiones eorum, quemque ſecundùm miniſterium ipſius, Sacerdotes & Leuitas in Holocauſta & in Euchariſtica, ad miniſtrandum, atque ad celebrandum, atque ad laudandum in portis caſtrorum Iehouæ.* In quibus omnibus [x] *fecit quod rectum in oculis Iehouæ:* ac proinde authoritatis ſuæ cancellos tranſilijſſe dicendus non eſt. Ab Hezechia tranſeamus ad Ioſiam. Si pontifices aut Sacerdotes à poteſtate regia eximerentur, cur [y] *præcepit Ioſias*

[k] Exod.19.6.
[l] Rom.4.11.
[m] Gen.17.13.
[n] Vid.2.Chr.17 7,8.
[o] Vid.2.Chr.19 8,11.
[p] Vid.2.Chro. 29.4,5,15.
[q] V.21.
[r] V.25.
[s] V.30.
[t] V.31.
[u] 2.Chr.31.11.
[x] 2.Reg.18.3.
[y] 2.Reg.23.4.

Digitized by Google

Chilkiæ Sacerdoti ſummo, & Sacerdotibus ſecundarijs & cuſtodibus liminis, vt efferrent è templo Iehouæ omnia illa inſtrumenta quæ parata erant Baali, & luco, totique exercitui cælorum, quæ combuſſit extra Ieruſalem in agris Kidronis, quorum puluerem deportari curauit Bethelem. Si Sacerdotes immunes eſſent, cur [z] *adduxit omnes excelſorum Sacerdotes è ciuitatibus Iudæ,* & omnes qui erant iuxta inſtitutionem Ieroboami, de quibus prophetaſſet [a] *vir Dei,* [b] *mactauit ſuper ipſa altaria*; reliquos qui erant ex Aaronis familia, & tamen in excelſis obtuliſſent, Hieroſolyma reduxit, veruntamen [c] *non offerunt in altari Iehouæ, ſed reportârunt ignominiam ſuam.* Hactenus de regibus. Ad Nehemiam proregem venio: qui quum retuliſſet quomodo Eliaſhib pontifex magnum cubiculum Tobiæ Ammonitæ in domo Iehouæ parauiſſet, ſtatim adiungit, [d] *Sed cùm totum hoc fieret, non eram Hieroſolymis.* Innuens ſe, modò ibi fuiſſet, non permiſſurum. Cúmque illuc veniſſet, [e] *eiecit omnia inſtrumenta domeſtica Tobiæ foràs extra illud cubiculum:* & edixit Sacerdotibus vt mundarent illud, quo facto *retulit illuc inſtrumenta Domus Dei, munus, & thus.* Cúmq; nepos Sacerdotis ſummi gener eſſet Sanballati Horonitæ, [f] *Nehemias fugauit eum à ſe.* His perpenſis, quo vultu Reges in veteri teſtamento nullum in Sacerdotes ius habuiſſe dicit Bellarminus? Profectò ſi ita res haberet, optimi illi & ſanctiſſimi Reges non toties edixiſſent, ſtatuiſſent, iuſſiſſent, puniuiſſent, ſed monuiſſent duntaxat, & ſuaſiſſent. Si Sacerdotes tali gauderent priuilegio, ſanè oppidò mirandum ne vnum quidem in tota veteris teſtamenti hiſtoria reperiri, qui, ſuo nitens priuilegio, ſe à poteſtate ſeculari vindicare, & in libertatem aſſerere moliretur. Vel ſi ſe vltrò ſubmiſiſſent, cùm, teſte propria conſcientia, aliquo grauiori crimine irretiti eſſent, cur tamen ſua non protulerunt priuilegia, quum puri eſſent & innoxij? [g] *Zacharias Sacerdos lapidibus obrutus eſt ex præcepto Regis, neque vllius tamen meminit priuilegij.* Cùm [h] Abimelech & octuaginta quinque viri, geſtantes amiculum lineum, iuſſu Saulis occiderentur, Abimelech innocentiam ſuam manifeſtauit quidem, ſed & iuriſdictionem Regiam in ſe agnouit, dum Regem [i] *dominum ſuum,* ſe Regis [k] *ſeruum* appellauit; verùm de immunitate altum ſilentium. Ex his quæ diximus toti mundo poteſt inclareſcere, hanc quam ſomnias à principum poteſtate immunitatem, nihil eſſe aliud quàm hominum malè feriantium inane commentum. Quare ex præmiſſis rectiſſimè licet concludere, tribum Leui à ſupereminente poteſtate ſeculari minimè fuiſſe liberam, quin potiùs ita ſubditam, vt regi ipſos Sacerdotes, & Sacerdotum principem ad tribunal ſuum vocare, vocatos (ſi ita res poſtularet) increpare, relegare, fortunis, libertate, atque etiam ipſa vita priuare licitum eſſet.

PHIL. [l] *Quis dicere audeat ius eſſe profano homini in ea quæ Sancta ſanctorum, id eſt, ſanctiſſima, dici meruerunt?*

ORTH. Quis niſi profanus Ieſuita Regem Chriſtianum, vnctum Domini, lucernam Iſraelis, hominẽ profanum vocitaret? Antiqui antiſtites,

[z] V.8.
[a] 1.Reg.13.1.
[b] 2.Reg.23.20.
[c] V.9.
[d] Nehem.13.6,8
[e] V.9.
[f] V.28.
[g] 2.Chr.24.21.
[h] 1.Sa.22.16,18
[i] V.12.
[k] V.15.
[l] Bell. de exempt. c.2.p.272.

Digitized by Google

antiſtites, orbis Chriſtiani Senatores, Principes ne nominare quidem, niſi ſumma adhibita reuerentia ſolebant: Principes dico non modò Orthodoxos, ſed & illos quoque qui opinionum labe contaminati erant. Tertia Romana Synodus ſub Symmacho Theodoricum Arianum, ſanctum appellauit Principem; in quem locum ſic [m] Binius: *Rex Arianus, non ex meritis, ſed ex conſuetudine, pijſſimus & ſanctiſſimus nominatur, ſicut à Dionyſio Alexandrino Epiſcopo Valerianus & Gratianus Imperatores ethnici (vt teſtatur Euſebius) ſanctiſſimi appellati fuerunt: idque factum eſt exemplo ſancti Pauli, qui Act. 24. nefarium hominem præfecturam gerentem conſueta nomenclatura optimum Fœlicem appellauit.* Sic Binius ex Baronio. Hactenus de profano titulo quem ore illoto protulit profanus Ieſuita. Iam ad rem ipſam vt reſpondeam, docet Scriptura *Salomonem regnaſſe ſuper* [n] *totum Iſraelem*, & per conſequens ſuper totam tribum Leui, ac proinde ſuper Abiatharem ſummum pontificem, & reliquos Sacerdotes omnes. Si Salomon omnium Sacerdotum Rex, profectò Sacerdotes omnes erant Salomonis ſubditi. Si vniuerſi Sacerdotes erant Salomonis ſubditi, & Salomon eorum omnium ſummus ac ſupremus Dominus, quomodo quæſo ab eius ſupereminente poteſtate immunes eſſe poterant?

Quod adeo eſt liquidum, vt plærique ex veſtris nobis hâc in 6
cauſa aſtipulentur. Iohannes [o] Pariſienſis fatetur, *in veteri teſtamento Sacerdotes, etſi tum reges inungerent, indubitatè tamen regibus ſubditos fuiſſe.* Et [p] Salmeron Ieſuita, *Poteſtas* (inquit) *ſpiritualis legis naturæ & Moſis, minor erat regia poteſtate in veteri Teſtamento, & ideo etiam ſummi Sacerdotes Regibus ſubdebantur.* Immò ipſe etiam Bellarminus ab hac opinione non multùm videtur abludere, cum dicit, [q] *Non mirum eſſet ſi in veteri teſtamento ſumma poteſtas fuiſſet temporalis.* Sed noſtræ ſententiæ ſine dubio patrocinatur Dominicus à Soto: [r] *In veteri, inquit, teſtamento dubio procul Sacerdotes à Principibus ſecularibus ſunt iudicati.* Et Pater Paulus, his verbis: [s] *Hac doctrina quòd eccleſiaſtici (niſi immunes fuerint priuilegio & gratia) forent magiſtratibus ſecularibus ſubditi, demonſtratur & confirmatur exemplis veteris teſtamenti, vnde apparet, omnes Reges imperaſſe, & iudicaſſe, & puniuiſſe Sacerdotes. Neque id à malis regibus, aut mediocribus, ſed à ſanctiſſimis & pijſſimis factum eſt, Dauide, Salomone, Hezechia & Ioſia.* Et Toſtatus: [t] *Rex habebat poteſtatem ſuper Sacerdotes, & poterat eos occidere pro crimine, ſicut quoſcunque Laicos; & à fortiori priuare eos officijs & dignitatibus, quantumcunque eſſent ſpirituales.* Et pene iiſdem verbis vtitur Carerius: [u] *In veteri Teſtamento Rex ſuper Sacerdotes poteſtatem habebat, eóſque pro crimine occidere, multò magis officijs & dignitatibus ſpiritualibus eos priuare poterat.* Et denique [x] Suares Ieſuita: *Si poterat illum vita priuare, vt verba illa indicant, equidem vir mortis es, quid mirum quòd poſſet illum pontificatu priuare?*

PHIL. Si Reges Iſraelitici tanta pollerent poteſtate, num in- 7
dè euincitur Chriſtianos conſimili gaudere?

[m] Bin t. 2. p. 285 & 288.
[n] 1. Reg. 4. 1.
[o] De poteſtat. Reg & Pap. Habetur in Syntag. Schardij.
[p] Salm. de tot. eccl. t. 12. tr. 63. p. 428.
[q] Bell de Rom. pontif. l. 2. c. 29. § Argumentum quartum, &c.
[r] In 4. ſent. d. 25. q. 2.
[s] Conſideratio. p. m. Pauli p. 121.
[t] In 4. Reg. c. 12. q. 8.
[u] Car. l. 2. c. 18.
[x] Suarez defenſ. fid. Cathol. l. 3. c. 26. n. 2.

Digitized by Google

Orth. Quidni? Illud enim tibi ſedulò cogitandum, nouum teſtamentum nulla nobis Regum Chriſtianorum exempla ſuppeditare. Quare cùm de Regum in Eccleſiâ poteſtate quæritur, ipſum fontem petere oportet, vetus ſcilicet teſtamentum, vbi non modò occurrit Eccleſia, ſed Reges etiam, regio munere in Eccleſia Religioſè perfungentes. Regum autem in nouo teſtamento acciſum ius eſſe & diminutum quis audet aſſerere? Quis credet Eccleſiæ nutritios deteriore eſſe conditione ſub Euangelio, quàm ſub lege; in Eccleſia, quàm in Synagoga? Quare, quam illi Regalem exercuerunt poteſtatem, à Spiritu ſancto laudatam, eadem profectò, nec minori, omnes Chriſtiani Principes ſub Euangelio ſunt præditi.

8 Quæ cùm ita ſint, quam in Abiatharem habuit authoritatem Salomon, eandem in Epiſcopos ſuos habuit Regina Elizabetha. Sed Salomoni licuit iuſtâ de cauſâ abdicare ſummum pontificem; idem igitur legitimâ de cauſâ Reginæ Elizabethæ licuit.

Cap. III.

Champnæus in quæſtione de primatu Regio quomodo ſe gerat.

Champnæus
- *Primò, quæſtionem de primatu Regio ad alias, præſertim ad illam de controuerſiarum Iudice detorquet.* 1
- *Secundò, illius ſtatum peruertit. Nam nos hanc iudicaturam tribuimus*
  - *non Principi, vt ille calumniatur.* 2
  - *ſed*
    - *authenticam Chriſto in Scripturis loquenti.* 3
    - *miniſterialem Prophetarum conuentui.* 4

Phil.

DE authoritate deponendi dictum eſt; iam ipſa depoſitionis cauſa eſt inquirenda.

Orth. Cauſa fuit iuramenti primatus Regij detrectatio.

Phil. Ergo ſi hæc cauſa non fuit legitima, neque ipſa depoſitio erat legitima: at hæc cauſa non fuit ſatis iuſta. Nam Epiſcopi, dum hoc ſe iureiurando obſtringere recuſarunt, nihil quicquam fecerunt, quod non viros omni laude ſplendidiſſimos vel maximè deceret. Ipſum iuramentum erat illicitum,

citum, ac proinde eiuſdem detrectatio fuit pia & ſancta. Iuramentum autem erat illicitum, quia eius materia ſubiecta, id eſt, primatus Regius, impietatem redolet. Nam, vt rectè Champnæus; [a] *Principes quidem Seculares rectores Religionis ſunt in ſupremo gradu quo Laici eſſe queunt, quia pro defenſione veræ Religionis (quam tamen à Paſtoribus Eccleſiæ diſcere tenentur) leges condere, eáſque executioni mandare poſſunt, immò & tenentur: Cæterum quòd poteſtatem habeant iudicandi aut definiendi res eccleſiaſticas, & ad Religionem pertinentes, tanquam proprij illarum rerum iudices & cognitores, nouum eſt paradoxum in Chriſtiano orbe, ante Henricum noſtrum octauum inauditum: & hoc ex teſtimonio ſacræ Scripturæ, ſanctorum Patrum, Imperatorum, & nominatim Caroli magni manifeſtè conuincitur; quæ quia irrefragabilia ſunt, vt ex teſtimonio ſereniſſimi Regis noſtri Iacobi ſatis conſtat, Maſonus ſcienter errans, diſſimulat.* a Champ. p. 573.

Orth. Champnæus in hâc triumphat controuerſiâ, ſed perquam ridiculè. Rationes ſuas, quæ nondum lucem conſpexerant, cum liber meus Anglicanus eſt emiſſus à me, quòd nullam omninò reſponſionem admitterent, diſſimulari conqueritur. Fortè dilatare voluit pennas ſuas, vt videant homines quam Cupreſſum pingat eleganter. Nam (quod eſt perpetuum Sophiſtarum ingenium) à quæſtione nos abducit, vt ex verbis modò à te allatis ſatis liquet. Quæritur enim an Rex ſit omnium perſonarum ſibi ſubditarum in rebus eccleſiaſticis ſupremus gubernator; Champnæus autem hoc modo, vt videtur, quæſtionem inſtituit, ſcilicet, an Principes poteſtatem habeant iudicandi, aut definiendi res eccleſiaſticas, & ad Religionem pertinentes, tanquam proprij illarum Iudices & cognitores. Et [a] alibi idem Champnæus noſtrorũ hominum obſeruat *inſaniam, qui, primatum Petri abnegantes, eundem principibus ſecularibus tribuendum contendunt.* Ain' tu, Champnæe? Eundem? At hoc apertum eſt mendacium. Noli ſic inſanire, vtinam aliquandò ſaperes. Et alibi ait: [b] *Poſſe principem, ſi modò ſit ſupremus Eccleſiæ rector & caput, verbum & ſacramenta per ſe adminiſtrare.* Quid eſt ſponte cæcutire, ſi hoc non eſt? Nos enim harum rerum non adminiſtrationem, ſed externam duntaxat gubernationem Regi tribuimus. Et alibi mihi, Patrum teſtimonia pro primatu Regio adducenti, ſic reſpondet: [c] *Iſta non ſunt ad rombum. Loquuntur enim iſti patres de poteſtate gladij temporalis, non verò de poteſtate clauium Regni cœlorum, quas Chriſtus Dominus ſancto Petro, & non Cæſari tradidit.* Quaſi verò noſtrorum quiſquam ſupremat um regium in rebus eccleſiaſticis ita definiret, vt Regni cœlorum claues in ſe complecteretur. Immò, Champnæe, Rex has claues non habet, habentibus tamen, vt eis rectè vtantur, pro ſuo iure imperare poteſt. Et alibi, mihi locum Leonis vrgenti, vt indè probarem Theodoſium Imperatorem ſupremum fuiſſe in rebus eccleſiaſticis gubernatorem, ſic inſultat: [d] *Sed quid inde? Ergo Imperator eſt ſupremus in rebus eccleſiaſticis Iudex?* Næ tu ineptus es, Champnæe, qui ſupremum in rebus

a P 595.
b P. 754.
c P. 578.
d P. 559.

rebus eccleſiaſticis gubernatorem, cum ſupremo ijſdem in rebus Iudice confundis. Et paulò pòſt: [e] *Si Clemens Papa ſeptimus Henrico octauo eiſdem verbis ſcripſiſſet, quis, obſecro, ſenſu tantùm communi præditus, inde inferret Clementem Papam iudicâſſe Regem supremũ illius controuerſiæ eſſe Iudicem?* Aduerte (quæſo) illa verba, *illius controuerſiæ eſſe Iudicem*; quibus Champnæus fraudulenter innuit nos Regem, ſupremum in Religionis controuerſijs Iudicem conſtituere. Et paulò pòſt: [f] *Non ergo Imperatorem, ſed Concilium Sacerdotum illius controuerſiæ Iudicem exiſtimauit ſanctus Leo.* Atque iterum: [g] *Si iſta non ſufficiant Maſono perſuadere ſanctum Leonem primatum in rebus eccleſiaſticis Imperatori non attribuiſſe, videat epiſtolam eius ſeptimam & octauam, quæ illum docebunt ſanctum Leonem ſupremum in rebus fidei Iudicem & cognitorem ſe exiſtimare.* Ex his luculenter apparet, Champnæum hunc ſtylum Regium ita interpretari, ac ſi ſupremus in rebus eccleſiaſticis gubernator, ſupremum, & proprium in controuerſijs fidei cognitorem, & Iudicem deſignaret. Ita, relicta quæſtione quæ huius loci eſt propria, ad aliam ab hoc inſtituto alienam furtim & fraudulenter dilabitur.

[e] p. 560.
[f] p. 561.
[g] p. 567.

Præterea & illud quoque diligenter & accuratè eſt obſeruandum, Champnæum ſcilicet in hac nouâ, quam ſubſtituit, quæſtione partes nobis per calumniam affingere quas non tuemur. Quis enim noſtrum vnquàm affirmauit, Principes in cauſis fidei & Religionis ſupremos eſſe cognitores & Iudices? De hac à Cardinale Bellarmino, & alijs pontificijs Eccleſiæ Anglicanæ illata iniuria ſic olim conqueſtus eſt doctiſſimus Whitakerus: [h] *Affirmat Ieſuita hunc Iudicem non eſſe principem aliquem ſecularem; reſpondeo; hoc quoque nos dicimus: Summum enim iudicium ſoli Scripturæ, & Spiritui ſancto tribuimus: & tamen illam ſententiam atque opinionem Papiſtæ nobis, tanquam noſtram obijciunt.* Cui conſonat eruditus Epiſcopus: *Rex noſter* (inquit) [i] *veſtrum illud (quod ad primatum pontificium propriè pertinere dicitis) docendi munus, vel dubia legis explicandi non aſſumit:* Audi (Philodoxe) non aſſumit ſibi munus explicandi dubia legis, id eſt, fidei ac Religionis controuerſias.

[h] De verb. Dei q. 5. c. 7.
[i] Tortura Tort. p. 380.

Phil. Si Rex ſit ſummus in rebus fidei ac Religionis gubernator, erit etiam ſupremus ijſdem in rebus controuerſiarum Iudex. Hæc enim ita inter ſe apta ſunt, & connexa, vt alterum ex altero ſuâ ſponte conſequatur.

Orth. Minimè verò: ſed alterum ſine altero eſſe poteſt. Paſtorum eſt dubia legis explicare, Regum verò veritatem cognitam promulgare, & ſubditis, cuiuſcunque ſint ordinis, imperare. *Quando Imperatores* (inquit ſanctus [k] Auguſtinus) *veritatem tenent, pro ipſa veritate contra errorem iubent: quod quiſquis contempſerit, ipſe ſibi iudicium acquirit. Nam & inter homines pœnas luit, & apud Deum ſortem non habebit, qui hoc facere noluit quod ei per cor Regis ipſa veritas iuſſit.* Hoc ſcilicet eſt Regum munus in rebus eccleſiaſticis, *pro veritate iubere.*

[k] Ep. 166.

Phil.

Digitized by Google

PHIL. Sin veritatem non teneant, qua tandem ratione eandem latentem ac fugientem aſſequentur?

ORTH. Ad aliam tranſis quæſtionem. Sed vt te hic quoque ſequar, mandauit Dominus, vt Rex [l] *deſcribat ſibi legis exemplar, ſecum habeat ſemper, legat omnibus diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Iehouam Dominum ſuum, & obſeruare omnia verba legis, faciendo ea.* [l] Deut.17.18.

PHIL. Quin ſi difficilior oriatur quæſtio, an eam proprio Marte elucidabit Rex ſecularis? Vel potiùs veniet ad [m] ſacerdotem, legem ab eius ore [n] requiret, & ſedentes ſuper [o] cathedram Moſis audiet? [m] Deut.17.9. [n] Mal.2.7. [o] Mat.23.2.

ORTH. Reſpondeo cùm doctiſſimo Epiſcopo: [p] *Faciet hæc omnia Rex, nec inuitus. Vbi tamen hæc omnia fecerit, cùm in Deuteronomio dicere iubeantur ſacerdotes, & docere iuxta legem Dei; leget exemplar ſuum Rex, vt ſciat, an ex ea reſpondeant. E Malachia ſciet, à quibus requirere iubetur legem, eos interdum recedere de via, & ſcandalizare plurimos in lege; quare recurret denuò ad exemplar ſuum. A Chriſto autem diſcet, vt Phariſæos è cathedra docentes audire, ita à Phariſæorum fermento, id eſt, doctrinâ aliquâ cauere.* [p] Reſp. ad Card. Bell. apol. p.332.

PHIL. [q] *Cur Dominus Petro paſcendas oues commiſit, niſi vt paſcua doctrinæ non à ſe, ſed ab illo acciperet? Et cur poſuit in eccleſiâ paſtores & doctores, ſi vnuſquiſq; ſibi paſtor & doctor eſſe debebat?* [q] Vid. Bel. apol. p.187. & 188.

ORTH. Reſpondeo iterum cum eodem, [r] *Paſtores ſic audiet, vt conſultum ſibi putet (quod Berhæenſes feciſſe videt viros nobiles) ſcrutari Scripturas, ſi hæc ita ſe habeant: paſcua petet, nec ſibi paſtor erit, ſed ſibi tamen guſtabit; & ſi amarum pabulum & noxium, guſtabit vt Chriſtus acetum, quod cum guſtâſſet, noluit bibere.* Regis enim eſt ex præſtituto legis omnia facere: neque obtendere poterit, ego vitulum aureum non comminui, ego excelſa non dirui, quia hæc facienda eſſe ſacerdotes non monuerunt. Adhibebit igitur media quæ hâc in causâ adhiberi par eſt; leget Scripturas, noctes & dies meditabitur, orabit Dominum, & Iuris diuini peritiſſimos conſulet. Nec tamen ſplendidis hominum titulis, aut ſuffragiorum numero, aut locorum priuilegijs tantum deferet, quantum veritati: paucis ſecundùm Scripturas docentibus potiùs credet, quàm quadringentis pſeudoprophetis pro cultu Baalis contendentibus. [r] Reſp. ad apol. ibidem.

PHIL. Quis autem de Scripturis iudicabit? 3

ORTH. Si vocem iudicandi perinde accipias ac Auguſtinus, cùm dicit: [s] *Inferius eſt nobis quicquid iudicamus*; certè nec Principi, nec præſuli, nec homini, nec Angelo veritatem cœleſtem iudicare licet. Verbum Dei eſt Lex Dei: non oportet autem iudicare legem, ſed ſecundùm legem. [t] *Æternam Legem* (inquit Auguſtinus) *mundis animis fas eſt cognoſcere, iudicare fas non eſt.* Et alibi, [u] *Non oportet de tam ſublimi authoritate iudicare, neque de libro tuo.* Sin iudicare nihil ſit aliud, quàm verum ſenſum à falſo ſecernere, hoc iudicium apprehenſiuum ſeu diſcretiuum dici poteſt: de quo Apoſtolus, [s] In Pſal.2. [t] De vera relig. c.31. [u] Aug. conf. l.13. c.23.

Digitized by Google

x 1. Cor. 10. 15. ſtolus, [x] *Vt prudentibus loquor, vos iudicate quod dico.* Hoc modo Verbum Dei iudicare debet paſtor, antequàm doceat; auditor, antequàm credat; Princeps antequam ſerenitatis ſuę edicta ſanciat & promulget.

PHIL. Nos de iudicio deciſiuo, & definitiuo quærimus.

ORTH. Iudicium deciſiuum eſt duplex; imperiale, & miniſteriale. Prius eſt authenticum & infallibile, quod eſt ſolius Chriſti cùm patre, & Spiritu ſancto. Qui legem condit, is ſolus eſt authenticus legis Interpres. At ſolus Chriſtus cùm Patre & Spiritu ſancto eſt legis-lator, ac ſacrarum literarum Author & conditor; ergo ſolus eſt authenticus earundem Interpres. Hoc argumentum in verbis ſancti Petri ſolidiſſimè fundatur, [y] *Omnis Prophetia Scripturæ propriâ interpretatione non fit: non enim voluntate humanâ allata aliquando eſt prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, locuti ſunt ſancti Dei homines.* Quaſi dicat, Scriptura, non ab humano ingenio, ſed a Spiritu ſancto ſeruos Dei afflante, & calamos moderante, eſt profecta: Ergo ab eodem Spiritu in Scripturis loquente, petenda eſt interpetatio. Huc ſpectat illud Optati: [z] *Vos dicitis, Licet; nos dicimus, Non licet; inter licet & non licet, nutant, & remigant animę populorum: nemo vobis, nemo nobis credat, omnes contentioſi homines ſumus: quærendi ſunt Iudices: ſi Chriſtiani, de vtráque parte dari non poſſunt, quia ſtudijs veritas impeditur, deforis quærendus eſt Iudex: ſi Paganus, non poteſt noſſe Chriſtiana ſecreta; ſi Iudæus inimicus eſt Chriſtiani baptiſmatis: ergo in terris hâc de re nullum poteſt reperiri iudicium: de cælo quærendus eſt Iudex. Sed quid pulſamus cælum, cùm habeamus hic in euangelio teſtamentum?* Et Auguſtinus, [a] *iſta controuerſia Iudicem quærit, iudicet ergo Chriſtus.* Et paulò pòſt: *Iudicet cum illo & Apoſtolus, quia & in Apoſtolo ipſe loquitur Chriſtus.* Iudex igitur omnium religionis controuerſiarum ſupremus eſt Chriſtus in Scripturis loquens, qui ſolus decidendi & definiendi ex imperio poteſtatem habet authenticam, & infallibilem.

y 2. Pet. 1. 20.

z Optat. l. 5 cont. Parmen.

a Aug. de nupt. & concup. l. 2. c. 33.

PHIL. Quin nobis deſigna aliquem viſibilem Iudicem, quem coram compellare & conſulere liceat. Iſtiuſmodi enim vnum aliquem in terris exiſtere neceſſe eſt.

ORTH. Chriſtus ſacroſanctam ſuam veritatem, nec vni perſonæ, nec vni loco alligauit: nos igitur iſtiuſmodi vnum non agnoſcimus.

PHIL. Lex Dei iubet, vt homines in omnibus cauſis difficilioribus, etiam in rebus ciuilibus, ad Sacerdotis ſententiam recurrant; multò magis in eccleſiaſticis, [b] *Nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis morietur.*

b Deut. 17. 12.

ORTH. Hebræa veritas non habet, ſed *Sacerdoti, aut Iudici.* Cui conſentit Græca Septuaginta Interpretum verſio, quam Patres tanto habuerunt in pretio. Quare Iudicem à Sacerdote eſſe diſtinctum ſatis conſtat, ac proinde duo perſonarum gênera à Moſe deſignari. Eodem planè modo Rex [c] Ioſaphat, propter duo cauſarum

c 2. Chr. 19. 8.

rum

rum genera, hominum quoque duo genera ad illas audiendas conſtituit, eccleſiaſticũ & ciuile: illud Sacerdotis, hoc Iudicis nominē à Moſe ſignificatur.

PHIL. Eſto; at qui Sacerdoti non vult obedire, eidem ex præſtituto legis, eſt moriendum: quod ſatis eſt ad vnius Sacerdotis principatum euincendum in rebus eccleſiaſticis.

ORTH. Non eſt. Nam Lex iubet vt homines [d] *ſacerdotes* adeant, non vnum aliquem. Et alibi, [e] *Sacerdotes filios Leui elegit Iehoua Deus tuus ad miniſtrandum ſibi, & ad benedicendum in nomine Iehoua, & ex eorum præſtituto agetur omnis controuerſia, & omnis plaga.* Quare ſacerdotis nomine intelliguntur ſacerdotes.

[d] *Deut.17.9.*
[e] *Deut.21.5.*

PHIL. Quaſi verò ſummus ſacerdos non præfulgeret reliquis. Nónne Amarias in his, quæ ad Deum, præſidebat?

ORTH. Præſidebat quidem, ſed non erat ſolus controuerſiarum Iudex, verùm, ſi fingamus fuiſſe, quid ergo?

PHIL. Ergo vt vnus erat apud Iudæos in teſtamento veteri, ita vnus erit in nouo apud Chriſtianos.

ORTH. Itáne verò? Si eadem vſquequaq; ſit ratio teſtamenti noui & veteris, ergo ſacerdotibus noui teſtamenti licebit vxores ducere; nam in veteri hoc erat licitum. Ergo omnes maſculi in nouo teſtamento debent quotannis certum in locum (Romam opinor) proficiſci; nam Hieroſólyma quotannis adeundi maſculis in veteri incubuit neceſſitas. Ergo vno tantùm in loco putà Romæ iam offerendum eſt ſacrificium; nam olim vnus tantùm locus huic cultui eſt deſtinatus.

PHIL. Quamuis non ſit eadem vtriuſq; teſtamenti per omnia ratio, in hoc tamen, de quo agitur, eſt ſumma ſimilitudo.

ORTH. Nequaquam. An quia apud Iudæos vnus erat vnius gentis ſummus Sacerdos, ergóne apud omnes omnium gentium Chriſtianos erit vnus ſummus epiſcopus? Per eandem rationem vnus erit etiam ſummus per totum Chriſtianum orbem in rebus ciuilibus Iudex. Perinde enim concluditur ex his verbis; *nolens obedire Sacerdoti, aut Iudici.*

PHIL. Non eſt neceſſarium. Sed vt Rex Iudæ ſummus erat in Regno ſuo, ita vnuſquiſque Rex in Regno ſuo.

ORTH. Neque ad eccleſiam gubernandam eſt neceſſarium, vt vnus ſit ſummus epiſcopus.

PHIL. Quin ratio docet vnum aliquem eſſe oportere, qui lites & controuerſias ita dirimat, & diſſoluat, vt eius iudicio reliqui omnes acquieſcant, vel certè nullus erit controuerſiarum finis.

ORTH. Hanc prouinciam Spiritus ſanctus non vnius ſupremæ poteſtati, ſed multorum communi curæ commiſit. Quum in eccleſiâ Antiochenâ de Legis Moſaicæ obſeruatione incideret quæſtio, [f] *Statuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apoſtolos, & presbyteros Hieroſolymam, percontaturi de quæſtione.* Non miſerunt ad ſolum Petrum, ſed ad Apoſtolos, & presbyteros.

[f] *Act.15.2*

Digitized by Google

Phil. Quódnam igitur erit ſupremum in terris de fidei controuerſijs iudicium?

Orth. Si de iudicio per imperium deciſiuo, quod eſt ſimpliciter infallibile, & authenticum percontẽris, ſententiam noſtram iam accepiſti. Sin de miniſteriali quæras, Concilij generalis iudicium iudicio papali longè præponderat. Siquidem Scriptura dicit, [g] *Prophetarum ſpiritus prophetis ſubiectos* eſſe: non dicit Petro, non pontifici, non vni alicui, ſed Prophetis, id eſt, prophetarum cœtui, vel conuentui. Sed generale Concilium eſt prophetarum conuentus longè celeberimus; huic igitur Prophetarum ſpiritus ſunt ſubijciendi. Quæ tamen ab huiuſmodi Concilio *conſtituuntur vt ad ſalutem neceſſaria, neq; robur habent, neq; authoritatem, niſi oſtendi poſſint è ſacris literis eſſe deſumpta*: vt veriſſimè docet eccleſia [h] Anglicana. Ad has igitur, tanquam ad normam, Conciliorum decreta ſunt conformanda, vt fide veritatis diuinæ, non ſpecie authoritatis humanæ ſinguli acquieſcant. Deus enim Prophetis nihil præter miniſterium faciendi iudicium delegauit. Illis igitur ſecundùm ſcriptam duntaxat Chriſti voluntatem, ferenda eſt ſententia. Ita Scriptura ſola eſt abſoluta norma, ſolus Spiritus ſanctus, in Scripturis loquens, eſt Iudex infallibilis. Quod optimè expreſſit vir [i] doctus his verbis: *Solius Chriſti, per Spiritũ, & Scripturã ſuam, eſt iudicium deciſiuũ, quod Patres Concilij inueſtigant in Scripturis, & ex Scripturis pronunciant, velut tabulis Mandati ſui; extra quas nec ipſis pronunciare fas, nec fas Chriſtianos obſequi extra tabulas Mandati, & limitatũ miniſterium ipſorũ pronunciantibus. Hoc Legatus Principis non poteſt: & poſſent Legati Dei? Itaque ſententia Concilij per ſe ipſa ſuaſionis, non coactionis eſt: iudicium miniſteriale, non authoritatem per ſe, neceſſitatémque adferens: prout eſt iudiciũ œconomiæ, vel diſpenſationis in domo aliqua, vel familia præſentis Domini.* Hactenùs de controuerſiarum Iudice, à cuius quæſtionis vlteriori tractatione ſuperſedeo, quia à noſtro inſtituto eſt aliena. Champnæi tamen petulantiã tacitè præterire non poſſum, cui non ſatis eſt pro vna quæſtione aliam ſupponere, & in hâc opinionem à mente noſtrâ diſcrepantem nobis affingere, ſed & Regem noſtrum sereniſſimum, tanquam nobis aduerſantem, ſummâ cum iniuriâ introducit: de cuius teſtimonio, planè aureo, Paulò inferiùs erit dicendum: nunc enim quò res ipſa vocat, id eſt, ad primatum Regium, rectà pergimus.

[g] 1.Cor.14.32.

[h] Artic.21.

[i] Franc.Iun.animad.in Bell.controu.4.lib.1.c.18.art.1.

[k] Cap.4.n.15.

Cap.

Cap. IIII.

De primatu Regio, eiúſque iuramento.

De
- *Primatu Regio, ex*
  - *ſacroſanctis Scripturis.* 1
  - *Concilijs*
    - *Anglicanis.* 2
    - *externis*
      - *Moguntinis.* 3
      - *Emeritenſi.* 4
  - *Partibus antiquis.* 5
  - *Papis,*
    - *Leone primo.* 6
    - *Gregorio primo.* 7
  - *Imperatoribus in*
    - *genere.* 8
    - *ſpecie de*
      - *Conſtantino.* 9
      - *Gratiano.* 10
      - *Theodoſio.* 11
      - *Martiano.* 12
      - *Iuſtiniano.* 13
      - *Carolo mag.* 14
      - *Baſilio.* 15
  - *Rege noſtro ſereniſſimo.* 16
- *Iuramento.* 17

Phil.

I*Vſiurandum, quo Regina Elizabetha dicebatur ſupremum caput, ſummáque gubernatrix eccleſiæ Anglicanæ in omnibus cauſis & rebus tam Spiritualibus, quàm temporalibus, impium ſacrilegúmque ex ſacra Scriptura, Sanctis Patribus & Concilijs, ſummorúmque Imperatorum placitis, ac ſereniſſimi etiam Regis magnæ Britanniæ expreſſo teſtimonio probatur,* vt ait [l] Champnæus. [l] *champ. p. 596.*

Orth. Deus bone, quàm grandis atque immanis eſt hæc calumnia? Sed vt ſingula diſcutiam, quid? An Champnæus hunc Stylum Regium impietatis & ſacrilegij conuincet, idq; ex ſacris Scripturis? Ex quibus tandem?

Phil. Duos adduxit [m] locos, alterum ex Malachia, ex Deuteronomio alterum. Malachiæ teſtimonium eſt clariſſimum, his verbis, [n] *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quem locum hoc en- [m] *p. 578. & 579* [n] *Mal. 2. 7.*

 comio

comio coronat Champnæus. *Certum eſt* (inquit) *quòd in tota ſacra Scriptura non legitur talem promiſſionem factam eſſe Regibus.*

ORTH. Atqui primo, nulla penitus hîc promiſſio. Ribera Ieſuita hanc tradit regulã; [o] *Futura, apud Hebræos, ſæpe debitũ ac decorum indicant:* quod hoc loco Malachiæ illuſtrat, *cuſtodient, id eſt, cuſtodire debent.* Et ſimiliter [p] exponit id quod ſequitur, *Requirent, id eſt, requirere debent.* Ita promiſſio, quam ſomnias, diſparuit & euanuit. Secundo, Quid hoc contra ſuprematum Regium? qui non ſitus eſt in ſcientiâ, ſed in poteſtatis & authoritatis ſupereminentiâ; neque ſolùm in ore & labijs, ſed in manu & dextrâ, quæ gladium non fruſtrà geſtat. Os autem & labia quamuis ad hunc ſupremátum requirantur, non tamen ad docendum, quod eſt ſacerdotale, ſed ad iubendum, quod eſt regale. Ita hunc clariſſimum Malachiæ locum contra Stylum Regium nihil facere, eſt luce clarius. Quod nos Regi vendicamus, id Malachias ſacerdoti non tribuit; quod Malachias ſacerdoti tribuit, id nos Regi non vendicamus. Nihil igitur hîc impium aut ſacrilegum præter ſceleratum transfugam, qui in Vnctum Domini tam impiè & ſacrilegè debacchatur.

[o] Rib. in Mal. c.1.n.16.

[p] In Mal.2.n.13

PHIL. [q] *Clariùs adhuc idem conuincitur ex expreſſo Dei mandato, tradito* in libro Deuteronomij, Cap. 17. hiſce verbis; *Si difficile & ambiguum, &c.* à verſu 8. ad finem decimi tertij.

[q] Champ. p.579.

ORTH. Quid hinc elicies? An quia ſacerdotes in rebus dubijs *iudicabunt iudicij veritatẽ,* & populus tenetur facere *quodcunq; dicẽt, & docebunt iuxta Legẽ Dei,* ideóne externũ eccleſiæ regimen in rebus fidei ad ſacerdotes ſpectabit, & non ad Regem? Non ſequitur. Hoc enim regimen non verſatur in *iudicando,* ſed in *imperando*; non in *dicẽdo,* ſed in *edicendo*; non in Lege Dei *docendâ,* ſed in legibus pro Lege Dei ferendis, ſanciendis, ſtabiliendis. Miſeret me huius tam indocti doctorculi, qui, ſtylũ Regium & ſtatũ quæſtionis non intelligens, linguã ſuam in Principes noſtros, humani generis delicias, ita exacuit. Hactenus regali titulo impietatis & ſacrilegij notam, ídque Scripturarum teſtimonio, inurere tentauit, ſed ieiunè, frigidè, miſerè: videamus porrò nunquid nos eundem ex Scripturis fœliciùs ac luculentiùs aſtruere, & defendere valeamus. Nónne Rex * Saul appellatur *caput Tribuum Iſraelis,* omnium ſcilicet, & per conſequens Tribus Leuiticæ, ac proinde omnium perſonarum, tam eccleſiaſticarum, quàm ciuilium in Iſraele? Quotquot igitur pari iure ſucceſſerunt, illi omnes pari quoque titulo erant decorandi. Erant igitur omnes ſuorum ſubditorum capita, id eſt, ſupremi gubernatores.

* 1.Sam.15.17

PHIL. In cauſis ciuilibus fateor, non in eccleſiaſticis.

ORTH. Reges ſanctiſſimos non modò in rebus ſecularibus, ſed etiam in eccleſiaſticis ſummâ cum laude, quoad externum Regimen, præfuiſſe ſatis conſtat. Vis vt omnia breui compectar? Cultum peregrinum eliminârunt, verum renouârunt, fœdus inter

ter

Digitized by Google

ter Deum & populum redintegrârunt, perſoniſq; omnibus, etiam ſacerdotibus, & ſummo Pontifici, vt ſuis ritè perfungerentur officijs, Authoritate Regiâ imperârunt.

PHIL. [r] *Verùm quidem eſt nonnullos Reges, tam in eccleſiâ Iudæorum, quàm Chriſtianorum multa præcepiſſe ad religionem ſpectantia, ſed hoc fecerunt iuxta præſcriptum & iudicium ſacerdotum, & eccleſiæ paſtorum.* [r] *Champ. p. 572.*

ORTH. Non ſemper (Philodoxe) vt [s] poſteà oſtendam. Verùm fingamus Sanctos Reges nihil vnquam in hoc genere feciſſe, niſi præeunte paſtorum iudicio & præſcripto; quid hoc nobis indicat? [s] *Infra c. 8. n. 5.*

PHIL. [t] *Non indicat Principatum in rebus eccleſiaſticis in ipſis Principibus, ſed in ſacerdotibus*, qui iudicant, & præſcribunt. [t] *Champ. ibid.*

ORTH. In ſacerdotibus? quid ita? Iudicant quidem, veritatem diſcernendo, obſcura elucidando, dubia explicando, controuerſias enodando: & præſcribunt quoque ſuo modo, id eſt, docendo, monendo, ſuadendo: ſed hæc ſupremum eccleſiæ regimen non arguunt. Verùm vbi ſacerdotes his omnibus perfuncti ſunt officijs, tum demum Rex quæ illi ita iudicârunt, præſcripſerunt, docuerunt, monuerunt, ſuaſerunt, edictis ſuis & legibus ſancit, pœnáſque violantibus (quibus ipſi etiam ſacerdotes, perinde ac cæteri mortales, ſunt obnoxij) conſtituit. Et hoc demùm eſt ſupremum eſſe in rebus eccleſiaſticis gubernatorem. Quod munus, verè Regium, Sanctiſſimos Principes (ſiue monente eccleſia, ſiue tacente) egregiè præſtitiſſe legimus. Exempla quæris? Vbique occurrunt. Hezechiam, Ioſiam, vel ſimilem quempiam intuere, & tanquam in ſpeculo hoc ipſum conſpicies. Ego verò ex ſplendidiſſimâ Regum Iudæ coronâ vnicam tibi gemmam, ſed illuſtrem illam, ac pyropi inſtar micantem, atque rutilantem oſtendam. In Ioſaphatum igitur oculorum tuorum intende aciem, qui Authoritate Regiâ populum ad Dominum Deum Patrum ſuorum [u] *reuocauit*, reuocato [x] *Iudices* delegauit. Sed quos tandem? Certè ex primoribus paternarum familiarum, & in his [y] *Zabadiam* ducem. Verùm an hos ſolos? Minimè, ſed Leuitas etiam, & ſacerdotes, &, in his, [z] *Amariam*, ſummum Pontificem. Ecqua eſt maior Authoritas quàm delegandi Iudices? Hoc igitur Ioſaphati factum ſupremum eius in omnes perſonas, tam eccleſiaſticas quàm ciuiles, poteſtatem indicat. Sed quas ad cauſas eos delegauit? Certè *ad Iudicia Iehouæ*, id eſt, ad res ſacras; & *ad lites*, id eſt, ad res ciuiles. Sacris autem Iudicibus Amariam Pontificem, ciuilibus Zabadiam ducem præſidere iuſſit. Hîc reſpublica, & eccleſia, in Rege, tanquam in vno capite, coniuncta, diſtinctas habent cauſas, diſtincta fora, diſtinctos Iudices, diſtinctos præſides. Sedent, præſident, cognoſcunt, ſententias ferunt, ſed Rege iubente, Rege ſuam cuique prouinciam diſcriminante. Erat igitur Ioſaphatus (ac proinde

[u] *2. Chron. 19. 4.*
[x] *V. 5. 8.*
[y] *V. 11.*
[z] *Ibidem.*

inde Hezechias, Ioſias, & reliqui) omnium perſonarum in Iſraële, tam eccleſiaſticarum, quàm ciuilium, in omnibus cauſis, tam eccleſiaſticis, quàm ciuilibus, ſupremus gubernator. Neque in nouo Teſtamento tollitur iſtâ piorum Principum authoritas, ſed eadem ſemper manet. Sanctus Apoſtolus vocem ſuam, tanquam tubam, attollens, [a] *Omnis* (inquit) *anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto:* poteſtates autem intelligit quæ [b] gladium geſtant, & [c] tributum accipiunt, id eſt, ſeculares, nempe Reges, ac Imperatores, quos appellat miniſtros Dei in bonum. Regibus igitur ac Imperatoribus tanquam miniſtris Dei in bonum, omnis anima, id eſt, omnis homo, in eorum ditionibus degens, cuiuſcunque ſit ordinis aut conditionis, ſubijci debet. Ergo Rex eſt omnibus in ſuo regno ſuperior, ac proinde iuxta Deum ſupremus. Idem cum Paulo docet Petrus, huiúſque ſubiectionis hanc reddit rationem, [d] *quia eſt voluntas Dei.*

[a] Rom. 13. 1.
[b] 4.
[c] 6.
[d] 1. Pet. 2. 15.

PHIL. Quid hinc concludes? Principem ſcilicet eſſe ſupremum gubernatorem. Quid? In rebus ſpiritualibus? At ex his ipſis Apoſtoli verbis euidenter concluditur contrarium, hoc modo: [e] *Principes, quibus Apoſtolus omnes eſſe ſubditos præcipit, idem ius, eandémque imperandi authoritatem in ſubditos ſuos Chriſtianos habuerunt, quam modò Principes Chriſtiani, in quantum Principes ſeculares, habent in ſuos. Sed Principes pagani, de quibus locutus eſt Apoſtolus, nullam penitus habuerunt authoritatem imperandi ſubditis ſuis Chriſtianis in rebus fidei & religionis: ergo nec Principes Chriſtiani.*

[e] Champ. p. 580.

ORTH. Ex hoc loco Apoſtoli conſtat, Principes etiam paganos quoad authoritatem eſſe *ſupereminentes poteſtates*, quoad officium *miniſtros Dei in bonum*. Authoritatem igitur habent ſupereminentem, vt ſint miniſtri Dei in bonum. Sed aliud eſt imperandi authoritas, aliud rectus huius authoritatis vſus; aliud officium, aliud laudabilis officij executio. Hic vſus, hæc executio multa poſtulat, quæ in paganum, quandiù eſt paganus, non cadunt, ob quorum defectum Eccleſiam gubernare non poteſt. Verùm ſi, diuinâ aſpirante gratiâ, euadat Chriſtianus, ſi mens cœleſti lumine illuſtretur, ſi in corde accendatur amor diuinus, hîc in vnum confluent authoritas, & rectus authoritatis vſus, officium, & laudabilis officij executio. Talis Rex in eodem planè erit ſtatu in nouo Teſtamento, ac olim Ioſias, & Hezechias in veteri. Nemo enim cordatus dicturus eſt, credo, Reges fideles minori eſſe authoritate, aut conditione deteriori ſub Euangelio, quàm olim ſub lege: ſub lege autem erant ſupereminentes, non modò quoad authoritatem, ſed etiam quoad vſum authoritatis; & miniſtri Dei in bonum ſubditorum ſpirituale, non modò quoad officiũ, ſed etiam quoad officij executionem, id eſt, ſupremi gubernatores in rebus Eccleſiaſticis, vt antea oſtenſum eſt, ac proinde ſimilis honor pijs Regibus ſub Euangelio quoque eſt tribuendus.

2 De Scripturis hactenùs; iàm ad Concilia properamus. Epiſcoporum

Digitized by Google

coporum [f] ſynodus veſtram religionem profitentium (inter quos & Iohannes Fiſher Roffenſis) Henricum 8. ſupremi Eccleſiæ Anglicanæ capitis titulo inſigniuit, vt & eiuſdem ſynodi actis adhuc extantibus eſt manifeſtum: Elapſo autem biennio eundem titulum eidem renouauit. [f] *Lib. M. S. ſacra ſyn. Gul. Warhã 11. Feb. 1530. p. 115.*

PHIL. *Synodi* [g] *iſta non extant, niſi vna in manuſcriptis, vt ait Champnæus, altera verò nullibi.* [g] *P. 549.*

ORTH. Quid ſi typis non mandentur? An idcirco nullius apud te futuræ ſunt pretij? Certè non tanti apud vos eſſet hiſtoria Baroniana, ſi non tot quaſi ſtellulis Vaticanis illuminaretur. An codices citare manuſcriptos Baronio eſt ſplendidum, nobis autem ſordidum? Sed altera (inquis) ſynodus nullibi reperitur. Equidem neſcio; priorem ipſe vidi, poſteriorem nondùm mihi videre contigit: ſed liberabo fidem meam. In eandem enim incidi apud [h] antiſtitem longè doctiſſimum, qui fortè & vidit & legit. Verùm quid ſi hodiè non comparet? Quid ſi euanuit? Profectò multorum Conciliorum ad nos delata ſunt nomina, & argumenta in genere, quorum tamen acta particularia interciderunt, vt apud Binium tuum paſſim videre licet. [h] *Lanc. Elienſ. reſp. apol. Bellar. pag. 23.*

PHIL. [i] *Maſonus Roffenſem, tanquam conſentientem dictæ determinationi, fraudulenter nominat.* [i] *Champ. quo ſupra.*

ORTH. Non fraude, ſed bona fide agit; ſi quis in te ſit candor, mitte calumnias.

PHIL. [k] *Mori potiùs quàm illi conſentire elegit: & re ipſâ mortem, vt omnes norunt, eâ de cauſâ conſtanter obijt.* [k] *Ibidem.*

ORTH. Immò [l] *niſi in ſucceſſionis negotio proteruè ſe geſſiſſet, non habita tum quidem de illo quæſtio fuiſſet capitalis: illa ergo cauſa nec ſola fuit, nec prima: prima enim de prole Regis; acceſſit ad primam illam altera, tanquam ad cumulum; per quam tamen non ſtetit quin ſuperſtes eſſe poſſet.* [l] *Vide Tort. Torti pa. 339.*

PHIL. [m] *Conſentire nunquam adduci potuit.* [m] *Champ. p. 550*

ORTH. Ain' tu? Conſenſit nunquam? At, teſte Sandero [n], *perſuaſit reliquis.* [n] *De ſchiſ. p. 77.*

PHIL. [o] *Tametſi Regis primatui conſentire nunquam adduci potuit, quia tamen, neceſſitati cedendum eſſe ratus, conſenſit cum hâc expreſſâ reſtrictione (quantum per Verbum Dei liceret) obedientiam Regi in cauſis eccleſiaſticis & ſpiritualibus iurare, facti illius vſque adeò eum pœnituit, vt, publicè ſe incuſans, diceret, ſuas, id eſt, Epiſcopi, partes fuiſſe, non cum exceptione dubiâ, ſed apertè, & diſertis verbis cæteros potiùs docuiſſe quid Verbum Dei permitteret, quidue prohiberet, quo minùs alij in fraudem incurrerent: neque vnquàm ſibi deinceps peccatum hoc ſatis expiâſſe videbatur, quouſque proprio ſanguine hanc maculam eluiſſet.* [o] *Ibidem.*

ORTH. Prima ſynodi ſententia conditionalis fuit, his verbis concepta: [p] *Eccleſiæ & cleri Anglicani ſingularem Protectorem, vnicum & ſupremum Dominum, & quantum per Chriſti Legem licet, etiam ſupremum Caput, ipſius Maieſtatem recognoſcimus.* Sed paulò pòſt in [p] *Ex actis Synodi.*

Digitized by Google

eâdem ſynodo Rex, q *Sine ambiguitate vllâ Eccleſiæ Anglicanæ ſupremum caput eſt declaratus.* Nam, vt habetur in actis eiuſdem ſynodi, *poſt multa communicata & tractata inter dictos reuerendiſſimum & reuerendos Epiſcopos & Prælatos, iterum interrogante dicto reuerendiſſimo Patre, omnes & ſinguli tam Epiſcopi, quàm Prælati, Abbates, & Priores domus ſuperioris, tam nominibus proprijs, quàm nominibus procuratorijs expreſſiùs conſenſerunt.* Conſenſerunt igitur omnes & ſinguli (inter quos Roffenſis) & *expreſſiùs* conſenſerunt, id eſt, non, vt antea, cum limitatione, & modificatè, ſed ſimpliciter & abſolutè; idémque titulus, ſine omni modificatione in publico cleri inſtrumento incluſus eſt, regíque exhibitus.

q Champ.p.550. PHIL. r *Quanta eſſe poteſt authoritatis ſynodus vnius tantùm regni Epiſcoporum, Regis ſui mandato inter dominiorum ſuorum limites conuocata, in re ſummoperè ab eo deſiderata, & omni ſtudio quæſita, contra totius Chriſtiani orbis iudicium? Primùm enim ſynodus illa (ſi tamen ſynodi nomen mereri poſſit) non erat plenaria, qualis eſſe debebat, vt illius determinatio in illa quæſtione definitionis ſynodalis authoritatem vímque obtineret.*

ORTH. Vnius (inquis) regni erat ſynodus, id eſt, nationalis, non plenaria, vel generalis. Fateor rem ita ſe habere. Neque enim generalem indicere penes Regem fuit. Quod potuit præſtitit, id eſt, nationalem totius Angliæ Epiſcoporum, qui de hac quæſtione decernerent, conuocauit. Nihílne hoc apud Champnæum?

PHIL. Hæc ſynodus totius Chriſtiani orbis iudicio repugnat.

ORTH. Nunquid cum Pontifice Romano ſentiebat reliquus orbis Chriſtianus? ſiccine verò? An r Eccleſiæ Græciæ & Aſiæ in Oriente, Moſcouiæ in Septentrione, ad meridiē Æthiopiæ, in Occidente Bohemiæ, Prouinciæ, Pedemontanæ Papatum, id eſt, hodiernum Papæ ſuprematum amplectebâtur? Sed ne longiùs abeam, nationis Germanicæ grauamina Maximiliano primo exhibita, & Pariſienſis curiæ ad Ludouicum vndecimum pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ aduerſus Romanam aulam defenſio, quid de ſuprematu illo quem ſibi hodierno die vendicat Pontifex ſenſerint, ſatis loquuntur.

r Vide Reinold. colloq. cap.9 Diuiſ.4. pag.583, 584. Angl.

s Champ.p.551. PHIL. s *Non erat libera, vt patet tam ex circumſtantijs iam dictis, quàm ex eo quòd ſententias ſuas poſteà, cum à timore immunes erant, mutarint omnes Epiſcopi: qui ſolus libertatis defectus illius Synodi authoritatem, etiamſi generalis fuiſſet, eleuâſſet, vt accidit in magno illo Concilio Ariminenſi, quod, poſt Conſtantij Imperatoris minas receptas, nullius authoritatis fuiſſe omnes conſentiunt.*

ORTH. Duo erant Concilia quæ Ariminenſia dicebantur, teſte Baronio u, & Binio x; alterum legitimum, adulterinum alterum. Huius poſterioris tempore, quod tu magni Concilij titulo honeſtas, Epiſcopos alios in carcere, ne intereſſent, detinuit Conſtantius,

u An.359.
x Tom.1.p.477.

ſtantius, alijs per vim & metum ſuffragia extorſit. Num ſic Henricus? Immò in ſynodo, cui Roffenſis ſubſcripſit, omnibus liberè loqui licuit: & poſt elapſum circiter biennium, altera quoque ſynodus in eâdem fuit ſententiâ. Num & hæc quoque vim paſſa eſt? Quin & illi ipſi Epiſcopi ad crucẽ Paulinam hoc per modũ concionis docuerunt. Quid? An tot præ metu diſſimulârunt, & conſcientiam vulnerârunt? At hunc ſtylum Regium iure diuino permiſſum eſſe vniuerſi Chirographo & iuramento confirmârunt: plærique etiam, editis de hoc argumento doctiſſimis Libellis, eundem titulum tuebantur. Præterea duæ huius regni celeberrimæ Academiæ aſſerüerunt, Pontificem Romanum nihilo plus habere authoritatis iure diuino in regno Angliæ, quàm habet quiuis alius externus Epiſcopus. Academiæ [y] Cantabrigienſis ſententia typis iamdudum excuſa eſt. Non diſſimilis in [z] regiſtro Epiſtolarum Vniuerſitatis *Oxonienſis* conſpici poteſt. An credibile eſt, tot viros doctos, timore, tanquam fatali quodam ſidere, percuſſos, à recto tramite deflexiſſe? At palàm profitentur ſe *poſt longam conſultationem, & frequentes diſputationes, adhibitâ omni diligentiâ, zelo, & conſcientiâ,* tandem in hanc ſententiam vnanimiter omnes conueniſſe, & concordes fuiſſe, videlicet, ***Romanum Pontificem maiorem authoritatem non habere ſibi collatam in ſacra Scriptura, in hoc regno Angliæ, quàm habet quiuis alius externus Epiſcopus.*** Quinetiam [a] Bellarminus ex Chinæo, monacho Carthuſiano, narrat, omnes Regni ordines anno 1535. conueniſſe, & in Comitijs Regni celeberrimis decretum tuliſſe, quo iubebantur authoritati Papæ renunciare, & ſolum Regem in Caput Eccleſiæ recipere.

[y] Act. & Mon. p. 965.
[z] Epiſt. 210. fol. 127, & 128.
[a] Apol. pro reſp. ad lib. reg. cap. 1.

Ita luculenter apparet, vniuerſos Epiſcopos & clericos Angliæ non modò titulum approbâſſe, ſed & iuramentum ſuſcepiſſe. An omnes reluctante conſcientiâ? An vniuerſi, ſe periurij laqueis induerunt? Abſit, abſit, Champnæe; caue dixeris. Iſti enim Prælati à veſtris laudantur, *quaſi* [b] *nullis per totã Europã, aut virtute, aut eruditione eſſent inferiores.* Neque ſanè diffiteor, quin (ſi religionis dogmata, quibus, tanquam prono alueo, vt illa erant tempora, abrepti ſunt, excipiamus) eruditionis laude illuſtres fuerint. Eraſmus, quum multas Chriſtianas regiones peragrâſſet, & à Warrhamo Archiepiſco inuitatus, in Angliam veniſſet, animaduertens quantum inter Epiſcopos Angliæ & aliarum gentium intereſſet, [c] *ſolam Angliam doctos habere Epiſcopos* pronunciauit. Hi tamen docti & clariſſimi viri, non ſolùm regnante Henrico, ſed poſteà etiam ſub Eduardo, idem iuramentum iurauerunt.

[b] Defenſ. Cath. pa. 46.
[c] Vid. Antiq. Brit. p. 306.

PHIL. Nónne regnante Mariâ, alia illis mens, alius animus fuit?

ORTH. Fuit profectò. Eorum tamen ſubſecuta inconſtantia prioris confeſſionis ſoliditatem abolere non potuit. Quamuis autem ſententias reuocârunt, ſuis tamen ipſorum argumentis non ſatisfecerunt, quæ typis impreſſa, tanquam ære & marmore inciſa,

toti

toti terrarum orbi teſtantur Regium hunc titulum in veritate diuinâ eſſe fundatum.

3 Phil. Quos narras antiſtites, illi omnes ex noſtrâ duntaxat Angliâ erant oriundi. Cæterùm, an vſpiam terrarum inuenti ſunt aut Epiſcopi, aut alij viri docti, quibus hic Regius arriſit titulus?

Orth. Non deſunt ſynodi clariſſimæ, quæ non abſimili elogio ſanctiſſimos Principes adornârunt.

[d] Champ. p. 573. Phil. [d] *Pluſquam falſum eſt vllam vnquam ſynodum, vel etiam ſingularem aliquem epiſcopum Catholicum, vel hæreticum, ante Regnum Henrici* 8. *Regis Angliæ Principibus ſecularibus tribuiſſe ius & titulum ſupremi capitis, ſeu gubernatoris eccleſiæ, tam in eccleſiaſticis & ſpiritualibus, quàm temporalibus, quod faciunt hodie Proteſtantes Angli.*

Orth. Anno ſalutis 813. tempore Imperatoris Caroli magni & Leonis tertij, celebratum eſt Concilium Moguntinum, cuius acta ſynodalia ſe cum manuſcripto exemplari, ex ampliſſima Cæſareæ Maieſtatis bibliotheca Viennenſi delato, contuliſſe fatetur [e] Binius. Huius Concilij hoc eſt exordium: *In nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: glorioſiſſimo & Chriſtianiſſimo Imperatori, Carolo Auguſto, veræ Religionis rectori, ac defenſori ſanctæ eccleſiæ.* Et Paulò pòſt: *Conſonâ voce gratias agimus Deo omnipotenti, qui Sanctæ eccleſiæ ſuæ tam pium & deuotum in ſeruitio Dei habere conceſſit Rectorem.* Et rurſus. *De his omnibus valdè indigemus veſtro adiutorio, & ſanâ doctrinâ, quæ et nos iugiter admoneat, & clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis perſtrinximus capitulis, à veſtrâ authoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe iudicauerit; & quicquid in eis emendatione dignũ reperitur, veſtra magnifica Imperialis dignitas iubeat emendari.* Anno 847. alia Moguntiæ celebrata eſt ſynodus, tempore Leonis quarti Pontificis Romani; in quâ ſic auſpicantur epiſcopi: [f] *Domino ſereniſſimo & Chriſtianiſſimo Regi Ludouico, veræ religionis ſtrenuiſſimo Rectori, &c.* Quid eſt rector niſi gubernator? Quid eſt veram Religionem regere, niſi cultum Dei, & res omnes ad Religionem ſpectantes, iuxta Verbi diuini normam ordinare, & gubernare? Neq; enim de regimine loquuntur epiſcopali, quod in miniſterio Verbi & Sacramentorum, aut in cenſuris infligendis, aut laxandis verſatur, ſed de Regio, quod quæ exterioris ſunt politiæ, moderatur ac diſponit, & legibus ſancit. Hoc Moguntini Patres Carolo & Ludouico concedunt, & nos ſereniſſimo Regi noſtro Iacobo; hoc Carolus & Ludouicus exercuerunt, & non minori iure exercet Rex Iacobus.

[e] Bin. t. 3. p. 363.

[f] Bin. t. 3. p. 631.

[g] Champ. quo ſupra. Phil. [g] *Taceo primùm, quòd iſtæ ſynodi generales non fuerint.*

Orth. Quid ſi? Ergóne apud Champnæum nullius ſunt ponderis? Satis pro Imperio.

[h] Ibidem. Phil. [h] *Taceo etiam, quòd neq; inter quintam vel ſextam poſt Chriſtum ætatem.*

Orth.

Digitized by Google

Orth. Si his annorum cancellis diſputationes noſtræ circumſcriberentur, profectò actum eſſet de primatu pontificio. Sed te hæc omittere dicis; laudo ingenium: potes ſanè; non enim ſunt tanti.

Phil. [i] *Deindè alium titulum Imperatori non tribuũt, quàm rectoris religionis, qui hominibus multò inferioris conditionis, cum debita proportione tribui etiam poteſt; nimirum æditiuis, officialibus, & ſimilibus, qui in ſuo gradu, rectores religionis (quia ſcilicet quædam ad religionem ſpectantia adminiſtrant) dici poſſunt.* [i] *Ibid.*

Orth. An credibile eſt doctorem Sorbonicum ita delirare, vt Maieſtatem Regiam cum officialibus & æditiuis parochianis, in eccleſia regenda, conferendam cenſeat? Æditiuorum eſt contra Canones delinquentium nomina ad cenſores eccleſiaſticos deferre: hoccine eſt Religionem regere? Profectò, niſi ſcorti Babylonici venenatum calicem ad feces vſque hauſiſſet, de officio regali ſplendidiſſimo tam abiectè & ſordidè non loqueretur. Longè alitèr Patres Moguntini; qui ſi quid emendatione dignum, id Imperiali iuſſu emendari; ſi quid rectè conſtitutum, id Imperiali authoritate firmari ſuppliciter petunt.

Phil. [k] *Hoc idem à ſynodis iſtis Moguntinis (non in præfatione ad Imperatorem, vbi formalis ac præciſus modus loquendi non ſemper ſtrictè obſeruatur, sed in ipſiſmet Canonibus & conſtitutionibus, ex quibus verus cuiuſque Concilij ſenſus deſumendus eſt) probatur: prima enim Moguntina ſynodus à te citata, hunc edidit Canonem:* [l] *Vt epiſcopi habeant poteſtatem res eccleſiaſticas prouidere, regere, gubernare, atque diſpenſare ſecundùm Canonum authoritatem, volumus, & vt Laici in eorum miniſterio obediant epiſcopis ad regendas eccleſias Dei, viduas & Orphanos defenſandos, & vt obedientes ſint eis ad eorum Chriſtianitatem ſeruandam. Et iſte Canon repetitur ad verbum in ſecunda Moguntina ſynodo; ſed ibi ſeptimum habet locum. Indicet iam Maſonus vtrùm iſtarum Synodorum Patres, Imperatorem ſupremum Eccleſiæ Caput & Gubernatorem, etiam in ſpiritualibus, eſſe crediderint.* [k] *Capit. p. 576.* [l] *Can. 8.*

Orth. Huius Canonis duo ſunt membra; alterum de Epiſcopis, de Laicis alterum. Primum, Epiſcopis res Eccleſiaſticas prouidendi, regendi, gubernandi, atque diſpenſandi ſecundùm Canones, poteſtatẽ tribuit: quę poteſtas, quãta quanta eſt, nihil impedit, quin Rex ſit Supremus etiam in eccleſiaſticis Gubernator. Nam Primo, Epiſcopi regunt quidem ſecundùm Canones: ſed ipſos Canones vel firmare, vel infringere ſpectat ad Imperatorem, vt paulò pòſt ex Leone magno liquebit. Intereà Moguntini Patres hoc ipſum agnoſcunt, dum ſua capitula ab Imperiali Maieſtate vel emendari, ſi opus eſſet, vel firmari petunt; quod fecit Carolus, & ſanctionibus eccleſiaſticis vim legum afflauit aura Cæſaræa. Deinde Epiſcopi regunt dirigendo, alioſque cenſuris Eccleſiaſticis in officijs continendo; at Rex modo longè alio, nempe imperando, & curando, edictis ſcilicet & legibus, vt omnia ad Dei cultum

tum ſpectantia ſanctè peragantur, ídque ab ijs, quibus talis à domino demandata eſt prouincia. Hoc modo architectonico & nomothetico gubernat Rex, non autem Epiſcopi. Hæc gloria, quanta quanta eſt, eſt regum propria: in Eccleſiaſticis hoc modo regendis, Rex iuxta Deum ſummus eſt & ſupremus.

PHIL. Ad alterum membrum accedamus, quod eſt de Laicis, quorum eſt *Epiſcopis obedire.*

ORTH. Hæc verba ſi fortè ad Reges ſe porrigant, ſuprematum tamen Regium nullo modo minuunt. Nam vt reliqui Chriſtiani, ita & Reges animarum ſuarum ducibus, Verbum Dei loquentibus, obedire debent. Hoc ſolùm doceant, & non ſua ſomnia, & Regũ erit Verbo Diuino ab ijs prolato exemplarem præſtare obedientiam. Sed hoc non impedit, quo minùs hoc titulo exornentur. Etenim quod paſtores verè docent, id Reges edictis, legibus, ſcitíſque ciuilibus ſancire, omnibúſque ſuis ſubditis, etiam Eccleſiaſticis imponere, & poſſunt & debent. Ita hæc pulchrè conſentiunt, neque vllo modo ſe collidunt. De Moguntinis diximus.

Ius quoque non abſimile Reccesuintho Regi à Concilio Emeritenſi anno Domini 705. his verbis aſcribitur: [m] *Sereniſſimo, ac pijſſimo, Orthodoxo viro, clementiſſimo domino Reccesuintho Regi, gratias impendimus opem, cuius vigilantia & ſecularia regit cum pietate ſumma, & Eccleſiaſtica plenius diuinitus ſibi ſapientia conceſſa.* Quid hoc eſt aliud quàm Regem omnium cauſarum, tam Eccleſiaſticarũ, quàm ciuilium, ſupremum agnoſcere rectorem, ſeu gubernatorem?

[m] Bin. t. 2. p. 1183.

PHIL. [n] *Quod ex Concilio Emeritano affert, ad ſuum inſtitutum nihil facit. Quòd enim Reges ſuo ordine & gradu res Eccleſiaſticas regãt, nimirum leges condendo pro Eccleſia, iuxta tenorem Canonum & iudicium Epiſcoporum, nullus eſt qui negat.*

[n] Champ. p. 576.

ORTH. Si doctrinâ cœleſti præluceant Epiſcopi, par eſt, vt facem præeuntem obſeruet, & ſequatur Rex. Verùm quid ſi Prælati ſuo non fungantur officio? Quid ſi Aaron vitulum conflauerit aureum? An non licet Moſi, etiam tacentibus Sacerdotibus, in puluerem redigere? Si ſerpens æneus in ſuperſtitionem abierit; an non licet Hezechiæ eundem demoliri? Si excelſa iram Dei prouocauerint; an non licet Ioſiæ eadem diruere?

PHIL. Doctrinæ noſtræ idem concilium ſuffragatur his verbis; [o] *Quia per diuinam gratiam in Sancta Dei Eccleſia Epiſcopalis ordinatur poteſtas, dignum eſt vt ſicut honore & bonitate ſummus habetur in vita, ita poſt mortem detractio de eo ſit nulla.* Epiſcopus eſt ſummus vel ſupremus, ergo non Rex.

[o] Bin. t. 2. p. 1182.

ORTH. Epiſcopus eſt ſummus reſpectu presbyterorum, ac diaconorum, non ſimpliciter.

PHIL. Eſt ſummus ſimpliciter in rebus Eccleſiaſticis.

ORTH. In rebus Eccleſiaſticis exequẽdis & miniſtrandis, non in regendis.

PHIL.

PHIL. Quaſi non ſit Epiſcoporum ſuas regere Eccleſias?

ORTH. Duplex eſt regimen; internum, quod in Eccleſia Eccleſiaſticè perficitur; & externum, quod fit architectonicè & nomotheticè; illud eſt Epiſcoporum, hoc Regum. Quod ſine dubio intelligunt Patres Emeritenſes, cùm dicunt, Regem *ſapientiâ ſibi diuinitus conceſſâ res Eccleſiaſticas regere.* Et hoc externum regimen eſt omnium ſupremum, in poteſtate ferendi leges pro Chriſto maximè elucens, quâ nulla omninò in terris poteſtas ſuperior aut ſupereminentior cogitari poteſt. Hactenùs de genuino ſenſu huius Concilij: nunc quod ad eiuſdem robur & authoritatem attinet, ab Innocentio tertio in epiſtola ad Petrum Archiepiſcopũ Compoſtellanum confirmatur, teſte [o] Garſiâ.

[o] *In notis in Concil. Emerit.*

PHIL. [p] *Referam hic initium illius epiſtolæ, ex qua doctrinæ Maſoni (quâ primatum in rebus Eccleſiaſticis principibus ſecularibus tribuit) vanitas clarè apparebit. Sic igitur doctiſſimus ille Pontifex ſcribit:* [q] *Licèt vnum ſit corpus Eccleſiæ, in quo Chriſtus eſt caput, & vniuerſi fideles ſunt membra, ille tamen qui à Chriſto petra dictus eſt Petrus, & à Chriſto capite vocatus eſt caput, ipſo teſtante, qui ait, Tu vocaberis Cephas, quod ſecundùm vnam interpretationem exponitur caput, quia ſicut plenitudo ſenſuum abundat in capite, ad cætera verò mẽbra pars aliqua plenitudinis deriuatur, ita cæteri vocati ſunt in partem ſolicitudinis: ſolus autem Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis, ad quem velut ad caput maiores Eccleſiæ cauſæ, non tam conſtitutione canonicâ, quàm inſtitutione diuinâ meritò referuntur.* Sic ille. [r] *Iudicet iam Maſonus, vel quiuis alius, etiam minùs æquus, quantam vim & robur hæc Epiſtola Proteſtantium Anglorum doctrinæ de principatu Regum in rebus Eccleſiaſticis conferat.*

[p] *Champ. p. 577.*
[q] *Innoc. 3. ad Petrum Archi. Compoſt.*
[r] *Champ. ibid.*

ORTH. Innocentius in hac Epiſtola Petrum immodicè laudat, & veritatis metas longè tranſgreditur. Neque enim ſolus Petrus aſſumptus eſt in plenitudinem poteſtatis, cæteri autem in partem duntaxat ſolicitudinis, ſed reliqui Apoſtoli Petro poteſtate erant æquales, vt ſuo loco [ſ] oſtendam. Deindè falſum eſt, maiores Eccleſiæ cauſas ad ſolum Petrum, inſtitutione diuinâ, fuiſſe relatas. Verùm eſto; referantur ad Petrũ, vel (ſi placet) ad Papam, vt ad idoneum cognitorem: at ſupremat Regius non tam in cauſarum cognitione, quàm in ſupremâ gubernatione verſatur.. In rebus ciuilibus multa ſolent incidere, quorum cognitio Principem latet, nec tamen deſinit proindè ſummus eſſe in rebus ciuilibus Gubernator. Ità in rebus Eccleſiaſticis, Rex ipſe ad cauſarum quarundam cognitionem aliquando eſſe poteſt parùm idoneus, non tamen inde ſequitur, non eſſe ſupremum in iiſdem moderatorem. Nam authoritate ſemper inſtructus eſt, per quam idoneos cognitores delegare poteſt. Sic in cauſa Cæciliani Conſtantinus Magnus ipſum Romanum Pontificem ad rem totam cognoſcendam & iudicandam aſſignauit. Immò, vt ex ſacris conſtat literis, Amarias, ſummus Iudæorum Pontifex, ſacras controuerſias cognouit, & iudicauit, ſed Rege iubente. Quis igitur maior? Pontifex qui

[ſ] *Lib. 4.*

Digitized by Google

paret, an Rex qui iubet? Illa igitur Innocentiana contra ſuprematum Regium nihil faciunt, & ſi facerent vel maximè, ego tamen eius dicta præſtare non cogor. Neque enim ex Innocentio ſupramatum Regium aſtruere molitus ſum, ſed ex Concilio Emeritenſi, quod quanti apud vos pretij eſſe debeat, ex veſtro Garſiâ docui, affirmante Innocentium eiuſdem robur & authoritatem confirmâſſe. Quid tu contrà? Nónne hæc omnia ſunt veriſſima? Nónne cuncta ſunt rectiſſimè citata? An vel in verbis vſpiam à nobis eſt erratum, vel à ſenſu, ſcopóque authoris deflexum? Cur igitur tantam tibi nobiſque moleſtiam creas? Sed de Concilijs hactenus.

5 His inſuper Patrum ſententias licet adiungere. *Colimus* (inquit Tertullianus [t]) *Imperatorem, vt hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem.* Super Imperatorem (inquit Optatus [u]) *non eſt niſi ſolus Deus, qui fecit Imperatorem.* [x] *Læſus eſt* (inquit Chryſoſtomus) *qui non habet parem vllum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum; propterea igitur ad ſupernum Regem confugiamus.*

[t] *Ad Scapulam cap. 2.*
[u] *Opt. contr. Parm. l. 5.*
[x] *Chryſoſt. ad pop. Antioch. hom. 2.*

PHIL. [y] *Iſta non ſunt ad Rhombum. Loquuntur enim iſti Patres de poteſtate gladij temporalis, non verò de poteſtate clauium Regni Cælorũ, quos Chriſtus Dominus ſancto Petro, & non Cæſari tradidit.*

[y] *Champ. p. 578.*

ORTH. Immò iſta Champnæana non ſunt ad Rhombum. Nos enim non dicimus Cæſari traditas eſſe claues regni Cælorum, neque mihi propoſitum fuit hoc ex Patribus aſtruere, ſed Regem ſupremum eſſe Gubernatorem; quod ſic concluditur. Si Rex, iuxta Patrum ſententias, ſit ſecundus à Deo, ſi ſolo Deo minor, ſi ſuper eum ſit ſolus Deus, ſi in terris parem non habeat, quippe qui omnium mortalium intra ſuas ditiones ſit caput & vertex; ex eorundem quoque ſententia eſt ſupremus Gubernator.

PHIL. Verum eſt in rebus terreſtribus.

ORTH. Accipio quod das; atque indè obiter infero, Papam ex ſententia Patrum, non poſſe Reges deponere, neque regna illis eripere. Cæterùm, an ad has res ſolas dicta Patrum ſint reſtringenda, conſulamus Auguſtinum, *qui nos* (vt vos ipſi [z] profitemini) *non de ſua tantùm, ſed de communi antiquorum Patrum & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſtanti atque ſtabili confeſſione, bonâ fide reddet certiores.* Vt illius igitur ſententiam aſſequamur, hoc imprimis fundamentum ſubſterno, nempe quòd leges condere, & pœnas delinquentibus decernere, ſit ſupremæ gubernationis externæ culmen & apex. Quod, vt mihi quidem videtur, eſt ſuâ ipſius luce clariſſimum. Quo poſito, ſequitur, Regẽ, ſi modò leges de rebus ſacris condendi authoritate polleat, in ijſdem quoque ſupremum eſſe Gubernatorem. Sed Reges, iuxta Auguſtinum, de rebus ſacris, nempe de fide & religione, leges poſſunt condere. Sic enim ille: [a] *Seruiant Reges terræ Chriſto, leges ferendo pro Chriſto.* Et alibi: [b] *In hoc Reges, ſicut eis diuinitùs præcipitur, Deo ſeruiunt, in quantùm Reges ſunt, ſi in ſuo Regno bona*

[z] *Confeſſio. Aug. præfat. ad lectorem.*
[a] *Aug. ep. 48.*
[b] *Contr. Creſc. gram. l. 3. c. 51.*

bona iubeant, & mala prohibeant, non ſolùm quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verùm etiam quæ ad diuinam Religionem. Iohannes Hartus, cùm Nowelli ad Dormannum reſponſionem à Rainoldo ſibi exhibitam perlegiſſet, dixit,[e] *ſe doctrinam, quam hac de re tradit Eccleſia Anglicana perperam accepiſſe, ſéque planè nobiſcum (ſi non aliam Principi, ac Nowellus ſupremam poteſtatem deferremus) conſentire.* Adiunxit autem, nos Principi, *nihil amplius ſibi videri ex Nowelli verbis aſcribere, quàm quod ſanctus Auguſtinus* his verbis proximè à me citatis. Fatetur igitur eandem Eccleſiæ Anglicanæ, & Auguſtini de Principis ſuprematu eſſe ſententiam, &, per conſequens, Chriſtianos Principes, iuxta mentem Auguſtini (quæ à vobis celebratur vt communis Patrum ſententia) ſupremos eſſe, etiam in rebus ſacris, gubernatores. Obiectiones autem quas veſtri ex priſcis Patribus, Athanaſio, Hoſio, Ambroſio, Gregorio Nazianzeno fucare ſolent, Nowellus neruoſè, & apertè refutauit, ad quem te remitto.

[e] *Vide colloquium Rainold. in fine.*

6 Quod ex Auguſtino collegimus, illud ipſum ex duobus alijs licet vindemiare, Leone ſcilicet, & Gregorio; vtroque Pontifice, vtroque magno. Quum Concilium Epheſinum, Dioſcori aſtutiâ irretitum, maledicta Eutychetis dogmata approbâſſet, & Flauianum Epiſcopum Conſtantinopolitanum depoſuiſſet, Leo Pontifex eius nominis primus ad Theodoſium Imperatorem in hæc verba ſcripſit: [d] *Ecce ego (Chriſtianiſſime & venerabilis Imperator) cum conſacerdotibus meis, implens erga reuerentiam Clementiæ veſtræ ſincerum amoris officium, cupiénſque vos per omnia placere Deo, cui pro vobis ab Eccleſia ſupplicatur, ne ante Tribunal Domini rei de Concilio iudicemur, obſecramus coram vnius Deitatis inſeparabili Trinitate, quæ tali facto læditur, cùm ipſa veſtri ſit cuſtos & author imperij, & coram Sanctis Angelis Chriſti, vt omnia in ſtatu eſſe iubeatis, in quo fuerunt antè omne iudicium, donec maior ex toto orbe Sacerdotum numerus congregetur.* Quis obſecrauit? Leo, doctiſſimus, & ſanctiſſimus pontifex. Quē? Theodoſium Imperatorem. Quâ de cauſâ? Vt iubeat; non vt roget, ſed vt iubeat, authoritate ſcilicet regiâ. Quid tandem? Vt omnia in ſtatu priore maneant. Sed quænam illa? Omnia ſcilicet fidei myſteria, pæcipuè autem quæ ipſius Chriſti perſonam ſpectant, & naturas. Sed quid hoc ſibi vult? Vt ſint in priore ſtatu? Nempe vt liceat ſingulis ita de ſacroſanctis illis myſterijs iudicare, & loqui, vt ſolebant antequam hæreſis Eutychiana pullulauerat. Tunc enim ipſam Dei veritatem, ſecundùm doctrinam Apoſtolicam, amplexi ſunt.

[d] *Leo ep.24.*

PHIL. * *Ergo Imperator (ſic enim infers) quid de ſummis fidei myſterijs, putà de Chriſti perſona & naturis, cuiquam loquendum ſit ac iudicandum, imperandi authoritatem habet. Mira ſanè illatio.*

* *Champ. p. 220 edit. Angl.*

ORTH. Id ego non intuli, ſed hoc potiùs. Ergo, ex Leonis ſententia, Imperator, etiam in ſacroſanctis fidei myſterijs, pro veritate iubere poteſt, & pro doctrina Apoſtolica, Concilij decreto

Digitized by Google

in contrarium non obſtante: quod eſt veriſſimum, & ſupremam Eccleſiæ gubernationem ſatis arguit. Verùm quum hæc Champnæana in editione Latina omittantur, videamus quid eorum loco ſubſtituat.

[d] Champ. p. 559. PHIL. [d] *Quid inde? Ergo Imperator eſt ſupremus in rebus eccleſiaſticis Iudex? Quid ineptiùs effutiri poteſt?*

ORTH. Tu verò pro tua prudentia, ſemper ſtatum quæſtionis mutans, & ad controuerſiarum Iudicem furtim dilabens, peccas ignoratione elenchi.

[e] Ibid. PHIL. [e] *Si Clemens Papa ſeptimus, Henrico 8. Regi Angliæ, eiſdem verbis ſcripſiſſet, rogans vt, non obſtante determinatione ſynodi (quâ Maſonus dicit primatum Eccleſiæ Regi delatum fuiſſe) iuberet vt omnia in eodem ſtatu manerent, quo antè ſynodum illam fuerunt, donec maior numerus Epiſcoporum conueniret (quod abſque dubio facere non omiſiſſet, ſi minimam ſpem habuiſſet quòd Rex ſibi auſcultaret) quis obſecro, ſenſu tantùm communi præditus, indè inferret Clementem Papam iudicaſſe Regem ſupremum illius controuerſiæ eſſe Iudicem, atque quid de ea loqui & ſentire deberent homines, plenam iubendi authoritatem habere?*

ORTH. Si Clemens Henricum, vt Leo Theodoſium, coram Deo & ſanctis Angelis obſecraſſet, vt omnia in ſtatu quo priùs erant antè illam celebratam ſynodum, eſſe iubere voluiſſet, putarem profectò exiſtimaſſe Clementem licuiſſe Henrico hoc ipſum authoritate ſua Regia iubere, etiam ſynodi decreto in contrarium non obſtante. Alioqui enim, vt mihi quidem videtur, Regem tam impensè, coram Deo & ſanctis Angelis, vt hoc faceret, non obſecraſſet. Sed quorſum tam diſcrepantia inter ſe componis? Alij nunc mores, quàm Leonino ſeculo. Tunc Imperatorem colebat Pontifex; nunc conculcat. Tunc ad Imperatoris genua prouolutus iacuit: nunc coronas & diademata pede ſuo gemmato ludibundus diſcutit. Tunc Leo erat mitis & clemens: nunc Clemens euaſit truculentus Leo. Cæterùm, ſiue hoc Henrico licuiſſe exiſtimaret Clemens, ſiuè non, certè Theodoſio licuiſſe putauit Leo. Quod conſtat ex ratione, quam præmittit, cur tam enixè rogaret: *Cupiens* (inquit) *vos per omnia placere Deo.* Quaſi dicat, Quiâ, cupio vos placere Deo, idcirco hoc iubeatis obſecro. Sic enim iubendo id facietis, quod gratum eſt Domino. Ergo ex ſententia Leonis, Imperator, dùm pro veritate & fide Orthodoxa iubet, id facit quod placet & gratum eſt Domino: quod fieri non potuit, niſi ad hoc ipſum legitima authoritate fuiſſet inſtructus. Illud autem quod à Champnæo de controuerſiæ illius Iudice eſt iniectum, ſolitâ laborat ignoratione elenchi, & calumniâ non caret.

[f] Champ. p. 560. PHIL. [f] *Quod ſanctus Leo nullum primatum eccleſiaſticum in Imperatore agnouerit, clarius eſt ex iſta eadem Epiſtola, quàm vt à quoquam, qui eam legerit, negari poterit; ac proindè non tam ex ignorantia, quàm ex pernicacia præuaricari conuincitur Maſonus. Primùm enim rogat Sanctus Leo ſuſpenſionem decreti pſeudo-ſynodi, donec maior Sacer-*

dotum

dotum numerus, qui rem iudicaret, conueniret: non ergo Imperatorem, ſed Concilium Sacerdotum illius controuerſiæ Iudicem exiſtimauit Sanctus Leo.

ORTH. Nimis hæc intempeſtiuè interponit Champnæus. Nos enim, vt millies iam diximus, Imperatorem controuerſiarum fidei Iudicem non facimus, ſed in omnibus cauſis ſupremum gubernatorem. Miſeret me huius homunculi, qui Regis ſui ſplendidiſſimi ſupramatum oppugnat, cùm nihil poſſit obtendere quod non ſuâ vanitate diffluat.

PHIL. [g] *Deinde Sanctus Flauianus, non Imperatorem, ſed pontificem Romanum, tanquam ſupremum cauſæ ſuæ Iudicem, appellauit, appellationémque ſuam ſedis Apoſtolicæ Legatis tradidit, vt Sanctus Leo in hâc eâdem epiſtolâ refert: quo vnico facto (ſciente illud, & non contradicente, immò approbante Imperatore) & primatus ſecularium principum in rebus Eccleſiaſticis deſtruitur, & ſedis Apoſtolicæ primatus (etiamſi diſrumpantur inuidiâ nouatores) efficaciter aſtruitur.* [g] Champ. p. 561.

ORTH. Flauianus prouocauit quidem à ſynodo Epheſinâ, non tamen ad Leonem, ſed ad futuram ſynodum.

PHIL. Verba Leonis contrarium euincunt: [h] *Noſtri* (inquit) *fideliter reclamarunt, & ijſdem libellum appellationis Flauianus Epiſcopus dedit.* [h] Leo epiſt. 24.

ORTH. Tradidit quidem illis libellum, ſed offerendum ſynodo, quemadmodum apud nos in Angliâ libelli porriguntur oratori Parliamenti, vt de ijs Parliamentum certius faciat.

PHIL. Immò legatis tradidit, quia Pontificis Romani eſt Concilijs per legatos præſidere.

ORTH. [i] *Præſidentia Conciliorum duplex eſt* (teſte *Iohanne* de *Turrecremata*) *altera honoraria, altera authoritatiua: præſidentia honoraria eſt, eminentiorem locum in Concilio tenere, & primò in eo loqui, & quæ agenda ſunt dirigere, & denuò ex iuſſu ſynodi ſententiam dicere: præſidentia authoritatiua eſt, ius habere non modò dirigendi, ſed regendi etiam actiones eorum, & de rebus ſententiam pronunciandi ex iudicio ſuo, etſi maiori parti Concilij non probetur, etiam licèt probetur nulli.* Romanus autem Pontifex præſidentiam aliquandò habuit honorarium, non tamen authoritatiuam, vt ex Concilio Chalcedonenſi liquere poteſt, in quo eius legati, ſine aliorum aſſenſu, nihil quicquam decreuerunt, aut decernere potuerunt. Prouocâſſe autem ad futuram ſynodum Flauianum, ex verbis Leonis immediatè ſequentibus eſt manifeſtum, & ex ipſâ verborum ſerie ac contextu. [k] *Quia* (inquit) *& noſtri fideliter reclamârunt, & ijſdem libellum appellationis Flauianus Epiſcopus dedit, generalem ſynodum iubeatis intra Italiam celebrari, quæ omnes offenſiones ita aut repellat, aut mitiget, ne vltra aliquid ſit vel in fide dubium, vel in charitate diuiſum.* [i] Ioh. de Tur. ſumma de Eccl. l. 3. ca. 23. [k] Leo epiſt. 24.

PHIL. Non igitur appellauit Imperatorem Flauianus.

ORTH. Nec Papam quidem. Sed Papa ſupplicauit Imperatori, vt Concilium ad rem totam cognoſcendam indiceret, quod

& fecit Imperator (quamuis non eo in loco quo voluit Pontifex) & niſi feciſſet, res tota infecta permanſiſſet. Quare ex hâc appellatione neque primatus Regius deſtruitur, neq; Pontificius aſtruitur, ſed potiùs è contra. Porrò, quanta fuerit in rebus Eccleſiaſticis Principis authoritas, ex alia Leonis Epiſtola manifeſtum fiet. Etenim vt nunc Theodoſium, ita poſtea Martianum rogauit, vt authoritate ſuâ Imperiali hoc idem iuberet, non obſtante Concilij Epheſini in contrarium decreto. [l] *Prior ſynodus Epheſina Neſtorium cum dogmate ſuo meritò iuſtéque damnauit, & quiſquis in illo errore perſiſtit, ad nullius poteſt ſpem remedij peruenire: ſequens verò in prædictâ ciuitate, non poteſt vocari Concilium, quod in euerſionem fidei conſtat fuiſſe agitatum, quódque veſtra Clementia, amore veritatis affutura, aliud ſtatuendo, caſſabit, glorioſiſſime Imperator. Vnde per ipſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui Regni veſtri eſt author, obteſtor, & obſecro Clementiam veſtram, vt in præſenti ſynodo fidem, quam beati Patres noſtri ab Apoſtolis ſibi traditam prædicârunt, non patiamini quaſi dubiam retractari, vt quæ olim maiori ſunt authoritate damnata, rediuiuis non permittatis conatibus excitari: illúdque potiùs iubeatis, vt antiquæ Nicenæ ſynodi conſtituta, remotâ hæreticorum interpretatione, permaneant.*

[l] Leo epiſt. 43.

Phil. [m] *Paternè benignéque Imperatorem tantùm hortatur decreta fidei ſanctorum Patrum defendere, quod, vt Princeps Catholicus, præſtare tenebatur, atque etiam reipſa præſtitit, non vt habens plenam ac ſupremam in rebus illis poteſtatem, ſed ſancti Leonis præſcriptum præcisè ſequutus.*

[m] Champ. p. 564.

Orth. Non vt habens ſuprêmam poteſtatem? Immò verò penes Imperatorem eſſe poteſtatem Conciliorum, conſtituta ſacris Scripturis conſentanea confirmandi, contraria verò caſſandi agnoſcit Leo. Agnoſcit inſuper extendi hanc poteſtatem ad Concilia etiam generalia inhibenda, & coercenda, ne fidem & veritatem Chriſti quaſi dubiam retractare, (id eſt, iterum in quæſtionem vocare) vel damnatas hæreſes ab inferis excitare audeant. Quo nihil ad primatum Regium aſtruendum aptiùs, aut accommodatiùs dici aut cogitari poteſt.

[n] Champ. p. 565.

Phil. Martianus [n] *ſancti Leonis præſcriptum præcisè ſequutus eſt.*

Orth. Præſcripſit quidem Imperatori Pontifex, nempe docendo, monendo, ſuadendo, ſuppliciter petendo: Imperator verò toti Concilio Chalcedonenſi (cui per legatos interfuit Pontifex) iubendo. Et in hoc præſcriptionis genere, non in illo ſita eſt ſuprema Eccleſiæ gubernatio. Quare quum ſanctus Leo Martiano ſupplicat, vt, vigore iuſſionum eius Imperialium, in futura ſynodo hæreſes remoueantur, & antiquæ Nicenæ ſynodi conſtituta permaneant, idem eundem omnium perſonarum, etiam in cauſis Eccleſiaſticis, ſupremum eſſe Gubernatorem planè fatetur.

7 De Leone hactenùs; nunc Gregorium ſalutemus, qui à veſtris vt Anglorum Apoſtolus celebratur. Hinc enim elucebit, qualem

hâc

Digitized by Google

hâc de re doctrinam olim in hanc Inſulam introduxerit eiuſdem diſcipulus Auguſtinus. *Poteſtas* (inquit [o] Gregorius) *ſupra omnes homines dominorum meorum pietati cœlitus data eſt.* Aduerte, *ſupra omnes homines*; ergo ſupra Papam. Nam nec ſeipſum quidem excipit, ſed diſertè ait, [p] *Ego quidem iuſſioni tuæ ſubiectus.* Agnouit igitur Gregorius Dominum ſuum Mauritium, omnium perſonarum per totum Imperium Romanum ſupremum eſſe moderatorem. A perſonis ad cauſas tranſeamus, exploraturi an hunc illi ſuprematū in Eccleſiaſticis concedat necne. Quod ipſum non meis, ſed præſulis longè clariſſimi verbis expediam: [q] *Audienda erat cauſa Maximi Salonarum Epiſcopi, qui cum Gregorio lis erat: ſcribit Maximus præcepiſſe ſereniſſimos Dominos, vt Salonis cognitio eſſe deberet. Quid Gregorius reſpondet? Nullas ſe ea de re iuſſiones accepiſſe: quòd ſi qua ſit iuſſio, eam per obreptionem elicitam ſe credere. At non reſpondet ibi, nullam de his iubendi authoritatem penes Imperatorem eſſe, quippe in cauſa eccleſiaſtica: ſic autem reſpondere debuit, ſi cauſam tuam agere voluit. Secundò, Incurrerat in cenſuras Maximus; laxare eas ſe ſcribit Gregorius. Laxare? Quomodo? Secundùm iuſſiones ſereniſſimi Domini Imperatoris. Tertiò, ſuſpendit tamen interim Gregorius Maximum à miſſarum ſolennibus celebrandis; ſed quouſque? Quoadusque voluntatem eiuſdem ſereniſſimi Domini cognoſceret. Ita cauſam eo loco cognoſcit, cenſuram relaxat, ſuſpenſionem ſuſpendit, omnia hæc ex voluntate, & pro iuſſione Imperatoris. Ter in Eccleſiaſtica cauſa iubet Imperator, ter pontifex paret iubenti.* Hæc ille. Quis igitur ſuperior? Mauritius qui iubet, an Gregorius qui paret? Si verò Imperator vel ipſo Papa ſit ſuperior, idque in rebus eccleſiaſticis, erit profectò omnium in cauſis omnibus ſupremus, cui pro veritate iubenti omnes mortales, etiam Patriarchæ & Papæ, ex officio parere debent.

[o] *Lib. 2 ep. 62. ind. 11. c. 100.*
[p] *Ibid.*
[q] *Tortur Tort. p. 172.*

PHIL. [r] *An vnquam aut vſpiam terrarum extitit Rex aut Regina,* 8
inter Paganos aut Chriſtianos, inter Catholicos aut hæreticos, qui antè noſtrum ſeculum, hunc de quo agitur titulum vel in praxin reduxit, vel ſibi vendicauit, vel ab alijs oblatum amplexus eſt?

[r] *Vide Alanum apol. c. 1. vide Latin. edit p. 26.*

ORTH. Sanctiſſimos Iudæorum Reges, Dauidem, Hezechiam, Ioſiam intuere; Chriſtianorum Imperatorum, Conſtantini, Gratiani, Theodoſij, & ſimilium res geſtas perpende; leges à Carolo & Ludouico latas diligenter conſidera, & liquebit tantum ſibi iuris & vendicaſſe & exercuiſſe ſingulos, quantum nos hoc ſuprematus Iuramento Reginæ Elizabethæ vnquam detulimus.

PHIL. [ſ] *Non adducis neque factum, dictum, legem vel ſtatutum alicuius iſtorum, quod vel minimam præfati primatus vſurpati ſpeciem præ ſe ferat: nónne ergo validè inſtitutum tuum probas?*

[ſ] *Champ. p. 556.*

ORTH. Immò complura ex ſacris literis [t] attuleram, quæ tamen Champnæo leui pede viſum eſt tranſcurrere. Quoties enim Reges cultum peregrinum ſunt demoliti, Sacroſanctam Religionem ſancientes, omnibúſque ſuis ſubditis ſuſcipiendam imperantes, toties ſe ſupremos in rebus eccleſiaſticis gubernatores exhibuerunt.

[t] *L. 3. c. 2. n. 5. edit. Angl.*

Digitized by Google

erunt. Sed quoniam Champnæus ad exempla prouocat, Ioſaphatum hoc Regale munus exequentem in eius gratiam paulò antè adduxi. Plura ex Scripturis ſi deſideret, legat apud ſereniſſimum [a] Regem, qui ex his floribus ſertum Regale contexuit. Sin à ſacra Hiſtoria ad Eccleſiaſticam tranſire ſit animus, legat ſanctiones Conſtantini, Gratiani, Theodoſij, Caroli, & Ludouici, ad quas digitum intendo.

[a] *Apol. pro iur. fidel. p. 127.*

Phil. [x] *Ex hac reſponſione inferre quis poteſt, quòd, ſi modò viueret Elizabetha, læſæ Maieſtatis reus inueniretur Maſonus, dicens ſe aliam poteſtatem illi per iuramentum non tribuere, quàm dicti Principes vel exercuerint, vel ſibi vendicauerint. Nullus enim illorum pontificis Romani iuriſdictionem è ſuis imperijs excluſit; quam tamen Maſonus è Reginæ dominijs excludere Iureiurando tenetur.* Sic Champnæus in editione Latina; verum in Anglicana vtitur dilemmate, & vtroque cornu ferit hunc in modum: *Si hæc tibi firma & immota ſtat ſententia, non erit difficile, te vel perduellionis contra Reginam (ſi iam viueret) & contra leges eius, vel ſaltem manifeſtæ falſitatis coarguere. Nam ſi dixeris te hoc primatus Iuramento nullam aliam Reginæ deferre poteſtatem, quàm quæ ab illis Imperatoribus exercebatur, profectò legibus Anglicanis, tanquam læſæ Maieſtatis reus, irretitus eris & illaqueatus. Illi enim nulla vnquam vſi ſunt in cauſis Eccleſiaſticis poteſtate, præter illam ſolam, quæ cum Epiſcopi Romani primatu ſatis bellè cohæret, ac conſiſtit; quem tu tamen per leges Anglicanas ſub perduellionis pœna teneris eiurare. Sin hoc Iuramento aliam Reginæ authoritatem tribuas, quàm quæ cum Papæ primatu conſentit, tum falſi arguendus es, dum affirmas vos nullam aliam Reginæ aſcribere authoritatem, quàm quæ illis Imperatoribus in vſu fuit.*

[x] *Champ. p. 557.*

Orth. Hæc mihi firma & fixa manet ſententia; neque tamen vel læſæ Maieſtatis, vel falſi ſum poſtulandus. Non læſæ Maieſtatis, quia nec Rex nec lex aliud per primatum intelligit, quàm [y] *eam tantùm prærogatiuam, quam in ſacris Scripturis à Deo ipſo omnibus pijs Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam.* Hanc autem Principibus noſtris, vnctis Domini, qua decet reuerentia & humilitate defero. Non falſi, quia vt hic primatus cum primatu pontificio non conſiſtit, ita nec ille quem priſci exercuerunt Chriſtiani Imperatores. Non enim eſt alius atque alius, ſed vnus idémque abſolutè & ſimpliciter. Quin tu potiùs Champnæe (vt de violata Maieſtate nihil dicam) falſi crimen tibi induis, dum priſcorum Imperatorum primatum cum hodierno primatu pontificio conſiſtere & cohærere fingis. Ad Papam ſpectare vultis vt Concilia indicat generalia; an hoc æquo animo tuliſſent antiqui Imperatores? Ad Papam pertinere contenditis, vt Reges ac Imperatores à ſolio deijcere ac deturbare poſſit: num hanc doctrinam Hildebrandicam approbaſſent antiqui Imperatores? Eſt Papæ priuilegium vt ſubditorum fidelitatem, etiam iuramento firmatam, vel ſuo halitu diſſlare queat; an hoc permiſiſſent antiqui Imperatores? Hactenus in genere, nunc in ſpecie.

[y] *Artic. relig. 37*

Phil.

Digitized by Google

PHIL. [a] *Quòd Conſtantinus huiuſmodi primatum, qui in præfato iuramento Reginæ tribuitur, ſibi non vendicârit, ex proprio eiuſdem teſtimonio clarè conſtat:* [b] *qui tantum abfuit, vt authoritatem Epiſcopos in rebus fidei iudicandi ſibi vendicaret, vt de priuatis, quas inter ſe mutuò habuerunt, cauſis & querelis nullam iudiciariam poteſtatem in ſe habere pronunciauerit: ita eos compellans,* [c] *Deus vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideo à vobis rectè iudicamur, vos autem non poteſtis ab hominibus iudicari, propter quod Dei ſolius inter vos iudicium expectate, & veſtra iurgia, quæcunque ſint, ad illud diuinum reſeruetur examen. Vos enim nobis à Deo dati eſtis Dij, & conueniens non eſt vt homo iudicet Deos, ſed ille ſolus de quo ſcriptum eſt, Stetit Deus in Synagoga Deorum.* 9

[a] Champ. p. 557.
[b] P. 541.
[c] Ruffin. l. 1. c. 2.

ORTH. Primò hæc optimi Principis erratula vbere charitatis erant operienda, non in lucem & Solem producenda.

PHIL. Quæ dicis erratula?

ORTH. Vnum quòd dicat epiſcopos ab hominibus non poſſe iudicari, cum Paulus dicat, *Sto ad Cæſaris tribunal, vbi oportet me iudicari.* Hic lapſum eſſe ſanctiſſimum Imperatorem tute fateberis. Nam ſi ab hominibus iudicari nequeant, ergo nec à Papa, & per conſequens de poteſtatis papalis plenitudine actum erit. Alterum Conſtantini erratulum in eo ſitum eſt quòd Deorum titulum Epiſcopis tribuat, & non Regibus, cùm Spiritus ſanctus etiam in illo ipſo loco ab eodem citato, hunc titulum non Epiſcopis, ſed Iudicibus, quibus à Rege delegata eſt poteſtas, communicet. Si Iudices Dij ſunt dicendi, quibus hic honor competit, mediante Rege, quantò magis Rex ipſe, qui Deum immediatè repræſentat; iuxta illud Eleutherij, ad Regem Lucium; [d] *Vicarius Dei eſtis in Regno?* Secundò, Conſtantinus hanc poſteà mutauit ſententiam. Nam quum cauſa planè Eccleſiaſtica, nempe de Epiſcopis eligendis, deponendis, ad communionem recipiendis, vel ab eadem excludendis inter Cæcilianum & Donatum ab Aphris Epiſcopis ſeptuaginta fuiſſet terminata, Donatiſtæ non acquieſcentes, rem totam ad Conſtantinum Imperatorem detulerunt: de quo ſic Auguſtinus: [e] *Quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit: quod & factum eſt in vrbe Roma, præſidente Melchiade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis collegis ſuis; qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum (qui ſchiſma Carthagine fecerat) ſententiâ percuſſiſſent, iterum Donatiſtæ ad Imperatorem venerunt, & de Iudicio Epiſcoporum (in quo victi fuerant) murmurarunt. Iterum tamen clementiſſimus Imperator alios Iudices Epiſcopos dedit, apud Arelatum Galliæ ciuitatem, & ab ipſis Donatiſtæ ad Imperatorem appellarunt, donec etiam ipſe cauſam cognoſceret, & Cæcilianum innocentem, illos calumnioſos pronunciaret. Nec ſic toties victi quieuerunt, ſed de Fœlice Aptungitano (per quem Cæcilianus fuerat ordinatus) quotidianis interpellationibus ipſi Imperatori tædium fecerunt, dicentes eum eſſe traditorem, & ideo Cæcilianum Epiſcopum eſſe non poſſe, quòd à tradi-*

[d] Hæc epiſt. habetur in antiq. Brit. pag. 5.
[e] Aug. epiſt. 166.

à traditore fuerit ordinatus, donec & ipſe Fœlix iuſſu Imperatoris, causâ cognitâ ab Heliano Proconſule, innocens probaretur. Tunc Constantinus prior contra partem Donati ſeueriſſimam legem dedit. Hanc imitati filij eius talia præceperunt. Et paulò pòſt: *Conſtantini iudicium per tot Imperatores firmiſſimè cuſtoditum.* Et iterum: *Defunctus eſt Conſtantinus, ſed iudicium Conſtantini contra vos viuit.*

Phil. Nónne vides, Conſtantinum initio non auſum fuiſſe de Epiſcopi cauſa iudicare?

Orth. Sed poſteà ætate prouectior, & ſcientiâ maturior auſus eſt; fecit enim.

[f] Aug. ep. 162. Phil. Fecit quidem, ſed [f] *à ſanctis Antiſtitibus poſteà veniam petiturus.*

Orth. Veniam petijt, non quaſi ius eorum inuaderet, ſed quia minimè decorum putauit de Epiſcopo poſt Epiſcopos iudicare, idque ob defectum cognitionis, quæ in Epiſcopis ſolet eſſe eminentior, non autem ob defectum poteſtatis. Quanta enim ſibi viſus ſit pollere poteſtate, ipſe indicat in cauſâ Euſebij & Theogonij ad Nicomedienſes, his verbis: [g] *Si quis faueret illorum audaciæ, miniſtri Dei, hoc eſt, meâ authoritate coercebitur.* Et ad Athanaſium: [h] *Si intellexero quempiã, qui Eccleſiæ particeps fieri cupiat, vel impeditum abs te eſſe, vel introitu prohibitum, mittam aliquem è meis qui mandato meo te de gradu dimoueat, locúmque tuum alteri tribuat.* Et ad Synodum Tyri congregatam: [i] *Si quis (quod equidem non futurum arbitror) reiecto & ſpreto mandato noſtro, adeſſe noluerit, delegabimus aliquem, qui Regia illum authoritate in exilium eiectum, docebit hominem minimè decere ſummi Imperatoris præceptionibus, ad tuendam veritatem editis, repugnare.* Quamuis initio ſibi ipſi Canonum non ſatis peritus ad cauſam cognoſcendam videretur, Iudices tamen ad hanc ipſam (quod eſt ſupremæ authoritatis) delegauit, & inter alios Romanum Pontificem, vt olim Ioſophatus Amariam Iudæorum Pontificem. Et poſt latam Melchiadis Romani ſententiam, alios adhuc aſſignauit Iudices; & tandem, poſt illorum quoque iudicium, ipſe in propria perſona rem totam cognouit, ſententiam tulit, latámque legibus ſuis firmauit; quas laudat Eccleſia, Imperatores imitantur, & Auguſtinus, tanquam cauſæ ſuæ firmamentum, ſummo cum honore commemorat. Neque ipſe modò iudicauit, ſed & Fœlicis Epiſcopi cauſam, planè Eccleſiaſticam, Heliano Proconſuli audiendam permiſit. Habes igitur illuſtre exemplum ſanctiſſimi Imperatoris, Epiſcopum in cauſâ Eccleſiaſtica, tum in propria perſona ſumma cum laude iudicantis, tum ſimilem Epiſcopi cauſam ad Proconſulem delegantis, cuius iudicio Fœlix fœliciter eſt purgatus. Præterea, Conſtantinus hic, verè magnus, & patriæ noſtræ ſplendor, cultum idolorum prohibuit, hæreticos ab eccleſiarum regimine excluſit, Catholicis Templa aperuit, ac immunitates conceſſit; Concilia indixit, eorúmque conſtituta impia caſſauit, ſancta & ſalutaria confirmauit. Hæc Conſtantini geſta pro ſuprematu

[g] Theod. l. 1. c. 19.

[h] Socr. l. 1. c. 20.

[i] Euſ. de vita Conſtantini l. 4. c. 42.

Digitized by Google

prematu opinor Regio in rebus Eccleſiaſticis nonnihil faciunt. De Conſtantino hactenus.

Gratianus [k] *primitias Imperij obtulit Deo. Legem enim tulit, quâ expulſi paſtores ſuis quique gregibus reſtituerentur, quâque traderentur ædes ſacræ communicatoribus Damaſi. Huius legis executionem celeberrimo temporis iſtius duci Saporæ commiſit, iuſſitque præcones Arianæ blaſphemiæ, quaſi feras beſtias, ſacris ædibus pelli, & reſtitui illas optimis paſtoribus, & diuino gregi. Et hoc in toto terrarum orbe erat peractum.* Quod quid erat aliud, quàm ſe omnium perſonarum in cauſis eccleſiaſticis ſupremum oſtendere Gubernatorem? 10

[k] Theod.l.5 c.2.

PHIL. Gratianus, [l] *in legibus quæ Religionem concernebant condendis Synodorum determinationes ſequutus eſt, ac proinde talem primatum, qualis in iureiurando Elizabethæ aſſeritur, ſibi non vendicauit.*

[l] Vid. Champ. p.557.

ORTH. Immò illum ipſum. Neque ad primatum Regium quicquam intereſt ſiue prælucentes Synodorum ſententias habeat Rex, ſiue non habeat. Sanctiſſimi Iudæorum Reges, ſine præeuntibus Synodis, Eccleſiam reformârunt, & verum cultum, tanquam ſupremi Gubernatores, reſtituerunt. Si quandò autem Eccleſiæ Paſtores doctrinæ lampade præfulgeant, ſi Reges officij ſui moneant, ſi reformationem molientibus Scripturæ facem præferant, bene ſe res habet, & pulchrè cum Regibus comparatum erit. Neque tamen ſi has ſtellas ſequantur, idcirco deſinunt eſſe ſupremi gubernatores. Siue enim veritatem cœleſtem ipſi dignoſcant, ſiue à prælatis ſuis edocti ediſcant, dummodò pro veritate iubeant, & leges condant, verè ſe exhibent ſupremos Gubernatores. Siquidem hic titulus fundatur in poteſtate architectonica & nomothetica.

Proximus ſit Theodoſius ſenior, [m] *qui à Demophilo, Arianæ ſectæ Epiſcopo, quærit vtrùm Concilio Niceno fidem vellet adhibere, populum ad concordiam traducere, & pacem amplecti. Quo abnuente, idcirco (inquit Imperator) te ab Eccleſijs fugere mando.* Idem Imperator iuſſit: [n] *Vt qui ex quaque ſecta erant diſertiſſimi, dogma ſuum ſcriptis mandarent. Tum Imperator capit cuiuſque dogma Scriptis proditum, deinde ſe in loco ſeparatum ſolum concludit, precatur obnixè vt Deus illi ad veritatem eliciendam opem ferre vellet, poſtremò dogmate cuiuſque perlecto, cætera omnia, vtpote Trinitatis vnitatem dirimentia, damnat, lacerat, ſolam autem Conſubſtantialis fidem laudat, approbat:* eam profitentes *Catholicorum nomen amplecti iubet, cæteros hæretici dogmatis infamiam ſuſtinere.* Quid multis? Hic Theodoſius, ſanctiſſimi Principis ſpecimen, de Religione Chriſtiana optimè meritus, contra hæreticos, Apoſtatas, Paganos leges promulgauit, & (vt verbis vtar [o] Baronij) *idololatriam ſæpius, vt percuſſum multis ictibus anguem caput rurſus extollentem, penitus extinguendam curauit.* Hæc omnia, vt optimum decuit Principem, ſumma cum gloria præſtitit. Vos Principibus noſtris conſimilem concedite in cauſis eccleſiaſticis poteſtatem, & ampliorem credo, non requirent. De Theodoſio quoque Iuniore non diſſimilia

[m] Socrat.l.5.c.7

[n] Socr.l.5 c.10.

[o] An.380.n.2.

Digitized by Google

lia liceret annectere, cuius in Eccleſiaſticis ſupereminentiam agnouiſſe Leonem Magnum anteà docui.

[p] Champ.p.541. [q] Bin.t.1.p.732. PHIL. [p] Theodoſius cum Valentiniano Iuniore ita ad Concilij Epheſini patres conſcripſit: [q] *Eâ lege & conditione Candidianum Comitem ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus, vt cum quæſtionibus & controuerſijs, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quicquam commune habeat. Nefas eſt enim qui ſanctiſſimorum Epiſcoporum Catologo aſcriptus non eſt, illum eccleſiaſticis negotijs & conſultationibus ſeſe immiſcere.*

ORTH. Primò, non eſt eadem ratio Candidiani & Theodoſij, id eſt, Comitis, cui nulla eſt poteſtas niſi delegata, & Imperatoris, quem Deus ipſe vtriuſque tabulæ cuſtodem conſtituit. Secundò, nefas eſt non Epiſcopo ſe conſultationibus Synodalibus more Epiſcopali immiſcere, id eſt, canones condendo, & cenſuras in eorundem violatores diſplodendo: at Regi more Regio intereſſe licet: non quidem homines ad peruerſa dogmata pro ſua libidine trahendo, vel ſuffragia inuitis extorquendo, ſed ſuauiter monendo, dirigendo, conferendo. Vel, vt vno verbo dicam, ſe immiſcere poſſunt Principes, vt Conſtantinus, non vt Conſtantius. Conſtantinus enim [r] *toleranter & placidè omnibus in Nicena Synodo diſputantibus animum attendere, ſtudio acri prolatas ſententias ſenſim excipere, vtrique diſceptantium parti viciſſim opem ferre, magna cum contentione digladiantes paulatim reconciliare, cum ſingulis denique comiter & benignè ſermonem conferre.*

[r] Euſeb. de vita Conſtant. l.3. c.13.

PHIL. Quæſtiones tamen fidei non enodauit.

ORTH. Eſto. Sit Clericorum diſputare, & quæſtiones elucidare, Imperatoris tamen eſt, pro veritate imperare. Imperabit autem primò, de Concilio habendo, & de eiuſdem loco & tempore. Nec efficere poteſt Papa, quamuis Leo, quamuis Magnus, vt intra Italiam habeatur, ſi aliter Theodoſio ſtet ſententia. Secundò, quæſtiones in Synodo tractandas Epiſcopis pro Imperio ſuo poteſt proponere. Tertiò, Normam illis & iudicandi Regulam poteſt præſcribere, vt Nicenis Patribus Conſtantinus; [ſ] *Euangelici (inquit) & Apoſtolici libri, nec non antiquorum Prophetarum oracula planè inſtruunt nos in ſenſu numinis: proinde, hoſtili poſitâ diſcordiâ, ſumamus ex dictis diuini Spiritus explicationes quæſtionum.* Quartò, ne quis contrà fidem in ſanctis Synodis Orthodoxè enucleatam diſputare auſit, laſciua ingenia coercebit. Quintò, pernicioſa Conciliorum conſtituta reſcindet, pia autem & ſalutaria Sacroſanctâ ſuâ authoritate confirmabit, & obſignabit. Quæ munera verè Regia, à Theodoſio tanta cum laude præſtita, eundem ſupremum fuiſſe Eccleſiæ Gubernatorem clarè demonſtrat.

[ſ] Theodoritus l.1.c.7.

12 Proximo loco ſuccedat Martianus Imperator, qui, Concilium Chalcedonenſe in propria perſona ingreſſus, ſic Patres affatus eſt, [t] *De cætero audeat nemo de natiuitate Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Christi aliud diſputare, præter quod Apoſtolicum proœmium, 318. ſanctorum*

[t] Bin.t.2.p.4.

ctorum Patrum, conſonans huic doctrinæ tradidiſſe noſcitur, ſicut ſanctiſſimi Papæ Leonis, qui Apoſtolicum gubernat thronum, ad ſanctæ memoriæ Flauianum Regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ quondam Epiſcopum, literæ teſtantur. Audeat nemo; quaſi dicat, nullus ex glorioſiſſimis qui adſunt Iudicibus, nullus ex ampliſſimo ſenatu, nullus Laicus, nullus Diaconus, Presbyter nullus, nullus Epiſcopus, nullus Patriarcha, nullus, nullus omninò audeat. Dicat mihi iam Champnæus, an non Imperator hanc poteſtatem exercendo, ſe ſupremum eſſe in cauſis Eccleſiaſticis Gubernatorem oſtenderit.

PHIL. Contrarium ex quadam Leonis Epiſtola eſt clariſſimum. Sic enim ſcribit: [a] *Malum, quod in ſuis ducibus oppreſſum iam fuit; in quibuſcunque etiam reliquijs deleretur, ſi per vniuerſas Eccleſias definitiones ſanctæ Synodi Chalcedonenſis Apoſtolicæ ſedi placuiſſe, Imperatoris cura docerentur.* [a] *Leo ep. 59.*

ORTH. Magna ſanè & illuſtris fuit Leonis authoritas, ſed quid tum poſteà?

PHIL. In fine eiuſdem Epiſtolæ ita ait: *Nouerit veſtra Clementia hoc me propriè delegâſſe, vt quicquid illic ad cuſtodiam fidei pertinere probauerit, meo nomine veſtræ fiducialiter ſuggerat pietati, quoniam certus ſum vos ad hæc omnia emendanda vel defendenda, Deo auxiliante ſufficere.* [x] His clarè conſtat *& Imperatorem, & vniuerſas etiam Eccleſias à Pontifice Romano & ſede Apoſtolicâ, in eis quæ ad fidem ſpectant, erudiri ac informari ſolitas, non verò è contra.* [x] *Champ. p. 566.*

ORTH. Erudiri ac informari? Eſto. Sed quid hoc contra primatum Regium?

PHIL. Et ad Pulcheriam Auguſtam: [y] *Quod pijſſimus Imperatòr ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Concilio interfuerunt, voluit me ſcripta dirigere, quibus quæ illic ſunt de Regula fidei definita firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio ſententiam meam vellet haberi incertam.* Hinc apparet [z] *Imperatorem non poſtulâſſe ſancti Leonis ſubſcriptionem, tanquam vnius ex cæteris Epiſcopis, ſed vt quæ cæteri iam definierant ipſe confirmaret.* [y] *Leo ep. 60.* [z] *Champ. ibid.*

ORTH. Verum eſt vt confirmaret, ſuffragio ſcilicet, quemadmodum ipſe his verbis agnoſcit, [a] *Libens adieci ſententiam meam.* Deindè Synodus ſic ſcripſit ad Leonem, [b] *dignare complecti, ſanctiſſime & beatiſſime Pater.* Reſpondit autem Leo, [c] *Toto ſe corde fuiſſe complexum.* [a] *Ep. 59.* [b] *Bin. t. 2. p. 140.* [c] *Leo ep. 61.*

PHIL. Rogâuit Synodus, vt [d] *ſuis decretis eorum honoraret Iudicium.* [d] *Bin. quo ſuprà.*

ORTH. Operæpretium fuit vt decreta Synodi, non modò per Legatos, ſed in propria etiam perſona approbaret: quod & fecit, vt ipſe his verbis teſtatur: [e] *Omnium fidelium corda cognoſcant, me, non ſolùm per fratres qui vicem meam executi ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum iniſſe ſententiam.* Ergo Leo vnà cum reliquis Synodum approbauit. [e] *Leo ep. 61.*

PHIL. Immò ſingulari modo confirmauit: quod niſi feciſ-

ſet eorum conſtituta minimè rata fuiſſent.

Orth. Si de confirmandi ratione ſingulari loquamur, antiqua illa Concilia qui indixit idem & confirmauit. Quis enim Nicenum indixit? Conſtantinus; vt patet ex ipſius Conſilij [f] epiſtola Synodica: & Conſtantinus eiuſdem *Concilij decreta confirmans obſignauit*, vt in eius vita teſtatur [g] Euſebius. Conſtantinopolitanum quis indixit? Theodoſius; vt conſtat ex Concilij [h] epiſtola: Quis confirmauit? Idem Theodoſius. Sic enim ad eundem ſcribunt Epiſcopi: [i] *Petimus vt Clementia tua ſcripto confirmetur Synodi ſententia, & vt honoràſti nos literis tuis cùm huc conuocares, ita & eorum quæ decreta ſunt clauſulam velis etiam obſignare.* Similiter Epheſinum quis indixit? Theodoſius Iunior, & Valentinianus, vt patet ex [k] Synodica: *Sancta Synodus nutu pientiſſimorum Regum in Epheſo congregata.* Quis confirmauit? Ijdem Imperatores: [l] *Confugimus omnes ad authoritatem pietatis veſtræ, petentes vt quæ contra Neſtorium acta ſunt, eóſque qui cum eo deſipiunt, habeant vim ſuam atque robur, quæ verò ab illis qui Neſtorium vindicant, vacua ſint atque irrita.* Denique Chalcedonenſe quis indixit? [m] *Facta eſt Synodus ex decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum Valentiniani & Martiani.* Quis confirmauit? Martianus: [n] *Sacro noſtro ſerenitatis edicto venerandam Synodum confirmantes.* Hæc ſummâ eruditione ac diligentiâ ex Græcis fontibus hauſit doctiſſimus Epiſcopus; quem, ſi placet, conſule.

Phil. Indixit fortè Imperator, ſed in executionem mandati ſummi pontificis.

Orth. Reſpondet tibi clariſſimus Epiſcopus: [o] *Quid tu pontificem crepas, vel mandatum eius, vel executorem mandati Cæſarem? Nullum tum quidèm pontificis mandatum, quin ſubmiſſa ſupplicatio: non pontifex tum mandauit, ſed Cæſar; nec Cæſar executus eſt, ſed pontifex.* Rogauit pontifex Theodoſium per literas ſuas, & per Pulcheriam Auguſtam, pro Concilio intra Italiam habendo, & enixè, ſtillantibus lachrimis, rogauit, ſed non impetrauit. Concilia igitur cogendi poteſtatem ſibi tunc pontifex non aſſumpſit, ſed Imperatoris eſſe faſſus eſt. Et vt imperatoris poteſtas in Concilijs conuocandis eluxit, ita in eorundem progreſſu & exitu. Nam Martianus ſancta Nicena conſtituta firma & illibata cuſtodit, Epheſina impia reſcindit, vel ſaltem ad tempus ſuſpendit. Patribus Chalcedonenſibus ne quid contra Chriſtum diſputare audeant, frænum inijcit. Sed quis huius rei exitus? Paret Concilium, pro veritate ſancit, ſubſcribit pontifex, Imperator denique Concilij decreta ſacro ſerenitatis ſuæ edicto confirmat. Quid eſt ſupremum eſſe Gubernatorem, ſi hoc non eſt? Nunc, miſſo Martiano, Iuſtinianum ſalutemus.

Quem dum contemplor, videor mihi montem quendam ſublimem conſcendere, vndè Religioſum Principē per omnes muneris ſui partes tranſcurrentem intueor. [p] *Maximam* (inquit) *habemus ſolicitudi-*

[f] Socr.l.1.
[g] De vit.Conſtant l.3.
[h] Apud Bin. t.1.p.518.
[i] Ibid.
[k] Ap.Bin.t.1. p.765.
[l] Vide Torturam Torti. p.166.
[m] Concil.Chalced.act.1. Bin.t.2.pag.1.
[n] Vid.Tort.Torti.ibid.
[o] Ibid.
[p] Authent. conſtit.6.paulo poſt à fine.

Digitized by Google

ſolicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honeſtatem. [q] *Quæ à nobis ſancita ſunt, & ſacrum ordinem ſtatúmque cuſtodiunt, ſecundùm ſacrarum Regularum obſeruationem & tenorem; de cætero conſeruent perpetuò integra & ſanctiſsimi Patriarchæ vniuſcuiuſque diæceſeos, & Deo amabiles Metropolitani, & reliqui reuerendiſsimi Epiſcopi atque Clerici, vbique Dei culturam & ſacram diſciplinam cuſtodientes inuiolatam, pœnâ imminente iſta præuaricanti, quò penitus alienus ſit à Deo, & impoſito ſibi ſacerdotij ordine.* Et alibi: [r] *Sequimur in hoc ſacros Canones, & ſanctos Patres, qui hæc comprehenderunt legibus, quandoquidem nihil non peruium ad inquiſitionem Maieſtati exiſtit Imperatoriæ, quæ communem in omnes homines moderationem & principatum à Deo accipit.* [ſ] *Tam per ſacratas perſonas, quàm magiſtratus, ea quæ Deum concernunt, incorrupta exiſtant, & præ cæteris omnibus per Maieſtatem Imperatoriam, vtpote cùm nihil diuinarum rerum, & quæ cuſtodire iuſtum eſt, à nobis negligatur.* Et alibi: [t] *Iubemus vt beatiſsimi Archiepiſcopi, & Patriarchæ (hoc eſt) Senioris Romæ, Conſtantinopolis, Alexandriæ, Theopolis, & Hieroſolymorum, ſi conſuetudo habeat, vt Epiſcopis & Clericis in eorum ordinatione minùs quàm viginti libræ auri dentur, ea ſola præbeant quæ conſuetudo agnoſcit.* Ita ex magna vindemia paucas vuas vindemiaui, ex quibus hæc concluſio ſuâ ſponte fluit; ſcilicet, Iuſtinianum ſupremum fuiſſe omnium perſonarum in omnibus cauſis Gubernatorem. De Iuſtiniano dixi; nunc ad Carolum accedo, qui ad Imperium Occidentale primus emicuit.

[r] Conſt.13.3.in initio.

[ſ] Ibid.in fine.

[t] Conſt.123.

Phil. [u] *Carolus Magnus tantùm abfuit vt ſupremam Eccleſiæ iuriſdictionem ſibi aſſumeret, vt Conſtantini & Valentiniani dicta in contrarium allegauerit, & approbauerit.*

[u] Champ.p.557.

Orth. De Conſtantini dicto anteà dictum eſt; nunc Valentiniani propone.

Phil. [x] *Supra nos* (inquit) *eſt veſtrum negotium, & ideo vos de veſtris inter vos agite cauſis, quia ſupra nos eſtis.*

[x] Champ.p.558.

Orth. Primò, hæc Valentiniani verba à Carolo allata, contra primatum Principis nihil faciunt. Epiſcopi eſſe poſſunt ſupra Principes in cognitione cauſarum, interim vt Principes ſint ſupremi in externo Eccleſiæ regimine. Secundò, quid verba audiam, cùm facta videam? Carolus enim nihil prorſus omiſit, quod ad ſupremam Eccleſiæ Gubernationem pertinet. Siquidem legibus ſuis præſcripſit, quænam feſta ſint obſeruanda, quæ doctrina in Eccleſijs ſit proponenda, qui libri legendi vel eliminandi, quid à miniſtro & populo pariter canendum: quinetiam de baptiſmo, euchariſtia, decimis, nuptijs, ſepulturis; de Epiſcopis eligendis, ordinandis, ad Synodum conuocandis, de Presbyteris etiam & monachis leges fixit: & ſi quæ alia fortè occurreret res Eccleſiaſtica quæ reformatione indigeret, de hac quoque ſe velle poſteà ſtatuere pollicetur. Interim ſuos mittit viſitatores ad omnes corruptelas ſuo nomine exterminandas. [y] *Noſtros* (inquit) *ad vos direximus miſſos, qui ex noſtri nominis authoritate, vnà vobiſcum corrigant*

[y] Carol.in præf. in leg.Franc.

gant quæ corrigenda ſunt. Quid ergo reſtat, niſi vt ex his floribus hanc corollam contexamus, & capiti Carolino imponamus; nempe eundem fuiſſe Religionis (prout Patres Moguntini appellârunt) Rectorem, vel, vt noſtri loquuntur, ſupremum in omnibus cauſis, etiam eccleſiaſticis, Gubernatorem? De Carolo hactenus; de Ludouico, & Lothario (quos breuitatis causâ tranſilio) idem penitus eſt dicendum.

Denique Baſilius Imp. hunc titulum, ſi rem ipſam ſpectemus, ſuo ſibi iure vendicauit, dum in Concilio Conſtantinopolitano, [a] *diuinâ clementique Dei prouidentiâ, Gubernacula Eccleſiaſticæ nauis ſibi commitiaſſerit.*

[a] *Conc. 8. act. 1. Bin. t. 3. p. 880.*

Phil. Verba apud [b] Surium ſic ſe habent. In exordio Synodi ita locutus eſt Baſilius: *Cùm diuina benigniſſimáque prouidentia nobis Gubernacula vniuerſalis nauis commiſiſſet, omne ſtudium arripuimus, ante publicas curas, Eccleſiaſticas diſſoluere procellas:* vbi hæc verba, *Gubernacula vniuerſalis nauis,* de ciuili adminiſtratione accipienda ſunt, vt annotauit Surius.

[b] *T. 4. part. 1 1. edit. ven. vid. Tort. Torti. p. 349.*

Orth. De ciuili fateor, ſed nunquid de ea ſola. Hoc ſi dicas, eſt nimis inſipidum & inſulſum. Sic enim, ſecundùm Surij dialecticam, argumentum concinnaret Imperator. Deus mihi nauim ciuilem commiſit ſolam, ergo ego eccleſiaſticas diſſoluam procellas, quod eſt ridiculũ. Sin Surius ita velit ciuilem ſignificari, vt eccleſiaſticam non excludat, hoc eſt quod volumus, & hic ſenſus eſt maximè accommodatus. Nam vniuerſalis nauis, ſi nulla addatur reſtrictio, vel terminus diminuens, tam ſacram quàm ciuilem complectitur, vt eſt clariſſimum. Præterea narrat Binius Imperatoris epanagnoſticum, in Synodo à Theodoro lectum, in hæc verba; [b] *Diuinâ clementique Dei prouidentiâ Gubernacula eccleſiaſticæ nauis vobis committente.* Liquet igitur de naue Eccleſiaſtica locutum Imperatorem.

[b] *Bin. t. 3. p. 880.*

Phil. Quibus tandem huius nauis commiſſa ſunt gubernacula? *Vobis,* inquit; id eſt, Epiſcopis. Hinc ſequitur Epiſcopos eſſe ſupremos Gubernatores, & non Imperatorem.

Orth. Binius legit quidem *vobis,* ſed legere debuit *nobis,* vt ex his Baſilij verbis apud eum paulò pòſt ſequentibus elucet: *Nos pro ratione data nobis in Eccleſiaſticis rebus poteſtatis non tacebimus.* Vnde conſtat Imperatorem poteſtatem non modò in rebus ciuilibus, ſed etiam in Eccleſiaſticis, tanquam diuinitùs ſibi conceſſam, vendicâſſe. Deindè ſi legatur *vobis,* ſenſus non cohæret, vt rectè admonuit eruditus [c] Epiſcopus. Quamobrem licèt Surio viſum ſit vocem *eccleſiaſticæ* expungere, & Binio pro *nobis* reponere *vobis,* ſi tamen vel ſecum ſinguli, vel inter ſe ambo conferantur, clarum eſt quod volumus.

[c] *Vid. Tort. Tor. p. 349.*

Phil. [d] *Vtraque lectio tuum argumentum penitus eneruat; vt ergo argumentum aliquod indè deducas, tertiam adhuc lectionem afferre non vereris; neque vllum tamen affers authorem qui illa verba ita legit. Quis*

[d] *Champ. p. 569.*

igitur

Digitized by Google

igitur tale argumentum meritò non irrideret? Sed demus miſello, quod à nobis, aduerſarijs ſuis, emendicare cogitur.

ORTH. Immò vel inuito tibi extorquebo, quia mihi editio Suriana aſtipulatur. Etenim ſi nauis vniuerſalis in genere & illimitatè ſumatur, Baſilius nauem tam ſacram, quàm ciuilem ſibi commiſſam vendicat: ſin placet reſtringere, ad eccleſiaſticam eſt reſtringenda, idque tribus de cauſis. Primò, in eâdem periodo ſuum in procellis Eccleſiaſticis diſſoluendis ſtudium commemorat. Secundò, paulò pòſt diſertè dicit, ſibi in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem dari. Tertiò, Binius voci *nauis* epitheton adiungit *eccleſiaſticæ*; ita Baſilius vel totius nauis in genere, vel ſaltem totius Eccleſiaſticæ rector erat, & Palinurus. Quid ais Champnæe? An hoc eſt emendicare?

PHIL. Si tantùm apud te valeat Baſilij authoritas, Champnæus vel ex ipſo Baſilio quod vult euincet, vel cauſâ cadere in æternum ſuſtinebit, vt idem profitetur in editione [e] Anglicana. [e] Pag. 224.

ORTH. Verùm in Latina hæc pollicitatio tã magnifica eſt omiſſa. Miles credo glorioſus deſpõdit animũ. Sed audiamus verba Baſilij.

PHIL. [f] *Non eſt* (inquit) *datum Laicus ſecundum Canonem* [g] *dicendi quicquã penitus de Eccleſiaſticis cauſis: opus enim hoc pontificum eſt, & ſacerdotum.* [f] Bin. t. 3. p. 86 1. [g] Videtur aliqua deeſſe vocula.

ORTH. Per Laicos intelligit populum, vt ex verbis immediatè ſequentibus patet; quibus Imperator, *ex abundanti omne os iniquum obſtruere volens, licentiam præſtat omnibus, vt qui in mente habet quid ambiguum de ijs, quæ decreta erant in Synodo, hoc in medium exhibeat, & accipiat ſatisfactionis ſalubre remedium.* Deindè memoriâ recolendum eſt (quod dixiſſe Baſilium, idque in Synodo, paulò antè retulimus) nempè ſe, *pro ratione poteſtatis ſibi in Eccleſiaſticis datæ, non taciturum.* Hanc igitur ſibi in Synodo loquendi poteſtatem non modò vendicat, ſed & alijs quoque ſuos ſcrupulos, quibus anguntur, proferendi præſtat licentiam; tantùm abeſt, vt ſeipſum excludat.

PHIL. Immò ſeipſum diſertè excludit; dicens, *Opus enim hoc pontificum eſt, & Sacerdotum.*

ORTH. Opus hoc? Quodnam intelligit? [h] Champnæus in editione Anglicana, exponit de loquendo in Synodo per modum ſententiæ, ſeu iudicij. Sit hoc ſecundùm Baſilium opus pontificum, & ſacerdotum; quid inde concludes? An idcirco putauit Baſilius ſibi non licere in ſynodo quicquam de cauſis Eccleſiaſticis dicere? Non ſequitur, quia Baſilius contrarium palam profitetur. Sed hoc tantùm ſequitur; ergo putauit Baſilius ſibi non licere in Synodo de rebus Eccleſiaſticis loqui per modum ſententiæ ſeu iudicij: quod veriſſimum eſſe poteſt, interim vt de Principis ſuprematu nihil decedat. Quid enim ſi Reges in Synodis non ferant ſuffragia? At Concilia tamen (quod longè eſt magnificentius) indicunt, Epiſcopos & Patriarchas in officio continent, eorúmque decreta vel irrita reddunt, vel firma & valida eſſe iubent: & hæc eorum ſupre- [h] P. 224.

mam omnium perſonarum in omnibus cauſis gubernationem ſatis arguunt. Sed ecquid amplius dicit Baſilius?

[i] Paulò poſt.

Phil. [i] *De vobis* (inquit) *Laicis, tam qui in dignitatibus, quàm qui abſolutè conuerſamini, quid amplius dicam non habeo, quàm quòd nullo modo vobis licet de Eccleſiaſticis cauſis ſermonem mouere, neque penitus reſiſtere integritati Eccleſiæ, & vniuerſali Synodo aduerſari.*

Orth. Primò, *De vobis Laicis*; non igitur de ſeipſo loquitur, aut de Regibus; ſed de ſubditis. Secundò, non licet Laicis, ne Regibus quidem, ita de rebus Eccleſiaſticis ſermonem mouere, vt Eccleſiæ vera & recta decernenti penitus reſiſtant, & aduerſentur. Verùm quid hoc contra primatum Regium?

Phil. Baſilius dicit, *nullo modo licere Laicis de Eccleſiaſticis cauſis Sermonem mouere.*

[k] Tort. Tort. p. 175.

[l] Act. 18. 17.

Orth. Hæc verba eo ſenſu quem diximus vera ſunt, nec quicquam habent incommodi. Cæterùm, ſi adeò rigidè premas, teſtis nimiùm prodigus futurus eſt Baſilius. Quocirca amico tuo Matthæo Torto priorem huius periodi partem (in qua Laico nulli licere vult, vt vllo modo ſermonem moueat de rebus Eccleſiaſticis) viſum eſt præcidere. Etenim (vt verbis vtar doctiſſimi [k] præſulis) *nimiùm hoc quidem viſum Matthæo; puduit inſerere; laudo. Sic enim non modò partes præcipuæ, ſed nec partes vllæ penes Principem forent.* [l] *Gallionem credo imitari vult Principes, cui nihil horum curæ: parum verò Baſilicum Baſilij hoc teſtimonium.* Sic ille. Deindè hæc tua interpretatio in Conſtantinum Magnum, & Martianum, clariſſimos Principes incurrit, quorum alter in Concilio generali Niceno, alter in Chalcedonenſi, ſumma cū laude locutus eſt. Deniq;, quàm bellè Baſilij verba exponas, vel hinc elucet, quòd ſibi ipſi contradicentem introducas. Hic enim, te interprete, dicit, nullo modo ſibi licere de cauſis eccleſiaſticis ſermonem mouere: qui tamen alibi dicit, idque in Synodo, ſe, pro ratione poteſtatis ſibi in Eccleſiaſticis rebus datæ, non taciturum. Sed pergat Baſilius.

Phil. *Hæc inueſtigare & quærere, Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum eſt, qui regiminis officium ſortiti ſunt, qui ſanctificandi, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem habent, qui Eccleſiaſticas & cæleſtes adepti ſunt claues; non noſtrùm qui paſci debemus, qui ſanctificari, qui ligari, vel à ligamento ſolui egemus. Quantacunq; enim Religionis & ſapientiæ Laicus exiſtit, vel etiam ſi vniuerſa virtute interiùs polleat, donec Laicus eſt, ouis vocari non deſinet. Rurſus Epiſcopus, quantacunque ſit irreuerentia plenus, & nudus omni virtute, donec antiſtes eſt, & veritatis Verbum rectè prædicauerit, Paſtoris, vocationis, & dignitatis damna non patietur. Quæ ergo nobis ratio eſt in ordine ouium conſtitutis? Paſtores verborum ſubtilitatem diſcutiendi, & ea quæ ſuper nos ſunt quærendi, & ambiendi habent poteſtatem. Oportet nos ergo cum timore & fide ſincera hos audire, & facies eorum vereri, cùm ſint Miniſtri Domini omnipotentis, & huius formam poſſideant, & nihil ampliùs, quàm ea quæ noſtri ordinis ſunt, requirere.* Hactenus Baſilius Imperator: [m] *Maſoni ipſius iudicium appellare audeo,*

[m] Champ. p. 572

vtrùm

vtrùm ille principatum in rebus Eccleſiaſticis ſibi vendicauerit, néene.

ORTH. Profectò, ſi quid ego intelligo, vendicauit; neque hæc quæ tu attuliſti impediunt, quin ſummus exiſteret in rebus Eccleſiaſticis Gubernator. Eſto enim; Sacerdotes inueſtigent, quærant, diſcutiant, ſoluant, ligent, claudant, aperiant, verbo & ſacramentis paſcant, ſuus tamen Regi ſuprematus integer & illibatus permanebit, qui his in rebus præſtandis non verſatur, ſed in harum externo regimine, & gubernatione. Baſilius autem, licèt hæc omnia Sacerdotibus libens concederet, ſibi tamen datam eſſe in rebus Eccleſiaſticis poteſtatem, & vniuerſalis nauis gubernacula à diuina prouidentia eſſe commiſſa palam prædicat, idq; in Concilio quod vobis eſt generale, nemine reclamante. Porrò hanc gubernandi poteſtatem ad praxin reducens, *omne ſtudium arripuit, antè publicas curas, ciuiles ſcilicet, Eccleſiaſticas diſſoluere procellas.* Quare Baſilius & verbis hunc ſtylum vendicauit, & factis ſe ſupremum in rebus Eccleſiaſticis Gubernatorem exhibuit. Ita Champnæus miles glorioſus, vel Baſilio Iudice, cauſâ ſuâ in æternum cecidit.

PHIL. De Imperatoribus hactenus; nunc ad sereniſſimum Dominum noſtrum Regem Iacobum tranſeamus; cuius *expreſſo teſtimonio hoc primatus Regij iuſiurandum impium ſacrilegúmque probari* affirmat [n] Champnæus. 16

[n] P. 596. & 544

ORTH. O quanta eſt hæc vecordia? Quiſquámne credat Regem, omnium quos Sol videt optimum, & doctiſſimum, Regium ſuum titulum, quo quotidiè inſignitur, illúdque ipſum iuramentum, quo hic titulus aſſeritur, ſuo ipſius teſtimonio impium ſacrilegúmque probare? Hæc profectò calumnia in vnctum Domini eſt oppidò ingens, nec tam reſponſione, quàm reſte refellenda. Sed audiamus hoc tam expreſſum teſtimonium.

PHIL. *Verùm eſt* (inquit [o] Rex) *Imperatores nunquam aſſerüiſſe ſe in rebus fidei & doctrinæ ſupremos eſſe Iudices.*

[o] In declar. contr. Card. Perron, p. 7. Pariſijs.

ORTH. Profectò nihil vnquam veriùs dici potuit, & ad horum laudatiſſimorum Imperatorum ſanctiſſimum exemplar Rex noſter, omni laude cumulatiſſimus, ſe componit. Sic enim de ſeipſo alibi ſcribit: [p] *Nec adhuc feci, nec poſteà facturus, vt nouum quempiam fidei articulum conderem, nec de aliquo articulo fidei Iudicē me conſtituere præſumam, ſed exemplarem obedientiam præſtabo, & omnibus fidei articulis me ſubmittam, non minori cum humilitate & modeſtiâ, quàm quiuis ſubditorum vel minimus.* O dictum verè Regium, & aureis literis exarandum! Sed quid hoc contra Primatum? Vel quomodò ex hoc teſtimonio euinces iuſiurandum, de quo agitur, impium eſſe & ſacrilegum?

[p] Apol. pro iuram.

PHIL. Si non ſit Principis hoc de fide iudicium; cuius igitur?

ORTH. Supremum in terris de fidei controuerſijs iudicium, vt antè monui, ſpectat ad Eccleſiam repræſentatiuam.

PHIL. Si quod eſt Eccleſiæ, ad Principem transferatur, nónne hoc impium eſt & ſacrilegum?

ORTH. Eſto, ſed quorſum iſta? Nos enim hoc Eccleſiæ mu-

Digitized by Google

nus in Principem non transfundimus.

Phil. Nónne docetis Regem ſupremum eſſe in rebus eccleſiaſticis Gubernatorem?

Orth. Rectè. Cæterùm, aliud eſt eſſe ſupremum Gubernatorem, aliud ſupremum controuerſiarum Iudicem. Non requiritur ad ſupremam Eccleſię Gubernationem, vt poſſit in propria perſona dubia legis explicare, vel fidei controuerſias enodare, ſed vt poſſit ad hæc expedienda idoneos cognitores delegare. Champnæus igitur, pro ſua inſcitia, quæ diſtinguenda ſunt confundit, &, ſtatum quæſtionis penitus ignorans, Regem nobis, nos Regi contradicere pueriliter exclamat. Sed nunquid aliud adduxit ſereniſſimi Regis teſtimonium?

[q] *In declar. contr. Card. Perron. paulò poſt medium in reſp. ad ſecundum incommodum.*

Phil. Ecce autem aliud; [q] *Fateor* (inquit) *quòd de latitudine & extenſione poteſtatis clauium iudicare ad Theologiam ſpectat.*

Orth. Et nos omnes, vnà cũ ſereniſsimo Rege, idem fatemur.

Phil. *Et quòd Clerici contra eos Principes, qui bellum contra Ieſum Chriſtum gerunt, cenſuras ſuas proferre & poſsint & debeant, abſque eo quòd Laicos earum rerum Iudices faciant.*

Orth. Si mali Principes, qui in Ieſum Chriſtum ſerociunt, ſint ex ſereniſsimi Regis ſententia cenſuris eccleſiaſticis obnoxij, ergóne ſequitur ex eiuſdem ſententia Orthodoxos & ſanctos Principes (qualis fuit Elizabetha) non eſſe ſupremos in rebus eccleſiaſticis Gubernatores? Quomodo hæc cohærent? Immò Champnæe, etiam boni Principes, ſi fortè atrociùs peccauerint, ſe Eccleſiæ diſciplinæ poſſunt ſubmittere, interim & non deſinant eſſe ſupremi Gubernatores. Iſta igitur Champnæe, nimis cruda ſunt, & tibi per otium recoquenda. Interea quæ ſit ſapientiſsimi noſtri Regis de ſuo primatu ſententia, ex eiuſdem verbis, non coactis aut diſtortis, ſed puris, liquidis, & ſponte fluentibus eſt perſpicuum.

[r] *Apol. pro iuram. fidel. verſus finem.*

[r] *Sub veteri* (inquit) *teſtamento Reges haud dubiè Gubernatores erant eccleſiæ intra fines ſuos, corruptelas purgauère, abuſus ſuſtulère, &c. in ſumma, cuncta moderati ſunt quæ ad Eccleſiaſticum regimen quoquo modo pertinuerunt.* Atque iterum: *Vtrùm autem hæ ſententiæ, hi tituli, hæ prærogatiuæ, cum alijs infinitis eiuſdem notæ, tum veteri tum nouo Teſtamento comprehenſis, ſatis magno argumento ſint Regibus Chriſtianis ad eccleſiam intra fines ſuos, non minùs quàm reliquum populum gubernandum, vt qui cuſtodes ſint vtriuſq; tabulæ, vtrùm (inquam) hoc officium munúſq; Regium cum authoritate conſentiat, quam diuinum verbum ijs attribuit, an ſecus, quiuis æquus rerum æſtimator iudicet.* Ita Rex primatum ſuum Regium doctiſsimo ſerenitatis ſuæ calamo ex ſacris Scripturis ſolidiſsimè confirmauit. Sed de primatu hactenus.

17 Et vt ſtylus Regius tam diuinâ, quàm humanâ authoritate nititur, ita & iuramentum, quo hic honor Regi vendicatur. Nam perinde licuit ordinibus Anglicanis omnes ſubditos ad ius Regium, contra Papam in illud inuolantem, tuendum ſacramento aſtringere, ac olim [s] Iehoidæ licuit iuramentum exigere pro Ioa aduerſus Athaliam, quæ Regnum eius inuaſerat.

[s] *2. Reg. 11. 4.*

Rex

Rex ſupremus iuxta Deum, non ſupra, aut contra Deum.

Cap. V.

In quo reſpondetur obiectionibus contra Primatum Regium.

Obiectio

Prima, Quòd Rex quicquid vult pro arbitrio, poſſit ſtatuere.

Secunda, Quòd Regi poteſtatem tribuamus Sacerdotalem.

Tertia, Quòd hic titulus, ſi huius Regni coronæ annectatur Imperiali, aliquando in Paganum, vel Turcam poſſit transferri.

Quarta, Quòd ſit contra naturam vt Rex, qui in rebus Eccleſiaſticis eſt Sacerdotum filius, ac ouis, eorundem iiſdem in rebus ſit Pater, Paſtor, & ſupremus Gubernator.

Quinta, Ab authoritate Caluini, & aliorum.

Sexta, A mutatione tituli capitis in titulum ſupremi Gubernatoris.

Phil.

QVantoperè hic primatus Regius ſit à ratione alienus, vel hinc patet, quòd tot inde opinionum naſcantur monſtra. Nam primò, ſi Rex in ſpiritualibus ſit ſupremus Gubernator, quamlibet nobis Religionis formulam authoritate ſuâ Regiâ poteſt imponere, nobiſque parendi fatalis incumbet neceſſitas.

Orth. Minimè verò. Siquidem tu vltrò concedes Regem in cauſis ciuilibus ſupremum eſſe Gubernatorem, non tamen inde ſequitur, poſſe cuiquam authoritate ſuâ Regiâ mandare vt falſam ferat teſtimonium, aut vt innocentes pro tribunali condemnet. Illud enim ſolùm poſſe dicendus eſt, quod iure poteſt. Cæterùm, ſi hæc fortè de facto mandauerit, vt olim [a] Iezabel, nos tamen in tanti ſceleris ſocietatem conſentire non debemus. Idem in Religionis quoque negotio eſt dicendum. Si Nabuchodonoſor imaginem auream, vt colatur, erigat; ſi Ieroboam vitulos aureos eundem in finem ſtatuat, nos [b] Deo potiùs, quàm hominibus

[a] *1. Reg. 21. 10.*

[b] *Act. 5. 29.*

hominibus parere fas eſt. Rex enim, vt Rex, eſt ſupremus iuxta Deum, non contra Deum, cui ex officio incumbit pro veritate, non contra veritatem mandare. Quod ſi quæ impia ſunt forte de facto imperauerit, non eſt noſtrum obedire, aut mandata præſtare, ſed pœnis ab eo infligendis humiliter & patienter collum ſubmittere: &, vt vno verbo dicam, Chriſtianorum eſt, rebus ſic ſtantibus, non parere, ſed pati.

c *Champ. p. 582.*

PHIL. *Hoc argumentum* (vt placet c Champnæo) *ita deberet formari. Si Princeps ſecularis ſit ſupremus in rebus ſpiritualibus Rector & caput, eius ſubditi tenerentur illius mandatis de rebus fidei & Religionis obedire; iuxta Apoſtoli teſtimonium, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; ſed Princeps ſecularis poteſt ea præcipere quæ ſunt falſa, ac pernicioſa, vt reipsâ multi Principes fecerunt. Neque mirum. Omnis enim homo, ſpeciali Spiritus ſancti gratiâ & aſſiſtentiâ non munitus, mendax eſt & fallax. Cum ergo Principibus ſecularibus nullibi fiat talis aſſiſtentiæ promiſſio, fallaces ſunt, & falli poſſunt; & conſequenter falſa ac pernicioſa ſubditis ſuis proponere poſſunt. Ergo ſi Princeps ſecularis ſupremus ſit in rebus ſpiritualibus Rector & Iudex, tenebuntur eius ſubditi ea quæ ſunt falſa ac pernicioſa aliquandò amplecti, & opere complere. Hoc autem abſurdum eſſe nullus negabit. Huic argumento, hoc modo propoſito, quid Maſonus cum probabilitate reſpondere poſſet, non benè capio.*

ORTH. Quid tandem attulit egregius iſte argumentorum artifex, quod non tu ipſe paulò antè, longè breuiùs & ſuccinctiùs, es complexus? Ad ſuperiorem igitur reſponſionem Champnæum remitto.

d *Champ. p. 584.*

PHIL. d *Iſta impertinenter dicta ſunt. Nullam enim tradis Regulam, neque vllam tradere potes, quomodo ſubditi ſcire queant quandò Rex in rebus controuerſis præcipiat pro Deo & veritate, quandò verò contrà Deum & eius veritatem. Exempli gratiâ. Rex Angliæ Miſſam in toto ſuo Regno prohibet, cum alijs Catholicis ritibus, fideique articulis, de quibus inter Catholicos & Proteſtantes controuertitur. Reges verò Galliarum & Hiſpaniarum illa omnia in ſuis Regnis præcipiunt & approbant. Scire iam velim quomodo vel Angli, vel Galli, vel Hiſpani (poſitâ veſtrâ opinione de primatu Principis ſecularis) poſſint inueſtigare quis iſtorum Regum pro Deo & veritate, quis verò contra imperare dicendus ſit: quandoquidem enim directè oppoſita præcipiunt, aliquem eorum contra Deum & veritatem præcipere manifeſtum eſt.*

ORTH. Exhibeo tibi Regulam planè auream; ſacram, ſcilicet, Scripturam.

e *Champ. p. 585.*

PHIL. e *Ineptè hoc dicitur, te in eodem ſemper luto hærente. Semper enim manet eadem difficultas, nimirum, cuius præcepta conformia ſint ſacris Scripturis: ad quam rectè enodandam aliquam Regulam à te audire vellem. Cùm enim, iuxta tuam doctrinam, vnuſquiſque iſtorum ſupremam in ſuo Regno de his iudicandi & præcipiendi habeat poteſtatem, & ſinguli etiam prætendant præcepta ſua conformia eſſe ſacris Scripturis, videtur neceſſariò ſequi ſubditos ſingulorum proprij Principis præceptis obedire de-*

bere;

debere; quod tamen manifeſtè incommodum, immò abſurdum eſt, quandoquidem aliquis eorum contra veritatem neceſſariò præcipiat. Maſoni, vel cuiuſuis alterius primatum Principum propugnantis, ad hanc difficultatem expectabo reſponſionem; quam donec videro noſtrorum Angliæ Proteſtantium, de primatu Principum Secularium in rebus ſpiritualibus & Eccleſiaſticis doctrinam, non tantùm in materia fidei turpiſſimam hæreſin, ſed etiam in politia ciuili abſurdum, pernicioſúmque paradoxum cenſendam exiſtimabo; vtpote Chriſtianos Principes in fide & Religione (in qua maximè concordare deberent) inter ſe committentem, & præterea ſubditos ſuos ad vnum horum neceſſariò compellentem, nimirum, vt vel Principibus ſuis in rebus pernicioſis & ſaluti animarum ſuarum nociuis obediant, vel (ne huic periculo ſeſe exponant) in rebus licitis obedientiam ſuam illis ſubtrahant, vel ſaltèm Principum ſuorum mandata, vtrùm pro Deo, vel contra Deum ſint, iudicandi poteſtatem ſubditis facientem, quod latiſſimam ad omnem rebellionem & ſeditionem portam aperire nullus non videt.

ORTH. Doctrina noſtra nec Principes inter ſe committit, nec ſubditos ad mala perpetranda adigit, nec ſeditioni valuas aperit. Sed Papa, dum ſupremam poteſtatem, etiam temporalem in ordine ad ſpiritualia, vendicat, dum Regum ſceptra & diademata in alios transfert, dum ſubditos à fidelitatis vinculo abſoluit, horum omnium criminum eſt reus. Verùm hoc ſupra modum eſt admirandum, quòd Papiſtæ ſeditionem nobis ac rebellionem exprobrare audeant. Nos enim docemus ſubditorum eſſe Principi, ſi licita iubeat, ſanctam obedientiam præſtare in Domino, ídque propter conſcientiam; ſin illicita, eiuſdem gladio ſemet ſubijcere. Licita autem dicimus, quæ ſacris Scripturis non repugnant.

PHIL. Nónne hoc eſt priuatis hominibus de fidei controuerſijs, aut ſuperiorum ſuorum mandatis iudicandi facultatem permittere?

ORTH. Duplex eſt iudicium; publicum, & priuatum: publicum dico, quo alijs norma præſcribitur; & hoc priuatis hominibus non conuenit: priuatum, quo quis ſedulò explorat ea, quæ ſibi ad animæ ſuæ ſalutem ſunt neceſſaria, vt ſuam ipſius conſcientiam, in priuatis officijs erga Deum & hominem, informare poſſit ac inſtruere; & hoc ad ſingulos fideles pertinet, iuxta aureas iſtas Apoſtolorum ſententias; [f] *Prudentibus loquor, iudicate quod dico*; [g] *omnia probate, quod bonum eſt tenete*; [h] explorate Spiritus an ſint ex Deo. Sed de prima obiectione hactenus; proferatur ſecunda.

[f] *1. Cor. 10. 15.*
[g] *1. Theſ. 5. 21.*
[h] *1. Ioh. 4. 1.*

PHIL. Nónne vos tantùm, hoc ſupremi Gubernatoris titulo, Principi defertis, quantùm nos Pontifici? Certè [i] Bellarminus iam diu affirmauit, *mulierem in Anglia ſummum extitiſſe pontificem*: &, [k] Sandero teſte, *Elizabetha officium Sacerdotale in Anglia exercuit docendi, atque euangelizandi, non minori cum authoritate, quàm Chriſtus ipſe, aut Moſes vnquam fecerunt.*

[i] *De à notis Eccleſiæ, l. 4. c. 9. § 4. Pepuziani hæretici, &c.*
[k] *De viſibili mon. l. 6. cap. 4. & de Claue Dauid, lib. 6. verſus finem.*

ORTH. O quanta & quàm immanis eſt hæc in Vnctos Domini procacitas, & petulantia? Initio Regni Elizabethæ, quum maleuoli

Digitized by Google

uoli & maledici quidam homines verba iuramenti ad ſenſum alienum detorquerent, inde colligentes, quòd Principes noſtri poteſtatem haberent miniſterialem ad rem diuinam in Eccleſijs peragendam, illa æternæ memoriæ Regina omnes & ſingulos dilectos ſuos ſubditos [l] admonuit, ne iſtiuſmodi perſonis fidem adhiberent, palámque profeſſa eſt, *ſe nec iam arrogare, nec vllam aliam authoritatem ſibi in poſterum vendicare velle, quàm Henricus octauus, & Eduardus ſextus, & vendicabant & exercebant, quæque ab antiquis temporibus ad Imperialem huius Regni coronam ſpectabat; videlicet, vt haberet Suprematum, & Regimen in quaſcunque perſonas intra ſua Regna, Dominia, & Ditiones natas, cuiuſcunque ſint gradus, Eccleſiaſtici vel Secularis, ita vt nulla alia externa poteſtas vllam in eos ſuperioritatem aut habeat, aut habere debeat, húncque, & non alium, eſſe verum & genuinum huius Iuramenti ſenſum.* Quod ipſum etiam vniuerſi Epiſcopi & Presbyteri Anglicani, in Synodo anno Domini 1562. confluentes, in Religionis articulis luculenter oſtendunt, & ad dictam admonitionem lectores remittunt, his verbis: [m] *Cùm Regiæ Maieſtati ſummam Gubernationem tribuimus (quibus titulis intelligimus animos quorundam calumniatorum offendi) non damus Regibus noſtris aut verbi Dei aut Sacramentorum adminiſtrationem (quod etiam iniunctiones ab Elizabetha Regina noſtra nuper editæ apertiſſimè teſtantur) ſed eam tantùm prærogatiuam, quam in ſacris Scripturis, à Deo ipſo, omnibus pijs Principibus videmus ſemper fuiſſe attributam, hoc eſt, vt omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſiue illi Eccleſiaſtici ſint, ſiue ciuiles, in officio contineant, & contumaces ac delinquentes gladio ciuili coerceant.* Hic eſt verus ac genuinus ſenſus illius tituli, qui Imperiali huius Regni coronæ debetur.

[l] *Admonitio Reginæ, iniunctionibus annexa.*

[m] *Art. 37.*

3 PHIL. Si coronæ debeatur Imperiali (vt in actis veſtris Parliamentarijs toties aſſeritur) Princeps ciuilis erit ſupremum Eccleſiæ caput, non minùs in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, ſiue vir, ſiue puer, ſiue fœmina, cuiuſcunque demum ſit Religionis, vt de veſtris Principibus, Henrico, Eduardo, Elizabetha eſt notiſſimum. Et certè [n] *cùm hæc ſumma regendæ Eccleſiæ authoritas adhæreſcat poteſtati Regiæ, quæ non minùs plenè erat in Traiano quàm in Theodoſio, in Henrico, quàm in Maria; & in Maria euangelicis infeſtiſſima, quàm in Elizabetha eorum Protectrice, in Lucio veſtro antequàm fidem Chriſti ſuſciperet, quàm poſt eam in baptiſmo ſuſceptam*; ex conſequenti, Imperator Turcarum dici poteſt ſupremum Eccleſiæ Chriſtianæ in Turcia caput.

[n] *Vide Caluino turciſ. l. 4. c. 10. & in eiuſdem cap. argumento.*

ORTH. Reſpondeo hunc titulum Regi Chriſtiano, in Regno Chriſtiano, quod multa per ſecula fidem imbiberat Chriſtianam, à viris Chriſtianis eſſe delatum. Sperare igitur poterant (& quidni ſperarent? Nam charitas omnia ſperat) hoc Regnum in fide Chriſti ſemper permanſurum; atque eo ipſo intuitu (vt eſt credibile) Reges noſtros iſtiuſmodi decorabant titulo. Quapropter ad Paganos vel Turcas detorquere nimis profectò eſt violentum.

PHIL.

Digitized by Google

Phil. [o] *Huius argumenti vis* (vt Champnæo videtur) *clarior apparebit ſub hac forma. Si Princeps ſecularis ſupremus ſit Eccleſiæ in rebus ſpiritualibus Gubernator, ſequeretur Principes Paganos, eandem habere in Eccleſiam Chriſtianam poteſtatem. Sed hoc falſum eſt, & abſurdum.* [o] P. 587.

Orth. Non videtur in Pagano eſſe defectus poteſtatis, ſed cognitionis, & voluntatis.

Phil. Veſtri hîc miſerè inter ſe diſſentiunt. Quæritur enim (vt rectè [p] Becanus) an Rex, *ex eo præcisè, quia Rex eſt, an ex eo potius quia Rex Chriſtianus, habeat primatum Eccleſiæ? Priorem partem videtur amplecti* [q] *Thomſonius, cum ſic ait: Omnes Principes, etiam Pagani, obiectiuè habent ſupremam poteſtatem in omnes omninò perſonas ſuorum ſubditorum, & generatim in res ipſas, ſiue ciuiles ſint, ſiue ſacræ, vt in cultu diuino & in Religione procuranda, ſaltem quoad modum & exercitium.* Et rurſum: [r] *Hunc ſuprematum, cùm diabolo, mundo & pompis eius renuntiat, & Chriſto initiatur Rex aliquis Ethnicus, non acquirit omninò de nouo, ſed Eccleſiæ (quam antea perſequebatur hoſtiliter) factus membrum, ſingulari quodam iure ſuo, & volens fit nutricius, & Eccleſiarum curam in ſinum ſuum recipit, vt loquitur Carolus Magnus. Poteſtas ferè eadem, in voluntate non eadem: & iuriſdictio ferè eadem, in executione longè diſpari.* Cui conſentit [s] Burhillus: *Rex, inquit, poteſt iure vendicare, poteſt iure aſſumere, poteſt iure exercere hunc primatum hoc titulo;* nempe, Regis temporalis. Quibus à Becano citatis addi poteſt Samuel Collinus, Theologiæ doctor & Academiæ Cantabrigienſis Profeſſor Regius, his verbis: [t] *Non poteſtatis defectus eſt in ethnico, ſed voluntatis.* Et rurſus: [u] *Rex infidelis eſt caput Eccleſiæ in Regno ſuo comprehenſa, ſed in actu tantùm primo, non in actu ſecundo.* Contrarium tamen videtur doceri in Tortura Torti: [x] *Rex quiuis cum de ethnico Chriſtianus fiat, non perdit terrenum ius, ſed acquirit ius nouum.*

[p] Becan. de diſſid. Angl. q. 12. [q] Elench. refut. Tortur. Torti, p. 78. [r] P. 94. [s] Pro Tortura. p. 152. [t] In increpat. pag. 409. [u] P. 415. [x] Pag. ibid.

Orth. Rectè, acquirit ius nouum ad bona Chriſti ſpiritualia, communionem Sanctorum, & Regnum Cœleſte.

Phil. Atque iterum: [y] *De nouo Teſtamento ibi quæ adijciuntur eò ſpectant, ne quis, ex eò quòd alieni tum à Chriſto Reges terræ, imminutam putet vel eorum in ſubditos poteſtatem, vel ſubditorum in eos fidem, néue priſtino iure excidiſſe videantur: non quòd ad Reges infideles primatum pertinere probent, non ſanè magis ad hos in nouo, quàm ad Aßuerum vel Nabuchodonoſor in veteri (delirat hæc Tortus) ſed quòd Cæſari, ſi Chriſtianus fiat, vt Conſtantino, idem iuris ſit in Eccleſiam, quod in veteri Ioſiæ fuit. Reditus ſtatim fiat ad Iura Regum Iſrael, quàmprimum facti ſunt Reges Iſrael Dei, & eorum quiſque Chriſto nomen dederit.* [y] P. 377.

Orth. Nullum hîc omninò diſſidium. Thomſonus, Burhillus, & Collinus Primatum Eccleſiæ Regi, quatenus Rex eſt, competere volunt quoad poteſtatem & authoritatem, non quoad eiuſdem poteſtatis ſeu authoritatis rectum vſum & praxin. Negat autem doctiſſimus Epiſcopus quoad vſum & praxin, non quoad ipſam poteſtatem ſeu authoritatem. Nam de vſu & praxi loqui

Digitized by Google

Epiſcopum ex his verbis ſequentibus patet; *tum demùm Eccleſiæ gubernacula capeſſant, cùm conuerſi ad fidem fuerint.* Gubernacula capeſſere, eſt poteſtatem ad vſum & praxin reducere, & actu gubernare. Quare, ex ſententia Epiſcopi, non par eſt vt Pagani, quandiu tales ſunt, Eccleſiæ gubernacula capeſſant: quod eſt veriſſimum. Hoc enim quid eſſet aliud, quàm nauem Chriſti ad ſcopulos allidere? Primum igitur eorum munus eſt, Chriſto nomen dare; ſecundum, Eccleſiam Chriſti gubernare. Sic enim Reges terræ tenentur [a] oſculari filium; primò, vt homines, credendo; deindè, vt Reges, leges pro Chriſto ferendo.

[a] Pſal.2.10.

Phil. Tu verò quæſtioni Becanicæ quid reſpondes?

Orth. De hac tota quæſtione quid ſentiam, ſine cuiuſquam præiudicio, modeſtè & candidè aperiam, paratus, ſi quis meliora attulerit, veritati ſtatim cedere, & rectè monenti gratias agere. Reſpondeo igitur Primatum Regi noſtro competere vtroque modo, & quia Rex eſt, & quia Rex verè & ſincerè Chriſtianus. Quia Rex eſt, obiectiuè, quia Rex Chriſtianus, etiam effectiuè. Quia Rex eſt, in actu primo; quoniam habet in ſe principium agendi, nempe authoritatem: quia Rex Chriſtianus, in actu ſecundo, per quem priorem authoritatem ad praxin perducit. Namque hæc authoritas quæ in Rege eſt, qua Rex, eſt ſæpè otioſa, plerumque etiam pernicioſa; in Rege verè & ſincerè Chriſtiano, id eſt, ſancto & Orthodoxo, accedente rerum diuinarum ſcientia, fide, & gratiâ, ad actum laudabilem, & rectum vſum pro gratiæ menſura dirigitur. In talem igitur plenè & propriè quadrat primatus, in alios tantùm ſecundùm quid.

Phil. Explicatiùs quæſo hæc nobis expone.

Orth. Dabo operam. Duo igitur hîc perpendenda, & inter ſe accuratè ſunt diſtinguenda; Regalis poteſtas, & eâdem poteſtate rectè vtendi facultas. Regalem poteſtatem Regibus, quatenus Reges ſunt, dedit Deus, non Chriſtianis modò, ſed Paganis etiam, qui nullum, quem ſequantur, habent ducem præter ſolam Naturæ legem, & conſtitutiones humano ingenio indè deductas. Nec obſtat, quò homines varias ſibi rerum publicarum formulas fabricent. Scitè doctiſsimus Epiſcopus; [a] *Regiminis forma de hominibus eſſe poteſt, de cœlò ſemper eſt authoritas.* Hoc enim in omnibus Regibus veritatem obtinet: [b] *Per me Reges regnant.* Et illud Danielis; [c] *Deus cœli dedit tibi Regnum, & poteſtatem, & robur, & gloriam.* Omnis igitur poteſtatis ſeu authoritatis fons & ſcaturigo eſt Deus ipſe: iuxta illud Apoſtoli; [d] *Non eſt poteſtas niſi à Deo.* Quò ſpectat illud Auguſtini: [e] *Qui dedit Mario, ipſe Caio Cæſari; qui Auguſto, ipſe & Neroni; qui Veſpaſianis, vel patri vel filio, ſuauiſsimis Imperatoribus, ipſe & Domitiano crudeliſſimo; &, ne per ſingulos ire neceſſe ſit, qui Conſtantino Chriſtiano, ipſe Apoſtatæ Iuliano.*

[a] Tortur. Torti. p.385.
[b] Prou.8.15.
[c] Dan.2.37.
[d] Rom.13.1.
[e] De ciuitate Dei l.5.c.21.

Phil. Eſto, habeat Rex, qua Rex, authoritatem deſuper datam; ſed nunquid in Eccleſiam Dei?

ORTH. In ſubditos ſuos, ac proinde in eccleſiam, modò ſubditi ſint eccleſiæ.

PHIL.[f] *Principes ſæculares, & præſertim paganos, talem habere in Eccleſiam Chriſti poteſtatem ſeu iuriſdictionem ſtupidiſſimè præſupponis, cùm illud probare deberes.* [g] *Dicas igitur nobis, quo ſacræ paginæ loco, talis Principibus Chriſtianis (nedum Paganis) conceditur in Eccleſiam Chriſti poteſtas.*

[f] Ex Champnæo p. 590.
[g] Champ. p. 591.

ORTH. Paulus cùm Imperatores, etiam Paganos, [h] *poteſtatum ſupereminentium* titulo adornâſſet, paulò pòſt ſubiunxit; [i] *Vis non timere poteſtatem? Bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Tibi*, id eſt, cuilibet fideli. Alloquitur enim [k] *ſanctos* Romæ degentes. Ergo Rex, quâ Rex, etiam Paganus (multò magis Chriſtianus) eſt poteſtas, ac proinde poteſtatem habet ad hoc officium præſtandum, nempe vt ſit Miniſter Dei in bonum ſanctorum, id eſt, eccleſiæ. Exempla quæris? Nónne Cyrus erat Rex Paganus? De [l] Templo tamen ædificando edictum promulgauit. Nónne Darius erat Rex Paganus? At Cyri edictum renouauit, & edixit præterea, [m] *vt offerrent res odoris grati Deo cæli, & orarent pro vita Regis, & filiorum eius.* Nónne Artaxerxes erat Rex Paganus? Non diſſimile tamen de populo & [n] Templo Dei edictum emiſit. Quid? An Principes iſti, quia Pagani, hæc Eccleſiaſtica iubendo, deliquerunt? Ne Champnæus quidem dente Theonino edicta tam illuſtria poteſt arrodere. Porrò, Tiberius ſine dubio erat Paganus; qui tamen (corde eius à Deo optimo maximo aliquantulum emollito) [o] *Chriſtianorum delatoribus mortem minatus eſt.* Sic [p] Hadrianus, [q] Antoninus Pius, [r] Marcus Aurelius, & multi alij, aut non omninò, aut nondum Chriſtiani, in Chriſtianorum gratiam reſcripſerunt. Et, vt domum redeamus, [ſ] Ethelbertus, nondum Chriſtianus, Chriſtianos perbenignè habuit; ac Auguſtino, & ſocijs eius prædicandi veniam conceſſit. Deniq; ſi Turcarum Imperator, aut quiſpiam Rex Paganus legem ſanciret, quâ cuilibet, intra ditiones ſuas commoranti, Chriſtianam Religionem profiteri, Verbumq; ac Sacramenta ritu Chriſtiano frequentare liberè liceret, tunc hunc, tanquam authoritatis ſuæ limites tranſilientem, perſtringeres? Caue dixeris, ne fortè prudentibus videaris eſſe cerebro non ſatis ſano. Cæterùm, ſi quos Deus eorum authoritati circundedit cancellos, hæc ſancta iubendo, prætergreſſi non ſint, ſequitur ſancta iubendi authoritatem illis de cœlo eſſe conceſſam. Huic veritati ſuffragatur [t] Auguſtinus, his verbis: *Rex ſeruit Domino, quia Rex, leges iuſta præcipientes, & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo.* Quod illuſtrat exemplis non modò Iudæorum, ſed etiam Regis Niniue, Darij, & Nabuchodonoſor, paganorum, idq; in cauſis Eccleſiaſticis. Et, vt his pauliſper inſiſtam, Rex Niniue ieiunium indicendi authoritate iamdudum ornatus fuit. Vndè enim accreſceret noua? Similiter Nabuchodonoſor, & Darius eâdem quâ nunc poteſtate ad imperandum

[h] Rom. 13. 1.
[i] V. 3.
[k] Rom. 1. 7.
[l] Ezr. 1. 3.
[m] Ezr. 6. 8.
[n] Ezr. 8. 36.
[o] Euſ. hiſt. l. 2. c. 2. ex Tertul.
[p] Baron. an. 128. n. 34. ex Euſeb.
[q] Euſeb. l. 4. c. 13
[r] Euſeb. l. 5. c. 5. ex Tertul. Apolog. c. 5.
[ſ] Bed. hiſt. eccl. l. 1. cap. 26.
[t] Ep. 50.

dum omnibus gentibus & linguis, ne Deum Danielis blaſphemarent, longè anteà fruebantur. Suum tamen hac ex parte non priùs exequebantur officium, quàm Deo optimo maximo eorum corda ita afflare & flectere viſum eſt. Et cùm iam exequerentur, hoc non ideo factum eſt quia noua acceſſit authoritas, ſed quia priſtinæ authoritati Regiæ noua aliqua adiuncta eſt illuſtrans & dirigens gratia, cuius beneficio poteſtas quâ antè abutebantur, ad verum iam finem aliqua ex parte dirigebatur. Cæterùm, propter abuſum priſtinæ authoritatis, non eſt ipſa neganda authoritas.

[u] Champ. p. 592. PHIL. [u] *Vrget Maſonus Regem Niniue ieiunium indicendi, & Nebuchodonoſorem poteſtatem habere præcipiendi Deum Danielis eſſe timendum, Regeſquè cæteros leges prò Chriſto condendi poteſtatem ſimiliter habere. In quo quidem nemo ei contradicit; ſi tamen rectè ſe intelligat. Si enim Reges abſque iudicio, nedum contra iudicium ſacerdotum, & Eccleſiæ Paſtorum, leges de rebus Eccleſiaſticis condendi poteſtatem habere velit, falſum dicit: ſi verò iuxta iudicium ſacerdotum, rectè ait.*

ORTH. Regis Nineuitarum exemplum ad Champnæum refellendum eſt accommodatiſſimum, quod nullâ arte eludi poteſt. Nullum enim prælucentem habuit ſacerdotem, qui ad ieiunium indicendum incitaret, prophetam nullum. Ne Ionas quidem hoc præſtitit officium; quippe qui, licèt vrbi excidium ſit interminatus, de ieiunio tamen habendo, aut pœnitentiâ agendâ nihil planè monuit. Quod indè conſtat, quòd poſtea Domino, illis pro diuite ſua miſericordia veniam indulgenti, indignabundus obſtreperet. Quid igitur? An Rex, ſancta iubendo, authoritatem non ſuam ſibi arrogauit? Namque vel hoc eſt dicendum, quod tamen nemo opinor eſt dicturus, vel fatendum eſt iuſtâ & legitimâ authoritate ad hæc iubenda, etiam abſquè præeunte ſacerdotum iudicio, fuiſſe inſtructum.

PHIL. Hactenùs de regali poteſtate; nunc de eiuſdem rectè exercendæ facultate.

ORTH. Hæc facultas in eo ſita eſt, vt eorum Regia authoritas ad veros fines, nempe ad Dei gloriam (omnes enim noſtri riuuli hunc Oceanum petant oportet) & ad æternam ſubditorum ſalutem referatur.

PHIL. Politici regiminis verus finis eſt pax, & externa fœlicitas.

ORTH. Rectè tu quidem, ſi de fine immediato loquaris; finis tamen vltimus, ad quem præ reliquis collimare oportet, eſt Dei gloria, & æterna beatitudo. Id quod etiam ethnici animaduerterunt. *Vt Gubernatori* (inquit [x] Cicero) *curſus ſecundus, medico ſalus, Imperatori victoria, ſic moderatori reip. beata ciuium vita propoſita eſt, vt opibus firma, gloriâ ampla, virtute honeſtâ ſit reſpublica.* Et ad Quintum fratrem docet, eò referenda eſſe omnia, *vt ij qui eorum Imperio ſubſint, ſint quàm beatiſſimi.* Sed quomodo hoc fiet? *Finis hic legum* (inquit [y] Plato) *tibi propoſitus eſt, vt Dei cultu & vitæ puritate optimum &*

[x] De rep. l. 5. vnde citantur hæc verba, ep. ad Attic. l. 8.

[y] Plato in Epitom.

& pulcherrimum exitum conſequaris. Et [z] alibi. *Dijs ſacrificare, & cum* [z] *L.4 de leg.*
ipſis conuerſari, illóſque proſequi orationibus, muneribus, alióque cultu diuino, pulcherrimum, optimum, & commodiſſimum ad vitam beatam. Vitam autem beatam huius ſeculi anguſtijs non includit, ſed animæ [a] immortalitatem docet. Hucuſquè diuinus Plato penetrauit. [a] *In Phedone & alibi.* Sed quid ego vnum Platonem commemoro? Amicus tuus Thomas [b] Fitzherbertus, *ex præſtantiſſimorum Philoſophorum ſententijs* [b] *De polit. & relig. part.2. cap.4.n.2.* *conſtare* dicit, *Deum ob nullum alium finem homines condidiſſe, præter ſui ipſius cultum, nimirum, vt ipſum colerent, honorarent, eidemquè vera Religione ſeruirent, & vt per eandem Deo feliciter vnirentur.* Vndè ſequi affirmat, *hominis in hac vita tam finem quam felicitatem in Religione conſiſtere.* Et paulò antè aſſerit, *Vniuſcuiuſq; particularis hominis ac reipublicæ vnum eundemquè eſſe finem:* Et vt mittam Philoſophos, nulla gens tam effera, quin diuinum numen omnia gubernans; atque ab hominibus idcirco colendum agnoſcat, in cuius fruitione ſummum hominis bonum collocat. Ad hunc igitur finem, ad hanc metam, non Chriſtianos ſolùm, ſed omnes omninò homines contendere debere dictat ratio, ſed illos præcipuè quibus aliorum Regimen diuinitùs eſt conceſſum. Hinc factum eſt, vt etiam apud ethnicos rerum Sacrarum moderatio ferè ad Reges ſpectaret, teſte [c] Ariſtotele: βασιλεὺς τῶν πρὸς τοὺς θεούς, id eſt, *Rex eorum* [c] *Polit.3.*
quæ ad Deos ſpectant Dominus, ſcilicet, externus Rector, vel Gubernator, vt per cultum diuinũ ſubditos ſuos ad felicitatem perducat. Cæterùm, quùm in rebus ſacris adeo cæcutiant ethnici, qui ſolius naturæ lumen ſequuntur, manifeſtum eſt eos verum poteſtatis ſuæ Regiæ vſum, præcellentem, ac eminentem aſſequi non poſſe, ſed gratiâ illuſtrante ac dirigente opus habent, quæ quantò eſt in vnoquoque Rege illuſtrior, tantò ad hoc munus exequendum fit accommodatior. Rex Paganus, nullo adhuc cœleſti radio perfuſus, eſt Eccleſiæ in ſuo Regno comprehenſæ caput quidem, quoad authoritatem quatenus eſt Rex, ſed caput cæcum, quod, propter diuini luminis defectum, Eccleſiam gubernare non poteſt. Et, ſi fortè euadat perſecutor, erit caput non modò cæcum, ſed etiam inſanum. Rex autem Paganus, in quo aliquam lucis ſcintillam accendit Dominus, qualis erat Nabuchodonoſor trium puerorum miraculo correctus, populo ſuo in rebus ſacris pro illuſtrationis illius menſura & gradu imperare poteſt. Ita [d] Nabuchodonoſor de Deo [d] *Dan.3.29.*
non blaſphemando legem tulit laudabilem, at de Deo iuxta ſacras Scripturas colendo nihil dixit. Alij longiùs progreſſi, adeo vt Eccleſiæ Dei inſigniter benefacerent; quo in numero Cyrum, Darium, Artaxerxem reponendos cenſeo. Cyrus enim, cùm ſe, nondum natum, ab [e] Eſaia Propheta etiam nomine compellatum [e] *Eſa.45.4.*
[f] admirabundus accepiſſet, in Iudæos perbenignus extitit, & [f] *Ioſeph. Antiq. Iudaic.l.11.c.1.*
(Iehoua eius [g] ſpiritum excitante) Templi ædificationem mirificè promouebat. [g] *Ezr.1.1.* Non tamen erat circumciſus, neque in populum Dei aſcitus, aut cooptatus, ſed (vt verè enunciauit doctiſ-

 ſimus

ſimùs [h] Epiſcopus) erat merè Paganus. Quod & verba Iehouæ apud Eſaiam innuere videntur; [i] *Et non cognouiſti me.* Hunc tamen, ob egregia in Eccleſiam Dei beneficia, Iehoua [k] *Paſtorem ſuum* appellat. Sed quo demum ſenſu? Eſt duplex paſtio; alia quæ fit verbo & doctrina, alia quæ ſceptro & edictis. Paſcere autem, cùm ad Reges accommodatur, idem eſt quod ſceptro & legibus regere ac gubernare. Paſtor igitur, id eſt, Rector, ſeu Gubernator Cyrus; ſed quorum tandem? Certè ſubditorum ſuorum, &, in his, populi Iudaici, id eſt, Eccleſiæ Dei. Sed quomodo paſcebat? Edictis ſcilicet: cedo quibus? An de rebus ciuilibus tantùm? Immò de templo fundando, & de ſacrificijs offerendis. Cyrus igitur, licèt paganus, factus eſt eccleſiæ paſtor, id eſt, Rector & Gubernator, idq; in cauſis eccleſiaſticis; non tamen perinde ac Dauid. Nam Dauid erat diuini particeps fœderis, circumciſus, Chriſti, & Eccleſiæ membrum, & per conſequens ad bona ſpiritualia & Eccleſiæ communionem ius habuit, cuius beneficio iuxta ſpecialem vocationẽ, nempe regiam, in eccleſia verſatus eſt, ac proinde [l] Arcam loco ſuo fixit, Sacerdotes & Leuitas in [m] claſſes diſtribuit, ſua cuiq; munera [n] aſſignauit, cultum Dei reſtituit, abuſus & corruptelas eliminauit. Eccleſię igitur ſuo modo Rector Cyrus, ſed longè aliter Dauid. Neq; enim Eccleſiã rexit, vt Cyrus extra Eccleſiam poſitus, ſed vt Eccleſię pręcipua pars & membrum. Neq; vno aut altero edicto, vt Cyrus, ſed rectione extenſâ & cõtinuâ; neq; in cauſa vna aut altera vt ille, ſed in omnibus cauſis, totius Eccleſiæ curam ac ſollicitudinem in ſinum ſuum recipiens. Denique non, vt ille, inchoatè, ſed (ſi cum Cyro conferatur) perfectè & cumulatè. Idem de omnibus Regibus Chriſtianis ſanctis, & Orthodoxis (licèt ſecundùm magis & minus, pro gratiæ menſura) eſt dicendum. Sunt igitur Eccleſiæ Gubernatores, & quoad authoritatem, & quoad laudabilem vſum authoritatis: quoad officium, & quoad executionem officij. His igitur primatus plenè & propriè competit. Regibus autem, qui vel non ſunt Chriſtiani; vel, ſi Chriſtiani, non tamen Orthodoxi, vel, ſi Orthodoxi, non tamen ſancti, primatus competit quidem, ſed tantùm ſecundùm quid, id eſt, quoad authoritatem, non quoad rectum & plenum vſum authoritatis; quoad officium, non quoad illuſtrem executionem officij.

[h] *Lancel. Elienſ. in concione Angl. in Pſal. 105. 15. & 1. Chron. 16. 22. pag. 32.*
[i] *Eſa 45. 5.*
[k] *Eſa. 44. 28.*
[l] *2. Sam. 6. 14.*
[m] *1. Chr. 23. 24.*
[n] *1. Chr. 24. & 25. & 26.*

PHIL. Champnæi argumentum diluendum reſtat: [o] *Nullus poteſt eſſe alicuius corporis caput, cuius non eſt membrum: ſed Pagani non ſunt membra Eccleſiæ Chriſti, vt per ſe conſtant: ergo neque poſſunt eſſe capita, & Rectores illius.*

[o] *Champ. p. 587.*

ORTH. Vt vno verbo reſpondeam, maior eſt falſa. Nam Papa eſt ſocietatis Ieſuiticæ caput; id eſt, ſupremus Rector ac Gubernator, non tamen eſt eiuſdem ſocietatis membrum, id eſt, Ieſuita. Cæterùm longè diutiùs quàm par eſt, huic telo reuellendo inſiſtimus; indulgenda tamen eſt nobis venia, vt idem etiã in aduerſarios retorqueamus. Age igitur: nónne vt ſupremi Gubernatoris titulus

Digitized by Google

lus Regibus Angliæ, ita alij quoque tituli alijs Principibus perinde ſunt delati?

Phil. Vel maximè. Sic enim Romanus pontifex ſanctiſſimus, Rex Gallorum Chriſtianiſſimus, Rex Hiſpanorum Catholiciſſimus, titulo hæreditario, inſignitur.

Orth. Cur igitur nobis moleſtiam creas? Cur tantâ te crucias formidine, ne fortè titulus hæreditarius, huius Regni coronæ Imperiali annexus, in hominem minimè fidelem aliquando labentibus ſeculis poſſit incidere? Quaſi verò idem periculum non omnibus perinde Regnis impenderet? Quare hoc telum in Anglos potiùs, quàm in Gallos, aut Hiſpanos, aut Pontifices deſtringere ac vibrare voluiſti, cùm omnium hac ex parte vna eadémque ſit ratio? Si iſti tituli ſint hæreditarij, omnibus eorum legitimis ſucceſſoribus ſunt tribuendi. Nec refert boni ſint an mali, orthodoxi, an hæretici, Chriſtiani an alterius cuiuſcunque Religionis, cùm titulus hæreditarius ipſi ſucceſſioni adhæreſcat.

Phil. Ita prorſus videtur.

Orth. Ergo Iohannes duodecimus, monſtrum illud & prodigium hominum, ſanctiſſimus eſt appellandus. Et ſi quiſpiam ex Gallorum vel Hiſpanorum Regibus Religionem reformatam (quæ vobis eſt hæreſis omni Iudaiſmo, Turciſmo, & Paganiſmo deterior) aliquando amplexus fuerit, idem tamen nihilò ſeciùs Chriſtianiſſimus, vel Catholiciſſimus eſt vocitandus. Itáne verò?

Phil. Ita ſanè. Etenim [p] Baronius teſtatur, *Etiam ethnicos Principes à ſanctiſsimis Epiſcopis dictos eſſe interdum, non pios tantùm & ſanctos, ſed & ſanctiſsimos, idque exemplo Apoſtoli* [q] *Pauli, qui nefarium hominem, Præfecturam tamen gerentem, conſuetâ nomenclaturâ optimum vocauit Fœlicem. Quo ſenſu & à Dionyſio, Epiſcopo Alexandrino, Valerianum & Gallienum, Imperatores ſanctiſsimos nominatos diximus.* Hactenus Baronius, qui eodem in loco hoc *honoris causâ* factum affirmat. [p] *An. 302. n. 21.* [q] *Act. 24. 3. ubi vet. interpr.*

Orth. Ergo etiam malis Principibus conſueti tituli, *honoris causâ*, tribui poſſunt.

Phil. Baronio aſtipulatur [r] Binius his verbis: *Rex Arianus, non ex meritis, ſed ex conſuetudine, pijſsimus & ſanctiſsimus nominatur.* [r] *Tom. 2. p. 288.*

Orth. Non ex meritis? Profectò hoc in Papas veſtros optimè quadrat. Bonifacius igitur octauus, de quo peruagatus ille ſermo: [s] *Intrauit vt vulpes, regnauit vt Leo, mortuus eſt vt canis,* ſanctiſſimus dici poteſt, non quidem ex meritis, ſed ex conſuetudine. Iohannes viceſſimus tertius, qui vulgò dictus eſt *diabolus incarnatus,* ſanctiſsimus nuncupabitur, non quidem ex meritis, ſed ex conſuetudine. [s] *Walſing. in edit. 1. p. 84.*

Phil. Hæc conſuetudo à ratione non abhorret. Siquidem titulus hæreditarius nihil ferè eſt aliud quàm memoriale, ſeu commonefactio officij. Exiſtat igitur aliquis Papa, qui non vſque adeò habeatur ſanctus; exoriatur aliquis Rex Gallorum, vel Hiſpanorum

rum,qui Caluiniſta,vel Lutheranus euadat; Papa tamen nihiloſecius ſanctiſſimi, Rex ille Chriſtianiſſimi, hic Catholiciſſimi titulo eſt decorandus; non quòd talis iam ſit, ſed quòd talis eſſe debeat. Sic in Scripturis impius ſacerdos, ratione officij Sacerdotalis, appellatur [t] *Angelus Iehouæ*; & Imperator ethnicus, licèt ſceleratiſſimus,ratione officij vocatur [u] *Miniſter Dei in bonum.*

[t] Mal.2.7.
[u] Rom.13.4.

Orth. Idem tibi à nobis in hac quæſtione reſponſum puta,& nullus erit vlteriùs contradicendi locus.

4 Phil. Quiſquis Principem ſecularem, Eccleſiæ ſupremum Caput & Gubernatorem indigitauerit; næ ille ipſam naturam violare dicendus eſt. Nam vt ouis paſtorem paſcat, vel filius patrem regat,à natura abhorret.

Orth. Vt Sacerdos eſt Paſtor & Pater reſpectu Principis, ita viciſſim Princeps reſpectu Sacerdotis: [x] *Iehoua eligens Dauidem ſeruum ſuum,& aſſumens eum ex caulis à tergo fætarum, duxit eum ad paſcendum Iacobum populum ſuum, & Iſraelem poſſeſſionem ſuam; qui pauit eos pro integritate animi ſui, & ſumma prudentiâ manuum ſuarum deduxit eos.* Ergo Princeps eſt Iſraelis, & per conſequens Sacerdotum Paſtor. Porrò Hezechias Sacerdotes [y] filiorum nomine compellauit; ergo Princeps eſt Sacerdotum Pater. Si Princeps ſit ſacerdotum Paſtor,ad eiuſdem munus ſpectat Sacerdotes paſcere; ſi Pater,eiuſdem erit Sacerdotes regere; hoc naturæ eſt conſentaneum.

[x] Pſal.78.70.
[y] 2.Chron.29.11

Phil. [z] *Magna vbique veritatis vis & præualet. Maſonus, poſt omnem quam hactenus vidimus tergiuerſationem, Principes filios & oues reſpectu Sacerdotum, ac proinde, juxta naturæ ipſius ordinem & præſcriptum, ab eis paſcendos & regendos eſſe fateri compellitur: non quidem in rebus temporalibus (in ijs enim Principes, Patres & Paſtores reſpectu Sacerdotum eſſe dicit) ergo in ſpiritualibus. Niſi fortè adeo abſurdus ſit, vt vnum ac eundem reſpectu eiuſdem, in eiſdem rebus, Paſtorem & ouem, Patrem & filium, ſuperiorem & inferiorem poſſe eſſe exiſtimet. Ex ſua ergo ipſius concluſione luce clarius conſtat, quòd Principes, vtpote oues ac filij, à Sacerdotibus paſci ac regi debeant in ſpiritualibus, ac proinde quòd ſupremi Eccleſiæ Iudices in eiſdem rebus eſſe nequeant.*

[z] Champ.p.594.

Orth. Circa Religionem verſatur & Rex & Epiſcopus, ſed non eodem modo: Epiſcopus verſatur in Religione docenda,Rex in eadem ſancienda: Epiſcopus, quatenus verum docet,eſt Pater & Paſtor, & Rex eiuſdem filius & ouis: è contra Rex,quatenus eandem veritatem legibus ſancit,eſt omnium ſubditorum ſuorum, etiam Epiſcoporum, Pater & Paſtor, & Epiſcopi reſpectu Regis ſunt oues & filij.

5 Phil. Iſte titulus adeo [a] Caluini palato non ſapuit,vt eundem [b] *blaſphemiæ notaret & ſacrilegij*: idémq; Centuriatorum & Chemnicij fuit iudicium.

[a] Vide Champ. p.545.
[b] In Amos c.7.13.

Orth. Certum eſt,hac in cauſa à nobis non diſſentire Caluinum.

Phil.

Digitized by Google

Phil. Vndè igitur manauit tam acerba reprehenſio?

Orth. A Stephano Gardinero in errorem inductus eſt, qui ſtylum Regiũ perinde expoſuit, ac ſi rex haberet poteſtatẽ vt ſtatuat pro arbitrio quicquid voluerit: quod ipſe Caluinus verbis Gardineri enucleat: *Poteſt Rex prohibere Sacerdotibus ne vxores ducant, poteſt Rex in cæna calicem populo adimere. Quid ita? Scilicet quia ſumma poteſtas eſt penes Regem.* Hoc illud eſt quod Caluinus blaſphemiæ poſtulauit, & ſacrilegij. Verùm ſi intellexiſſet nihil aliud ſibi voluiſſe hunc titulum, niſi vt Papæ tyrannidẽ excluderet, & Principis legitimam in ſubditos vindicaret poteſtatem (quæ ſita eſt non in nouis fidei articulis aut Religionum formulis, quales erant Ieroboami vituli, excudendis, ſed in illa fide & Religione tuenda & promulganda, cuius ipſe Deus in ſacris Scripturis eſt Author) nunquam profectò improbâſſet. Hoc enim, quem diximus, ſenſu, nec quoquam alio, Regi delatus eſt titulus, nec aliorſum à Rege acceptum eſſe vel fando audiuimus. Reliqua quæ à Centuriatoribus & Chemnicio adducit Champnæus teſtimonia, eandem admittunt reſponſionem.

Phil. Si in iuſtam reprehenſionem non incurreret, cur igitur mutatus eſt?

Orth. Sub initio Regni Elizabethæ [c] Proceres, & ex Prælatis nonnulli, probè intelligentes extitiſſe quoſdam, quibus, ob rerum imperitiam & imbecillitatem, ſupremi capitis titulus offendiculo fuit, Maieſtatem Regiam humiliter rogârunt, vt verbis commodioribus & clarioribus explicari permitteret: [d] quibus sereniſſima Regina (quâ erat clementia) aſſentire & indulgere dignata, ſupremæ Gubernatricis titulum, idem planè, ſed verbis aptioribus, ſignificantem amplectebatur. Neque tamen mutatus fuit ſtylus, quaſi iuſtam reprehenſionem incurreret, (in Scripturis enim fundatum eſſe ſuprà oſtendimus) ſed eiuſdem ſenſus tantùm explicatus, vt teneris quorundam conſcientijs conſuleretur. Quamobrem cùm titulus ſit iuſtus & debitus, ac proinde iuramentum quoque (quo titulus aſſeritur) legitimum, addo etiam, rebus ſic ſtantibus, neceſſarium, profectò qui ſuſcipere detrectârunt, in Principem parum officioſi extiterunt, meritóque, ob tam inſigne facinus, à ſedibus ſuis ſunt depoſiti.

[c] *Bilſon. de ver. dif. inter Chriſt. Subiect. part. 3. p 293. in octauo.*

[d] *In admonitione præfixa Iniunctionibus.*

Poteſtates

Poteſtates ſeculares quo ſenſu poßint deponere Epiſcopos.

Cap. VI.

Obiectiones contra veterum Epiſcoporum depoſitionem refelluntur.

Obiectiones à
- *Depoſitione, id eſt*
  - *Naturâ depoſitionis, quia cenſura ſpiritualis.* 1
  - *Perſonis depoſitis, quia Epiſcopi.* 2
  - *Depoſitionis causâ, quia eccleſiaſtica.* 3
  - *Deponentibus, quia Laici.* 4
- *Non declaratione Eccleſiæ.* 5
- *Defectu facultatis in Iudice.* 6

Phil.

Nonne depoſitio Epiſcopi eſt cenſura ſpiritualis? Quomodo igitur poteſtatibus ſecularibus tribui poteſt?

Orth. Poteſtates ſeculares deponunt Epiſcopum, non per modum degradationis, ſed per modum excluſionis. Excludunt autem, non ab ordine ne habeat, ſed à munere ne exerceat; nec tamen ab exercitio muneris ſimpliciter & abſolutè, ſed ſecundùm quid, id eſt, ne in ſuos ſubditos, vel in ſuis Dominijs idem exequantur. Quod ipſum ſanctiſſimi Principes, optimis illis & primæuis Chriſtianæ Religionis ſeculis, contra Arianos, Neſtorianos, aliòſque hæreſiarchas multoties præſtiterunt, vt plurimis exemplis, ſi opus eſſet, liceret demonſtrare.

Phil. Nunquid auferre poteſt Princeps quod conferre non poteſt?

Orth. Poteſtatem intrinſecam Verbum & Sacramenta adminiſtrandi, à claue ordinis profectam, conferre nequit, extrinſecam tamen, à Sceptro Regali fluentem, id eſt, facultatem ſeu licentiam munus miniſteriale, ab Epiſcopis per legitimam ordinationem acceptum, in dominijs ſuis exequendi, & dare, &, ſi res poſtulat, auferre poteſt, interim vt claues, quas Deus Eccleſiæ dedit, ſibi non aſſumat. Hoc fecit Salomon, quem hac in cauſa imitata eſt glorioſiſſima Regina Elizabetha.

Phil.

Digitized by Google

Phil. [a] *Etiamſi ponamus primò factum Salomonis legitimum fuiſſe, quod non eſt omninò clarum & euidens. Secundò, illum vt Regem, & non vt Prophetam, vel ex ſpeciali reuelatione & præcepto diuino, depoſuiſſe Abiatharum, quod ſaltem incertum eſt. Tertiò quod ſacerdotium, & Sacerdotes veteris legis æqualis dignitatis & prærogatiuæ fuerint cum Sacerdotibus & Sacerdotio nouæ Legis, quod apud omnes veros Chriſtianos falſiſſimum eſt.* 2 [a] Champ.p.552.

Orth. Siſte gradum paulisper. De duobus primis anteà abundè diximus. Ad tertium quod attinet, ingenuè fatemur noui teſtamenti miniſterium Leuitico longè præcellere; hoc tamen non obſtante, etiã in nouo Teſtamento omnis anima ſupereminentibus poteſtatibus gladium geſtantibus ſubdita eſſe debet, ſiue ſit Propheta, ſiue Euangeliſta, ſiue Apoſtolus, vt docet [b] Chryſoſtomus. Sic Paulus præſidi Romano ſe ſponte ſubmiſit: [c] *Sto* (inquit) *ad Cæſaris tribunal, vbi oportet me iudicari:* & Chriſtus ipſe Pontij Pilati in ſe poteſtatem deſuper datam agnouit. Ergo etiam in nouo Teſtamento Miniſtri, quantumuis præcellentes, poteſtatibus, perinde ac in vetere, ſubijciuntur. Verùm perge. [b] Rom.13.1. [c] Act.25.10.

Phil. [d] *Tametſi iſta omnia (quæ dixi) ſupponamus, nihilominùs argumentum tuum friuolum ac futile omninò oſtenditur, & inſtituto tuo ineptum. Cauſa enim Abiathari longè diſpar fuit ab illa Epiſcoporum noſtrorum, de quibus noſtra eſt controuerſia. Nam illius cauſa fuit coniuratio cum Adonia contra Salomonem, quæ, ſi in perſona Sacerdotis non extitiſſet, abſque omni controuerſia ad ſeculare tribunal mandanda fuiſſet: horum verò cauſa fidei ac Religionis erat, quæ, tametſi in perſonis eccleſiaſticis non extitiſſet, ad iudicium ſeculare pertinere nullatenus potuit, &c.* [d] Champ.p.552.

Orth. Cauſa non fuit merè ſpiritualis, ſed magna ex parte ciuilis & ſecularis. Siquidem Papa Chriſtianorum Principum ius Regium iam diu inuaſerat, adeo vt plæróſque & ſubditis ſuis, & diademate ſpoliâſſet: Nónne omnes hîc proceres, omnémque populum, tanquam ad commune incendiũ extinguendum, conuolare decuit? Nónne omnes de Principis vita & corona ſolicitos eſſe oportuit? Non ſine cauſa igitur in maximo Regni conuentu viſum eſt [e] legem ferre, quâ omnes magiſtratus, tam eccleſiaſtici quàm politici, Reginam *huius Regni, omniúmque aliorum ſuæ Maieſtatis Dominiorum ac territoriorum, tam in omnibus ſpiritualibus ſiue eccleſiaſticis rebus, aut cauſis, quàm in temporalibus, ſupremam eſſe Gubernatricem,* ſub pœna depoſitionis iureiurando agnoſcere tenerentur. Quod iuramentum dum pertinaciter recuſarent Epiſcopi pontificij, honoribus ſuis, quibus ſub Maria Regina fruebantur, atque eccleſijs ſunt exuti. Nec immeritò. Primatus enim pontificius Papiſtis eſt grauiſſimum fidei dogma, quod ipſum (vt prudentiſſimè obſeruauit Rex noſter ſereniſſimus) [f] *detrectatione iuramenti primatus Regij continetur.* Etenim eo nomine hoc iuramentum ſuſcipere detrectabant, quòd primatum pontificium aſſererent. Pontificium autem aſſerere, eſt iſtiuſmodi poteſtatem temporalem, vel directè, [e] Primo Eliz. [f] Apol.pro iuram.fidel.lat.in 16.an.1609. p.121.

vel

vel ſaltem in ordine ad ſpiritualia, Papæ tribuere, per quam Regibus coronas detrahere, Regna auferre, eoſdemq; & ſubditis, & vitâ priuare poſſet. Nónne hoc eſt temporalem Principis poteſtatem inuadere? Nónne ex hoc filo Regni coronam & Reginæ incolumitatem pependiſſe conſtat? *Quiſquis enim* (vt verbis vtar [g] Regis ſereniſſimi) *ad arbitrium nutúmque alterius geſtat purpuram, ex pontificis ſcilicet Romani decreto exüendam, is proculdubio Rex eſt tantùm titulo tenùs: nec in temporalibus poteſt haberi ſupremus, qui ſuperioris cuiuſpiam iuſſu, omnibus temporalibus, iure, atque ordine poteſt denudari.* Ecquis iam negat hac in cauſa multum ineſſe (vt ita dicam) ſecularitatis? Ecquis eandem apud ſeculare tribunal tractari vetat?

[g] *In præfat. ad declar. pro iure Reg. adu. Card. Perron.*

4 PHIL. Non eſt ſecularium Principum, & Parliamentorum leges de Epiſcopis deponendis condere, aut iſtiuſmodi pœnas irrogare.

ORTH. Nónne [h] Martianus Imperator deponendos eſſe ſtatuit, etiam rectè factos Epiſcopos, *ſi quid mutilare aut commouere, ex his quæ Chalcedone à ſancto & vniuerſali Concilio ſunt definita, tentauerim?* Nónne conſtituit [i] Iuſtinianus, *vt quæ ab Imperiali Maieſtate ſancita ſunt, & ſacrum ordinem ſtatúmque cuſtodiunt, ſecundùm ſacrarum regularum obſeruationem & tenorem, de cætero conſeruent perpetuò integra? Et ſanctiſſimi Patriarchæ vniuſcuiuſque diœceſeos, & Deo amabiles Metropolitani, & reliqui reuerendiſſimi Epiſcopi atque Clerici, vbique Dei cultum & ſacram diſciplinam, cuſtodientes inuiolatam, pœna imminente iſtâ præuaricanti, quòd penitus ſit alienus à Deo, & impoſito ſibi ſacerdotij ordine?* Nonne edicto ſuo ſanxit [k] Theodoſius Iunior, vt *omnes impiæ Neſtorianæ fidei æmuli, aut nefariæ eius Doctrinæ ſequaces, ſiquidem Epiſcopi eſſent aut Clerici, ab Eccleſijs ſacroſanctis eijcerentur?*

[h] *Epiſt. Epiſc. ad Leon. Imper. apud Bin. t. 2. p. 178.*
[i] *Nou. Conſt. 6.*
[k] *Euagr. l. 1. c. 12. ex cod. l. 1. t. 1. ſancimus.*

PHIL. Iſtas leges Imperiales de Epiſcopis deponendis non exequebantur Laici, perinde vt legem Elizabethæ Parliamentariam.

ORTH. [l] Gratianus Imperator contra Arianos legem tulit, cuius executionem celeberrimo temporis illius *duci Saporæ commiſit, iuſſitque præcones iſtius blaſphemiæ, quaſi feras beſtias, ſacris ædibus pelli, illáſque optimis Paſtoribus & diuino gregi reſtitui.* Si hoc Gratiani factum ſit probandum, quantò magis quod fecit Elizabetha? Siquidem Gratiani tempore magnus Epiſcoporum Orthodoxorum in Imperio vbique florebat numerus: atqui Eliza hoc fecit in defectu Epiſcoporum, vrgente neceſſitate. Nec tamen ducem miſit, qui vi & armis expelleret, vt Gratianus, ſed viros ſpectatiſſimos ac illuſtriſſimos, qui dictum primatus iuramentum illis placidè proponerent: ad quod ſuſcipiendum quum nullo modo adduci potuiſſent, Epiſcopatibus ſuis tandem aliquandò, iuxta legem Parliamentariam, ſunt abdicati.

[l] *Theod. l. 5. c. 2.*

5 PHIL. Gratianus Synodorum ſententias præeuntes, & viam ſibi

Digitized by Google

ſibi ſignantes ſecutus eſt; ac proinde & legem hac in cauſa ferre, & legis executionem Laico mandare potuit.

ORTH. Ita & Elizabetha, vt anteà oſtenſum eſt.

PHIL. *In hac reſponſione obſeruandum eſt* (teſte [m] Champnæo) *illud concedi, quod obiectio facta probare intendit, nimirum, Elizabetham Reginam, abſque ſynodali determinatione præuiâ, nullam legem, de rebus ad fidem vel religionem ſpectantibus, iure & legitimè condere potuiſſe, ac proinde leges omnes in Regno eius, contra Religionem Catholicam factas, non ſolùm iniuſtas & iniquas eſſe, ſed etiam nullas, vtpote à competenti poteſtate & authoritate non latas. Nulla enim ſynodus quicquam hactenus definiuit, quod huiuſmodi leges in minimo approbare poteſt.* [m] Champ.p.548.

ORTH. Nimis præproperè feſtinat Champnæus. Ego enim quod tam cupidè arripit non concedo. Id tantùm dico, nempe Elizabetham prælucentes ſynodorum habuiſſe ſententias, ac proinde & legem hac de re condere, & conditæ executionem laicis permittere potuiſſe, perinde ac fecit Gratianus; quod ſanè eſt veriſſimum. Cæterùm, deciſionem ſynodalem præuiam vſquè adeo eſſe neceſſariam, vt abſque ea iſtiuſmodi leges ferri nequeant, ego nunquam dixi, ne cogitaui quidem, immo contrarium ſatis conſtat. Quod enim Regij eſt officij, vel in Eccleſia reformanda, vel in pœnis infligendis, id Rex (ſi ita res ferat) etiam ſine ſynodo, ſumma cum laude præſtare poteſt. Quæris exempla? [n] Moſes vitulum aureum à ſummo pontifice conflatum, ſine ſacerdotum ſynodo comminuit; comminuendum enim eſſe ipſe ex verbo Dei didicerat. [o] Ioſias excelſa ſine ſacerdotum ſynodo eſt demolitus; demolienda enim eſſe ipſe eâdem ratione didicerat. Et vt hîc paululùm inſiſtat oratio. Quid? An hoc Ioſiæ facere non licuit, quia hoc faciendum eſſe nondum declaràſſet Eccleſia? Atqui propter hoc ipſum à Spiritu ſancto [p] laudatur. Porrò (vt optimè obſeruauit limato iudicio [q] Epiſcopus) *Regi ſemper, Eccleſiæ nunquam vitio datum legimus, quòd excelſa ſteterint. Regi igitur, ſiue declaret hoc Eccleſia, ſiue non declaret, etiam ante Eccleſiæ declarationem, id ex officio munus incumbit, déque eo neglecto rationem Deo eſt redditurus.* Et, vt à rebus ad perſonas veniam, idem Ioſias [r] *omnes ſacerdotes excelſorum,* non diuinitùs vocatos, ſed ex inſtitutione Ieroboami factos, ſine ſacerdotum Concilio *mactauit*; [s] atratos quoque ſacrificulos ſine ſimili concilio aboleuit; [t] omnéſque ſacerdotes qui in excelſis adolebant, à ſacro miniſterio ſunt abdicati; azymos tamen panes comedebant inter fratres ſuos. Denique vt rem acu tangam, *Nobis ſatis eſt* (vt verbis vtar eiuſdem eruditi [u] Epiſcopi) *quòd legitimus pontifex potuit iure deponi à Rege, nempe, Abiathar à Salomone, idque propriè, ſine omni concilio, vel legitimo vel illegitimo.* Quare hæc veſtrorum Epiſcoporum depoſitio iuſta ac legitima eſſe potuit, interim vt nulla præceſſerit ſynodus, vel Eccleſiæ declaratio.

[n] Exod.32.20.
[o] 2.Reg.23.8.
[p] 2.Reg.23.25.
[q] Tort.Torti. p.365.
[r] V.20.
[s] V.5.
[t] V.9.
[u] Tort.Torti. p.386.

6.

PHIL. [x] *Nullum iudicium iuſtum ac legitimum eſſe poteſt, niſi à Iudice competenti, hoc eſt, poteſtatem & authoritatem, tam in cauſam quàm* [x] Champ.p.556.

 in

in perſonas iudicatas habente proferatur. Sed Regina Elizabetha & eius Senatus, ſiue coniunctim ſiue ſeparatim conſiderentur, nullam legitimam poteſtatem in Epiſcoporum iſtorum perſonas & cauſam iudicatam habuerunt; ergo iudicium depriuationis contra eos, à Regina & eius Senatu latum, iuſtum & legitimum eſſe non potuit. Maior ex ſe nota, & expreſsè ab aduerſario noſtro traditur. Minorem iam probaba, his tamen (quæ adeo per ſe manifeſta ſunt vt probari non debeant) præſuppoſitis, nimirum, perſonas iudicatas Epiſcopos fuiſſe, cauſam verò ad fidem ac Religionem directè pertinere, Iudices autem Laicos fuiſſe.

ORTH. Ex his tribus, quæ ſupponis, cauſæ tuæ firmamentis, medium vacillat, vt paulò antè oſtendimus. Quod ipſum demonſtrâſſe, eſt rationes tuas ſuperſtructas confutâſſe. Verùm quia Champnæus argumenta ſua, quæ nondum nata erant, cùm liber meus in publicum prodibat, à me ideo diſſimulari clamitat, quòd nullam omninò reſponſionem admitterent, age, gratificemur homini, & hæc ipſa diſcutiamus. Cæterùm, cùm eius argumenta vel à Scripturis, vel à Patribus, vel ab Imperatoribus ſint petita, monendus es, nos anteà de Imperatoribus egiſſe; teſtimonia autem à Patribus deducta ventilauit doctiſſimus Nowellus, ad quem te remitto; reliqua à Scripturis hauſta iam propone.

y Champ.p.537. PHIL. y *Dico eos qui adeo in omnibus ad fidem & Religionem ſpectantibus, aliorum præceptores & Doctores à Deo conſtituuntur, non poſſe, in eiſdem rebus, eorum iudicio eſſe ſubiectos; quorum Magiſtri & Doctores ordinantur; aliàs enim diſcipulus eſſet ſuper magiſtrum ſuum, in illiſmet ipſis in quibus diſcipulus eius eſſe debet, tam contra lumen rationis, quàm*

z Mat.10.24. *Chriſti Domini doctrinam, qui docet* z *diſcipulum non eſſe ſuper magiſtrum: ſed Epiſcopi, & Paſtores Eccleſiæ à Deo conſtituuntur omnium Laicorum, ſiue Principes ſint, ſiue populi, in eis quæ ad fidem & Religionem ſpectant, præceptores & Doctores: ergo in rebus ad fidem ſpectantibus non poſſunt, Laicorum Iudicio, etiamſi Principes ſint, eſſe ſubiecti, ac proinde Principes temporales poteſtatem eos iudicandi in illis rebus habere non poſſunt: vndè tandem clarè concluditur, Reginam Elizabetham, vnà cum ſuo Senatu dictos Epiſcopos in cauſa præfata iudicare non potuiſſe.*

ORTH. Quamuis Epiſcoporum ſit tam Principes quàm populum in cauſis fidei docere, ad Principem tamen ſpectat curare, vt etiam Epiſcopi ſuo in docendo perfungantur officio. Quare ſi Epiſcopum Idolorum cultum, blaſphemiam, aut hæreſin docere contigerit, in eum pro qualitate delicti animaduertere poteſt Princeps, qui gladium non fruſtrà geſtat: perinde ac Ioſias in Sacerdotes, qui in excelſis adoleuerant.

PHIL. Punire poteſt fateor, ſed non iudicare. Clerici facinoroſi ab Eccleſia ſunt iudicandi, & tum demùm à Magiſtratu Laicali puniendi.

a 2.Reg.23.5. ORTH. a Ioſias Sacerdotes in excelſis immolantes puniuit, nullo præcedente Eccleſiæ iudicio.

PHIL. Hæc cauſa ſatis erat liquida, & dilucida. Excelſa enim

Digitized by Google

deſtruenda eſſe diſertè [b] mandârat Dominus. Sed multæ incidunt impeditæ atque tortuoſæ Religionis controuerſię, quæ Principum cognitionem fugiunt. Quomodo igitur iudicabunt quod ipſi non cognoſcunt? [b] *Num.33.52.*

Orth. Per idoneos ſcilicet cognitores. Sic [c] Ioſaphat delegauit Iudices ad res ſacras, & in his præſidere iuſſit Amariam Sacerdotem. Cæterùm hæc cauſa de qua agitur, Elizabethæ Reginæ & Conſiliarijs eius probè erat cognita, ex declaratione ſcilicet Eccleſiæ in duabus Synodis, vt anteà oſtenſum eſt. [c] *2.Chron.19.8.*

Phil. Tu verò preſſiùs & directiùs reſponde argumento.

Orth. Reſpondeo igitur Maiorem (quam [d] Champnæus præſupponit, tanquam per ſe & ex terminis ſuis notam) eſſe infirmam. [d] *P.538.*

Phil. Nónne Epiſcoporum eſt docere Principes in fidei myſterijs?

Orth. Concedo; ſed quid inde concludes?

Phil. Ergò non eſt Principum docere Epiſcopos, aut de iiſdem iudicare.

Orth. Principum eſt non tam docere, quàm iubere. Quanquam non deſunt Principes qui multis Epiſcopis doctrina præcellant. Verùm eſto; non ſit Principum docere more Epiſcopali, nihil tamen impedit quin doceant ſuo modo, id eſt, Regali. Nam qui legem ſalutarem ſancit, is quid faciendum ſit, docet; docet (inquam) omnes ſuos ſubditos, etiam Epiſcopos, eóſque, ſi fortè in huiuſmodi legem incurrant, iuxta eandem iudicare poteſt.

Phil. Si Regis iudicio in cauſa Eccleſiaſtica ſubijciantur Epiſcopi, diſcipulus erit ſuper magiſtrum, in illis ipſis rebus in quibus eius diſcipulus eſſe debet.

Orth. In illis ipſis, quanquam nòn eâdem ratione. Epiſcopus, quatenus Regem ſancta docet, dicatur, ſi placet, Rege ipſo hoc reſpectu ſuperior, ſcilicet, docendi munere. Rex, quatenus hanc doctrinam pijs legibus ſancit, eſt Epiſcopis ſuperior, poteſtate ſcilicet.

Phil. [e] *Sol ſupra Lunam exiſtens, illi ſubeſſe nequit.*

Orth. Supra & infra in cœleſtibus corporibus dicuntur, vel reſpectu Centri, vel reſpectu Horizontis. Si ſpectemus Centrum vniuerſi, id erit ſuperius quod longiùs diſtat à Centro; & hoc ſenſu Sol ſemper eſt ſuper Lunam. Sin Horizontem ſpectemus, ſupra & infra conſiderari poſſunt vel in eodem hæmiſphærio, vel in diuerſis: ſi in eodem, illud eſt ſuperius quod longiùs ab Horizonte eleuatur, & propius ad Zeneth vel punctum verticale accedit; & ſic Luna aliquando eſt ſuper Solem. Si in diuerſis, illud eſt ſuperius, quod eſt in ſuperiori hemiſphærio, inferius, quod in inferiori: & ſic quoque Luna aliquando eſt ſuper Solem. Vides igitur idem eodem, diuerſo reſpectu, & ſuperius eſſe poſſe, & inferius. Hactenus de maiori. [e] *Champ.p.540.*

Digitized by Google

f Champ. p. 538. g Mat. 28. 19. PHIL. f *Reſtat minor propoſitio probanda, quæ ex his expreßis Domini noſtri verbis manifeſtè conuincitur.* g *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, &c. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis; & ecce, ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Poſtrema hæc verba declarant poteſtatem hic à Domino traditam, omnes omninò gentes, cuiuſcunque gradus & qualitatis, omnia ad fidem & ſalutem neceſſaria docendi, non ſolis Apoſtolis communicandam fore, quia illi vſque ad finem ſeculi non eſſent in hoc mundo permanſuri, ſed illis etiam omnibus qui in Paſtorali officio Apoſtolis ſuccedere deberent, quales ſunt Epiſcopi.*

h Champ. edit. Angl. p. 211. ORTH. Hæc ſunt veriſſima, ſed nos non feriunt. At h *hæc* (inquis) *propoſitio præcipuè eſt probanda.* Sed heus (mi homo) ecquis noſtrûm hanc vnquam negauit? Ita Champnæus ad pulchrum nos inuitat ſpectaculum, ſeipſum ſcilicet cum vmbra ſua dimicantem. Sed pergat ineptire.

PHIL. Eadem veritas, ſimul etiam cum priori illa propoſitione, *Quòd Epiſcopi & Paſtores, in rebus fidei, per ſeculares iudicari nequeant, ex alio Chriſti Domini teſtimonio probatur, quo paſtoribus & prædicatoribus, à ſe in mundum miſsis, ait;* i Luk. 10. 10. i *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit. Vndè ita infertur; Qui vos, in eis quæ ad fidem (quam ego vobis prædicandi poteſtatem dedi) ſpectant, iudicat, me quoque iudicat.*

ORTH. Qui Chriſti Miniſtros, ea docentes quæ mandauit Chriſtus, audit, ſpernit, iudicat, is Chriſtum, in Miniſtris ſuis loquentem, audit, ſpernit, iudicat. Verùm quid hoc ad inſtitutum? Præſules enim Pontificij non ideo in iudicium vocati ſunt, quia Chriſti Domini mandata prædicabant, ſed quia Chriſti Domini officia debita præſtare noluerunt.

k Champ. ibid. l Heb. 13. 17. PHIL. k *Idem quoque ex Apoſtoli expreſſa doctrina adhuc clariùs conuincitur;* l *Obedite, inquit, præpoſitis veſtris.*

ORTH. Paſtores à Spiritu ſancto dicuntur prępoſiti, quia à Domino Ieſu, & gregibus & regibus verbo vitæ paſcendis præponuntur. His igitur tam Principem, quàm populum obedire par eſt, modò tales ſint, quales paulò antè deſcripſit Spiritus ſanctus, cum dixit, m *Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt Verbum Dei.* Sin (vt rectè monet n Chryſoſtomus) dogma aliquod fidei peruerterint, etiamſi Angeli ſint, obedire noli. Et rurſus: *Ne Paulo quidem obedire oportet, ſi quid dixerit proprium, ſi quid humanum.*
m V. 7. n In 2. ad Tim. c. 1. homil. 2.

PHIL. Apoſtolus non ſolùm dicit, *Obedite præpoſitis veſtris*, ſed etiam, *Subiacete eis; ipſi enim peruigilant, quaſi de animabus veſtris rationem reddituri.*

o Reſp. ad apolog. Cont. Bell. c. 2. in fine. ORTH. Reſpondeo cum clariſſimo o Epiſcopo: *Illud tuum (& ſubiacete illis) malè ominata vox, quaſi ſi iaceret Fredericus ſub Alexandro Tertio. Neſcit verò* (Bellarminus) *vnde in textum irrepſerit: ὑπείκειν enim ſubiacere non eſt: vos feciſtis vt eſſet, non credo vt Cæſari quæ Cæſaris ſunt redderetis, ſed quod ita miſerè cupitis ſubiacere etiam pedibus Papæ Cæſares ipſos. Meritò ergo (præter veſtrum) interpretes omnes id verbum*

Digitized by Google

bum expunxerunt, nos quoque expungimus. Et [illegible] *volunt Principes, etiam* [illegible] *præpoſitis, id eſt, nimirum perſuaderi ſibi ab illis ratione: ſin ea non vſque ſuppetat, ſaltem authoritati cedere: non proſternere ſe tamen, & vel imminere ſibi pontificem, vel ipſi ſic Pontifici ſubiacere.*

PHIL. [p] *Apoſtolus docet,* [q] *Deum poſuiſſe Epiſcopos regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Quomodo ergo poſſunt ipſi ab eis iudicari, qui ſunt, vel ſaltem deberent eſſe membra illius Eccleſiæ, cuius ipſi Rectores à Deo ipſo conſtituuntur.* [p] *Champ. p. 540.* [q] *Act. 20. 28.*

ORTH. Spiritus ſanctus hoc in loco non dixit regere, ſed paſcere. Sed vel regant Epiſcopi, modò paſcendo regant. Paſcant verbo, paſcant Sacramentis, paſcant ligando, paſcant ſoluendo. Sed paſcunt quoque & Reges quo dixi modo, & verè ſunt paſtores, atque etiam Religionis rectores, quo ſenſu Carolus & Ludouicus. Rex igitur, quatenus ouis, ab Epiſcopo paſcitur; quatenus Paſtor & Rector, Epiſcopum, tanquam ouem, paſcere, regere, iudicare poteſt; ſiue per ſe, vt Ioſias, ſiue per idoneos cognitores, vt Ioſaphat. Hactenùs teſtimonia Champnæana ex Scripturis deſumpta librauimus; in quibus omnibus contra nos vrgendis ſupponit cauſam, de qua poſtulati ſunt Epiſcopi, eſſe ſpiritualem. Quæro igitur, fueritne hæc cauſa ſimpliciter ſpiritualis, an ex parte tantùm? Si dicat ſimpliciter, hoc falſum eſſe [r] demonſtrauimus: ſin ex parte tantùm, ergo ex parte erat ciuilis, & hactenùs ſine controuerſiâ à Laicis tractari potuit. Sed de veteribus Epiſcopis hæc dicta ſunto; nunc noui nobis ſunt ſalutandi. [r] *Huius cap. ſ. 3.*

Ratio promouendi Epiſcopos in Anglia.

Cap. VII.

Obiectiones generales contra Epiſcopos, ſub initio Regni Elizabethæ Reginæ creatos, repelluntur.

5. Partes
- *Obiectio Papiſtarum; Epiſcopos noſtros eſſe* { *Reginales* / *Parliamentorias* } 1
- *Reſpondetur in*
  - *genere, expoſitâ ratione creandorum Epiſcoporum.* 2
  - *ſpecie, de*
    - *Reginæ diſpenſatione, diplomatis olim interſertâ.* 3
    - *Parliamento, octauo Elizabethæ habito.* 4
- *Hîc obiter de proditione pulueraria.* 5

Phil.

N*Oni fucati Epiſcopi Parliamentarij* (inquit [a] Scultingius) *non à legitima conſecratione, aut inauguratione Catholica, ſed à Regina, & Parliamentis ſuam authoritatem ementitam deriuant.* Non immeritò igitur à Sandero appellantur Prælati [b] *Reginales*, & [c] *Parliamentarij*. Etenim *in Anglia Rex* (vt refert [d] Briſtous) *immò & Regina, dat ſua diplomata quibus vult, & ipſi deinceps ſe gerunt pro Epiſcopis, & miniſtros incipiunt ordinare.* Hinc iure dixit Cardinalis [e] Bellarminus, regnante Elizabethâ, *Mulierem quandam in Anglia ſummum fuiſſe pontificem.*

[a] *Biblio. b. Cathol. l. 5. p. 106.*
[b] *De ſchiſm. p. 297.*
[c] *P. 298.*
[d] *Motiu. antiher. p. 264.*
[e] *Bell. de notis eccl. l. 4. c. 9. §. 4. Populani heretici, &c.*

2 Orth. Iſti petulantes & proiecti pudoris Papiſtæ ſtrenuè vociferantur, Eccleſiæ Anglicanæ Epiſcopos, non ab Epiſcopis, ſed à Regibus & Reginis ſacros ordines deducere. O grande commentum, & immanem calumniam! Reges enim noſtri id duntaxat quod Regum eſt, Epiſcopi quod Epiſcoporum, eſt faciunt. Quoties enim Epiſcopatum aliquem aut Archiepiſcopatum vacare contingit, toties [f] Rex eligendi facultatẽ (vulgò congé d'eſlere) magno Angliæ ſigillo munitã, eiuſdẽ Eccleſię Decano & capitulo concedit, vnáq; in miſſiuis, quas vocant, literis perſonæ eligendæ nomen exprimit.

[f] *Vid. 25. H. 8. c. 20.*

Digitized by Google

mit. Deindè Electores electionem ritè peractam, Regiæ Maieſtati ſub ſigillo ſuo communi ſignificant, ſuppliciter rogantes, vt eidem aſſenſum ſuum Regium præbere dignaretur. Rex electioni aſſentiens, perſonámque electam Archiepiſcopo & Epiſcopis præſentans, electionem confirmandi, electúmque inueſtiendi veniam largitur, & vt hæc ritè, debitíſque adhibitis cæremonijs, aliíſque rebus requiſitis peragantur, authoritate ſuâ Regiâ mandat & imperat. Poſt hæc Archiepiſcopus, & Epiſcopi, maiorum ſuorum veſtigijs inſiſtentes, omnes & ſingulos, qui quiduis aut contra eligendi formulam, aut contra perſonam electam, in genere vel in ſpecie, obtendere aut obijcere poſſunt, publicè & peremptoriè citandos curant, vt coram illis in perſonis proprijs compareant. Vbi autem tam de electionis validitate, quàm de electi doctrina & probitate actis publicis ſolenniter, & pro tribunali conſtiterit, tum demùm ſequitur conſecratio, quæ à legitimorum Epiſcoporum legitimo numero, ſecundùm antiquorum Canonum præſcripta, celebratur. Hæc eſt in Anglia ſolennis, & perpetua Epiſcoporum creandorum ratio.

PHIL. Hæc ſi ita ſe habeant, quam cauſam aſſignare poteris, quæ Reginam impelleret, vt literis ſuis patentibus ad Epiſcopos de nouis Epiſcopis conſecrandis, voces quaſdam & clauſulas generales intertexeret, quibus ſe [g] *cum quauis cauſa, aut ſuſpicione cuiuſuis defectus, aut inhabilitatus, quæ quouis modo contra eorum conſecrationes obtendi poterat, ſupremâ ſuâ authoritate diſpenſaturam* profitetur, vti ex actis Parliamentarijs conſtat, quæ ad eaſdem literas patentes in Archiuis repoſitas lectorem remittunt. [g] Octau. Eliȝab. cap. 1.

ORTH. Si Regina ſua ad Epiſcopos miſit diplomata, ergo erant Epiſcopi ad quos mitteret: ſi de nouis conſecrandis, ergo ipſa non ſacrauit, ſed ab Epiſcopis ſacrandos curauit.

PHIL. De clauſula autem diſpenſatoria quid reſpondes? Námque in Parkeri, aliorúmque, qui primo Elizabethæ ſeptennio facti ſunt Epiſcopi, creatione fuit interſerta.

ORTH. Verba in diplomate Regio ſic ſe habent: [h] *Supplentes nihilominùs ſupremâ authoritate noſtrâ Regiâ, ex mero motu & certa ſcientia noſtris, ſi quid aut in hijs, quæ iuxta mandatum noſtrum prædictum per vos fient, aut in vobis aut veſtrum aliquo, conditione, ſtatu, facultate veſtris ad præmiſſa perficienda deſit, aut deerit, eorum quæ per Statuta huius Regni, aut per Leges Eccleſiaſticas in hac parte requiruntur, aut neceſſaria ſunt, temporis ratione, aut rerum neceſſitate ſic poſtulante.* Huiuſmodi fuit adiecta clauſula, cuius complures rationes Regina apud ſe Regio pectore reconditas habere potuit, quas tu & ego, Philodoxe, aſſequi non valemus. Verùm, ſi mihi in rebus tam altis & arduis coniecturam facere liceret, putarem profectò hoc feciſſe prudentiſſimam Reginam ad maiorem cautelam. Non deerant enim maleuoli Papiſtæ, qui ſtatum Clericorum obliquè intuentes, vel minimam labeculam in eorum vultu curioſè erant obſeruaturi. [h] Reg. Park. t. 1 fol. 3.

Digitized by Google

Vnde ſereniſſima Regina, vt omnem calumniandi anſam præcidere, ipſique inuidiæ os obſtruere ac obturare poſſet, non ſolùm ſtudioſè operam dabat, vt ſingula ad ordinationes requiſita & neceſſaria, tam accuratâ diligentiâ ſub ſuo Regno perficerentur, ac vnquam anteà, verùm etiam vt omnibus & ſingulis (quoad fieri potuit) abundè ſatisfieret, vt omnis dubitandi cauſa, omnis ſcrupulus, & ambiguitas penitùs eximeretur, vt ne tantilla vel minimæ labeculæ ſuſpicio viris Eccleſiaſticis adhæreſceret, diſpenſare dignata eſt, ſi quid fortè Lynceis oculis inuidia, alicuius Statuti vel Canonis violati prætextu, poſſit obtendere.

PHIL. Hem, quid audio? Vos Pontificis Maximi diſpenſationes dente canino ſoletis arrodere, & iam nihil pudet in actis Parliamentarijs Laicali Magiſtratui, Reginæ, fœminæ, diſpenſandi facultatem tranſcribere? Diſpenſandi (inquam) *cum quauis cauſa aut ſuſpicione vllius defectus, aut inhabilitatis* quæ incidere poterant, ídque in ſacris ordinibus?

ORTH. Papa aliquando diſpenſat nimiùm papaliter, etiam contra Verbum Dei, ſed non perinde Elizabetha. Suas tantùm leges relaxauit; cum tranſgreſſionibus contra leges ſuas diſpenſauit; quod Deus fixit nunquam refigere aut reſcindere eſt molita. Hæc enim diſpenſatio ordinis eſſentiam non attingit, ſed ſola accidentia; non penetrat ad ſubſtantiam, ſed in eis quæ circumſtant, id eſt, in ritibus externis ad decorum ſpectantibus, ſubſiſtit. In his ſi quis fortè *temporis ratione, aut rerum neceſſitate ſic poſtulante*, delinqueret, (nam Eccleſia ex ardente perſecutionis flammâ vix dùm euaſerat) hîc clementiſſima Princeps authoritate Regiâ ſuccurrere, veniam dare, pœnas legibus irrogandas remittere.

PHIL. Ergo leges ſunt violatæ; & (vt conſtat ex decreto Parliamentario) *defectus erat, & inhabilitas.* In re defectus, inhabilitas in perſonis. Id quod tu ipſe concedere videris, dicendo, Reginam cum tranſgreſſionibus contra leges ſuas diſpenſâſſe. Hîc enim obſeruare debes diſpenſationem iſtam non fuiſſe conceſſam ad præcludendas [i] Papiſtarum calumnias, ſed ob aliquam veram ac realem occaſionem.

[i] *Champ. p. 454.*

ORTH. Non ſequitur. Hæc enim intelligenda ſunt hypotheticè, non categoricè.

PHIL. Si nulla legum violatio, quorſum igitur diſpenſatio?

ORTH. Quos Pontifex Maximus dignitate ornat præſulari, eoſdem [k] *à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis cenſuris, & pœnis, à iure, vel ab homine, quâuis occaſione vel cauſâ, latis*, Bulla ſua Pontificia ſolet abſoluere. Quid? Num omnes, quos Papa ad Epiſcopatus promouet, cenſuris ſunt irretiti? Sin minùs, quid opus eſt abſolutione? Quomodo ſoluentur qui ligati non erant?

[k] *Vid. bullas pro Crammero, l. 2. c. 7.*

PHIL. Pontifex præſules creandos abſoluit, non ſimpliciter, &

& categoricè (neque enim ſemper conſtat de vlla illis irrogata cenſura) ſed hypotheticè tantùm, ſcilicet ſub hâc conditione, ſi fortè innodati fuerint. Quaproptèr ex hac abſolutione conditionali, cenſuris illaqueatos fuiſſe non licet concludere. Veruntamèn cùm fieri poſſet vt nonnulli his ſe laqueis induerint, idcircò Papa hoc conditionale remedium omnibus indefinitè accommodat. Nec Papa ſolùm, ſed & quilibet omninò Epiſcopus in noſtra Eccleſia, omnes ordinandos ab omni excommunicationis vinculo publicè abſoluit, vt patet ex [l] pontificali, non quaſi conſtaret de cenſura, ſed quia fieri poteſt vt cenſuris implicentur. [l] Pontifical. ludg. 1511. fol. 3. col. 1.

Orth. Pari modo tibi per omnia reſpondeo. Regina pœnas legibus ſuis infligendas Epiſcopis relaxauit, non quidem ſimpliciter, (nam de vllo delicto non conſtabat) ſed ſub hac conditione, ſi quid fortè, vrgente neceſſitate, delinquerent. Quapropter ex hac diſpenſandi formula hypothetica aliquem reſpsâ contigiſſe defectum non potes inferre categoricè. Cæterùm, cùm nonnihil metus eſſet & periculi, ne in tantis Reipublicæ & Eccleſiæ procellis, cogente neceſſitate, impingerent, idcirco prudentiſſima Regina hoc conditionale omnibus indefinitè adhibuit pharmacum.

Phil. [m] *Quòd aliquis fuerit in his hominibus verus atque realis defectus, vel incapacitas, diſpenſatione neceſſariè indigens, ex ipſius Reginæ verbis (quibus, cum omnibus cauſis, cuiuſcunque imperfectionis, vel inhabilitatis diſpenſat) ſatis conſtat. Nullus enim prudens, diſpenſandi poteſtatem habens, cauſis imaginarijs, vel merè poſſibilibus, indeterminatè & illimitatè diſpenſationem impendit. Ita enim & ſeipſum ludibrio exponeret, & poteſtate ſuâ turpiter abuteretur.* [m] Champ. p. 449.

Orth. Siccine verò? Ergo in Eccleſia Romana Pontifex in creandis Epiſcopis, & Epiſcopi in Diaconis ac Presbyteris ordinandis ſe ludibrio exponunt, & poteſtate ſuâ turpiter abutuntur. Nam ordinandos ab omni excommunicationis vinculo abſoluunt, vt ex Pontificali iam monuiſti.

Phil. [n] *Si nulla illis ineſſet vera diſpenſandi occaſio, omninò ſuperflua & otioſa fuiſſet talis diſpenſatio.* [n] Ibid.

Orth. Si nulla veſtris ineſſet vera abſoluendi occaſio, omninò ſuperflua & otioſa eſſet talis abſolutio.

Phil. Immò abſolutio, quam dicis, fit ad cautelam, vt eodem in loco diſertè teſtatur Pontificale.

Orth. Et eundem in finem adhibitam fuiſſe diſpenſationem res ipſa loquitur.

Phil. [o] *Si dicatur Reginam ſufficientem diſpenſandi cum illis poteſtatem habuiſſe, proferatur aliquod illius poteſtatis fundamentum, ſi non ex Scriptura ſacra, ſaltem ex Concilijs, aut patribus, aut vno aliquo approbato exemplo in toto mille & quingentorum annorum curriculo.* [o] Champ. p. 451.

Orth. Nónne Principis eſt legum ſuarum rigorem, vbi

res

Digitized by Google

res poſtulat emollire? Non magno opinor opus eſt molimine ad hoc probandum.

PHIL. Suarum? Fateor. Sed quid Principi cum Canone Eccleſiaſtico?

ORTH. Canon, niſi euadat in legem, cogendi vim non habet: lex autem eſſe non poteſt, niſi accedente authoritate [p] Regia. Canonum igitur (quatenus ſunt leges Principis Eccleſiaſticæ, ſubditum cogentes) ſummum ius, rigorem & duritiem moderari ſpectat ad officium Principis. Quamobrem hæc, quam tantoperè vellicas, diſpenſatio, nullum ſacrorum ordinum defectum, ac inualiditatem, ſed Religioſæ Principis ſummum zelum & ſingularem pietatem arguit. Hactenùs optimæ Elizabethæ pium ſtudium & ſanctam ſolicitudinem vidimus. Nunc, ſi rerum ipſarum euentus perpendamus, Deo Opt. Max. gratias agere oportet, cuius ſapientia à fine pertingit ad finem, & omnia diſponit ſuauiter. Cuncta enim ad ordines conferendos ſpectantia (ita diuino viſum eſt numini) tam honeſtè, decorè, & canonicè geſta ſunt, vt nihil ſuprà. Papiſtæ tamen (tanto in miniſterium noſtrum flagrabant odio) contrarium in vulgus ſpargere non deſtiterunt. Vndè omnes Regni ordines, octauo Elizabethæ conuolantes, cum vniuerſa & ſingula limati iudicij lance & trutina accuratè appendiſſet, hos rumores contumelioſos eſſe, & nullo fundamento nixos pronunciarunt. Ita (benedictum ſit nomen Domini) omnia, vel à primo Elizabethæ ingreſſu, ſummâ cum laude ſunt peracta.

[p] vid. Nouel. 131.

PHIL. Miſſâ igitur diſpenſatione, ego antiſtites veſtros à Comitijs Parliamentarijs poteſtatem ſuam accepiſſe clariſſimè euincam: Nam [q] *cum omni legitima ordinatione deſtituti vulgò dicerentur, & ipſis legibus Anglicanis verè probarentur non eſſe Epiſcopi, brachium ſeculare inuocare coacti ſunt, vt Laici Magiſtratus confirmationem in futuris Comitijs acciperent, cuius authoritate ſi quid minus ritè, nec ad præſcriptum legis in priori inauguratione geſtum eſſe, aut omiſſum, ipſis condonaretur, idque poſtquam Epiſcopali officio & Cathedrâ, abſque vlla conſecratione aliquot annos functi fuiſſent; hinc nomen poſitum, vt Parliamentarij Epiſcopi dicerentur.*

[q] Sand. de Schiſ. l. 3. p. 291.

ORTH. Comitia quæ narras, habita ſunt anno Elizabethæ octauo: in quibus [r] primò, nimia quorundam retunditur audacia, & petulantia, qui totum Angliæ clerum calumnijs & conuitijs inſectati ſunt, in dubium vocantes an eorum ordinatio & conſecratio eſſet legitima. Secundò, leges quæ de ordinatione loquuntur, recitantur. Tertiò, omnia ad ordinationem neceſſaria, & legibus requiſita, tam accuratè ſub Elizabetha, ac ſub vllo vnquam Principe, obſeruata fuiſſe aſſeritur. Quartò, liber Precationum publicarum, cum forma ordinandi miniſtros annexa, denuò confirmatur. Denique quotquot ſecundùm illam formam in Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, Verbi & Sacramentorum Miniſtros, aut Diaconos, vel iam ordinati aut conſecrati

[r] 8. Eliz. c. 1.

Digitized by Google

ſecrati eſſent,vel in poſterum ordinari & conſecrari contingeret, illos omnes veros fuiſſe Archiepiſcopos, Epiſcopos, Presbyteros, Miniſtros, & Diaconos ritè ordinatos,conſecratos,& factos, & tales eſſe huius Parliamenti authoritate declaratur & ſancitur, vllo Satuto, Lege, Canone, aut aliâ re quâcunque in contrarium non obſtante. Et omninò liquidò oſtendunt comitia Parliamentaria non conſecrâſſe,ordinâſſe,vel conſtituiſſe Epiſcopos,aut Miniſtros, ſed iam ſecundùm leges Eccleſiæ legitimè conſecratos,& ritè ordinatos,ac conſtitutos,pro talibus habendos eſſe declarâſſe, confirmâſſe,promulgâſſe.

PHIL. [t] Hæc vltima verba clarè indicant iſtud decretum ordinum, non declarare tantùm ordinationes iſtas validas eſſe(tametſi hoc etiam illius curiæ, quæ temporalis eſt, poteſtatem longiſſimè excedat) ſed etiam conſtituere, & (ſi poſſet) illas validas facere. [t] Champ.p.443.

ORTH. Verba Sole ipſo ſunt clariora,quæ nullis Sophiſtarum machinis infringi poſſunt.

PHIL. [t] *Si illud Eduardi ſexti conſultum, quo nouam ordinandi formam, per ſex Prælatos, atque ſex alios in lege diuina doctos, excogitandam ſtatuit, atque iſtud ordinum decretum, octauo Elizabethæ editum, quo ea forma inualuiſſe videtur, tollamus, non video vnde, vel à quo inſtitutore Maſonus ordinationes ſuas deriuare, vel quâ authoritate diuinâ aut humanâ illas validas legitimáſque probare, & confirmare poſſet.* [t] P.444.

ORTH. De iſto ſatis ſupérque reſponſum eſt. Illud autem Eduardi conſultum ſuſtulit quidem Regina Maria; noſtri tamen præſules, Eduardi tempore prouecti, veri nihiloſeciùs ac legitimi erant Epiſcopi: quippe qui ritè electi, confirmati, & conſecrati. Quod pontificij cùm idoneis argumentis infringere nequeant, miſeri homunculi ad calumnias confugiunt, &,ira ebulliente, Religionem quam profitemur Parliamentariam,& Epiſcopos itidem noſtros Parliamentarios appellant.

PHIL. Quandoquidem Parliamentis tantum tribuitis, vt horum authoritate tota cauſa veſtra niti videatur, [u] *nobis vitio verti non debet, ſi fidem veſtram Parliamentariam, Religionem Parliamentariam, Euangelium quoque veſtrum Parliamentarium vocitemus.* [u] Hard.confut. apol.part.6.

ORTH. Mirari ſubit cur non etiam Deum nobis & Chriſtum Parliamentarium obijciatis. Nónne nobis perinde aſſerere liceret temporibus Marianis habuiſſe vos Miſſam Parliamentariam,& Parliamentarium Papam? Num Reginæ Mariæ cum Parliamento ſuo licuit Regnum Papæ, & eius decretalibus ſubijcere, Elizabethæ verò,& Regni ordinibus in Parliamento confluentibus,ſeipſos Chriſto & Euangelio ſubmittere non licuit?

PHIL. [x] *Vbique ineptus es,& inſulſus.* [x] Champ.p.445.

ORTH. Videamus igitur quàm tu ſapiens,& ſale conditus.

PHIL.

y Ibid. **Phil.** [y] ***Quis neſcit Miſſam,& authoritatem Papæ, non in Anglia tantùm,ſed per totum orbem, multa ſecula antè Mariæ Reginæ Regnum,receptæ eſſe?***

Phil. Primò,an authoritas Papæ totum peruaſit orbem? Tu nimis redundantia loqueris, quæ nos anteà eliſimus, & contriuimus. Secundò,nec miſſa quidem,qualis iam eſt, per multa ſecula in Anglia viguit. Apud Saxones noſtros non obtinuiſſe ſacrificium veſtrum tranſubſtantiatum ex homilia Paſchali Saxonicâ ſatis elucet.

z Ibid. **Phil.** [z] *Ordinationes iſtæ, de quibus hic eſt ſermo,nullibi antè Eduardi ſexti Regnum in toto mundo extiterunt.*

Orth. In ordinationibus duo ſpectanda ſunt; neceſſaria, & adiaphora. Quæcunque in ordinationibus iſtis ſunt ſimpliciter neceſſaria,ea omnia nobis cum maioribus ſunt communia. In adiaphoris autem quanta apud vos ipſos non ita pridem fuerit diſcre-
a L.2.c.15.n.10. pantia, Auguſtini Patritij,Epiſcopi Pientini,verba [a] ſuperiùs citata ſatis loquuntur.

b Champ.p.447. **Phil.** [b] *Neque Miſſa,neque ſummi pontificis authoritas inſtituta fuit per decretum aliquod Parliamentariũ,vt ordinationis nouæ forma;& conſequenter neque per decretum Parliamenti in nihilum redigi poſſunt,vt illa. Ex quibus omnibus clarè conſtat,quòd, tametſi hodierni Angliæ Epiſcopi iuſtè rectéque Parliamentarij dici poſſunt,vtpote à Parliamento inſtituti,& conſequenter quòd veri Epiſcopi non ſunt,quia poteſtatem creandi vel inſtituendi Epiſcopos Parliamento competere non poſſe omnes norunt, nihilominùs Miſſam,vel poteſtatem Papalem non niſi inſulſiſſimè,Parliamentariam dici poſſe.*

Orth. Epiſcopos noſtros Parliamentum non creauit,aut inſtituit, (vt Champnæus ſplendidè mentitur) ſed,vt ex ipſo Statuto Parliamentario liquere dixi,pro veris agnouit,taléſque eſſe declarauit & confirmauit; ac proinde Miſſa veſtra, Papatus, & tota Religio pontificia perinde Parliamentaria dici poſſunt,ac noſtri Epiſcopi.

5 Cæterùm,quam immani in Principes,& Parliamenta noſtra,ob eiectum pontificem,& erectum Euangelium, flagretis odio,res ipſa docet. Nec perſonas modò, ſed vel ipſa tecta, in quibus Ieſu Chriſti vexillum tam glorioſè exaltatum fuit,odio proſequimini. Doctus quidam de Gallorum gente hiſtoricus,de Laniena illa Pa-
c Thuanus hiſt. l.54 an.1572. append. riſienſi verba faciens,ita inquit: [c] *Viri ſanè prudentes,qui à Proteſtantibus non ſtabant, ingenia ſua in omnem partem verſantes,vt hoc facinus quoquo modo palliare poſſint,in ea tamen fuerunt ſententia, præterita tempora,ſi ab vltima antiquitate,memoriâ recolantur, tam immanis crudelitatis exemplum non ſuppeditare.* Anglo-Papiſtarum tamen Laniena puluerariá tot paraſangis illam Pariſienſem ſuperat, vt nihil huic par ſit,nihil ſecundum. Hoc Anglo-Papiſticæ crudelitatis ſingulare exemplum ita omnes omnium immanitates tranſcendit, vt ipſi,quotquot vſpiam ſunt, Dæmones in auerno conueniſſe videri poſſint,

Digitized by Google

poſſint, & iſtiuſmodi machinationem Tartaream,& Acheronticam excogitâſſe,qualis ab orbe condito audita non fuit. Sed Deus Opt.Max.rem totam adeò miraculosè patefecit,ac ſi auis cœlorum pertuliſſet vocem,& Dominus alarum indicâſſet verba. Illis verò,quorum opera hac in re vſus eſt Satanas, oculos effoderunt corui vallis,& comederunt Aquilarum filij. Quamobrem, ſi nobis pro Religionis veritate diſputantibus non credideris, Deo tamen ipſi crede, Principem, Proceres, Eccleſiam, miniſterium, Rem-publicam, & ipſum tectum, in quo Euangelij erectum eſt trophæum, ipſis dæmonibus reluctantibus,perrectâ dextrâ,& excelſo brachio potenter propugnanti. Pro qua ineffabili in nos miſericordia, tibi (Domine) gloriam tribuimus; pergas autem (humiliter rogamus) nos ſub alarum tuarum vmbra vſque protegere, vt Iſrael in te lætari, & ſeruus tuus Iacob exultare poſſit.

Digitized by Google

Fabula de Capite Manni.

Cap. VIII.

De Reuerendiſſimo Patre Mathæo Parkero, olim Archiepiſcopo Cantuarienſi, & primùm de loco vbi ſocratus erat.

Hic autem locus non erat Taberna ad inſigne capitis *Manni; vulgò, *The Nags-head in Cheapeſide*, vt Papiſtæ ſplendidè mentiuntur, ſed Capella Lambethana.

* Mannus equus breuior. Iſid. Orig. l. 12. c. 1.

Hæc fabula
- *Proponitur breuiter ex Doctore Kelliſono.* 1
- *Regeritur factum non diſſimile in aduerſarios ipſos.* 2
- *Refellitur*
  - *Probando ipſam veritatem ex*
    - *Archiuis authenticis.* 3
    - *Statuto Parliamentario.* 4
    - *Teſtimonio heroico.* 5
  - *Examinando*
    - *Teſtimonium*
      - *Theologorum*
        - *Secundarium.* 6
        - *Primarium, nempe Tho. Neali, qui huius mendacij erat artifex.* 7
      - *Iohannis Stowi, idq; duplex*
        - *Mutum.* 8
        - *Vocale.* 9
    - *Cauſas quas fingunt huius loci eligendi.* 10
    - *Circumſtantias tum*
      - *Perſonarum.* 11
      - *Temporum.* 12

Phil.

SI veſtrorum vocationem tueri poteris ac defendere, age, eorum conſecrationes (Nam veritas angulos & latebras non quærit) profer in medium, & in luce meridiana conſtitue, vt toti terrarum orbi inclareſcant. A Matthæo autem Parkero (vt par eſt) ducatur exordium, qui primus, regnante Elizabetha, Archiepiſcopi Cantuarienſis nomen gerebat.

Orth.

Digitized by Google

Orth. Quid? An nudum duntaxat nomen? Hoc ſcomma, faſtidio & ſupercilio plenum, Nicolao Sandero ſuam debet originem, qui librum, cui titulus erat [b] *Petra Eccleſiæ*, Reuerendiſſimo huic Archiepiſcopo, ſine omni reuerentia, immò ſummo cum contemptu atque irriſione hunc in modum dicauit: *Viro valde venerabili, Domino Doctori Parkero, Archiepiſcopi Cantuarienſis nomen gerenti.* Quaſi verò noſtri præſules re ipſâ Epiſcopi non eſſent, ſed nomine tantùm, & titulo tenùs. Perge igitur; ſi quid habes quo eum aſpergas, audiamus.

Phil. Hoc ergo primùm mihi expedias velim, quod ſanè perquam libenter à te ediſcerem, nempe quanam in Eccleſia, aut ſacello inauguratus fuerit. Maximum quendam in domo [c] choraulæ ſacratum legimus. Videtur autem Maximus veſter Parkerus in hoſpitio, ſeu Taberna, hunc honorem conſecutus. Refert enim eximius Doctor Kelliſonus, [d] *Audiuiſſe ſe nonnullos* (ſine dubio ſpectatæ fidei viros) *credibiliter narrantes, aliquot ex nouis veſtris ſuperintendentibus Londini, in platea* Cheapſide, *ad inſigne capitis Manni, vulgò,* The Nags-head, *Epiſcopos eſſe conſtitutos.* O dignum ſanè tali conſecratione ſacellum! Ex quo numero fuiſſe Matthæum Parkerum, diſertè affirmat Reuerendus Pater [e] Henricus Fitzſimon. Quod indè fit probabile, quia omnium veſtrorum primus ſub Elizabetha fuit inauguratus.

Orth. Quod de Manni capite narras, id mihi in memoriam reuocat Iohannem duodecimum Pontificem Maximum, qui diaconum in equorum ſtabulo ordinauit. O dignum tali ſancto Sanctuarium! Neque hoc quod memoro eſt leuis rumor, aut fabula, quale illud tuum de capite Manni, ſed vera hiſtoria, & res geſta, à [f] Luitprando in faſtos relata, quem vt eruditum hiſtoricum & præſens & futura agnoſcent ſecula, non obſtante [g] Baronij virulentiâ, qui & hunc, & alios omnes ſibi reluctantes, quibus poteſt maledictis & contumelijs onerat. Nec inanibus rumuſculis, per ora otioſorum hominum volitantibus, perinde ac Kelliſonus & Fitzſimon nititur, ſed duobus teſtibus, altero Epiſcopo, Cardinale altero, Iohanne Narnienſi apud Italos Epiſcopo, & Iohanne Diacono Cardinale, qui in Romano Concilio, coram Othone Imperatore, teſtati ſunt *ſe vidiſſe illum diaconum ordinaſſe in equorum ſtabulo.* Verùm enimverò, quandoquidem aſſeris Kelliſonum veſtrum audiuiſſe nonnullos hanc pulchellam hiſtoriam credibiliter narrantes, dico tibi, veſtros homines mendacijs & calumnijs, quibus Proteſtantes in odium rapi & denigrari poſſent, plus ſatis indulgere, & nimis ſe præbere credulos. Romæ enim narratur, idque credibiliter, in Anglia Catholicos [h] *ferarum pellibus inſutos, à rabidis canibus dilaniari.* Romæ narratur, idque credibiliter, in Anglia [i] *Glires peluibus includi,* & Catholicis admoueri ſolitos, vt eorum viſcera depaſcant ac diglutiant. Romæ narratur, idque credibiliter; in Anglia Catholicos ad [k] equorum præſepia, fœno ibi paſcendos, religari. O credibilia & fide digna mendacia, quibus, quaſi pyropis,

[b] Impr. Louan. an. 1567.
[c] Greg. presb. in vita Greg. Naz.
[d] Replic. ad doct. Sutl. p. 31.
[e] Britannom. p. 321.
[f] Lib. 6. cap. 7.
[g] Anno 963.
[h] Vide Tort. Tort. p. 138.
[i] Ibid.
[k] Ibid.

Digitized by Google

triplex Pontificis Diadema interpunctum, micare & rutilare oportuit? Quæ (ſomnia dicam, an ſcelera) non narrantur modò, ſed in Collegio Anglico-Romano viuis depicta ſunt coloribus, typis etiam inciſa & excuſa, cũ priuilegio[l] Gregorij decimi tertij, Pontificis maximi. Sanè tam ſplendidis mendacijs ſplendido opus fuit priuilegio. Hæc autem de capite Manni fabula, quamuis Romæ paſſim recepta ſit, indéque per totum terrarum orbem à veſtris hominibus, huc illuc curſitantibus, diſſipata circumuolet, purum putum tamen eſt mendacium, ſuperioribus germanum, & ipsâ Româ dignum.

[l] *Eccleſ. Angl. Tropæa. anno* 1584.

3 Nam ſi Eccleſiæ Anglicanæ archiuum, à protonotario Cantuarienſi eo ipſo tempore fide publica conſcriptum, in loco publico cuſtodiæ cauſa repoſitum, & ipsâ antiquitate venerandum (de cuius ampliſſima dignitate & illibatâ fide, poſteà erit vberior dicendi locus) conſulamus, profectò hunc ſpectatiſſimum præſulem, [m] *In capella infra manerium ſuum de Lambehithe* conſecratum fuiſſe liquidiſſimè apparebit.

[m] *Reg. Parker. ℞. 1. fol.* 9.

4 Quid quòd idem ex actis Parliamentarijs inter ſe collatis colligi poſſit? Henrici octaui anno viceſimo quinto [n] ſancitum fuit, *Vt ſi quis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus intra viginti dies poſt acceptas literas patentes Regias electum non conſecraret, idque, omnibus debitis adhibitis circumſtantijs, in pœnam de præmunire incideret.* Cæterùm, in ſacro ordine Epiſcopali conferendo, ſacer locus, præſertim florente Eccleſia, eſt ſine dubio debita circumſtantia. Statutum igitur ordinem Epiſcopalem in loco ſacro, id eſt, in Eccleſia, vel ſacello celebrandum eſſe decernit. Similiter hodiernum ordinale Anglicanum (quod ſub Eduardo ſexto authoritate Parliamentaria in publicum emanaſſe anteà diximus) ne Diaconum quidem ordinari permittit, *niſi in* [o] *facie Eccleſiæ.* At omnes Regni Ordines, in ampliſſimo Senatu Parliamentario Elizabethæ anno octauo confluentes, & de Parkeri ac cæterorum conſecrationibus verba facientes, eaſdem *ſecundum acta, Statuta, & dictum ordinale* eſſe præſtitas diſertis verbis affirmant. Teſtantur inſuper *valde perſpicuum eſſe nullam cauſam, ſcrupulum, vel dubitationem, contra d. ctas electiones, confirmationes, aut conſecrationes iure obijci poſſe, vel contra aliquid aliud quod in aut circa eaſdem vſurpari aut haberi oportuit, ſed ſingula eum in finem requiſita & neceſſaria, adeo accuratè, & tanta, vel potius maiori cum ſolicitudine ac diligentia ſub Elizabetha facta, & peracta eſſe, ac vnquàm anteà, adeo vt nullus vel leuiſſimus ſcrupulus ſuboriri poſſit.* Profectò hinc ſequitur, eoſdem non in Taberna aut caupona factos eſſe Epiſcopos, ſed in *facie Eccleſiæ.* Nec hîc ſe ſiſtunt proceres Parliamentarij, ſed verbis proximè ſequentibus ad Archiua prouocant, ad hæc ipſa (inquam) Archiua, quæ paulò antè protuli, quæq; Parkerũ in capella, infra manerium ſuum de Lambehithe, ſacratum eſſe clariſſimè loquuntur. Et ſanè non ſine diuina factũ eſt prouidentia, vt hæc ipſa adhuc, ad perpetuam rei memoriam extarent monumenta, quorum beneficio huius conſecrationis, non leuis adumbratio, ſed expreſſa effigies

[n] 25. *Hen.* 8. *c.* 20

[o] *Forma conſecrandi in præfat.*

Digitized by Google

gies ad poſteros tranſmittitur. Nec ſine numine contigiſſe arbitror, vt eadem, ante annos ferè quinquaginta, ab omnibus Regni Ordinibus tam honorificè citarentur. Nam ab hoc ſole tantum mutuantur ſplendorem, vt nullis vnquam Ieſuitarum nebulis obſcurari poſſint.

Quod adhuc nobis gratiùs & iucundiùs accidit, quia hæc conſecratio, quæ ante ſexaginta & ampliùs annos contigit, hominum ferè qui iam viuunt, fugit memoriam. Vnum tamen veneranda canicie ſenem, & omni exceptione maiorem, nobis reſeruauit diuina prouidentia. Is eſt nobiliſſimus, & ſplendidiſſimus heros, Carolus Howardus, Notingamiæ Comes, & nuper ſummus Angliæ Admirallius, ſiue Archithalaſſius. Qui ab amico ſuo, anno Dom. 1616. interrogatus, an fortè (nam per ætatem potuit) ad Parkeri Cantuarienſis conſecrationem, eiúſque ſolennitatem ſuâ præſentiâ decorandam inuitatus fuiſſet necnè; reſpondit, ſe quidem impensè rogatum, ac inuitatum. Quò tandem? ad caput Manni? Minimè gentium, ſed ad Palatium Lambethanum: quò etiam condicto die, ea ipſa de cauſa, ſe profectum eſſe dixit. Præterea, ſe conuiuio quoque (quod ſolet eſſe inſtructiſſimum) illo ipſo conſecrationis die, inter alios Proceres interfuiſſe fidenter aſſerüit. Huius enim rei ſe probè meminiſſe affirmauit. Cur autem & ipſum Parkerus tam ſeriò inuitauerit, & ipſe Parkero tam ſtudioſè gratificari voluerit, hanc eximiam & ſingularem reddidit rationem, quippe quòd ſibi mutuò ſanguinis cognatione eſſent coniuncti. Vides igitur hunc Herôem clariſſimum & actis Parliamentarijs, & venerandis Eccleſiæ Anglicanæ Archiuis pulchrè conſentire. Quid igitur fiet de hac eliganti fabula de capite Manni? Profectò ad inferos eſt releganda, vndè profecta eſt.

PHIL. Non eſt fabula, ſed res geſta, multorum teſtimonio comprobata: quos hîc ex Patre Fitzſimone recenſere erit operæ prætium: [p] *Authores* (inquit ille) *celebriores, qui ſequentem paulò pòſt ordinationem* (hanc in Taberna, vel caupona factam intelligit) *luci vel in terminis, vel ex neceſſaria conſequutione prodiderunt, ſunt Sanderus, Parſonius, à Sacraboſco, Kelliſonus, F.T. qui ſupplementum diſcuſſionis nuper emiſit, Thomas Haberley, D. Bluettus &c. Ex quibus aliqui immediatè, alij mediatè per viros integerrimos id acceperunt ab oculato teſte Thomâ Neal, profeſſore Hebraico Oxonienſi; & illi omnes exceptione ſunt maiores. Quibus (quatenus in Anglia pſeudo-Epiſcopis, & Miniſtris, vllam à puris putis Laicis negant diſtinctionem) accedunt Briſtous, Hardingus, Stapletonus (qui alibi notorium eſſe dicit eos non modò non canonicè, ſed nec ad normam à Statuto præſcriptam eſſe ordinatos) Reginaldus, Rhemenſes Angli; inclyta certè nomina. Item ex reformatis ipſis Fulkus, Whitakerus, Pouellus, Beza. Quòd ſi vlteriùs aliquid ad rei certitudinem requiratur, Puritanis arbitris facilè conſtabit, partim conceptis verbis, partim ſenſu expreſſo dicentibus, Epiſcoporum in Anglia hodiè profanum ordinem, ac ordinationem in angulo extra congregationem initium ac progreſſum habuiſſe.* 6

[p] Britan. p. 316.

Orth. Animaduerti (Ieſuita) hunc tuum authorum catalogum in quatuor diuiſum eſſe claſſes; quas ordine retrogrado viſum eſt percurrere. Vt ab illis igitur exordiar, quorum palato ordo Epiſcopalis minimè arridet, eos Eccleſiæ noſtræ infenſos eſſe hoſtes nemo neſcit; & tamen de capite Manni, vel ordinatione cauponariâ, nihil, quid ſciam, literis conſignârunt. Extat liber cuiuſdam ex illa farina hominis, in Parkerum Archiepiſcopum, ſpiritu planè Lucianico conſcriptus, in quo quot verba, tot ferè ſcommata. In hoc libro de Parkeri conſecratione facta eſt mentio, tamen de capite equino, de Taberna, aut caupona ne verbum quidem. Si quis fortè putet diſciplinæ demonſtratorem, per ordinationem in angulo hanc ipſam de qua agimus intelligere, vereſimile eſt eundem hoc conuitium ex Papiſtarum triuijs arripuiſſe, vt indè nobis inuidiam poſſit conflare. Hæc enim fabula Papiſtarum eſt proles genuina, Papiſtis, non Puritanis ſuam debet originem. His igitur miſſis, vt ad ſecundam claſſem veniamus; quæ hæc tandem impudentia, Ieſuita, te noſtros homines, qui omnes (ne Bezâ quidem excepto) de Anglorum Epiſcopis honorificè ſenſerunt, veſtris de capite Manni fabulatoribus accenſere, & connumerare? Deinde inclyta illa nomina, vt appellas, quæ in ſecunda collocâſti acie, quamuis odio in nos flagrant capitali, de hac inclyta fabula nihil prodiderũt. Celebriores igitur tui authores ad vnam duntaxat Phalangem omnes ſunt redacti, nec eam fortaſsè integram. Nam Sanderus, Mendaciorum concinnator longè celeberrimus, quamuis primorũ noſtrorum antiſtitum inaugurationem odiosè exagitet, huius fabulæ non meminit. Reliqui quos commemoras, tui ſunt, Parſonius, Sacroboſcus, Kelliſonus, Fitzherbertus; quibus alios potes adiungere, authorem ſcilicet demonſtrationum Proteſtantium, Champnæum, Fluddum, Waddeſworthum, & denique quem nondum mihi videre contigit, Conſtabulum. Cæterùm, celebres iſti tui authores, quot tandem erunt? Champnæus, Sacroboſcus, & alij nonnulli hoc à Bluetto in caſtro Wisbicenſi didicerunt, alij à Thoma Haberleo, horum vterque à Thoma Nealo. Cæteri igitur ſecundarium (vt ita dicam) & aliundè deriuatum dant teſtimonium, Nealus primarium & primitiuum. Cæteri à Nealo, Nealus à patre mendaciorum hæc hauſit. Cæteri igitur dimittantur, ſolus enim Nealus huius mendacij Dedalus eſt, & architectus.

7 Quis autem ille? Certè Papiſta, qui *ex familiaribus erat Bonneri*, teſte [q] Champnæo, vel Capellanus, teſte [r] Sacroboſco. At fortè iuratus dixit teſtimonium; nequaquam. At fortè apud Iudicem; non id quidem, ſed muſſitauit in angulo. Iam æquus iudicet arbiter, an fides Papiſtæ, inimici noſtri familiari, iniurato, non apud Iudicem, ſed apud ſuos in angulo garrienti, contra tot Prælatos, contra Archiua, contra omnes Regni qui tum floruerunt ordines, contra tantum, qui adhuc ſuperſtes eſt, herôem ſit adhibenda.

[q] *Champ. p. 498.*
[r] *Chriſt. à Sacroboſco de inueſtig. eccl. cap. 4.*

Phil. *Erat* [s] *oculatus teſtis*, & quod ipſe vidit, [t] *antiquis confeſſoribus retulit.*

[s] *Champ. p. 499.*
[t] *Sacroboſ. ibid.*

Ort.

Digitized by Google

Ort. Vel natabãt oculi, vel ſibi hoc per ſomniũ videre viſus eſt.

Phil. Immò ad totam hanc ſcenicam ordinationem ſpectandam deſtinato conſilio Oxoniâ Londinum aduênit.

Orth. Itáne verò? Ergo de eâdem antea Oxoniæ acceperat. Quid? De ordinatione cauponaria?

Phil. De futura ordinatione; quæ cùm res alioqui non ſuccederet, ex euentu facta eſt cauponaria: cui etiam ipſe in propria perſona interfuit.

Orth. Quæro igitur, an Parkero, & reliquis Prælatis notus eſſet, an ignotus? Si notus, profectò Papiſtam, & capitalis eorum hoſtis ſeruulum nullo modo admiſiſſent, ſed præcipitem deturbâſſent. Sin ignotus, quomodò in tantorum hominum contubernium ſumma cum impudentia ſe ingerere audebat? Vide quæſo hæc tota narratio, quàm ſit parùm credibilis.

Phil. [u] *Neq; Catholici ſoli, qui aduerſarijs noſtris ſuſpectæ fidei videri poſſunt, ſolennis huius ad caput Manni conuentus teſtes ſunt, ſed etiam Iohannes Stowus, celeberrimus Angliæ Chronographus, reformatæ Religionis profeſſor, idem teſtatus eſt.* 8

[u] Champ. p. 508.

Orth. Ecquid ſcripſit Stowus de capite Manni?

Phil. [x] *Non quidem ſcriptis ſuis hoc teſtatus eſt (non auſus eſt enim) ſed verbo, quibuſdam familiaribus ſuis amicis, integerrimæ fidei viris, quorum aliqui adhuc viuunt, idémque teſtantur.*

[x] Ibid.

Orth. Qui tandem illi? Libenter enim eos conuenire vellem.

Phil. [y] *Cùm non minùs timeãt hoc de eo iam mortuo publicè affirmare, quã ipſe, dum viueret, verebatur illud ſcribere, non ſunt hîc nominandi.*

[y] Ibid.

Orth. Quid eſt ludere par impar, ſi hoc non eſt?

Phil. [z] *De hac re in manuſcriptis eruditi Henrici Conſtabili, nobilis, &, vt omnes norunt qui eum nouerunt, magni acriſq; ingenij, & qui leuibus coniecturis non mouebatur, iſta reperio.* [a] *Parkerus à duobus ad ſummũ hæreticis Sacerdotibus, nõ Epiſcopis, ordinatus fuit. Si tamen Barlous Scoræo in ea actione aſtiterit, quod me quidem latet: Senex enim Landauenſis Epiſcopus, qui ad locum conſecrationi Parkeri & cæterorũ deſignatum adductus fuit, ſe lumine oculorum priuatum ſimulabat, ne tantum ſacrilegium committeret. Vndè factum eſt vt ad Scoræum recurrerent, de quo priùs non cogitârunt: quod non tantùm Catholici integerrimæ fidei, qui rei geſtæ teſtes erant oculati, teſtantur, ſed etiam Iohannes Stowus eiuſdem rei teſtis eſt; qui omnes huius actionis circumſtantias diligenter perquiſiuit, tametſi illas in Chronico ſuo referre non auſus ſit: Hæc ille.*

[z] Ibid.

[a] Henricus Conſtabilus.

Orth. Primò, hic author tuus nobilis duo nobilia protulit mendacia. Primum, quòd dicat Parkerum à duobus ad ſummum ordinatum eſſe; ſecundum, quòd aſſerat eiuſdem ordinatores Sacerdotes duntaxat fuiſſe, & non Epiſcopos. Deindè quæ de Landauenſi, Scoræo, Iohanne Stowo ſubiungis, ſcopum non feriunt. Champnæus huius ſolennis ad inſigne capitis Manni conuentus teſtem adducere voluit Iohannem Stowum, qui tamen hac in cauſa penitùs obmuteſcit. Stowi ſilentio mederi voluit, Henrico Conſtabilo, magni acriſque ingenij viro, in teſtimonium vocato: Hic tamen

Digitized by Google

vir magnus nil magni attulit. Nam licèt oculorum acie eſſet acerrimus, nobíſq; acriter infenſus, & omnia circumſpiceret, caput tamen Manni videre non potuit.

[b] Champ. p. 502. Phil. [b] *Quòd iſta de Stowo non ſunt conficta, præter prædicta teſtimonia, hoc ſuppetit valdè probabile argumentum. Quòd in ſuo Chronico nullam penitus conſecrationis, ſeu ordinationis Parkeri, neque cæterorum nouorum Epiſcoporum mentionem facit, ſed adeò omninò eam ſilentio obuoluit, ac ſi nihil tale extitiſſet!*

Orth. Sic igitur argumentaris. Stowus conſecrationis Parkeri omninò non meminit; ergo Parkerus, ex ſententia Stowi, conſecratus fuit in Taberna ad inſigne capitis Manni. O valdè probabile argumentum.

[c] Ibid. Phil. [c] *Huius ſilentij, omnibus benè ponderatis, alia probabilis ratio allegari nequit, niſi quia odium & indignationem, veritatem dicendo, ſibi parere timuerit. Primùm enim clarum eſt, nihil eſſe memoriâ dignum, præſertim Londini, geſtum, quod (quamuis multò minoris momenti quàm ſit tot nouorum Epiſcoporum, ipſiúſque Metropolitani, atque ipſius etiam Londinenſis Epiſcopi conſecratio & ordinatio) prætermittere ſoleat. Secundò, ſpecialem ergà Parkerum obſeruantiam profitetur, ac proinde multa leuioris momenti, quàm eſt eius in Archiepiſcopum conſecratio, de eo referre non omiſit. Tertiò, omnes Chronographi diligentem adhibent operam in notandis innouationibus, & conſuetudinum antiquarum immutationibus, in rebus præcipuè maioris momenti, vt ſunt conſecrationes Epiſcopales. Quartò, conſecrationem, inthronizationem, Pallij receptionem, immò & primum ſacrum Cardinalis Poli, immediati Parkeri prædeceſſoris, ſatis fusè deſcribit, quæ tamen ordinaria omnibus antecedentibus Epiſcopis fuerunt. Multò ergo minùs Parkeri conſecrationem, quàm adeo ſingularem & inuſitatam fatetur Maſonus, vt omnium Epiſcoporum à ſancto Auguſtino (& ſi dixiſſet ab ipſo Chriſto, non mentitus fuiſſet) conſecrationi diſſimilis ac diſpar fuerit, ex obliuione præterire non potuerit. Quintò, præter alias ad Religionem ſpectantes innouationes, leuioris ponderis quàm eſt noui Cleri inſtitutio, quas anno illo 1559. deſcribit, depriuationis Catholicorum Epiſcoporum menſe Iulio factæ meminit, quòd nouorum creationem & ordinationem eum obliuiſci non potuit permittere, præſertim cùm Bonneri, & reliquorum Catholicorum Epiſcoporum, ſub Eduardo ſexto è ſedibus ſuis eiectorum reſtitutionem, & in ſedes ſuas intruſorum expulſionem ſub Maria Regina ſimul coniunxerat. His omnibus rectè conſideratis, aliam tam pertinacis de conſecratione Parkeri & cæterorum, ſilentij rationem fuiſſe, præter meram obliuionem, neceſſe eſt affirmare.*

Orth. Primò, non fuit tunc temporis noua miniſterij inſtitutio, ſed tantùm reſtitutio; nec vlla in Parkeri conſecratione emicuit innouatio, ſed potiùs renouatio. Quamuis enim Parkerus omnium Cantuarienſium Epiſcoporum primus, ſine tot redundantibus ſacraretur cæremonijs, multi tamen ante eum Epiſcopi, eodem planè ac ille per omnia modo, Regnante Eduardo, ſunt inaugurati. Nihil igitur hîc nouum, aut præter ordinem. Verùm ſi Archiepiſcopus Cantuarienſis, & tot Epiſcopi in Taberna ordinati fuiſſent,

ſent,

ſent, hoc iure dici potuiſſet nouum & extraordinarium, quippe ab orbe condito inauditum, & omnibus futuris ſeculis admirandum. Quis hic hiſtoricus nouitatum auidus, calamum ſuum à ſcribendo temperaſſet? Vel ſi hoc Stowus non auderet, Sanderus tamen (qui omnia quæ in nos odium concitare poſſint, vndique corraſit) non tacuiſſet; præſertim cum de his ipſis Epiſcopis, & eorum inauguratione tam malignè loquatur. Secundò, quale demum eſt hoc argumentum ab hominis non teſtimonio, ſed taciturnitate ſcilicet deductum? Quid hoc rei eſt? An tu teſtem adducis ſine teſtimonio? Quaſi verò ab hiſtorici ſilentio mutum valeret argumentum; vel quaſi locus eſſet coniecturis, cũ nos authenticas tabulas clariſſimas in mediũ producamus. Deinde quis tandem fuit iſte Stowus, cuius mutum & elingue teſtimonium ſplendidiſſimis Eccleſiæ Anglicanæ Archiuis, & Regni totius voci canoræ & ſonanti opponeretur? Tertiò, Videamus quomodo hoc egregiũ concinnari oporteat argumentum. An ſic diſputabis? Stowus de Parkeri conſecratione in capella Lambethana ne meminit quidẽ; ergo proculdubio non eſt ibi cõſecratus? Cui rationẽ ſimilẽ repono: Stowus de Parkeri conſecratione ad caput Manni ne meminit quidem, ergo proculdubio non eſt ibi conſecratus. Hæc ratio, ſi non valeat, nec valebit tua; tua ſi ſit neruoſa, profectò hæc eneruis eſſe non poteſt. Vel fortè ſic rationem inſtitues? Stowus de conſecratione Parkeri Lambethana mentionem nõ facit; ergo ſecundũ Stowum ſacratus fuit in Taberna. Nam vel hîc vel illic inauguratum eſſe omnes conſentiunt. Sed huic quoq; rationi ſimilẽ regero. Stowus de conſecratione Parkeri Tabernariâ mentionem non facit, ergo ſecundùm Stowum ſacratus fuit in capella Lambethana; nã vel hîc vel illic inauguratũ eſſe omnes conſentiunt. Hoc igitur à ſilentio argumentum ſilere potuiſſes.

PHIL. Néc eius ſilentium modò, ſed verba etiam diſerta hoc idem docent. Nam, de Henrici ſecundi Gallorum Regis exequijs 9
agens, [d] *Dicit expreſſè Scoræum, loco Grindalli Epiſcopi Londinenſis, concionem habuiſſe in Eccleſia Sancti Pauli, dum Iuſta Henrici 2. Galliarum Regis ibidem celebrarentur, die nono Septembris, an. 1559. Cum igitur dicat Grindallum tunc fuiſſe Epiſcop. Londin. clarum eſt eum ordinatũ fuiſſe tres integros menſes ante Parkerũ, ſi acta Maſoni ſint certæ fidei, qui tamen in iiſdem actis, ipſum Grindallum ordinaſſe dicitur. Deinde cũ in eodẽ loco iam appellaſſet Parkerum Archiepiſcopum Cantuarienſem electum, & tamen Grindallum nominat Epiſcopũ Londinenſem abſolutè abſq; particula diminuente, apertũ inter eos facit diſcrimẽ, & oſtendit eum tunc fuiſſe non tantũ electum, ſed & ſacratũ Epiſcopum, ſcilicet, iuxta modum iam dictũ.*

[d] Champ. p. 505.

ORTH. Hæc ieiuna & frigida eſt coniectura. Quamuis enim Grindallus eo tẽpore ex rigore legis Dominus electus ſedis Londinenſis eſſet appellandus, quis tamen neſcit ſolere homines, ſic electum Epiſcopum, ſimpliciter, amoris & honoris ergo, indigitare? Quare ex hoc honoris vocabulo per charientiſmũ communicato, Grindallum iam anteà ſacratũ fuiſſe non licet concludere, multóq; minùs fuiſſe inſtallatum, quod tamen hinc ſimiliter inferre molitur

Digitized by Google

tur Champnæus. Sed quæ demum eſt hæc dementia, ex huiuſmodi titulis & voculis inanes coniecturas aucupari, cum tabulæ authenticæ, teſtes veritatis, rem totam viuis nobis coloribus depingant? De Grindalli igitur conſecratione conſulantur [e] Archiua; reſpondebunt celebratã fuiſſe Decembris die viceſimo primo, An. Dom. 1559. Conſulatur de eiuſdem inſtallatione Archiepiſcopi Cantuarienſis [f] mandatum; profectò menſis eiuſdem die eodem datum eſſe liquidò comperies. Conſulatur etiam Epiſcopi Londinenſis Regiſtrum, atq; Grindallum in ſedis ſuæ poſſeſſionem menſis ´ die intromiſſum conſtabit. Sed age: fingamus rem ita ſe habere, prout delirat Champnæus. Nónne iam vides quot & quanta ſibi vulnera inflixerit? Nam primò, Grindallum & Parkerum eodẽ die ſacratos eſſe [g] alibi innuit: hîc conſecrationem Grindalli, Parkeri conſecratione aliquot menſibus fuiſſe priorem. Secundò, Si Grindallus ante nonum diem Septembris erat ſacratus, idq; ad Inſigne capitis Manni, cùm Parkerus nondum erat ſacratus, ſed electus tantùm, hinc ſequitur altera contradictio, nempe Parkerum, quem ibi ſacratum eſſe, eſt veſtra vetus cantilena, ibidem ſacratum non fuiſſe, vel ſaltem eo loci duas, tempore deſtinctas, fuiſſe conſecrationes; quod tamen ſomniatorũ veſtrorum nemo adhuc ſomniauit.

[e] Reg. Park. 12 f. 18.

[f] Ibid.

[g] In edit. Angl. p. 194. collat. cum p. 203.

[h] Champ. p. 506.

P h i l. *Hoc inde non colligitur, ſed potiùs contrarium. Nam cùm in eodem loco iam citato Stowus vocet Scoreum, Epiſcopum Herefordenſem electum, & Barloum, Ciceſtrenſem electum, qui tamen à Maſono ponuntur conſecrati multis ante illud tempus annis, non poteſt, ex eo quòd Parkerus dicatur Archiepiſcopus electus, colligi illum non fuiſſe tunc omninò ſacratum, ſed tantùm non fuiſſe in ſua Cathedra inthronizatum.*

O r t h. Quoad inthronizationẽ rectè mones. In omnibus enim, ſiue nouis, ſiue veteranis, ab Epiſcopi electi titulo legitimè delato, ad non inſtallationem ſequitur argumentum; vt Socrates eſt huius vel illius ſedis Epiſcopus electus, ergo nondum eſt in huius vel illius ſedis poſſeſſionem realem & actualem introductus. Quamprimùm autem eſt introductus, inthronizatus aut inſtallatus, deſinit dici Epiſcopus electus, & appellandus eſt huius aut illius loci Epiſcopus abſolutè, ac ſimpliciter. Barlous igitur, Scoreus, & Parkerus, dum adhuc ex præſcripto legis ſuarum ſedium dicerentur Domini electi, earundem ſedium nondum erant actu & abſolutè Epiſcopi. Cæterum, ſi conſecrationem ſpectes, non eſt eadem ratio veterum Epiſcoporũ qui iam denuò electi ſunt, vt ad aliam Eccleſiam tranſeant, ac recentium qui iam eliguntur, vt primâ vice ad Cathedram Epiſcopalem promoueantur. In illis, ab electionis titulo, ad conſecrationis negationem non ſequitur argumentum. Verbi gratia; ſi ſic diſputes, Cuthbertus Tonſtallus erat aliquãdo electus Dunelmenſis, ergo tunc temporis non fuit ſacratus. Non valet hæc ratio; quia Tonſtallus vel ante hanc electionem erat vetus Epiſcopus, Londinenſis ſcilicet, ac proinde, antequam Londinenſem poſſideret Eccleſiam, conſecratus. Verùm ſi ſic argumenteris, Tonſtallus erat aliquandò electus Londinenſis, ergo tunc tẽporis nondũ erat

inauguratus;

inauguratus; hoc ſatis validum eſt argumentum, quia tunc primùm erat nouus electus, ac recens candidatus, nec vllâ anteà potitus eſt ſede, ratione cuius ſacrari potuit. Quocirca licèt Barlous & Scoræus tunc eſſent Epiſcopi electi, hic Herefordenſis, ille Ciceſtrenſis, non tamen indè colligitur illos nondum fuiſſe ſacratos; nam veteres erant Epiſcopi, & anteà conſecrati, vt priores ſuos Epiſcopatus adminiſtrare poſſent: Cæterùm ſatis ſolidum eſt argumentum, ſi quis dicat; Parkerus tunc erat electus Cantuarienſis, ergo illo tempore nondum conſecratus. Cuius rei hæc eſt ratio, quòd tum primùm factus ſit Epiſcopus, nec, ante ſuſceptum Cantuarienſem, vllum vnquam adminiſtraret Epiſcopatum. Hactenus de Iohanne Stowo, apud quem nihil penitùs occurrit, ex quo caput equinum fabricare potes. Pudeat igitur vos tam inſulſæ fabulæ, quæ nullâ omninò probabilitatis ſpecie, vel vmbrâ nititur.

Ecquis enim adeò inſanit, vt credat homines tam doctos & prudentes in Taberna ordinari voluiſſe, quùm tot illis vbique paterent Eccleſiæ?

PHIL. [l] *Hoc nonnihil probabilitatis primâ facie habere videtur; ſed, ſi res ipſa penitiùs inſpiciatur, parùm ſoliditatis in eo reperitur. Vera enim huius ratio erat, quia cùm nulla eſſet illis ſpes Epiſcopum Landauenſem, à quo conſecrationem recipere cupiebant & expectabant, ad Eccleſias ſuas adducendi, talem locum ad id efficiendum elegerunt, ad quem ipſe accedere non hæſitaret, indéque factum eſt vt ad caput Manni ex condicto conuenirent.* [l] *Champ. p. 500.*

ORTH. Quæ tanta fuit cauſa vt Landauenſis operam tam impensè expeterent?

PHIL. Cauſa fuit aliorum Epiſcoporum, qui manus candidatis imponerent, defectus.

ORTH. Nihil hoc reſponſo futilius. Etenim ad ſeptem Epiſcopos, ſuas de Parkeri confirmatione & conſecratione literas patentes miſiſſe Elizabetham, paulò pòſt liquebit. Sed dic porrò, quid Landauenſi in cauſa fuit, cur hanc tantoperè ordinandi detrectaret prouinciam?

PHIL. Quum ad inſigne capitis Manni conuenirent candidati, [k] *Vnà ordines collaturus venit Landauenſis, homo ſenex & ſimplex: quod vt intellexit Bonnerus, tunc decanus Epiſcoporum in Anglia, miſit è turri Londinenſi (vbi Religionis cauſa detinebatur) Capellanum ſuum, qui Landauenſi, propoſita excommunicationis pœna, prohiberet nouos candidatos ordinare. Ea autem denunciatione territus Landauenſis, pedem retulit, multiplicique tergiuerſatione vſus, ſacrilegam vitauit ordinationem.* [k] *Sacroboſ. de inueſtig. Chr. eccleſ. cap. 4.*

ORTH. Hìc conſiderandi ſunt Bonnerus qui miſit, Capellanus per quem, & Landauenſis ad quem. Et vt à Bonnero exordiar, quid ſibi vult hic titulus, *Decanus Epiſcoporum?*

PHIL. Omnes cuiuſque prouinciæ Epiſcopi, quantumuis inſignes & illuſtres, reſpectu primatis & Metropolitani ſui, antiqui-

tùs

Digitized by Google

tùs Suffraganei dicebantur. In prouincia autem Cantuarienſi (vt teſtatur [l] antiquitatum Britannicarum Author) *quædam munera, vt Suffraganei, Archiepiſcopo ſuo præſtabant. Primus itaque ſub primate honos Londinenſi Epiſcopo eſt delatus. Is in Synodo & Collegio Epiſcoporum Cantuarienſis Prouinciæ Decanus dictus eſt. Poſt Londinenſem Wintonienſis in ſummo honore apud primatem fuit, quia Cancellarius eius nominabatur.* [m] *Poſt Wintonienſem Lincolnienſis Vicecancellarius fuit, tum Sariſburienſis præcentor, deinde Wigornienſis capellanus, & Roffenſis cruciger Metropolitani ſui fuerunt.* Bonnerus igitur, cùm iam eſſet antiſtes Londinenſis, meritò appellatur Decanus Epiſcoporum.

[l] Pag. 20.

[m] Pag. 21.

Orth. Falleris, Philodoxe. Nam Epiſcopatu Londinenſi, & per conſequens Epiſcoporum decanatu, iam antè exutus eſt. Et ſi fingamus eodem adhuc functum eſſe officio, quid tum poſteà? Ergóne, vt Decanus, in Landauenſem fulminare potuit? Munus Decani in hoc ſitum erat; vt [n] *quod à Metropolitano decretum per prouinciam ſuam mandabatur, literis ſuis ad reliquos præſules exequeretur.* At Bonnerus à Metropolitano ſuo mandatum hâc de re nullum acceperat. Sede enim vacante, nullus erat Metropolitanus, à quo acciperet. Vt Decanus igitur hoc facere non potuit. Præterea lege cautum eſt Parliamentariâ, [o] vt *ſi qua perſona admiſerit, defenderit, approbauerit, fecerit aut exercuerit vllas cenſuras, excommunicationes, interdictiones, prohibitiones, vel quodlibet aliud eò tendens, vt illius acti* (de conſecratione) *impediatur exercitium, omnis ita delinquens incurreret pœnam de Præmunire.* Ecquis iam credat Bonnerum, ab Epiſcopatu Londinenſi iam depoſitum, & incarceratum, bruta ſua fulmina in Antonium Landauenſem, vel Papiſtarum iudicio verum Epiſcopum, hoc ipſo nomine quòd mandatum Regium, tum Regni Statutis, tum Eccleſiæ canonibus conſentaneum, præſtaret, iaculari voluiſſe? Profectò hoc ſi fecit Bonnerus, id fecit quod erat Bonnero, id eſt, lanio, & carnifice dignum. Iam proximo loco aliquid de capellano eſt dicendum; qui an Nealus fuerit necne, haud ſanè ſcio: fuiſſe tamen ſuſpicor, quia has minas per Nealum ad Landauenſem allatas eſſe dicit [p] Champnæus. Sed quiſquis fuit, ſi Bonnero fulminanti aſſiſteret, ſimili pœnæ de Præmunire iuxta Statutum erat obnoxius: quem ſi tanta pœna, à tantæ Principis tam ſancto mandato tàm petulanter violando cohibere non potuit, oportuit gnauiter eſſe impudentem. Dignus ſanè Bonnero capellanus, dignum tali patella operculum. Iam vt ad Landauenſem veniam, an eſt credibile quem vniuerſi Angliæ Epiſcopi à vera religione, & officio in Principem retrahere non poterant, illum, iam vnius depoſiti & incarcerati nimis perterritū, ab officio in principem præſtando reſiluiſſe? Ab officio (inquam) quod & Canones Eccleſiæ, & mandatum Regium, & acta Parliamentaria exigebant? An qui Papæ libellum repudij miſerat, is vnius Papiſtæ adeo metuerit inania terriculamenta? Quàm enim eſſent inania vel indè patet, quòd in ciuitate Londinenſi multæ ſint Eccleſiæ in quas

[n] Antiq. Brit. p. 20.

[o] 25. H. 8. c. 20.

[p] P. 498.

Epiſ-

Digitized by Google

Epiſcopus Londinenſis nullam omninò iuriſdictionem obtinet, nempe parochiæ Archiepiſcopo peculiares, quæ (vt habet Author [q] antiquitatum Britannicarum) *ſoli Archiepiſcopo ſubijciuntur*. In harum aliqua ordines conferre potuit Landauenſis, interim vt ab Epiſcopi Londinenſis iuriſdictione liber eſſet & immunis. Nulla igitur fuit tanti metus cauſa. Sed gratificemur tibi, & ponamus Landauenſem præ metu pedem retuliſſe; nulla tamen ratio reddi poteſt ſatis idonea, cur, Eccleſijs vbique patentibus, tantorum præſulum conſecratio in Taberna fieret.

[q] Pag. 35.

PHIL. Fortè ob pudorem latere voluerunt.

ORTH. Ergo Nealum ad ſuum conſortium admittere noluiſſent; verùm nihil hîc erat pudendum.

PHIL. An ſuppetebat idoneus conſecrantium numerus?

ORTH. Dixi tibi, & fuſiùs ſuo loco ſum dicturus. Cæterùm ſi, vrgente neceſſitate, à ſolo Scoræo initiati fuiſſent, nihil tamen eſſet quod ruborem incuteret. [r] Euagrius à ſolo Paulino eſt ſacratus; quem tamen legitimum fuiſſe Epiſcopum ipſe Romanus agnouit [ſ] Pontifex.

[r] *Theodoret. l.5.c.23.*

[ſ] *Vid. Bin. t.1. p.579. in not. in ep.17. Innoc.1.*

PHIL. Ridiculè ſunt ordinati.

ORTH. Hæc veſtra ſunt conuitia & mendacia. Omnia enim, eodem, quo hodiè, modo ſunt peracta: id eſt, honeſtè, & decorè, adhibitis precibus, concione, & ſacra Cœna. Nulla igitur cauſa reddi poteſt cur angulos quærerent.

11 Sed videamus porrò quinam illi ſint, quibus in loco adeo illuſtri tam bellè ordinari contigit. [t] Kelliſonus dicit, *ſe accepiſſe aliquot ex nouis noſtris ſuperintendentibus ibi fuiſſe ordinatos*, ſed neminem nominat. [u] Sacroboſcus ibidem; *Scoræum candidatis, qui ſub initio Regni Elizabethæ creandi erant Epiſcopi*, & illorum quoſdam Scoræo viciſſim manus impoſuiſſe narrat. [x] Parſonius Iuellum, Sandeſium, Hornum, Grindallum introducit, in quorum tamen nominibus recenſendis, ne fortè erret, nonnihil hæſitat; his tamen alios, quorum nomina non commemorat, adiungendos cenſet. [y] Fitz-Simon primo loco meminit Parkeri, tum Grindalli, Horni, & Sandeſij, cæteros quoque eodem modo ordinatos eſſe innuit. [z] Champnæus, ſe totam conſecrationis omnium primorum noſtrorum Epiſcoporum ſeriem narraturum profitetur, & mox hanc inſulſam de capite equino attexit fabulam, his verbis: *Ad inſigne capitis Manni in* Cheapeſide, *ex condicto conuenerunt illi omnes qui ad Epiſcopatus iam vacantes, ſiue per mortem, qualis fuit [a] ſolus Cantuarienſis, ſiue per iniuſtam depoſitionem, quales erant omnes reliqui. Eorum nomina capite proximò recenſentur.* Sic ille. At proximo capite, præter Parkerum, nominantur quatuordecim; nempe Grindallus, Hornus, Coxus, Bullinghamus, Benthamus, Barcklaius, Alleius, Sandeſius, Scamblerus, Dauis, Yongus, Pilkintonus, Beſtus, Downamus. Hos igitur vniuerſos, numero quindecim, in caupona inauguratos fuiſſe tradit Champnæus. Multò modeſtiùs [b] Iacobus

[t] *Kelliſ. repl. ad Doctor Sutl. p.31*

[u] *Sacroboſ. de inueſtig. Chr. eccl. c.4.*

[x] *In præfat. diſcuſ. præfix. n.135.*

[y] *Fitz-Sim. Britannom. l.3. c.5. p.321.*

[z] *Champ. p.194. edit. Angl.*

[a] *Falſum nam Sariſb. quoque per mortem vacabat. & Banchorenſis. & Norw.*

[b] *In ep. n.5.*

Digitized by Google

Waddeſworthus, *primi noſtri Epiſcopi conſecrationem ibi tentatam eſſe dicit, ſed non peractam.* Non auſus eſt dicere omnium, ſed primi duntaxat. Quis autem ille? Certè, ſiue dignitatis, ſiue temporis ſpectemus ordinem, primus erat Parkerus. Huius igitur iuxta Waddeſworthum *ibi tentata fuit conſecratio, ſed non peracta.* Vide iam obſecro quàm pulchrè inter ſe conueniant. Omnes ibi conſecratos eſſe, inquit Champnæus: non omnes, ſed aliquot, dicit Kelliſonus: ne vnum quidem ibi ſacratum eſſe, innuit Waddeſworthus. Illi conſecrationem ibi peractam eſſe volunt, Waddeſworthus non peractam, ſed tentatam duntaxat, nec omnium conſecrationem ibi tentatam, ſed primi tantùm.

12 Sed quàm imperitè hæc inter ſe commiſceat & confundat Doctor Sorbonicus, ex temporum ſupputatione clariſſimè elucebit. Quæro igitur in quem diem aut menſem incideret hæc ordinatio cauponaria? Champnæus anno 1559. ante nonum diem Septembris contigiſſe putat; quod prorſus eſt incredibile. Nemo enim ſatis ſanus cogitare poteſt, Parkerum conſecrari potuiſſe, antequam Regina de eodem conſecrando ad Epiſcopos diploma ſuum emitteret. At hoc diploma datum eſt ſexto die [c] Decembris, anno 1559. ergo ante ſextum Decembris conſecrari non potuit. Porrò electionis confirmatio conſecrationem neceſſariò præcedit. Quin Parkeri electio [d] confirmata fuit nono Decembris; ergo ante nonum Decembris non fuit conſecratus. Toto igitur cœlo errat Doctor Sorbonicus, qui conſecrationem ante nonum Septembris peractam eſſe putat. Nec quicquam clarius aut rationi magis conſentaneum, quàm quod docent authenticę tabulę, teſtes veritatis, ſcilicet, hanc conſecrationem die dominico, qui inciderat in Decembris diem decimum ſeptimum, in capella Lambethana celebratam fuiſſe. Præterea ex reliquis, præter Parkerum, numero quatuordecim alij conſecrati ſunt eodem quo Parkerus menſe, ſed non eodem die, vt Grindallus, Coxus, Sandeſius. Nam Parkerus ſacratus eſt Decembris decimo ſeptimo, illi eiuſdem Decembris viceſimo primo. Alij eodem anno, ſed non eodem menſe, vt Bullingamus, Iuellus, Dauis, Benthamus, & Barklaius, qui ſacrati ſunt, non in Decembri, vt Parkerus, ſed vel in Ianuario, vt Bullingamus, Iuellus, & Dauis; vel in Martio, vt Bentham, & Barklaius. Alij ſub eodem Principe, ſed non eodem anno, vt Hornus, Alleius, Scamblerus, Pilkintonus. Nam Parkerus inauguratus eſt anno Elizabethæ ſecundo, iſti autem tertio: hos tamen vniuerſos, vno quaſi partu & enixu, ex capite equino prognatos eſſe ſomniat & delirat Doctor Sorbonicus. Denique Scoræum reliquos conſecrâſſe, & ab eorum nonnullis vice verſa conſecratum fuiſſe (quod narrant [e] Sacroboſcus & [f] Fitz-Simon) eſt mendacium pluſquam Ieſuiticum, & omnem ſuperat impudentiam. Ita huius commenti falſitas retegitur, quod nullum alium in finem excogitatum fuit, quàm vt miniſterio noſtro, & Chriſti, quod

[c] *Regiſtr. Park. to. 1. fol. 3.*

[d] *Ex eodem Regiſtro.*

[e] *De inueſtig. Chr. eccleſ. c. 4.*

[f] *Britannomach. p. 321.*

quod prædicamus, Euangelio odium concitaret, Papæque vt placerent, quas feciſtis, fabulas. Siccíne homines literarum, & Religionis laude gloriantes? Siccíne tantum pietatis ac ſinceritatis præ ſe ferentes? Quæ tamen ego (Philodoxe) mirari deſinam, quia hæc praxis doctrinæ veſtræ ad amuſſim reſpondet. Docetis enim mendacium officioſum in peccatis duntaxat [g] venialibus numerandum eſſe. Cui autem, obſecro, pia hæc officia potiùs præſtanda ſunt, quàm Romanæ Eccleſiæ, reliquarum omnium indulgentiſſimæ matri? Ecquid autem illi gratiùs contingere poteſt, quàm ſi nobis, quos de ſchiſmate & hæreſi poſtulauit & condemnauit, æternam inuras maculam? Iſta igitur à vobis officioſè fingi non mirabor; vereri potiùs ſubit, ne hæc tam præclara in Eccleſiam facinora tandem aliquando euadant meritoria. Sed attende (Philodoxe) [h] *plaga flagelli efficit vibicem*, plaga linguæ confringit oſſa: ac memineris, *os* [i] *mentiens perdere animam*; & omnibus [k] *mendacibus portionem eſſe aſſignatam in ſtagno ardente igni & ſulphure.*

[g] *Bellar. de amiſſ. grat. l.3.c.8.*

[h] *Ecclus.28.17.*

[i] *Sap.1.11.*

[k] *Apoc.21.8.*

Digitized by Google

C A P. IX.

Iterum de Matthæo Archiep. Cantuarienſi, eiúſque conſecratione.

- *De*
  - *Perſonis*
    - *Sacrantibus: hîc obijciunt defectum*
      - *Metropolitani, qui tamen in hoc caſu per leges non requiritur.* 1
      - *Epiſcoporum; oſtendo igitur*
        - *quot in literis patentibus Regis nominentur.* 2
        - *Quinam ſacras Parkero manus impoſuerint.* 3
    - *Sacrata, Parkero ſcilicet, qui fuit*
      - *Presbyter, iuxta ritum Eccleſiæ Romanæ.* 4
      - *literatus, ac bonarum literarum amans.* 5
  - *Ipſius ſacrationis*
    - *Ritibus, & ceremonijs.* 6
    - *Eſſentia,*
      - *materia, nempe impoſitione manuum: hîc obiter de precibus, concione, & ſacra cœna adhibitis.* 7
      - *Forma, nempe, Accipe Spiritum ſanctum.* 8
    - *Approbatione per ſex inſignes iuris peritos.* 9

P H I L.

QVicquid de loco ſtatuendum ſit, ego tamen Parkerum Epiſcopum non fuiſſe ex legibus Anglicanis euincam.

O R T H. Ex Anglicanis? Quibus nam illis? Dic tandem.

P H I L. [a] *Decreuit Henricus octauus, ne electus in Epiſcopum bullas Pontificias, ſeu mandatum Apoſtolicum de conſecratione requireret, ſed Regium tantùm diploma adferret, ſecundùm quod à tribus Epiſcopis, cum conſenſu Metropolitæ, ordinatus iubebatur, lege comitiorum facta ad*

[a] *Sand. de ſchiſ. l. 3. p. 297. Polliuus l. 4. c. 6. p. 434.*

imitationem antiquorum canonum, eſſe verus Epiſcopus, nec alio modo ordinatum pro Epiſcopo agnoſci oportere. Hanc legem nouam ſuſtulit Maria, Elizabetha in integrum reſtituit, ac renouauit; idque ante prætenſam Parkeri conſecrationem. At ipſe hoc modo conſecratus non fuit: ergo leges Anglicanæ Parkerum pro Epiſcopo non agnoſcunt. Nam quem tandem habuerunt Metropolitanum, cuius vel manu vel conſenſu ſacrari potuit? Illuſtriſſimus Polus Cardinalis, nuper Archiepiſcopus Cantuarienſis, fatis conceſſerat, in cuius Cathedram Parkerus fuit electus. Nicolaus Heathus, Archiepiſcopus Eboracenſis, in viuis quidem erat, ſed à ſede & dignitate indignè depoſitus: [c] *Inſtabant quidem vehementer apud quendam Archiepiſcopum Hibernum, quem tum Londini in vinculis habebant, vt in hac illis neceſſitate ſuccurreret, & libertate ei & præmijs propoſitis, ſi vellet iſtorum ordinationi præeſſe. Sed vir bonus nullo modo adduci potuit, vt hæreticis ſacras manus imponeret, vel alieno peccato communicaret.* Atque ita cùm neque veſtræ fidei haberetis Metropolitanum, neque hoc à quoquam Catholico impetrari potuit, accidit, vt ſine vllo prorſus Metropolitano conſecratio fieret, contra ipſas leges Anglicanas. [c] *Sander. ibid.*

ORTH. Ne vos intelligendo facitis vt nihil intelligatis. Sanderus enim, & Sanderi ſimiles, vel leges noſtras penitùs ignorant, vel ijſdem, remordente conſcientiâ, miſerè abutuntur. Verba legis ſubijciam: [d] *Si quis ad officium & dignitatem Archiepiſcopalem, ſecundùm huius Statuti tenorem, electus fuerit, tum poſt talem electionem Regiæ Maieſtati modo ſuperiùs declarato ſignificatam, habebitur & reputabitur Dominus electus eiuſdē Officij, ſeu dignitatis Archiepiſcopalis, ad quam ſic eligitur. Poſtquàm autem tale iuramentum & fidelitatem Regiæ duntaxat Maieſtati, hæredibus, & ſucceſſoribus eius præſtiterit, quale hac in re præſcribitur, Regia Maieſtas literis ſuis patentibus ſub magno ſigillo eandem electionem vni Archiepiſcopo, & duobus alijs Epiſcopis, vel quatuor Epiſcopis intra hoc Regnum, vel alia quæcunque Regis Dominia, à Maieſtate Regia, hæredibus & ſucceſſoribus eius aſſignandis, ſignificabit, poſtulans & imperans eidem Archiepiſcopo, & Epiſcopus, vt dictam electionem quàm poſſunt celeriter & expeditè confirment, perſonámque ita electam, officio & dignitate ad quam eligitur, inueſtiant & conſecrent, omni tali pallio, benedictionibus, ceremonijs, aliiſque rebus ad hoc requiſitis, datis & adhibitis, ſine petitione, procuratione, aut obtentione vllarum Bullarum, Breuium, aut cuiuſquam aliùs rei à ſede Romana, aut eiuſdem authoritate, vlla ex parte.* Quibus ex verbis liquidum eſt, Regi, hæredibus & ſucceſſoribus eius, per Statutum licuiſſe, literas ſuas patentes de Archiepiſcopi conſecratione, vel ad Archiepiſcopum cum duobus alijs Epiſcopis, vel ad quatuor Epiſcopos tranſmittere. Ergo Archiepiſcopi conſecratio, neceſſitate efflagitante, ſine Archiepiſcopo celebrari potuit, interim vt leges Anglicanæ non violarentur. [d] *An. 25. H. 8. c. 20.*

PHIL. Demus rem ita ſe habere: hoc tamen ne tantillum cau- 2

ſam veſtram iuuabit. Licèt enim lex (te fatente) quaternarium poſcat numerum, Matthæus tamen nec à tribus, nec à duobus, nedum à quatuor eſt conſecratus. Catholici enim Antiſtites rogati, vt Reginam Elizabetham inungerent, negârunt operam ſuam præter vnum omnes.

ORTH. Vnus iſte & vnicus erat Owenus Oglethorpius, ex Collegij Magdalenẽſis apud Oxonienſes præſide factus Epiſcopus Carliolenſis; qui tamen Matthæo Cantuarienſi manus non impoſuit, quoniam ante aliquot menſes, dùm primatus Regij iuramentum ſuſcipere recuſaret, Epiſcopatu orbatus eſt.

PHIL. Par erat omnium conditio, ſi vnicum tantùm excepeſis. Vnus enim vt ab vnitate reſiliret adductus eſt; de quo bonus valdè & Catholicus Epiſcopus virũ nobilem ſic eſt affatus: [e] *Vnicum duntaxat apud nos ſtultulum habuimus, qui iam neſcio quibus illecebris factus eſt veſter; Domini & Epiſcopi titulo minimè dignus, cuius eruditio ſanè perexigua, honor autem & exiſtimatio hoc facinore valdè haſit ad metas.* Quamobrem quum ille ſolus à Catholicorum caſtris ad vos tranſfugerit, quâ ratione Matthæus à tribus conſecrari potuerit, equidem non video.

[e] *Vid. Thom. Hardingum in confut. apol. part. 6. c. 2.*

ORTH. Quamdiu apud vos commoramur, prudentiâ, & eruditione, ipſo ſole ſumus ſplendidiores. Quamprimùm verò, diuinâ aſpirante gratiâ, à Pontifice ad Principem, à ſuperſtitione ad veram Religionem reuertimur, illicò ſtulteſcimus, prudentia, eruditio, honor derepentè euaneſcunt, ac vnà nebula obducuntur omnia. Cæterùm Antonius Kitchin, aliàs Dunſton, Epiſcopus Landauenſis (hunc enim intelligis) qualiſcunque fuerit ad id de quo agitur, non multùm profectò intereſt. Quamuis enim Regina ad hunc inter alios diploma ſuum dirigendum curauerit, ipſe tamen Matthæi Cantuarienſis conſecrationi non interfuit.

PHIL. Nulli igitur ex noſtris, qui Regnante Mariâ floruiſſent, hoc munere perfuncti ſunt.

ORTH. Nulli prorsùs.

PHIL. Hanc enim in ſe ſuſcipere prouinciam renuerunt, idque quinque de cauſis, quas enucleatè recenſuit [f] Kelliſonus. Primò, quia Reginam, vt ſæpè iam dictum eſt, oleo perfundere recuſâſſent. Secundò, quia Religionis innouationi in primis Comitijs ſe oppoſuiſſent. Tertiò, quia omnes, ob denegatum primatus Regij iuramentum, exauthorati fuiſſent. Quartò, quia veſtri iam conſecrandi eorum ſedes inuaſiſſent, & hæreſim denique in Eccleſias erant introducturi. Cæterùm quum noſtri hanc detrectarent prouinciam, vndè tandem qui manus imponerent? [g] *Nec enim ad vicinas Lutheranorum aut Caluiniſtarum Eccleſias conferre vos commodè potuiſtis, vt indè mutuas Epiſcoporum (qui fortè nec ibi erant) operas peteretis.*

[f] *Kelliſ. exam. part. 1. c. 3.*

[g] *Sander. quo ſuprà.*

ORTH. Illorum ſubſidium hac in cauſa fateor non comparauimus.

Digitized by Google

PHIL. Oportet igitur accerſere vobis ſolitum, neſcio cuius ordinatoris è Græcia, auxilium, vt nuper vobis obiecit [h] *Eudemon*. Eheu vt me veſtri pudet pigétque! Tam miſera effugia & latibula quærere coacti eſtis.

[h] *Ioh. Eudemon Cyd. paral. c. 5. p. 143.*

ORTH. Hæc fabula non ab Eudemone, ſed à Cacodæmone, mendaciorum patre, profecta eſt. Nobis enim non opus fuit Græciſſare, ſed Eudæmoni viſum eſt Cretizare.

PHIL. Si nec domi habuiſtis Epiſcopos, nec aliundè, ſiue à Catholicis, ſiue à reformatis, ſiue à Græcanicis accerſendos curaſtis, illud pro veriſſimo amplecti oportet, quod ex Sandero narrat [i] Kelliſonus, nempe *veſtros homines ſe inuicem mutuis operis conſtituiſſe Epiſcopos.*

[i] *Kelliſ. in repl. contr. D. Sutl. p. 31.*

ORTH. Quanquam in famoſo iſto Sanderi de ſchiſmate libello, mendaciorum numerus cum linearum multitudine certare videatur, hoc tamen prodigioſum mendacium non habet; ipſius Kelliſoni, vel Sacroboſci, vel alterius, neſcio cuius, tenebrionis videtur commentum. Vos, dum ad certamen & puluerem Academicum prouocatis, argumenta apodictica ſoletis polliceri; nunc autem quùm ad diſputationis neruos & medullas ventum eſt, nihil præter tenues coniecturas, volitantes fabulas, & putidiſſima mendacia depromitis. Hæccine Romæ ſunt argumenta apodictica? Ego verò, miſſis iſtiuſmodi quiſquilijs, non ex rumoribus in fumum abeuntibus, ſed ex publicis monumentis & Archiuis rem totam enucleabo. Anno Domini 1558. Nouembris die decimo ſeptimo, Reginâ Mariâ fato ſuo functa eſt, & Cardinalis Polus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, eodem die ex hac vita migrauit; & illo ipſo inſuper die Domina Elizabetha à Regni Proceribus Regina publicè & ſolenniter eſt declarata. Cuius ſacrum caput Regali Angliæ diademate, ſubſequentis Ianuarij die decimo quinto eſt redimitum. Porrò Eccleſia Cantuarienſis, à morte Poli, per annum integrum & tres circiter ſeptimanas, paſtorali ſolatio eſt viduata. Interim Decanus & capitulum, elegendi [k] facultate acceptâ, *iuxta morem antiquum & laudabilem conſuetudinem Eccleſiæ prædictæ ab antiquo vſitatam & inconcuſſè obſeruatam procedentes*, Matthæum Parkerum, ſacræ Theologię Doctorem, in [l] *Archiepiſcopum elegerunt*. Hâc autem electione rite peractâ, & ſecundùm legem ſignificatâ, viſum eſt Maieſtati Regiæ literas ſuas [m] *patentes* de eiuſdem confirmatione & conſecratione commiſſionales, ad ſeptem Epiſcopos mittere, quorum nomina & titulos ex ipſis literis patentibus Regijs (vt tibi abundè ſatisfiat) placet ſubiungere.

[k] *Dat. 18. Iulij, 1559.*

[l] *1. Aug. 1559.*

[m] *Dat. 9. Decemb. 1559.*

Digitized by Google

[n] *Literæ patentes Regiæ Regiſtr. Parker. t.1. fol.3.*

[n] Elizabetha Dei Gratia, &c. Reuerendis in Chriſto patribus,

- Antonio Landauenſi Epiſcopo.
- Will. Barlow quondam Bath. & Well. Ep. nunc Ciceſtrenſi electo.
- Ioh. Scory quondam Ciceſtrenſi Epiſcopo, nunc electo Herefor.
- Miloni Couerdalio quondam Exonienſi Epiſcopo.
- Iohanni Suffraganeo Bedford.
- Iohanni Suffraganeo Thetford.
- Iohanni Bale Oſſerenſi Epiſcopo.

Quatenùs vos aut ad minus quatuor veſtrum, eundem Matthæum Parkerum in Archiepiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ Cathedralis, & Metropoliticæ Chriſti Cantuarienſis prædictæ, ſicut præfertur, electum, electionémque prædictam confirmare, & eundem Magiſtrum Matthæum Parkerum in Archiepiſcopum & Paſtorem Eccleſiæ prædictæ conſecrare, cæteráque omnia & ſingula peragere quæ veſtro in hac parte incumbunt Paſtorali officio, iuxta formam Statutorum in ea parte editorum & prouiſorum, velitis cum effectu, &c. Dat. ſexto Decembris, Anno ſecundo Elizabethæ.

PHIL. Hoc diploma (modò ſit authenticum) quid Regina in mandatis dederit, dilucidè oſtendit; ſed illud porrò quærendum num conſecratio ſecundùm illa mandata peracta fuerit, néc ne.

3 ORTH. Nullus eſt dubitandi locus. Primò, Epiſcoporum, ad quos literæ Regiæ peruenerant, maximè intererat in hoc opus (quod ad veram Religionem, quam ipſi profitebantur, & cuius gratiâ præter vnum omnes exulaſſent, promouendam tantoperè ſpectabat) alacriter incumbere. Deindè mandatum Regium violantibus ingens, ex lege Henrici octaui anno viceſimo quinto promulgatâ, imminebat periculum; de quo ſuprà.

PHIL. Hæc aliquam probabilitatis ſpeciem præ ſe ferunt, quæ ſimplicioribus fucum poſſunt facere: verùm quum [o] Sanderus dicat, *Vos inter vos tres duóſue non habuiſſe Epiſcopos*, & [p] Kelliſonus, *Vos nullos reperiſſe*; ego ſanè tibi in contrarium diſputanti non ſum crediturus, niſi ipſius conſecrationem à tenebris in lucem produxeris.

[o] *Pag.297.*
[p] *Repl. ad Doct. Sutl. p.31.*

ORTH. Ergo vt omnis eximatur ſcrupulus, ex authenticis Eccleſiæ noſtræ monumentis, & diem in quo, & perſonas, à quibus conſecratus eſt, ſummâ tibi fide exponam.

Matthæus

Matthæus [q] Parkerus conſ. Arch. Cant. 17. Decemb. 1559. à { Willi. Barlow. / Iohanne Scorie. / Milone Couerdalio. / Iohanne Hodgskins.

[q] Reg. Parker. tom 1. fol. 2. & 10.

PHIL.[r] *Hic primum aduerti debet diuerſitas ſtyli. Nam in iſta Parkeri conſecratione referuntur prædicti quatuor, per nomina ſua & cognomina abſolutè, abſque vllâ tituli Epiſcopatus additione, cùm tamen cæteras conſecrationes refert, ponendo ſcilicet nomen cum Epiſcopatus titulo, vt in alijs actis publicis fieri ſolet. Cur igitur iſte ordinarius & aſſuetus acta publica componendi modus ac ſtylus, in Parkeri conſecratione immutatus ſit, conijcere non poſſum, niſi quia ij qui eum conſecrare prætendebant, Epiſcopi non erant, ac proinde loco tituli Epiſcopatus, eorum cognomina, præter conſuetudinem, adiecta fuerant.*

[r] Champ. p. 485.

ORTH. Vt de perſonis quæ Parkerum ſacrârunt, ſine omni ambiguitate liquidiſſimè poſſet conſtare, ego eaſdem ex Regiſtris delineandas ſuſcepi. Ecquid autem eſt quod certam & ſingularem perſonam ita deſignat, & quaſi digito demonſtrat, ac eiuſdem nomen & cognomen? Conſecrantium igitur nomina & cognomina adducenda duxi, vt id quod agitur, ſole meridiano eſſet ſplendidius. De titulis autem Epiſcopalibus non adeo eram ſollicitus; quoniam ſi de ſingulorum nominibus & cognominibus ſemel conſtaret, eorum tituli ex diplomate Regio iam allato ſtatim innoteſcerent; quanquam & tituli in dubbus illis Regiſtrorum locis, à me in margine indicatis, clariſſimè exprimuntur. Sed operæpretium eſt, vt fidem meam liberem, ac vna eadémque opera leuiſſimæ tuæ coniecturæ vanitatem patefaciam. Locum igitur priorem (nam hîc ad inſtitutum abundè ſufficit) totum & integrum ex Regiſtris placet tranſcribere.

Regiſtrum Reuerendiſſimi in Chriſto Patris & Domini, Domini Matthæi Parkeri, in Archiepiſcopum Cantuarienſem per Decanum & capitulum Eccleſiæ Cathed. & Metropoliticæ Chriſti Cantuar. prædict. vigore & authoritate licentiæ Regiæ, eis in hac parte factæ, primo die menſis Auguſti, anno Domini milleſimo quingenteſimo quinquageſimo nono electi, ac per reuerendos Patres, Dominos, William Barlowe, nuper Bathon. & Wellen. Epiſcopum, nunc electum Ciceſtren. Iohannem Scory dudum Ciceſtren. nunc electum Herefordẽ. Milonem Couerdale, quondam Exon. Epiſcopum, & Iohannem Hodgskin, Epiſcopum Suffraganeum Bedforden. vigore literarum commiſſionalium Regiarum paten. eis directarum, nono die menſis Decembris tunc prox. ſequent. confirmati, necnon per ipſos reuerendos Patres authoritate prædict. decimo ſeptimo die eiuſdem menſis Decembris conſecrati, Anthonio Huſſe Armigero, tunc Regiſtrario primario dicti Reuerendiſſimi Patris.

[ſ] Reg. Parker, t. 1 fol. 2.

Vides

Vides igitur eorum non ſolùm nomina & cognomina, ſed titulos etiam Epiſcopales in Regiſtro graphicè depingi.

4 Sed à ſacratoribus ad ipſum ſacratum feſtinat oratio. Erat igitur Parkerus vir omni exceptione maior, quem vos ipſi ordinis Epiſcopalis capacem fuiſſe non negatis. Fatetur enim Briſtous fuiſſe [t] *Presbyterum ſecundùm Catholicum ritum*, veſtrum Romanum intelligens. Quod ab eo veriſſimè dictum eſt. Parkerus enim Annæ Bolenæ primùm, deinde, Henrico octauo à ſacellis fuit.

[t] *Antiheret. motiu. pag. 266.*

5 Quàm inſigniter autem fuerit eruditus, vel me tacente, quæ poſt ſe reliquit, loquuntur literarum monumenta. Porrò, antiquitatum diligentiſſimus (ſi quis alius) [u] indagator, eundem antiquitatum maximè ſtudioſum appellat, quippe cuius ſtudio & induſtria multa ſcripta egregia, tam in Latina quàm in Saxonica lingua lucem conſpiciunt, quæ alioqui puluere & tenebris obruta iacuiſſent. Denique quàm bonarum literarum fuerit amans, hæc quæ ſequuntur ſatis demonſtrant. [x] Rochdalliæ in Comitatu Lancaſtriæ ſcholam Grammaticalem fundauit. Collegium Corporis Chriſti apud Cantabrigienſes, in quo educatus erat, ad tredecim ſcholares & duos ſocios alendos locupletauit. In eodem inſuper Collegio duo cubicula & Bibliothecam extruxit, cui complures libros egregios, & ipsâ antiquitate venerandos, nec paſſim obuios, partim excuſos, partim manuſcriptos dono dedit. Academiæ quoque quinquaginta donauit volumina typis excuſa, & calamo exarata totidem. Præterea, ſex conciones in quinque diuerſis Norfolciæ Eccleſijs, quotannis in perpetuum habendas curauit. Aulam Trinitatis reditibus ad vnum ſcholarem alendum, & multis libris dotauit. Quinetiam in alia charitatis opera multas impendit pecunias. Sed de perſonis hactenus. Nunc ipſius ordinationis eſſentiam, id eſt, materiam, & formam introſpiciamus.

[u] *Cambden. in Brit.*

[x] *Vid. Franciſc. Landauenſ. de præſulib. Angliæ.*

6 PHIL. *Ego à viris fide dignis accepi* (inquit [y] Kelliſonus) *nouos veſtros ſuperintendentes factos eſſe Epiſcopos, nullà aliâ adhibitâ ceremoniâ, præterquam quòd Biblia Anglicana eorum capitibus ſuperimponerentur.*

[y] *In replic. ad D. Sutl. p. 31.*

ORTH. Primò rituum & ceremoniarum ordo hic adhibitus in Regiſtris ad viuum depingitur: [z] *Principio ſacellum tapetibus ad Orientem adornabatur, ſolum verò panno rubro inſternebatur, menſa quoque ſacris peragendis neceſſaria, tapeto puluinaríque ornata, ad Orientem ſita erat: quatuor præterea Cathedræ quatuor Epiſcopis, quibus munus conſecrandi Archiepiſcopi delegabatur, ad auſtrum Orientalis ſacelli partis erant poſitæ. Scamnum præterea tapeto puluinaribùſque inſtratum, cui Epiſcopi genibus flexis inniterentur, ante Cathedras ponebatur: pari quoque modo Cathedra ſcamnúmq; tapeto puluinaríq; ornatũ Archiepiſcopo ad Borealem Orientalis eiuſdem ſacelli partis plagam poſita erant.* Et quo ad indumenta: *Ingreditur ſacellum Archiepiſcopus togâ talari coccineâ, caputióque indutus: finita concione ègrediuntur ſimul Archiepiſcopus, reliquíque quatuor Epiſcopi ſacello, ſe ad ſacram communionem paraturi:* neque

[z] *Regiſt. Parker. t. 1 fol. 9.*

Digitized by Google

neque mora, confeſtim per borealem partem, ad hunc modum veſtiti, redeunt. Archiepiſcopus nimirum linteo ſuperpelliceo, quod vocant, induebatur: Ciceſtrenſis electus capa ſerica, ad ſacra peragenda paratus, vtebatur: Herefordenſis, & Bedfordenſis Suffraganeus linteis ſuperpellicijs vtebantur. Nónne hîc erat ceremoniarum ſupellex ſatis ampla & lauta?

PHIL. Vbi autem Milo Couerdalius? De illo enim quid ſis dicturus aueo ſcire.

ORTH. [a] *Milo Couerdalius non niſi toga lanea talari vtebatur.* [a] Ibid.

PHIL. Quid ita? Dic ſodes.

ORTH. Vitam ſibi in poſterum priuatam elegerat, ac proinde de indumentis non erat ſolicitus.

PHIL. [b] *Cur priuatum ſe ſemper geſſit? Certè non ob aliud quàm quia vel eum pœnituit, vel eum puduit commentitiæ conſecrationis tam ſui, quàm Scorij, quæ reuera coniugatorum nulla fuit.* [b] Fitzſimon. Britanom. p. 322

ORTH. Reſpondeo: primò, matrimonium adeo ſanctum eſſe, vt cum illo ad ſolium Epiſcopale quis poſſit aſcendere, vt anteà ex Chryſoſtomo, vel potiùs ex Paulo docui. Secundò, nihil erat, vt eum conſecrationis ſuæ vel puderet vel pœniteret, de qua paulò pòſt vberiùs ſum dicturus. Tertiò, erat ſenex annoſus, cuius canum caput rogis deſtinatum, à flammis furentibus liberauit Regis Danorum apud Reginam Mariam gratia. Quâ fato ſuo functâ, & Elizabethâ ſceptro potitâ, quamuis in patriam ſuam remearet, ſenio tamen confectus, & tot rerum viciſſitudines, ac reciprocantis fortunæ ludibria expertus, honorem & laborem Epiſcopalem declinauit, atque rebus gerendis iam præ ætate impar, in vmbra latere, & otio literario indulgere maluit.

PHIL. *Hîc priuatus à Maſono vnus ex ijs qui Parkerum conſecrarent, per ſummam oſcitantiam fuiſſe perhibetur,* vt ait Fitz-Simon.

ORTH. Maſonus rem totam, prout geſta eſt, ex Archiuis fideliter narrat.

PHIL. Couerdalius erat duntaxat priuatus.

ORTH. Vitam priuatam poſt hunc diem agere cogitauit, ſed hoc non impedit, quin Parkero ſacras manus imponere potuerit. Erat enim Epiſcopus quoad characterem; immò quoad ſedem quoque. Epiſcopatus Exonienſis, eius quondam fuit, quoad legitimam poſſeſſionem; & adhuc erat, quoad ius & titulum. Sed vt, miſſo Fitz-ſimone, ad Kelliſonum reuertar; quod de Biblijs narrat, nobis non eſt in vſu. Non enim ſolemus ſacra Biblia capiti ſuperimponere, ſed conſecrandis in manus tradere.

Denique, in ipſa conſecratione impoſitio manuum eſt adhibita, cuius ſolius cæremoniæ in ordinatione vſurpatæ meminiſſe dignatur Spiritus ſanctus, quámque Bellarminus vt materiam eſſentialem amplectitur. Ad ritus autem ab hominibus excogitatos quod attinet, eorum redundantiam Eccleſię noſtræ viſum eſt præcidere, neque nobis inuitis à Papa denuò obtrudi poſſunt.

PHIL.

Digitized by Google

[c] *Champ. p. 190.* PHIL. [c] *Falſum eſt* (inquit Champnæus) *Scripturam ſolius impoſitionis manuum in ordinatione meminiſſe: nam ieiunij quoque & orationis meminit.*

ORTH. Verborum interpretatio facienda eſt ſecundũ rem ſubiectam. Nos autem de ordinationis materia agimus. Quamobrem cùm dixeram huius ſolius cæremoniæ meminiſſe Scripturas, non erat animus orationem aut ieiunium excludere, ſed eas duntaxat cæremonias quæ à vobis tanquam ordinationis materia vrgentur, quales ſunt, annulus, baculus, oleum, & id genus alia, quæ in vita Parkeri numerantur his verbis quæ ſtatim ſubieci: [d] *In qua conſecratione hæc ei obuenit commemorabilis fælicitas, quòd quum poſt Auguſtinum ſeptuageſimus Archiepiſcopus fuerit, ſolus tamen atque primus fuit, qui, tota illa tam prolixâ & putidâ ſuperſtitione detractâ, ſine bullatâ approbatione Papæ, otioſiſque Aaronicis ornamentis, Chirothecis, annulis, ſandalijs, crepidis, mitrâ, pallio, ac eiuſmodi nugis ſacrationem accepit, multóque rectiùs, ſimpliciùs & puritati Euangelicæ congruentiùs auſpicatus eſt à precibus & inuocatione Spiritus ſancti, & manuum impoſitione, pijs ab eo interpoſitis ſtipulationibus, in indumentis verò Archiepiſcopali authoritati grauitatique conſentaneis, habitáque per pium & doctum Theologum pro concione, de Paſtoris in gregem officio, cura, & fide, gregíſque viciſſim in paſtorem amore, obſequio, & reuerentiâ, diſcretâ admonitione, eáque finita Euchariſtiæ à frequenti grauiſſimorum hominum cætu perceptione, & ad extremum omnium communi & ardenti oratione, vt munus iam illis impoſitum maximè cedat ad Dei gloriam, gregis ſalutem, ſuæq́; conſcientiæ lætum teſtimonium.*

[d] *Author vitæ Matthæi Parkeri.*

[e] *Champ. p. 479. in margine.* PHIL. *Aduerte* (inquit [e] Champnæus) *inſtitutionem cleri Proteſtantici incepiſſe tantùm à Parkero. Ergo nondum ſexaginta habet annos.*

ORTH. Vnde hoc obſeruat Champnæus? An quia Parkerus omnium Archiepiſcoporum Cantuarienſium primus ſine bullis Pontificijs, & tantâ cæremoniarum ſupellectile eſt ſacratus? Quaſi verò inutiles cæremonias extirpare nouum eſſet miniſterium fabricare. Vel fortè quia Parkerus fœlix initium feciſſe perhibetur? Verùm hoc non de initio noui miniſterij, ſed de Parkeri in ordinem Epiſcopalem ingreſſu eſt intelligendum, quem non inanis cæremoniarum pompa, ſed pietas & religio nobilitauit. Hîc ſanctæ preces ad Scripturæ normam compoſitæ. Hîc ſacra cœna iuxta Chriſti inſtitutum celebrata. Hîc pia concio cœleſtem veritatem docuit, & reſerauit: [f] *Preces enim matutinæ per Andream Peerſon, Archiepiſcopi capellanum, clarâ voce recitabantur, quibus peractis Iohannes Scory ſuggeſtum conſcendit, ac inde ſumpto ſibi in Thema,* [g] *Seniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro conſenior, &c. non ineleganter concionabatur.* Ita Parkerus munus ſuum Epiſcopale fœliciter eſt auſpicatus.

[f] *Regiſtr. Parker. fol. 10.*

[g] *1. Pet. 5. 1.*

[h] *Champ. p. 479.* PHIL. [h] *Quid obſecro ad euertendam ac penitùs refutandam cuiuſuis ordinationem ſeu inſtitutionem magis directè, magiſque appoſitè dici poſſet?*

Digitized by Google

poſſet? Parkerus inter ſeptuaginta, qui per ſpacium mille ferè annorum in ſede Cantuarienſi ſibi inuicem ſucceſſerunt, primus qui ſedem illam abſque literis Apoſtolicis occupauit. Quis itaque iure negare poteſt illum primum fuiſſe, qui abſque legitima & canonica ordinatione, electione, & inſtitutione ſedem illam inuaſit?

ORTH. Conſecratio illa dicenda eſt canonica, quæ antiquis canonibus congruit. Qui de bullis, credo, Pontificijs non loquuntur. Conſulantur Niceni, Conſtantinopolitani, Epheſini, Chalcedonenſes; de bullis Papalibus nihil occurret. Pontifices tum Romani iſtiuſmodi bullas ebullire non ſolebant: vel ſi feciſſent, profectò eorum bullæ in bullam abijſſent.

PHIL. [l] *Dicitur quoque primus, qui nouum conſecrandi ritum & ordinem incepit. Quis ergo dubitare poteſt conſecrationem eius non fuiſſe à Chriſto inſtitutam, & per ſucceſſionem ab Apoſtolis ad illum deriuatam, ſed nouiter ab hominibus inuentam, neque anteà in mundo auditam fuiſſe?* [l] *Champ ibid.*

ORTH. Noſtra Epiſcopos conſecrandi ratio in omnibus verè eſſentialibus eadem eſt cum veſtra, vt ex præcedentibus apparet. Si igitur veſtra, quoad eſſentialia, ſit ex inſtitutione Chriſti, & noſtra quoque erit. Cæterùm præter eſſentialia ad Epiſcopalem conſecrationem rectè & decorè celebrandam multa concurrant oportet; veluti lectiones, precationes, admonitiones, & præterea in conſtituta Eccleſia, florente pace, aliquis inſuper cæremoniarum apparatus, quarum diſpoſitio & concatenatio ab humano eſt ingenio. Deus enim cuique Eccleſiæ, quæ ab alia non dependet, hanc indulſit poteſtatem, modò omnia fiant honeſtè, & decorè. Veſtra autem formula nimis redundantibus luxuriat cæremoniarum folijs, quæ ædificationis fructum impediant. Hæc à nobis reſciſſa ſunt, & veſtra forma reformata; iuxta quam ita limatam licèt multi regnante Edouardo facti ſint Epiſcopi, nullum tamen Archiepiſcopum ſub eius Regno euectum eſſe contigit. Parkerus igitur omnium Archiepiſcoporum primus, ſecundùm nouum ordinale (de quo ſuprà copioſè diximus) eſt initiatus.

PHIL. [k] *Si Parkerus eodem modo & ritu, quo ſanctus Auguſtinus non fuit conſecratus, quis ſenſu communi non priuatus, illius conſecrationem veram, validámque fuiſſe affirmare audebit?* [k] *Champ. p.420.*

ORTH. Sacratus fuit perinde ac Auguſtinus quoad omnia eſſentialia, licèt non quoad omnes cæremonias; conſecratio tamen nihiloſeciùs ſana erat & canonica.

PHIL. *Quemadmodum ſi aliâ formâ & ritu baptiſmi, quàm ſanctus Auguſtinus docuit, baptizatus fuiſſet, verum abſque dubio non recepiſſet baptiſmum; ita neque veram ordinationem recepiſſe cenſendus eſt.*

ORTH. In baptiſmo ſemel quis tingatur an ter, ad baptiſmi eſſentiam nihil intereſt. Ritus igitur varius eſſe poteſt, interim vt

vtrobique ſit legitimus baptiſmus. Porrò, vos ipſi baptiſmum noſtrum approbatis,qui tamen non adeo multis orneratur cæremonijs ac tempore Auguſtini; neque verò reijcienda eſt ordinatio ob reſectas accidentales cæremonias. Sed de materia hactenus.

8 PHIL. Vt pergamus igitur; quâ tandem vſi ſunt verborum formulâ? An illâ quam memorat Henricus Fitz-Simon, his verbis? [l] *Scoraus iubet omnes procumbere in genua: Deinde, Parkeri prensâ manu,ait,Eia Domine Epiſcope Cantuarienſis,ſurge. Iterum pari modo Grindallo,Eia Domine Epiſcope Londinenſis,ſurge,&c.* O nobilem conſecrandi formulam,& cauponâ dignam!

[l] Fitzſimon Britannom. pag.321.

ORTH. O nobile mendacium, & Ieſuitâ dignum! Nam eâdem prorſus vſi ſunt verborum formulâ,quæ ſub Eduardo ſexto in vſu fuit,quæque adhuc in Eccleſia Anglicana, addo etiam & in Romana (ſic viſum eſt numini) retinetur. Qualis autem fuerit, ex ipſa conſecratione in tabulas publicas relata ſic habe.

[m] *Finito tandem Euangelio, Hereforden. electus, Bedſorden. Suffraganeus,& Milo Couerdale, Archiepiſcopum coram Ciceſtren. electo, apud menſam in Cathedra ſedente, hijs verbis adduxerunt: Reuerende in Deo pater, hunc virum, pium pariter atque doctum, tibi offerimus, atque præſentamus, vt Archiepiſcopus conſecretur. Poſtquàm hæc dixiſſent, proferabatur illico regium diploma ſiue mandatum, pro conſecratione Archiepiſcopi,quo per Dominum Doctorem Yale, legum Doctorem, perlecto, Sacramentum de Regio primatu, ſiue ſupremâ eius authoritate tuendâ, iuxta Statuta primo anno Regni ſereniſſimæ Reginæ noſtræ Elizabethæ edita & promulgata, ab eodem Archiepiſcopo exigebatur. Quod cùm ille ſolenniter, tactis corporaliter ſacris Euangelijs, conceptis verbis præſtitiſſet, Ciceſtren. electus, populum ad orationem hortatus, ad Letanias decantandas,choro reſpondente, ſe accinxit. Quibus finitis, poſt quæſtiones aliquot Archiepiſcopo per Ciceſtren. electum propoſitas, & poſt orationes & ſuffragia quædam, iuxta formam libri authoritate Parliamenti editi,apud Deum habita, Ciceſtren. Hereforden. Suffraganeus Bedforden.& Milo Couerdallus,manibus Archiepiſcopo impoſitis, dixerunt Anglicè,*viz. *Take the holy Ghoſt, and remember that thou ſtirre vp the grace of God which is in thee by impoſition of hands: For God hath not giuen vs the ſpirit of feare, but of power,and loue and ſoberneſſe.* Id eſt,ſi Latinè reddamus, Accipe Spiritum ſanctum, & excitare memineris gratiam Dei,quæ in te eſt per manuum impoſitionem. Dedit enim nobis Deus Spiritum, non timoris, ſed poteſtatis,charitatis, & ſobrietatis.

[m] Reg. Parker. tom.1.f.10.

Ita locum,perſonas, materiam, & formam huius conſecrationis ad examen reuocauimus, nec quicquam tamen occurrit,quod non & legibus Anglicanis, & Canonibus eccleſiaſticis, ac venerandæ antiquitatis praxi per omnia reſpondeat.

PHIL. [n] *Si Parkerus primus omnium Epiſcoporum extiterit,qui iſto*

[n] Champ.p.512.

ritu

ritu conſecratus fuit, quis, niſi gnauiter impudens, diceret conſecrationem eius conformem eſſe Regni legibus, Eccleſiæ Canonibus, & venerandæ antiquitatis praxi?

ORTH. Dum legibus conuenire aſſero, non leges antiquatas, ſed vigentes, & florentes intelligo. Quod miror Champnæum aquilinis ſuis oculis non vidiſſe. De Canonibus centies reſponſum eſt. De bullis autem quæ blaterat, nihil ſunt aliud præter bullatas nugas, vt paulò antè oſtendi.

Denique hàc tota in cauſa, quàm prudenter & cautè ſe geſſerit prudentiſſima Regina, inde liquidò apparet, quòd prædictas literas patentes ad varios vtriuſque iuris profeſſores tranſmiſerit, vt de iiſdem liberè iudicare poſſint. Qui omnes vnanimi conſenſu diploma Regium vt legitimum approbârunt, & Epiſcopos hoc confirmandi & conſecrandi munus legitimè obire, ſeu exercere poſſe pronunciârunt. Quorum nomina proprijs manibus ſubſcripta, in [o] Regiſtris ſeruantur; & ſic ſe habent. [o] Regiſter. Parker. t. 1 fol. 3.

Gulielmus Maius.	Henricus Haruey.
Robertus Weſton.	Thomas Yale.
Eduardus Leedes.	Nicolaus Bullingham.

PHIL. [p] *Nonne in iſto ſupra modum ineptus, & ridiculus eſt Maſonus? Nam tametſi iſti pro peritia ſua in Theologia, Auguſtino; in iuriſprudentia, Barthol o; in integritate & conſtantia, Curio Dentato comparandi eſſent: atque inſuper illi, cuius nomine iſta eis proponebantur, non fuiſſent ſubditi, vt ſententias ſuas liberiùs proferre potuiſſent, quanti obſecro ponderis ac momenti fuiſſet eorum ſententia, totius Chriſtiani orbis, ab ipſis Apoſtolis, vſque ad Regnum Eduardi ſexti Regis Angliæ, iudicio comparata?* Nam ſi toto hoc tam locorum quàm temporum ſpacio, Apoſtolos etiam ipſos non excludendo, vnicum tantùm exemplum Epiſcopi conſecrati, ad modum quo Parkerus conſecratus fuit, Maſonus, vel quiuis alius producere poſſit, cauſam obtinebit. [p] Champ. p. 513.

ORTH. Næ tu, Champnæe vltra modum es ridiculus, qui his nugis tam ridiculè inſiſtis. Etenim quotquot vnquam in Eccleſia Dei floruerunt Epiſcopi, ſi eſſentiam ſpectemus, perinde ac Parkerus ſunt conſecrati. Si in adiaphoris etiam conſenſum exigas vniuerſalem, nimis es importunus, & teipſum iugulas. Quare quòd de toto Chriſtiano Orbe crepas, eſt planè puerile crepitaculum.

PHIL. *Iudicium ſex tantùm virorum, qui in iuriſprudentia non ſummi, in ſacra verò Theologia nulli, ordinariæ tantùm integritatis, & vix ordinariæ conſtantiæ & fortitudinis erant, Principis illius, quæ ſententias eorum poſtulabat, Dominio ſubiecti, quæ apud ſe iam ſtatuerat, propoſitum ſuum non mutare, quicquid illi in contrarium reſoluerent, & iſtorum opiniones (quos voluntati ſuæ conformes fore præſciebat) ſolùm vt*

tenui aliquâ vmbrâ, leuique iuris fuco factum ſuum obtegeret, requiſierat, ſex dico huiuſmodi virorum ſententiam contra totius Orbis Chriſtiani Iudicium in re ſacra, ſummique momenti in medium proferre, nónne hoc eſt perfectè inſanire?

ORTH. Quàm hoc iniquum eſt, Champnæum de hominum, ante ſexaginta annos in Republica magna cum laude florentium, ſcientia, fama, virtute, nullâ redditâ ratione, tantopere delibare? Sed hoc eſt perpetuum Papiſtarum ingenium, plenum calumniarum, charitatis inane. Cæterùm quis hoc feret, miſellum ſcilicet homunculum, terræ filium, Principem ſuam glorioſiſſimam tot conuitijs proſcindere? Si legum peritis non conſultis quicquam tentâſſet, in eam Champnæus vt præcipitem irruere potuiſſet: iam verò viros eruditos conſulit, interrogat, percontatur, monet vt liberè loquantur; ecquid Sol vidit prudentius, ecquid moderatius? Et tamen Champnæus (tanta eſt maledicendi libido) in eam vel mortuam petulantiſſimè debacchatur. Sic ranunculi coaxant è cauernulis.

CAP.

Digitized by Google

CAP. X.

De conſecratorum Parkeri conſecratoribus.

- *Qui*
  - *canonicè ordinati ſub*
    - *Hen. 8.*
      - *Barlous*
        - *Sacratus fuit hic;*
          - *confirmatio conſtans 6. rationibus:*
            - *1. A tam illuſtri executione officij.* 1
            - *2. Ab uniuerſali omnium ordinum agnitione.* 2
            - *3. Ab homagio Regibus præſtito.* 3
            - *4. A temporalium reſtitutione.* 4
            - *5. A maneriorum commutatione.* 5
            - *6. A loco honorario inter proceres.* 6
          - *Confutatio obiectionis Champnæi à*
            - *Regiſtrorum ſilentio.* 7
            - *Diplomate Regio.* 8
        - *Etiamſi ſacratus non fuiſſet, Parkeri tamen conſecratio eſſet canonica.* 9
      - *Iohan. Hodgskinſus, Suffraganeus Bedfordienſis.* 10
    - *Eduardo ſexto.*
      - *Iohannes Scoræus Ciceſtrenſis.*
      - *Milo Couerdalius Exonienſis.* 11
  - *Sancti confeſſores, Religionis ergo, regnante Mariâ, exiliũ perpeſſi.* 12

PHIL.

SI hæc tibi omnia, quæ de Parkeri conſecratione protuliſti, diſputandi gratiâ, conceſſero, nihil tamen efficies, niſi illorum etiam qui Parkerum ſacrârunt, conſecrationem in lucem produxeris. Dic igitur, quando, & à quibus ipſi acceperint.

ORTH. Ex his quatuor, duo ſub Henrico octauo, reliqui ſub Eduardo ſexto. Sub Henrico Barlous, & Iohannes Hodgskins,

Suffraganeus Bedfordienſis. Barlous erat vir literarum peritiâ inſignis, qui (vt [a] Balæi verbis vtar) *ab erudito ingenio famam accepit.* Qua de cauſa ad Prioratum de [b] Biſham primò euectus eſt; tum ad ſedem [c] Aſaphenſem electus; in qua confirmatus eſt viceſimo tertio Februarij 1535. paulò pòſt ab Aſaphenſi ad [d] Meneuenſem traductus, in eadem per reliquum Henrici tempus permanſit, rebus omnibus ad ordinem Epiſcopalem ſpectantibus ritè perfungens, etiam in Epiſcoporum ordinatione manus imponens, vt [e] ſuperiùs ex Archiuis docuimus. Porrò Eduardus ſextus eundem Epiſcopatu Bathenſi ac Wellenſi ornauit, & amplificauit, cui per reliquum Eduardi tempus præfuit. Elizabetha poſtea ad Ciceſtrenſem Eccleſiam tranſtulit, quam vſque ad vitæ ſuæ terminum adminiſtrauit.

[a] *De ſcript. Angl. cent. 9 41.*
[b] *Regiſtr. Cranmer. fol. 181.*
[c] *Ibid. fol. 179.*
[d] *Ibid. fol. 235.*
[e] *L. 2. c. 11. n. 3.*

PHIL. [f] *Eſto hoc verum, cùm tamen non ſit admodum veriſimile; aliud certè indè non concluditur, quàm ex hoc argumento, quod eſt ſimile, concluderetur. Barlous (qui fuit Sacerdos) habuit mulierem, & liberos; ergo abſque dubio legitimus fuit maritus. Quæ argumentatio neſcio vtrum in logica Maſoni legitima ſit necnè, ſcio tamen quòd in re ipſa inſulſa ſit atque abſurda, vtpote (præter alios defectus) euidenter petens principium, atque ſupponens id quod deberet probari. Idem in ſuo argumento conficiendo vitium incurrit Maſonus. Nam niſi præſupponat Barloum verè fuiſſe conſecratum (quod in quæſtione eſt) ex eo quòd alterius conſecrationi aſtiterit, illum verè fuiſſe conſecratum, inferre nequit, niſi priùs oſtenderit eum adeò rectum ac probum fuiſſe, vt nihil vnquàm quod ei non liceret, facere attentauerit. Quod Maſono non modò difficile, ſed & omninò impoſſibile eſt probare.*

[f] *Champ. p. 491.*

ORTH. Primò, hoc ſemper malè habet veſtros homines, quòd noſtri ſint coniugati. Quaſi verò non ſatius eſſet vxorem iuſto & ſancto matrimonio ſibi copulare, quod fecit Barlous, quàm æſtuantibus cupiditatum flammis flagrare, & vas ſuum polluere, quod plerunque faciunt veſtri. Memineris quæſo Iohannis Cremenſis, Cardinalis Romani, qui cùm in Concilio Londinenſi ſeueriſſimè de vxoribus Sacerdotum tractâſſet, dicens, ſummum ſcelus eſſe à latere meretricis, ad corpus Chriſti conficiendum ſurgere, quamuis eodem die corpus Chriſti confeciſſet, cum [g] meretrice poſt veſperam interceptus eſt. Secundò, vt ad argumenti formulam accedam, verum eſt, non ſequitur hæc illatio, Sempronius habet mulierem & liberos, ergo eſt maritus. Complures enim, proh dolor, vbique terrarum, etiam Romæ, reperti ſunt, & fortaſsè ſummi Pontifices, qui mulieribus potiebantur, & liberis operam dabant, quos tamen maritos fuiſſe non dicturus es, credo.

[g] *Hen. Huntindon. hiſt. l. 7. p. 382.*

PHIL. Eodem planè modo peccat ratio tua. Etenim Epiſcopus eſt Eccleſiæ ſuæ maritus, qui per manuum impoſitionem, miniſtros, tanquam filios quoſdam ſpirituales, procreat. Quare vt à fruitione fœminæ, vel filiorum procreatione ad legitimum maritum non ſequitur argumentum, ita nec à poſſeſ-

Digitized by Google

ſione Eccleſiæ,& miniſtrorum ordinatione ad legitimum Epiſcopum.

Orth. Non à qualicunque fateor, ſed à tali. Barlous enim Epiſcopatus ſuos Rege nominante, Eccleſiâ eligente, Metropolitano confirmante,nemine contradicente aſſecutus, pacificè & laudabiliter rexit, & ordinandis Presbyteris, ac Epiſcopis, non ſine comprouincialium & ipſius Metropolitani approbatione, publicè & ſolenniter in facie Eccleſiæ ſacras manus impoſuit: quod à non Epiſcopo fieri nunquam permiſiſſent. Eccleſia enim Anglicana, à primis fidei iactis fundamentis, in ordinandis miniſtris ſemper vſa eſt Epiſcoporum operâ, nec quenquam non Epiſcopum ordinationes celebrare vnquam paſſa eſt. Hoc ſi quis fortè Presbyter tentaret (quod Regnante Richardo ſecundo factum [b] legimus) quos ita ordinari contigit, Eccleſia Anglicana pro miniſtris non agnouit, ſed indignabunda repulit, quoſdam etiam virgis publicè cædendos curauit, ipſóſque ordinantes audaciæ & nequitiæ damnauit. Quòd ſi noſtro quoque ſeculo talis in Anglia exoreretur aliquis, qui non Epiſcopus officium Epiſcopale ita inuaderet, contra canonem, contra conſuetudinem, contra praxin, contra Prælatos, contra Metropolitanum, contra legem, contra Regem; nónne omnes obſtupeſcerent? Nónne omnes ipsâ nouitate percellerentur? Nónne talis nouator omnium in ſe oculos & animos conuerteret? Nónne omnium in ſe linguas & ſtylos acueret? Hoc enim facinus vltra modum eſſet audax, & citra exemplum ſingulare, ac eò nomine in omnium odia & apertas reprehenſiones incurreret. At in Barloo nemo ſtupuit, nemo hæſit attonitus, nemo in illum ſtrinxit calamum, nemo vel verbo quidem violauit. In Barloo igitur, dum ſacros contulit ordines, nihil fuit nouum, nihil inſolens.

[b] *Tho. Walſing-ham in Rich. 2. p.339.*

Phil. Fortè Epiſcopum ſimulauit, atque ita Eccleſiæ fucum fecit. Non deſunt enim qui nuptias ſimulantes diu fallunt, qui tamen aureo matrimonij vinculo coniugati non ſunt.

Orth. Verum; non eſt eadem ſpiritualis coniugij, quod Epiſcopis Anglis cum Eccleſijs ſuis intercedit, ratio. Etenim qui non ſacratus ſe ſacratum fingeret, atque ita Regi, Metropolitano, comprouincialibus, totique Regno & Eccleſiæ illuderet, à prima Inſulæ conuerſione, ad hunc vſque diem prorſus reperio neminem. Immò hoc ipſum (vt iam diu ſe habent tempora) vix aut ne vix quidem fieri poteſt. Conſecratio enim Epiſcopalis tanto cum ſplendore & ſolennitate geritur, adeò in oculis hominum & ipſius Solis conſpectu verſatur, vt nec latere nec ſimulari queat. Barlous igitur fuit Epiſcopus non laruatus, non fictus, fucatus, aut ſimulatus, ſed verus, & verè ſacratus.

Phil. Quid audio? An tu ex officij executione, conſecrationem inferes Epiſcopalem?

Orth. Ex tali, Philodoxe: id eſt, ex tam generali, diuturna,

illuſtri,& inculpatâ executione. Siquidem Barlous non modò in facie Eccleſiæ Presbyteros & Epiſcopos ordinauit, ſed firmas & fundos Epiſcopales elocauit, cenſuras emiſit, eaſdémque, vbi res tulit, relaxauit, beneficia contulit, & reliqua officia Epiſcopalia publicè & ſolenniter impleuit vniuerſa, non ſemel aut iterum, ſed frequentiſſimè, ſi non in ſede Aſaphenſi, quam vix ſalutatam mox reliquit, at in Meneuenſi per annos decem, in Bathenſi ac Wellenſi per annos quinque, denique in Ciceſtrenſi per annos decem, id eſt, vſque ad ſuum obitum, idque partim ſub Henrico octauo, partim ſub Eduardo ſexto, partim ſub Elizabetha, nemine vnquam contradicente, nemine vnquam reprehendente. Iam cuiuſquam hominis, qui Eccleſiæ Anglicanæ conditionem nouit, & diligenter perpendit, candorem appello, an fieri queat, vt quiſquam vniuerſa munera Epiſcopalia, tot annos per tot diocœſes, ſub tot principibus, in tali Eccleſia, in tanta hominum luce, ſine conſecratione obire poſſit, interim vt nemo vel leuiter mutire, vel contra hiſcere auditus ſit?

2 Porrò non ſolùm vniuerſi Angli pro vero Epiſcopo agnouerunt, & debitâ obſeruantiâ ſunt proſecuti, ſed Buchananus etiam, eiuſdem in Scotiam legationem referens, iuſto eum Epiſcopali titulo inſignit. *Anglus* (inquit) *miſit in Scotiam Sancti Dauidis, ſiue Meneuenſem Epiſcopum*. Hic autem tibi memoriâ recolendum, quod tradit [b] Sanderus; Neminem ſcilicet, regnante Henrico, niſi *à tribus Epiſcopis, cum conſenſu Metropolitæ ordinatum, pro Epiſcopo agnoſci oportere*. Quamobrem, quum Barlous tam inſigniter & celebriter pro Epiſcopo ſit agnitus, non modò ſub Eduardo ſexto, & Elizabetha, verùm etiam ſub Henrico octauo, eundem *à tribus Epiſcopis, cum conſenſu Metropolitæ*, ordinatum eſſe, eſt luce clarius.

[b] Sand. de ſchiſ. l. 3. p. 296.

PHIL. *Hoc* [c] *argumentum nihil probat, niſi ad ſummum popularem errorem, fundatum in iniuſtâ ſedis Epiſcopalis occupatione; quod fiebat quoq; in Ridleio, Hoopero, & alijs in ſedes Epiſcopales ſub Eduardo ſexto intruſis; quos tamen non conſecratos, neque verè Epiſcopos fuiſſe, ex iudicio tam ciuili quàm Eccleſiaſtico, ſuperius clarè vidimus.* Tandem dicit *Buchananum eum vocare Epiſcopum. Sed quid mirum, ſi is qui ad Epiſcopatum nominatur, vel eum etiam occupat, Epiſcopus vocetur? Certè magnâ teſtimoniorum penuriâ hac in re laborat Maſonus, cum ad extraneos confugere cogatur, vt ab eis adeo infirmum ac inualidum teſtimonium emendicare non erubeſcat.*

[c] Champ. p. 492.

ORTH. Ridleium, & reliquos purpuratos Martyres à conuitijs tuis ſuprà liberaui, nec placet actum agere. Hoc autem, quod arrodis, argumentum non eſt, vt tu exiſtimas, error popularis, neque in ſola Epiſcopatuum poſſeſſione fundatur, ſed eſt vnanimis totius Eccleſiæ ac reipublicæ Anglicanæ ſententia, quæ ad exteros etiam dimanabat. Quid? An omnes per errorem lapſi ſunt? An omnes non ſacratum pro ſacrato habuerunt? At certè permulti ſunt, qui hoc modo errare non poterant. Non Rex, ſine cuius diplomate

Digitized by Google

diplomate nemo conſecratur: non viri illi integerrimi & ſpectatiſſimi, qui diplomati Regio ſignetum, priuatum ſigillum, & magnum Angliæ ſigillum affigunt. Non Archiepiſcopus, cuius eſt ſacrare: non Archidiaconus Cantuarienſis, cuius eſt ſacratos in Eccleſias ſuas Cathedrales inducere. Ab his tamen omnibus & ſingulis Barlous pro vero Epiſcopo eſt habitus. Hæc igitur tam generalis agnitio non errorem popularem, ſed rei veritatem arguit. Cæterùm, vt Barloi conſecratio adhuc reddatur illuſtrior, duobus quæ præmiſi argumentis alia nonnulla placet attexere; quæ ſi non proſint ſingula, iuncta iuuant.

Tertium igitur ducetur ab homagio, hominio, ſeu fidelitate illa, 3
quam Epiſcopi Anglicani pro Epiſcopatibus ſuis, poſt electionis, confirmationis, & conſecrationis peracta ſolennia, & ante temporalium ſuorum receptionem, vt ex [d] Statuto patet, Domino Regi [d] 25.H.8.c.20.
tenentur præſtare. Quam ſi Barloum hoc nomine Maieſtati Regiæ exhibuiſſe oſtendero, eundem primitus fuiſſe conſecratum ſatis liquebit. Iam verò Barloum erga Reginam Elizabetham pro Epiſcopatu Ciceſtrenſi, anno ſecundo Eliz. menſis Martij die viceſimo primo, hoc functum eſſe officio ex [e] rotulis Cancellariæ [e] Ex capella rotulorum Cancellariæ.
ſplendidiſſimè eniteſcit. Porrò eundem, ſimilem quoque fidelitatem Regi Eduardo ſexto pro Epiſcopatu Bathenſi ac Wellenſi feciſſe in [f] Chartis Regijs clariſſimè exprimitur: ſimilémque ab eodem pro Epiſcopatu Meneuenſi peractam eſſe arguit temporalium reſtitutio, de qua iam deinceps eſt agendum. [f] Chartæ Regiæ apud Whitehal in cuſtodia Tho. Wilſon militis.

Quartò, temporalium reſtitutio, vt ex [g] Statuto patet, eſt conſe- 4 [g] 25.H.8.c.20.
cratione aliquo temporis interuallo poſterior. Ergo à legitima horum reſtitutione ad conſecrationem, ex perpetua & inuiolata Angliæ conſuetudine, valet ratio. Nec impedit quod de [h] Roberto Eboracenſi refertur, qui Epiſcopatus Elienſis temporalia ſine conſecratione obtinuit. [h] Franc. Landau. in præſul. Elienſ. in Iohan. de fontibus.
Nam primò id trecentis annis ante emiſſum hoc Statutum contigit. Secundò, illud ipſum prodigij inſtar à Scriptoribus narratur. Tertiò, ab hac ipſa poſſeſſione mandato Pontificis eſt deturbatus. Denique non accepit, ſed inuaſit, nec erant à Rege reſtituta, ſed à non Epiſcopo rapta. At Barloo à Regibus reſtituta ſunt. Eccleſiæ Meneuenſis temporalia eidem reſtituit Henricus octauus, vt ex eiuſdem literis patentibus conſtat, datis viceſimo ſexto Aprilis anno regni ſui viceſimo octauo, quorum exemplar ex [i] Archiuis deſcriptum apud me habeo, ex quibus pauca ad inſtitutum maximè accommodata placet ſubijcere. [i] Ex Capel. rotul. Cancellar.

Henricus octauus, &c. Sciatis quòd, qùum Cathedralis Eccleſia Meneuenſis per mortem Richardi Rawlins, nuper Epiſcopi Men. nuper viduata, ac Paſtorali ſolatio fuerit deſtituta & vacauerit, eo prætextu omnes exitus, & proficua, firmæ, redditus, reuerſiones, cum commoditatibus & emolumentis omnium temporalium Epiſcopatus illius à tempore mortis prædicti nuper Epiſcopi, durante tẽpore vacationis Epiſcopatus illius, nobis

iure prærogatiuæ noſtræ Regiæ pertinuerunt & ſpectauerunt, ac pertinere & ſpectare dignoſcuntur, quúmque præcentor & capitulum dictæ Cathedralis Eccleſiæ poſt mortem prædicti Epiſcopi, licentiâ noſtrâ inde priùs obtentâ, dilectum & fidelem noſtrum Willielmum Barlow, nunc dicti Eccleſiæ Cathedralis Men. per nos nominatum Epiſcopum, in ſuum elegerunt Epiſcopum & Paſtorem, Reuerendiſ. in Chriſto Pater Tho. Archiep. Cant. electionem illam acceptauerit, & confirmauerit, ipſúmque ſic electum Epiſcopum præd. eccl. Men. præfecit & Paſtorem, ſicut per literas patentes ipſius Archiepiſcopi, indè directas nobis conſtat. Nos nunc certis de cauſis & conſiderationibus nos ſpecialiter mouentib. & ob ſinceram dilectionem quam penes præfatum nunc Epiſcopum gerimus & habemus, de gratiâ noſtrâ ſpeciali, ac ex certa ſcientia & mero motu, noſtris dedimus & conceſſimus ac per præſentes damus & concedimus, pro nobis, hæredibus & ſucceſſoribus noſtris, quantum in nobis eſt, eidem nunc Epiſcopo, omnia & ſingula exitus, firmas, redditus, proficua, reuentiones, aduantagia, commoditates, feoda, & alia emolumenta quæcunque, cum omnibus & ſingulis ſuis pertinentijs & dependentijs omnium & ſingulorum honorum, caſtrorum, dominiorum, maneriorum, terrarum, tenementorum, redditúum, firmarum, feodorum, annuitatum, penſionum, portionum, rectoriarum, vicariarum, Eccleſiarum, hundredorum, caſtrorum, burgorum, villarum, villatarum, Hamlettorum, molendinorum, &c. In cuius rei teſtimonium, &c.

Similiter Eccleſiæ Ciceſtrenſis temporalia, eidem Willielmo Barloo Reginam Elizabetham, anno Regni ſui ſecundo Martij die viceſimo primo reſtituiſſe, in [a] Archiuis reperio. Eccleſiæ autem Bath. ac Wellen. temporalia eidem ab Eduardo ſexto (cui eo nomine homagium præſtitit) reſtituta eſſe dubitari non poteſt. Hoc enim tum Epiſcopi, tum ipſius Regis, vt mox liquebit, vel maximè intererat.

4

[a] *In capel. rotul. cancellar.*

5 Vt igitur ad quintum accingar argumentum, ipſe [b] Champnæus fatetur, fundorum elocationes ab Epiſcopo nondum conſecrato factas, licèt à decano & capitulo confirmatas, ratas tamen & validas non eſſe, idque ex ſententia Iudicis: quod ſanè, ſi quid ego aſſequor, eſt veriſſimum. Hinc ſequitur Barloi (ſi modò nunquam ſacratus fuiſſet) omnes contractus Epiſcopales, omnes ſyngraphas tam inanes fuiſſe & caſſas, ac ſi in aqua conſcriberentur. Nec enim vel fundos Epiſcopales firmarijs dimittere, nec maneria & latifundia commutare, nec quicquam ſuo & ſucceſſorum nomine in gremium ſuum recipere penes eum, ſed quicquid his in rebus moliretur, futile foret ac irritum, vel eo nomine, quòd conſecratione Epiſcopali eſſet deſtitutus. Hæc ſi ita ſe haberent, an credibile eſt, neminem vnquam exortum eſſe, qui Barloi acta Epiſcopalia reſcindere, aut infringere conaretur? Neminem vnquam, qui eidem hac de cauſa litem vllam intenderet. Vnum nobis, Champnæe, ſi potes, nomina, & te magnum & inopinabile quiddam præſtitiſſe fatebimur. Eius tamen acta Epiſcopalia, quippe qui tot annos in Cathedra

[b] *P. 432. Latinæ edit. ſed plenius in Anglic. p. 167.*

Digitized by Google

thedra Epiſcopali floruerat, longè plurima erant, quorum aliquot placet attexere. Inprimis eius induſtriâ & gratiâ apud Principem factum eſt, vt *prioratus fratrum prædicatorum in villa de Brecknock, Willielmo Epiſcopo tunc Meneuenſi* (id eſt, ipſi Barloo) *& ſucceſſoribus eius confirmaretur, anno triceſimo tertio Henrici octaui, Ianuarij die decimo nono.* Si inaugurationem Epiſcopalem nondum adeptus fuiſſet, huius beneficij non fuiſſet capax, neque prioratum hunc ſuo, & ſucceſſorum nomine recipere potuiſſet. Quis igitur non videt Barloum, ſi huius defectus ſibi conſcius fuiſſet, omnes ingenij neruos intendere, omnem mouere lapidem, & velis remíſque (vt aiunt) incumbere voluiſſe, vt id quod ſibi deeſſet, acquireret & ſuppleret, vt hâc ratione ſibi ſuæque Eccleſiæ conſuleret? Neque enim erat illi arduum aut difficile hoc ipſum conſequi, quod nulli vnquam Epiſcopo à Rege nominato, ab Eccleſia Cathedrali electo, & à Metropolitano poſt aſſenſum Regium adhibitum confirmato, eſt denegatum; præſertim cùm Rex tantâ eundem beneuolentiâ complecteretur, vt non modò ad Epiſcopatum Aſaphenſem ac Meneuenſem proueheret, ſed etiam honorifico Legati Regij titulo exornaret. Quis mentis compos hunc hominem non conſecratum eſſe vnquam ſomniaret? Sed ad Eduardi tempora feſtinat oratio, cuius valdè intererat vt Barlous ſacraretur; alioqui enim pactiones eius, quas cum Rege inijt, irritæ eſſent, & maneriorum conceſſiones & commutationes ſuâ ſponte difluerent. Quæ cuiuſmodi ſint, duo diplomata Regia, quæ mihi videre contigit, ſatis demonſtrant; ex quibus quæ huic inſtituto maximè inſeruiunt, viſum eſt decerpere.

* In capel. rotul. Cancellar.

R*Ex* [a] *omnibus, &c. Sciatis, quòd nos tam in conſideratione Dominiorum & Maneriorum de Clauerton, Hampton Lydeyard, Compton magna, Compton parua, Chard, Chedder, & Hewiſh, & burgi de Chard in Comitatu noſtro Sommerſet, per dictum Williel. Bath. & Well. Epiſc. per ſcriptum ſuum, gerens datū viceſimo die Maij, anno Regni noſtri ſecundo, nobis, hæredibus & aſſignatis noſtris in perpetuum, datorū, & conceſſorum, & confirmatorum; quàm pro alijs cauſis & conſiderationibus, nos ad præſens ſpecialiter mouentibus, de gratia noſtra ſpeciali, & ex certa ſcientia & mero motu noſtris, necnon de aduiſamento præchariſſimi Auunculi & Conſiliarij noſtri, Eduardi Ducis Sommerſet, perſonæ noſtræ Gubernatoris, ac Regnorū, dominiorū, ſubditorūmq; noſtrorum Protectoris, ac aliorum Conſiliariorum noſtrorum dedimus & conceſſimus, & per præſentes damus & concedimus præfato Willielmo, Bath. & Well. Epiſcopo, totam illam Eccleſiam, & Rectoriam noſtram ſancti Iohannis Glaſton, & totam Rectoriam ſeu Capellam ſancti Benigni, &c.* Hactenus primum; ſequitur ſecundū.

a Ex Capel. rotul. Cancellar.

R*Ex, omnibus ad quos, &c. Sciatis, quòd nos, tam in conſideratione maneriorum de Congresbury & Yatton, in Comitatu noſtro Sommerſet, nobis per Reuerendum Patrem Willielmum, Epiſcopum Bath. & Well. per*

Chartam

Chartam ſuam, gerentem datum viceſimo quarto die Ianuarij, anno Regni noſtri tertio, datorum & conceſſorum, quàm in augmentationem & ſupplementum poſſeſsionum & reuentionum Epiſcopatus ſui Bath. & Well. varijs & nonnullis modis diminuti, dedimus & conceſsimus, & per præſentes damus & concedimus præfato Willielmo, Epiſcopo Bath. & Well. totum illud Dominium & Manerium noſtrum de Welles, ac forum, & burgum, Hundred, & libertatem noſtra, &c.

Ex his duo clariſſimè elucent. Primò Eduardum, ante hæc edita diplomata, Eccleſiæ Bath. ac Wellen. temporalia Barloo reſtituiſſe; alioqui enim Barlous hæc Maneria concedere & commutare non potuiſſet; vel, ſi hoc tentaret, in Prærogatiuam Regiam incurriſſet. Secundò, has Maneriorum conceſſiones à Barloo factas ſatis validas fuiſſe. Nam in horum conſideratione, Rex (Protectore ac alijs Conſiliarijs Regijs, ad totius rei diſceptationem ac diſquiſitionem, in Concilium vocatis) alia Epiſcopo Maneria conceſſit. Quid tu hîc dicturus es, Philodoxe? An hæc per errorem facta ſuſpicaris? Caue dixeris. Erat enim cauſa Regia, eâque à viris prudentiſſimis, legum noſtrarum & huiuſmodi rerum peritiſſimis ventilata, quibus illudere ac fucum facere nemo potuit, nemo auſus eſt. Quamobrem hæc maneriorum commutatio Barloum ſacratum fuiſſe clarâ voce teſtatur.

6 Sextò, ab Epiſcopi loco in ſuperiori domo Parliamenti inter Proceres honorario, eiuſdem conſecrationem, ex Regni conſuetudine, licet concludere. Siquidem Barlous iſtiuſmodi locum inter Proceres eſt ſortitus. Anno Henrici octaui triceſimo primo, viceſimo octauo die Aprilis inchoatum eſt Parliamentum, cui *Rex in propria perſona interfuit, & ex Clero Archiepiſcopus Cantuarienſis*, ac alij Epiſcopi complures, inter quos & [b] *Meneuenſis* (id eſt, Barlous) qui Parliamenti huius ſeſſione primâ *vicies & ſepties in propria perſona comparuit*, in ſecunda quoque *quindecies*: ergo ſine dubio eſt conſecratus. Denique præter primos [c] quinque Angliæ Epiſcopos, nempe Cantuarienſem, Eboracenſem, Londinenſem, Dunelmenſem, ac Wintonienſem, eóſq; qui Regi ſunt à ſecretis, reliqui omnes in Parliamenti ſeſſionibus, *ſine ſedium ſuarum diſcrimine, vt conſecratione priores, ita loco potiores & digniores cenſentur*. At in Diario Parliamentario hoc ordine numerantur, Ciceſtrenſis, Meneuenſis, Aſaphenſis; ergo Barlous poſt Ciceſtrenſem, nempe Robertum Sherborne, & antè Aſaphenſem, Robertum Warton, eſt conſecratus. At Roberti [d] Warton conſecratio incidit in viceſſimum Iulij, 1536. Ergo ante illud tempus ſacratus erat Willielmus Meneuenſis. Satis autem conſtat eundem ante viceſimum tertium Februarij, 1535. (quo eiuſdem ad Eccleſiam Aſaphenſem [e] confirmata eſt electio) conſecrari non potuiſſe. Quamobrem licèt Barloi conſecratio, ob octuaginta circiter annorum interſtitium, & Regiſtrariorum negligentiam, nobis qui iam viuimus ſit obſcurior, his

[b] *Ex Diario Parliamenti vulgò,* The Iournall book, *in cuſtod. Magiſt. Power, Clerici Parliamentarij.*
[c] *Antiq. Brit. p. 21.*
[d] *Regiſtr. Cranmer fol. 197.*
[e] *Regiſtr. Cranmer fol. 179.*

tamen temporum cancellis includatur neceſſe eſt.

Phil. Barloum nunquam ſacratum eſſe contendit Champnæus. 7

Orth. Barloo in viuis agenti hoc nemo mortalium (quantum aſſequi poſſumus) vnquam obiecit. Vixit autem poſt honoris Epiſcopalis adeptionem annos circiter 33. nec ab eo tempore quo requieuit in Domino (interfluxerunt autem anni fere 50.) quiſquam, quod ſciam, repertus eſt, qui, ante Champnæum, hanc illi infamiæ notam inuſſerit. Sed videamus quibus nitatur argumentis.

Phil. [d] *Licèt eorum omnium, de quibus eſt controuerſia, acta conſecrationis (conſecrationis dico non veræ, ſed qualis fuerit) proferat Maſonus, nihil tamen tale de Barloi conſecratione proferre potuit, tametſi monumenta, quæ ad eam rem ſpectant, diligenter ſatis euoluerit; vt conſtat ex eo quod citat acta ſub Crannero, quæ teſtantur Barloi promotionem ad Prioratum de Biſham, electionem eius ad Epiſcopatum Aſaphenſem, & eiuſdem electionis confirmationem, ac tandem nominationem eius ad Meneuenſem Epiſcopatum; Omnia ſub Henrico octauo; ſed nullibi inuenitur mentio de illius conſecratione; quæ, ſi vnquam extitiſſet, non minùs, immò multò magis quàm ea quæ iam retulimus in acta publica relata fuiſſet. Propter hanc enim præcipuè rationem habent omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi ſua Archiua, in quibus omnium ordinationum, etiam inferiorum Clericorum, multò verò magis Epiſcoporum acta fideliter aſſeruantur, adeò vt perire non poſſint, niſi per incendia & conflagrationes, vel alias rarò contingentes caſus. Cùm itaque Barloi conſecratio in Metropolitani Archiuis non inueniatur, eáque integra ab omni vaſtatione permanſiſſe noſcantur, quis dubitare poteſt idem de eo ſtatuendum eſſe, quod olim de ijs iudicatum fuit, [e] Qui quæſierunt Scripturam ſuam in cenſu, & non inuenerunt, & eiecti ſunt de ſacerdotio?*

[d] Champ. p. 484.

[e] 2. Eſd. 7. 64.

Orth. Dic mihi ingenuè; nónne Stephanus Gardinerus erat verus Epiſcopus, ritè & Canonicè inauguratus?

Phil. Ecquis vnquam dubitauit?

Orth. Ego tamen totum illius temporis codicem Regiſtralem, voluendo & reuoluendo, percurri, nec in Gardineri conſecrationem vſpiam incidere potui. e

Phil. Hoc in Gardinero conſecrationis defectum non arguit, cùm tot illuſtria eiuſdem rei exiſtant documenta, ſed tantùm Regiſtrarij (quiſquis fuit) ſocordiam & negligentiam.

Orth. Idem de Barloo magis appoſitè & accommodatè reſponderi poteſt, qui poſt adeptam Cathedram Epiſcopalem, diutiùs vixit, neque vnicum, vt Gardinerus, Epiſcopatum, ſed complures ſucceſſiuè adminiſtrauit. Hactenus de primo Champnæi argumento; audiamus ſecundum.

Phil. [f] *Si Barlous verè fuiſſet conſecratus Epiſcopus, non in ſecundo, ſed in primo loco in his literis (Reginæ patentibus) fuiſſet nominatus, quia notũ eſt, Epiſcopos omnes in Anglia, vno vel altero excepto, quorũ Landauenſis*

[f] Champ. p. 494.

 nullus

Digitized by Google

nullus eſt, locum & ordinem tenere iuxta ordinationis antiquitatem. Conſtat autem ex ipſo Maſono, Barloum quatuor ſaltem annis ante Landauenſem Epiſcopum fuiſſe ordinatum, (ſi ordinatus omninò fuiſſet). ponit enim ordinationem Landauenſis anno 1545: cùm tamen dicat, ſed non probat Barloum vnum ex conſecratoribus Bucklei, anno 1541. fuiſſe. Vnde conſtat, eum quatuor ad minimum annis alium in Epiſcopatu præceſſiſſe, & conſequenter poſt illum in ſolenni iſta functione non fuiſſe ponendum, ſi verè fuiſſet Epiſcopus, atque ritè conſecratus: Immò nullum eſt dubium, quin ſi Barlous ſe ritè ſacratum Epiſcopum ſenſiſſet, locum poſt Landauenſem, tantò ſe iuniorem, in tam ſolenni actione tenere dedignatus fuiſſet.

ORTH. Barlous ratione conſecrationis præcedere debuerat, niſi ſingularis hîc extitiſſet ratio. Obſeruandum igitur Antonium Landauenſem ſuam ſemper ſedem retinuiſſe, nec ab eadem vllis vnquam Eccleſiæ Anglicanæ procellis fuiſſe dimotum; ac proinde eo ipſo tempore, quo hoc emiſſum eſt diploma, actu Eccleſiæ Landauenſis fuiſſe Epiſcopum. At Barlous, licèt regnante Henrico octauo, actu fuiſſet Epiſcopus, fortè Aſaphenſis, certè Meneuenſis, & regnante Eduardo ſexto Bathenſis ac Wellenſis, ingruente tamen tempeſtate Marianâ, Cathedram ſuam relinquere coactus eſt, in quam alius inſuper, nempe Gilbertus Bournus, eſt ſurrogatus. Quamuis autem eo tempore quo Parkero Cantuarienſi manus impoſuit, ad Epiſcopatum Ciceſtrenſem eſſet electus, nondum tamen in eiuſdem poſſeſſionem fuit intromiſſus. Licèt igitur verè tunc eſſet Epiſcopus, quantum ad Characterem, nullum tamen actu poſſidebat Epiſcopatum. Quod ipſum literæ patentes Regiæ ſatis demonſtrant, dum illum ſimpliciter Antonium Landauenſem appellant, hunc autem nec ſimpliciter Bathenſem ac Wellenſem, nec abſolutè Ciceſtrenſem, ſed *Willielmum Barlow quondam Bathenſem ac Wellenſem, nunc Ciceſtrenſem electum*; atque hâc ipsâ de causâ (ſi quid ego coniecturâ aſſequi poſſum) Barloo in Reginæ Elizabethæ literis patentibus præponitur Landauenſis. Champnæus igitur quàm ieiunis & frigidis argumentis nitatur ſatis liquet.

9 Cæterum, ſi vobis gratificemur, & fingamus Barloum tot Epiſcopatus clanculùm, ſine conſecratione, per ſurreptionem inuaſiſſe, quid hinc contra Parkerum concludes?

PHIL. Concludo Parkerum non fuiſſe omninò ſacratum.

ORTH. Non ſequitur. Præter Barloum tres aderant alij, vt oſtenſum eſt, qui hoc illi munus impenderent.

PHIL. Tres fortaſſe aderant; ſolus tamen Barlous ſacrauit. Nam illi ſoli ſacrant, qui verba illa formalia, quibus Epiſcopalis confertur poteſtas, enunciant: at ſolus Barlous verba illa enunciauit. Etenim (vt ex ordinali veſtro patet) in Eccleſia Anglicana duo Epiſcopi conſecrandum Archiepiſcopo ſiſtunt, vel præſentant; ipſe autem Archiepiſcopus, vel ſaltem alius Epiſcopus eius authoritate munitus, benedictionem fundit, ſeu verba profert.

Digitized by Google

Barlous autem inter ſacratores primus numeratur. Solus igitur Barlous verba protulit, & per conſequens ſolus ſacrauit. Si igitur ipſe ſacratus non fuit, profectò Parkerum ſacrare non potuit.

ORTH. Eccleſia Anglicana in Epiſcopis conſtituendis Concilium [g] Carthaginenſe quartum imitatur, iuxta quod vnus benedictionem effundit, dum reliqui caput electi manibus ſuis tangunt. Verùm in Archiepiſcopo inaugurando non eſt hæc perpetua Regula. Nam Regi per Statutum conceditur (quemadmodum anteà oſtendimus) vt diploma ſuum de ſacrando Archiepiſcopo, vel ad vnum Archiepiſcopum & duos Epiſcopos, vel ad quatuor Epiſcopos, quod (vtraque ſede Epiſcopali iam vacante) fecit Elizabetha, poſſit tranſmittere. Hîc igitur nec quiſquam poteſtate reliquis præfulgebat, nec quiſquam erat Archiepiſcopi authoritate inſtructus, ſed mandatum Regium ad omnes æquè peruenit, & per conſequens conſecrandi munus illis ſingulis æquè incubuit. Non igitur vnus præluxit reliquis, ſed omnium par ius, par authoritas. Vndè factum eſt, vt omnes & ſinguli verba illa formalia pariter [h] enunciarent, quod ex Regiſtris paulò antè productis ſplendidiſſimè eluceſcit. Non igitur ſolus Barlous, ſed vniuerſi illi quatuor coniunctim Parkerum ſacrârunt. Quocirca etiamſi Barloum ex conſecrantium catologo expungi fingamus, Canonicus tamen ſupereſt ſacrantium numerus. De Barloo diximus; proximus occurrit Hodgskinſus, Suffraganeus de Bedford.

[g] *Con. Carth. 4. Can. 2. Bin. t. 1. p. 553.*

[h] *Suprà, c. 9. n. 8.*

PHIL. Quos mihi narras Suffraganeos? Num titulares iſtos, 10
quos Chorepiſcopos appellant? Quàm vehementer in eos inuectus ſit [i] Damaſus te latere non poteſt.

[i] *Epiſt. 5. Bin. t. 1. p. 502.*

ORTH. Duo ſunt Chorepiſcoporum genera; alij enim nihil planè erant niſi Presbyteri, quamuis in pagis, ac villis, & opidulis Epiſcopos aliquo modo repreſentârunt. De iſtis loquitur Damaſus, vt exiſtimat [k] Bellarminus: Alij autem Epiſcopalem conſecrationem acceperant, ſed Chorepiſcopi dicebantur, quòd non haberent propriam Eccleſiam, ſed in aliena diœceſi miniſtrârunt; quos veros fuiſſe Epiſcopos fatetur [l] Bellarminus. *Reſpondeo* (inquit) *Suffraganeos* eſſe veros Epiſcopos, quia & ordinationem habent & iuriſdictionem, licèt careant poſſeſſione propriæ Eccleſiæ. Huius generis ſunt Suffraganei Anglicani, legibus Parliamentarijs ſuffulti, vt hæc verba docent:

[k] *De Cleric. c. 17*

[l] *De bapt. & confir. l. 2. c. 12.*

HVius [m] igitur præſentis Parliamenti authoritate ſtatutum ſit, oppida ſc. Thetfordiæ, Gipſwici, Colceſtriæ, Doueriæ, Gilſordiæ, Southamptoniæ, Tauntoniæ, Shaftburiæ, Maltoniæ, Marleburgi, Bedfordiæ, Leiceſtriæ, Gloceſtriæ, Shrewsburiæ, Briſtoliæ, Penrith, Bridgwater, Notingamiæ, Granthamiæ, Hull, Huntingdoniæ, Cantabrigiæ, & oppida Perith & Barwici, Sancti Germani in Cornubia, & Inſulam Vectam, habenda & accipienda pro ſedibus Epiſcoporum Suffraganeorum, in hoc Regno & in Wallia conſtituendis, & harum ſedium Epiſcopi appellabuntur, huius Regni Suffraganei.

[m] *26. H. 8. c. 14.*

fraganei. Porrò de eorundem conſecratione ſic ſancitur: *Semper prouiſum ſit, quòd Epiſcopus qui Suffraganeum Regiæ celſitudini nominat, vel ipſe ſaltem qui nominatur Suffraganeus, duos Epiſcopos aut Suffraganeos, qui vnà cum Archiepiſcopo eundem conſecrabunt, congregari curabit.*

[n] Champ. p. 488. PHIL. [n] *Quamuis Henricus, tanquam caput Eccleſiæ, voluit vt quâdam ordinatione conſecrarentur, non tamen eſt certum, neque admodum probabile, quòd Epiſcopali conſecratione eos ordinari voluerit.*

ORTH. Voluiſſe Henricum, vt Epiſcopali formâ conſecrarentur Suffraganei, Regiſtra ſatis amplum perhibent teſtimonium.

[o] Champ ibid. PHIL. [o] *Certè Sanderus de Henrico dicit, quòd nouam formam ordinandi Epiſcopos præſcripſerit; quod de ſuis Suffraganeis nouiter inſtitutis pluſquam probabile videtur.*

[p] De ſchiſm. p. 254. edition. Colon. 1610. ORTH. Verba ſubijciam: [p] *Sancierunt, vt cùm Epiſcopi & Preſbyteri Anglicani ritu ferè Catholico (exceptà Romani Pontificis obedientià quam omnes obnegabant) ad illud vſque tempus ordinati fuiſſent, in poſterum aliâ omninò formâ, ab ipſis præſcriptâ, ordinationes fierent, authoritate à puero Rege ad id acceptâ.* Sanderus non hîc dicit nouam formam ab Henrico præſcriptam, ſed ab Eduardo; de Henrico autem potiùs contrarium aſſerit. Hæ igitur Champnæi coniecturæ ſuâ tenuitate euaneſcunt.

[q] Champ ibid. PHIL. [q] *Incertum valdè eſt, vtrùm Iohannes Hodgskinſonus conſecrationem Epiſcopalem vnquam obtinuerit.*

ORTH. Immò obtinuiſſe eſt certiſſimum. Id enim publica Eccleſiæ Anglicanæ teſtantur monumenta.

[r] Reg. Cranmer. fol. 204. Iohannes [r] Hodgskins conſ. Suffr. Bedford. 9. Decemb. 29. H. 8. à { Iohan. Lond. Iohan. Roff. Rob. Aſaph.

[s] Champ. p. 489. PHIL. [s] *Conſtat Suffraganeum iſtum, ſiue verè fuerit ipſe conſecratus ſiue non, Parkerum non conſecrâſſe, quia benedictionem conſecratoriam in eum non effûdit.*

ORTH. Immò verò effudit, vt paulò antè de Barloo dixi, & ex ipſis Regiſtris [t] oſtendi.

[t] Cap. 9. n. 8.

PHIL. Statutum à te prolatum Archiepiſcopi meminit, qui tamen in hac conſecratione nuſquam comparet.

[u] Lancel. l. 1. p. 66. ORTH. Inſtitutiones iuris Canonici, Romæ ex Pontificis mandato recognitæ docent, licere Archiepiſcopo *alicui* [u] *Coepiſcoporum vices ſuas demandare:* quod vobis neceſſariò eſt tuendum. Alioqui enim Præſulum veſtrorum maximè inſignium, nempe Bonneri, Heathi, Thurlbei eliditur prorſus & eneruatur conſecracratio. Horum enim neminem Cranmerus proprijs ſacrauit ma-

[x] Reg. Cranmer. fol. 259. & 261. nibus, ſed [x] aliorum (quibus hanc mandauit prouinciam) hac in re vſus eſt opera. Præterea illuſtriſſimi, qui regnante Maria creati

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, Epiſcopi ab hoc eodem Iohanne Bedfordienſi originem repetunt. Nam Thomas Thurlbeius (qui inter cæteros [y] Cardinali Polo manus impoſuit) à Iohanne [z] Bedfordienſi conſecratus eſt.

Hactenus de his, qui viuente Henrico ordinati. Ad reliquos ac- 11
cedo, Scoræum & Couerdallium, qui, Regnante Eduardo, vno eodémque die conſecrationem adepti ſunt, vt ſuperiùs oſtendimus. Hi quoque viri erant clariſſimi. Couerdallius cum Tindallo in vertendis Biblijs communem nauabat operam, tantáque laude ac famâ floruit, vt eâdem accenſus Rex [a] Daniæ, apud Reginam Mariam vehementer inſtaret, vt eundem ſibi in Daniam mitteret: quod & fecit Maria, Regi hac in re gratificata. Scoræus verò quàm inſigni doctrinâ ac limato Iudicio fuerit, indè patet, quòd cùm quorundam ex Proteſtantibus, qui cum Epiſcopis pontificijs in diſputationum arena & puluere congrederentur, delectus eſſet habendus, ille in prima acie eſt conſtitutus; poſt quem ſteterunt Elmerus, Iuellus, & alij, quibuſcum Epiſcopi certare non audebant.

PHIL. [b] Champnæus vtriuſque conſecrationem fortiter mehercule & neruosè his verbis expugnauit: *Dicit Maſonus iſtos duos conſecratos fuiſſe triceſimo Auguſti, anno 1551. quinque nimirum menſibus ante nouam conſecrandi formam ſtabilitam. Stabilita enim fuit noua hæc ordinandi forma in Comitijs generalibus, celebratis in fine quinti, & initio Sexti anni Eduardi Regis, vt conſtat. Comitia verò illa quinti & Sexti anni Eduardi Regis, decimo tertio die Ianuarij, anni 1551. inceperunt; hoc eſt, quatuor integris menſibus cum dimidio poſt iſtorum hominum conſecrationem. Nam iuxta computum Anglicanum annus non primo Ianuarij, ſed viceſimo quinto Martij incipit, vt omnes norunt. Clarum itaque eſt, eos noua hâc conſecrandi formâ ordinatos non fuiſſe, quippe quæ adhuc, cùm illi ordinati dicuntur, excogitata, vel ſaltem ſtabilita non fuit. Neque tamen minùs clarè conſtat, eos antiquo ritu non fuiſſe inauguratos. Fatetur enim Maſonus ritum iſtum penitùs abrogatum fuiſſe, in Comitijs habitis in fine tertij & initio quarti anni Eduardi Regis: vndè tandem ineuitabiliter concluditur, iſtos duos Parkeri conſecratores nunquam conſecratos fuiſſe.*

ORTH. Reſpondeo, eos ſecundùm nouum ordinale fuiſſe inauguratos. Neque obſtat quod de eodem poſteà ſtabilito adducis. Nam, Regnante Eduardo, in duobus Parliamentis, ſed diuerſâ ratione fuit ſtabilitum. Anno tertio & quarto [c] ſanctitum eſt, vt *ea ordinandi formula, quæ à ſex Prælatis, & ſex alijs in lege Dei peritis, à Rege nominandis, excogitata eſſet, & ſub magno Angliæ ſigillo ante primum diem Aprilis proximè ſubſequentis in publicum emanaret, vigore huius Statuti licitè vſurpari poſſet, nec alia præterea vlla.* Deindè anno quinto & ſexto hæc formula, à prælatis & theologis iam diu concinnata & abſoluta, authoritate Parliamenti denuo eſt [d] confirmata. Ita duplicem nacta eſt confirmationem; primam Hypotheticam,

[y] *Reg. Card. Pol. fol. 3.*
[z] *Regiſtr. Cranmer fol. 261.*
[a] *Acta & monum. p. 1390.*
[b] *Champ. p. 510.*
[c] *An. 3. & 4. Ed. 6. c. 12.*
[d] *An. 5. & 6. Ed. 6. c. 1.*

Digitized by Google

cam, cùm nondum eſſet nata; alteram Categoricam, cùm iam lucem conſpexiſſet. Quamuis igitur cùm ſacrarentur Scoræus & Couerdallius, nouum ordinale nondum erat confirmatum categoricè, confirmatum tamen fuit Hypotheticè, ſub certis ſcilicet conditionibus.

Phil. Quomodo conſtat illam formulam ante Aprilem proximè ſubſequentem emanâſſe in publicum?

[a] *Regiſtr. Cranmer. fol. 333. & 335.*

Orth. Ex[a] Archiuis, his verbis, *Reuerendiſſimus habuit verba ad populum, & plebem hortando, & excitando omnem cætum præſentem ad ſupplicationes fundendas altiſſimo, iuxta contextum & ordinem præſcriptum in libro ordinario emanat. ſub dat. Menſis Martij anno Dom. 1549. pro cuius libri ſerie & tenore ſæpè dictus electus fuit ritè & rectè conſecratus, & Epiſcopalibus inſignijs imdutus, præmiſſo tamen, & publicè expoſito primitùs per Reuerendum Patrem London. antiſtitem, in modum concionis, epiſtola Pauli ad Titum primo capite.* Ita horum conſecratio, quam Champnæus tenebris obducere & obſcurare voluit, ad priſtinum ſplendorem eſt reſtituta.

12 Phil. Fac verè fuiſſe ſacratos, veróſque earum, quas occupârunt, ſedium fuiſſe Epiſcopos; at imperante Mariâ, ſuos greges deſeruerunt, ac proinde ſeipſos omni iure & titulo exuerunt. Quamobrem, cùm ipſi dignitatem Epiſcopalem iam amiſerant, alijs hunc honorem impendere non poterant.

Orth. Quid tandem eſt, mi Philodoxe, cuius beneficio Epiſcopi Epiſcopos conſecrant?

[f] *Bell. de bapt. & confirm. l. 2. c. 12*

Phil. [f] Character Epiſcopalis.

Orth. Hunc eſſe indelebilem ſuperiùs docuiſti. Hoc igitur manente, manet conſecrandi poteſtas. Quocirca licèt Epiſcopatus ſuos, Regnante Mariâ, reliquiſſent, conſecrandi tamen poteſtatem amittere non poterant. Præterea, ſi Epiſcopus, ardente perſecutionis flammâ, loco cedens, deſinat eſſe huius loci Epiſcopus; ſi prioris amittat ius tituli, clariſſimus Athanaſius deſijt eſſe Alexandriæ Epiſcopus, & ius tituli amiſit. Etenim ſe loco ceſſiſſe fatetur ipſe, ſic dicens: [g] *Furtim me populis ſubduxi, memor verbi Saluatoris noſtri, Si vos perſecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam.* Quamuis enim, gliſcente & obtinente factione Arianâ, Concilium [h] Tyrium indictâ causâ eundem condemnauit, & Epiſcopatu Alexandrino abdicauit, quamuis Concilium Antiochenum, præſente [i] Imperatore Conſtantio, decreuit, vt [*] Gregorius Eccleſiæ Alexandrinæ antiſtes conſtitueretur, Concilium tamen [k] Sardicenſe Athanaſium eiuſdem ciuitatis Epiſcopum, vnâque Marcellum Ancyræ Galatiæ, & Aſclepam Gazæ comminiſtrantes Chriſto, innoxios & puros eſſe decreuit, *eos autem qui in eorum Eccleſias, luporum inſtar, ingreſſi ſunt, id eſt, Gregorium in Alexandria, Baſilium in Ancyra, Quintianum Gazæ, nec Epiſcopos nominandos, nec Chriſtianos, nec quamlibet omninò cum eis habendam eſſe communionem, neque eorum habendas literas, neque ſcribendum eis.* Ita celeberrimum hoc Concilium Eccleſias

[g] *Athanaſ. In ep. ad Orthod.*
[h] *Soz. l. 2. c. 25.*
[i] *Socra. l. 2. c. 5.*
[*] *Sozom. l. 3. c. 5*
[k] *In epiſt. ad omnes epiſ. apud Athan. apolog. 2. Bin. t. 1. p. 446.*

Catholicis

Digitized by Google

Catholicis Epiſcopis vel tum adiudicauit, quum ipſi exularent, & Ariani eorũ Cathedras occuparent. Qua de cauſa Gregorium & eius ſimiles [l] depoſuerunt, Athanaſium & reliquos, Chriſti causâ exulantes, ſuis Eccleſijs, non ſine honore, reſtituerunt. Quod ipſum, in ſacro hoc conuentu ſancitum, Eccleſiæ Alexandrinæ per epiſtolam Synodalem his verbis ſignificârunt: [m] *Gregorium illegitimè ab hæreticis Epiſcopum conſtitutum, & in veſtram ciuitatem ab illis deductum, ab vniuerſa ſancta Synodo, ab Epiſcopatu (tametſi nunquam verè Epiſcopus fuerat) depoſitum eſſe, veſtram vnanimitatem ſcire voluimus. Valete igitur, & recipite veſtrum Epiſcopum Athanaſium.* Idem penitùs de Marcello Ancyræ, Aſclepâ Gazæ, Paulo Conſtantinopolitano, aliíſque eſt iudicandum, qui ob fidem Catholicam, perinde ac Athanaſius, perſecutionem perpeſſi ſunt. Quamobrem, ſi Concilio Sardicenſi conſentire vultis, agnoſcendum eſt eos vniuerſos, qui Regnante Eduardo, Epiſcopatus legitimè poſſidebant, & Marianâ ingruente tempeſtate, ab vna ciuitate, in aliam fugere coacti ſunt, veros permanſiſſe Epiſcopos, & priſtinos titulos ſuo iure retinuiſſe. Quocirca vt Athanaſio, reliquíſque Orthodoxis ab exilio redeuntibus, & ſacros ordines conferre, & reliqua omnia ad munus Epiſcopale ſpectantia obire licuit, ita eodem planè modo Barloo, Couerdallio, & reliquis, tum conſecrare, tum reliqua omnia Epiſcopalia præſtare fas erat.

[l] Vid. Baron. an. 347

[m] Athan. apol. 2. tom. 1. p. 444.

PHIL. Non eſt par ratio. Quis enim æquo animo ferat, vt nos Arianis, vos ipſos autem Catholicis, & Orthodoxis aſſimuletis?

ORTH. Quamuis vos Ariani non eſtis, in hoc tamen Arianorum quàm ſimillimi. Nam vt Athanaſij ob veram fidem eiecti ſedem inuaſerat Arianus, ita noſtrorum hominum, ob veram Religionem exulantium, Cathedras veſtri inuolarunt antiſtites, non paucis in rebus à vera Religione deuiantes, & cœleſti doctrinæ humana commenta aſſuentes.

PHIL. Quamuis toto te cœlo errare videam, mihi tamen ab inſtitutâ quæſtione diuagari non placet; ſuo igitur loco hæc ventilanda relinquam. Interim non eſſe parem rationem indè probo, quia Athanaſius & reliqui, quos memoras, à Concilio, eóque celeberrimo reuocati & reſtituti fuerunt; veſtri non à Concilio, ſed à Principe duntaxât Laicali.

ORTH. Athanaſius ſæpiùs ſuæ Cathedræ reſtitutus erat, aliquando operâ Concilij, aliquando tamen ſine Concilio. Cùm à Concilio Tyrio depoſitus eſſet, Conſtantinus Magnus Imperator, eiuſdem Concilij Patres [n] accerſiuit, vt rerum ab illis geſtarum rationem redderent. Paulò poſt, cùm Euſebius, Theognis, aliíque, Athanaſij capitales hoſtes, apud Imperatorem eum detuliſſent, dicentes, *Minatum eſſe ſe,* [o] *vetiturum quò minùs frumentum (vt ſolet) Alexandriâ Conſtantinopolim vſque aduheretur, iſtáque Adamantium, Anubionem, Arbathionem, & Petrum Epiſcopos ab ipſo Athanaſio audiuiſſe, Imperator eum in exilium eijciebat, Galliámque incolere iubebat.* Indè

[n] Socr. l. 1. c. 22.

[o] Ibid. c. 23.

Digitized by Google

tamen, poſt obitum Conſtantini Patris, literis Conſtantini filij Alexandriam eſt reuocatus, vt hiſce verbis ipſe teſtatur: [p] *Certè quidem beatus Conſtantinus minor, memor ſcriptorum patris ſui, dum me patriæ reſtitueret, in hac verba Epiſtolam miſit.* Et ſtatim Imperatoris ad populum Eccleſiæ Alexandrinæ epiſtolam ſubiungit; de qua ſic Baronius: [q] *Conſtantinus Auguſtus Athanaſium, quem, viuente patre exceperat Treueris, Regio diplomate (datis ad Alexandrinos literis) in ſuam Eccleſiam ſummo cum honore reſtituit.* Ita conſtat Athanaſium, quamuis à Concilio depoſitum, & ab Imperatore in exilium relegatum, non tamen à Concilio, ſed à ſolo Principe reſtitutum.

[p] *Athanaſ. apol. 2.*

[q] *Baron. an. 338. n. 1.*

PHIL. Patres Concilij Antiocheni complures eundem *grauiter accuſabant, quòd priùs Eccleſiæ Alexandrinæ adminiſtrationem occupârat, quàm poteſtas eſſet ei à Concilio permiſſa, idque contra Canonem, qui ita ſe habuit: Si quis à proprio Epiſcopo depoſitus, vel Presbyter, vel Diaconus, aut etiamſi à Synodo quilibet Epiſcopus fuerit exauthoratus, moleſtiam Imperialibus auribus inferre non præſumat, ſed ad maiorem Synodum ſe conuertat.* Quocirca, cùm Athanaſius à Concilio exauthoratus eſſet, nec adhuc à maiori, nec ab vllo omninò Concilio, ſed ſolis literis Imperialibus eſſet reſtitutus, ideo eundem detruſerunt, aliúmque in eius locum ſurrogârunt.

ORTH. Primò, certum eſt, hoc Antiochenum Concilium, ſub Iulio primo anno 341. aut circiter habitum, *non paucos habuiſſe* [r] *Arianos, qui hæreſin ſuam mirificè tegebant.* Quamuis autem huic decreto contra Athanaſium [s] *Epiſcopi Catholici maioris numeri voto ſuo contradicerent, tamen Conſtantij Imperatoris nutu, fauore, & voluntate illud ſartum tectúmque habitum eſt, quod Euſebiani, numero pauciores, conſtituerant.* Secundò, narrat [t] Socrates hunc ipſum Canonem Iohanni Chryſoſtomo obiectum, quem reiecit & repudiauit, eò quòd ab Arianis, odio Athanaſij, factus eſſet & editus. Tertiò, ſi eum admittamus, noſtræ tamen cauſæ non officit. Nam qui Parkero Cantuarienſi Archiepiſcopo manus impoſuerunt, à nullo erant Concilio depoſiti, ideóque Concilio per quod reſtituerentur, illis opus non erat. Verùm vt Athanaſius, reliquíque Orthodoxi, ardente perſecutione fugientes, ſedatâ tempeſtate ſub Iouiano redierunt; *qui cùm omnes alios Epiſcopos, tum eum* (nempe Athanaſium) *ante omnes, qui omnibus virtute antecellebat, & citra dubitationem vllam pietatis causâ bello vexatus erat, ab exilio reuocauit.* Ita reuerendi noſtri antiſtites, pietatis & Religionis causâ in fugam coniecti, Imperante Elizabetha reuerſi ſunt, quæ vt omnes pios & doctos, ita Athanaſios ante omnes, id eſt, Epiſcopos pietate & eruditione inſignes, domum reuocandos curauit. Sed de Parkeri conſecratoribus hæc dicta ſunto.

[r] *Vid. Bin. in not. in Conc. Ant. 1. p. 427. co. 2.*

[s] *Ibid.*

[t] *Lib. 1. c. 16.*

Digitized by Google

Cap. XI.

De Reuerendo Patre Roberto Horno, olim Epiſcopo Wintonienſi.

Hic perpendiuntur

- *Doctoris Stapletoni mendacium & calumnia.* 1
- *Bonneri cauſa, cuius 3. partes, nam*
  - *Hornus Bonnerum*
    - *citat, eidémque primatus iuramentum proponit.* 2
    - *Recuſantem in banchum Regium deſert.*
  - *Bonnerus Conſiliarios ſibi aſſignari poſtulat.* 3
  - *Conſiliarij excipiunt contra indictamentum.*
    - *Primò, quia Bonnerus non vocatur Epiſcopus, nec Clericus.* 4
    - *Secundò, quia relatum eſt in Archiua, ſine mandato Epiſcopi.* 5
    - *Tertiò, quia Hornus non erat Epiſcopus.* 6
- *Statutum Parliamentarium octauo Elizabetha editum.* 7

Phil.

PArkerus illuſtriſſimi Poli iam demortui ſedem occupauit: at plerique veſtrûm, noſtris viuentibus & videntibus, ſuffecti ſunt.

Orth. Viuentibus quidem, ſed legitimè depoſitis, vt [a] ſupra oſtendimus. Noſtros igitur in ſedes vacantes ritè electos, confirmatos & conſecratos, vt [b] manifeſtum feci, veros fuiſſe Epiſcopos neceſſe eſt.

[a] *Huius libri, c.2,4,6.*

[b] *Huius libri, c.7.8.4.*

Phil. Hoc ego inſolubili refellam argumento. Prodeat igitur, exempli gratia, Robertus Hornus, quem olim Stapletonus noſter ſic eſt allocutus: [c] *Reuera nõ es Dominus Epiſcopus Wintonienſis, neque cuiuſuis alterius loci, ſed tantùm Magiſter Robertus Hornus. Nónne omnibus notum eſt, quòd neque tu, neque collegæ tui ordinati fuiſtis; non dicam iuxta Eccleſiæ præſcriptum, ſed neque iuxta Regni leges atque Statuta? Quo ergo iure nomen & titulum Domini Epiſcopi Wintonienſis tibi vendicare poſſis? Nullam omninò à Metropolitano conſecrationem*

[c] *Contra Hornum, fol. 7. & 9. citante, Champ. p. 473.*

nem habes, ipſe miſer Epiſcopus non exiſtens.

ORTH. Quàm luculentum ſit hoc Stapletoni mendacium, capite proximo oſtendam, vbi Horni conſecrationem, Metropolitani ſui manibus factam, ex Regiſtris adducere non grauabor. Quod autem de Eccleſiæ præſcripto, & Regni legibus obgannit, ex iam dictis eſt perſpicuum quàm ſit inane, & friuolum.

2 PHIL. Non potes Robertum Hornum ab ictibus læthalibus protegere. Hunc enim ipſorum Iudicum Proteſtantium, Regnante Elizabethâ, atrociter olim percuſſit ſententia. O quantum Epiſcopis tum veſtris, & quàm mortiferum impactum eſt telum! *Hæret adhuc lateri lethalis arundo.* Sed age; rem totam ex [d] Champnæo noſtro, qui hanc cauſam ex clariſſimi viri Domini Iacobi Dyeri relationibus nobis explicuit, quo geſta eſt ordine fuſiùs proſequamur.

[d] P.434.

ORTH. Champnæus in editione Anglicana viſus eſt mihi copioſiùs, & longè pluribus adhibitis circumſtantijs, hanc hiſtoriam explicâſſe, quàm in Latina. Ex illa igitur, cauſam propone.

PHIL. [e] *Bonnerus Epiſcopus, quum in carcere, vulgò,* The Marſhallea, *detineretur, coram Magiſtro Horno Epiſcopo Wintonienſi (ſic enim appellabant) in domo Wintonienſi iuxta carcerem* (The Clinck) *tunc commorante, ſe ſiſtere iubebatur. Cui Hornus Regij primatus iuramentum propoſuit. Quod cum Bonnerus Epiſcopus ſuſcipere recuſâſſet, hæc recuſatio in Banchum Regium eſt delata, ac proinde indictamentum* (ſeu libellus accuſatorius, vulgò, *An Inditement) iuxta Statutum in eundem eſt adornatum.*

[e] Champ.p.168. edit.Anglic.

ORTH. Hæc non malè à Champneo recitantur. Pauca tamen, vt res tota ſit lucidior, ex actis Parliamentarijs obſeruari oportet. Tenendum igitur anno [f] Elizabethæ primo Regij primatus iuramentum, ex omnium totius Angliæ ordinum conſenſu, ſancitum fuiſſe. Secundò, intelligendum anno Elizabethæ [g] quinto ſingulis huius Regni Archiepiſcopis, & Epiſcopis, hoc ipſum iuramentum quibuſuis ſpiritualibus, vel eccleſiaſticis perſonis intra diœceſes ſuas commorantibus, miniſtrandi factam eſſe facultatem. Tertiò, ex eodem ordinum decreto, quæuis huius iuramenti recuſatio in Banchum Regium, intra tempus conſtitutum, erat deferenda. Quartò, eiuſdem Parliamenti authoritate ſancitum eſt, vt, poſt delata delinquentium nomina, illius Comitatus, in quo Banchus Regius pro tempore exiſtente ſitus eſſet, Vicecomes, duodecim viros Iuratores ex eodem Comitatu conuenire curaret, ad inquirendum de ea recuſatione. Quintò, Iuratoribus priori indictamento, vel aliâ quâcunque perſpicuâ ratione nixis, reum poſtulare licuit, perinde ac in alijs flagitijs, quæ contra Regiæ Maieſtatis pacem perpetrantur. Ex his diligenter perpenſis conſtare poteſt, hæc quæ retuliſti vniuerſa in Bonnerum ex legum præſcripto fuiſſe facta. Quin perge.

[f] 1.Eliz.c.1.
[g] 5.Eliz.c.1.

3 PHIL. [h] *Bonnerus, in iudicium vocatus coram Regij Banchi Iudicibus,*

[h] Champ.ibid.

Digitized by Google

bus, comparuit, lectóque indictamento factum non negauit, ſed Conſiliarios ſibi aſſignari poſtulauit. Catlinus igitur Primarius tunc Angliæ Iuſtitiarius, voto eius ſatisfecit, eidémque Ploydonum, Wraynum, & Loueſlaum, qui cauſæ patrocinium in ſe ſuſciperent, nominauit.

ORTH. Tres iſti cauſidici, ob legum peritiam ac ingenij acumen, longè erant celeberrimi, & apud noſtrates ingentem ſibi gloriam compararant. Vides igitur quanta cum æquitate & candore peracta ſint omnia. Sed quid tandem illi?

PHIL. [i] *Illi cauſam ſuſcipientes contra libellum accuſatorium excipiunt. Primò, quia reus Edmundi Bonneri nomine eſt poſtulatus, non adiecto Epiſcopi titulo; quum tamen illo ipſo tempore legitimus eſſet Londini Epiſcopus, ac proinde libellum non ſufficere contendunt.* [i] Ibid. c

ORTH. Hîc Champnæus dolo malo agit, & quod cauſæ ſuæ neruos incidit, per fraudem tranſilit. Nam in indictamento vel libello accuſatorio Bonnerus non ſolùm appellatur Edmundus Bonnerus, ſed, cum adiectione, *legum Doctor, & in ſacris ordinibus conſtitutus.* Deindè hæc ipſa exceptio à Iudicibus eſt reiecta, vt ipſe Dyerus eodem in loco teſtatur. Champnæus tamen exceptionis meminit, ſed reiectionem (O frontem hominis!) ſummâ fraude reticuit. Qua in re, vt fidem meam liberem, verba Dyeri ipſiſſima placet adducere. Sic igitur ille. *Iades eueſque de London fuit certifie in bancho Regis, per Doctor Horne Leueſque de Winton, pur vn refuſance del nouelſerement appoint as perſons Eccleſiaſticals, per le Statute de primo Reginæ nunc, c. 1°. à luy offer miniſter in Southwarck in hoſpitio Winton ibidem, & ſon addition fuit legum Doctor, & in ſacris ordinibus conſtitutus, & non Clericus nec Epiſcopus, & ideo le certificate fuit chalenge, ſed non allocatur.* Hactenus Dyerus; vbi obſeruanda hæc vox, cauſidicis noſtris familiaris, *non allocatur:* id eſt, non approbatur obiectio, ſed vt inanis à Iudicibus repellitur. Hæc exceptio à Champnæo in editione Latina prorſus omittitur. Vidit credo eiuſdem imbecillitatem, & ſupprimere voluit. Vidit inſuper priorem reticentiam ſuam aſtutam & fraudulentam defendi non poſſe, ac proinde, ſtimulante conſcientiâ, æternâ nocte ſepeliuit.

Verùm non ſic deſiſtunt Cauſidici, verſatili ingenio homines, ſed ictus ingeminant, & ſecundam obtendunt exceptionem, à relatione in Archiua, ſine mandato Epiſcopi; quæ tamen illicò à Iudicibus eſt repudiata, vt conſtat ex verbis Dyeri proximè ſequentibus, *& anxu le certificate fuit entred de record, qua il fuit en court tali die & anno per A.B. Cancellarium, dicti Epiſcopi Winton. & non dicit per mandatum Epiſcopi, & exception à ceo priſe pur ceſt cauſe, ſed non allocatur quia le record de ceo per curiam neſt de neceſſitie, &c.* Huius exceptionis, quæ ſuâ vanitate diffluit, nullam prorſus mentionem vſpiam facit Champnæus, ſed pergit ad vltimam, quæ illi eſt ſecunda; quam à te iam expectamus.

PHIL. [k] *Excipiunt ſecundò, quòd iuramentum eidem per Robertum Hornum Epiſcopum Wintonienſem oblatum diceretur, qui tamen nullâ lege erat* [k] Champ. ibid.

Digitized by Google

erat Epiſcopus, ac proinde iuramentum proponendi authoritate non erat inſtructus. Hæc primò ad tribunal ab Epiſcopis, Conſiliarijs, ac deinde ab omnibus Iudicibus in hoſpitio, vulgò Seriants Inne, *in camera Domini Catlini, Iudicis, & ſummi Angliæ Iuſticiarij, ſunt ventilata; vbi, causâ diu multúmque agitatâ, hæc demum omnium Iudicum fuit ſententia, teſte Dyero ſcilicet, vt Bonneri Epiſcopi actio vel placitum (nempe quòd non eſſet indè culpabilis, quia Hornus tempore oblationis Sacramenti non erat Epiſcopus) reciperetur, & Iuratoribus examinanda & exploranda proponeretur.*

9 Orth. Hîc quoque falſi inſimulandus eſt Champnæus: quia hæc non dicta ſunt categoricè, ſed ſolùm hypotheticè: quemadmodum ipſa Dyeri verba ſatis teſtantur; *Et fuit mult debate inter omnes Iuſtice: in Camera Domini Catline, ſi Boner poit doner en euidence ſur teſte iſſue, ſcilicet, quòd ipſe non eſt inde culpabilis, que le dit eueſque de Wint. non fuit Epiſcopus tempore oblationis ſacramenti, & reſolue per omnes que ſi le veritie & matter ſoit tiel in fait, il à ceo ſerra bien receiue ſur cel iſſue, & le iurie ceo triera.* Porrò, quid ſi hæc exceptio in curiam reciperetur? Quid ſi Iuratoribus examinanda proponeretur? An hinc ſequitur, vel curiam vel Iuratores ſtatuiſſe, aut ſenſiſſe Hornum reuera non fuiſſe Epiſcopum? Hanc tamen *omnium Iudicum fuiſſe opinionem*,[l] demonſtrator veſter audacter affirmat.

[l] Proteſt. demonſt. p. 32.

Phil. *Quis huius rei fuerit exitus inde apparet, quòd nec in Iudicio condemnatus, nec vnquam poſteà ſit vexatus, quamuis iſtiuſmodi eſſet homo, quem Proteſtantes præ reliquis ferire voluerunt.*

Orth. Ita ferè ſe habent Champnæi argumenta. Magnum quiddam primâ fronte præ ſe ferunt, ſed mox in fumum abeunt. *Mulier formoſa supernè deſinit in piſcem.* Probandum illi fuit Hornum, ex Proteſtantium Iudicum ſententia, Epiſcopum non fuiſſe; huius rei gratia Dyeri relationes in medium protulit. Sed Dyerus (cuius nititur teſtimonio) pendente adhuc lite, ante vllam omninò latam ſententiam, filum relationis abrumpit. Nullus apud Dyerum Iudicij huius exitus, ſententia nulla.[m] Champnæus igitur leues & exiles, vt ſolet, ſectatur coniecturas. *In Iudicio* (inquit) *non erat condemnatus.* Eſto; quid tum poſteà? Ergóne erat abſolutus? Ergóne eiuſdem contra Hornũ exceptio eſt approbata? Non ſequitur.

[m] Champ. ibid.

Phil. Nullam Bonnero poſteà hac de causâ creârunt moleſtiam: ergo Bonnerus videtur causâ ſuperior.

Orth. Neque hoc ſequitur. Eouſque progreſſi ſunt, quò per Statutum licuit, teſte Dyero his verbis: *Item il fuit indict. ſur ceſt certificat in Comitatu Middleſex, ſcilicet, per le common iurie de enquire in Banc regis pro Comitatu Middleſex, accord al Statute de anno 5. Reginæ nunc, & plede non culpable a ceo: & fuit tenus que le trial ne ſerra per homines de Comitatu Middleſex, ſed per homines de Comitatu Surrey, de vicanet de Southwarck, eo que no mention eſt fait en le Statute de le trial, mes de indictment tantum que eſt garanted per le Statute in illo Comitatu, in quo Banc Regius ſedet.*

Phil.

Phil. Cur Iudices ſententiam ſuam diſtulerunt? Huius rei quæ potuit eſſe cauſa, niſi quòd Horni partes eſſent duriores, Bonneri autem faciles & expeditæ? In veſtrorum igitur gratiam, ne eorum dedecus & opprobrium in vulgus emanaret, dilata videtur.

Orth. In cauſis agendis mille intercedere ſolent moræ & procraſtinationes. Huius autem dilatæ ſententiæ multæ rationes probabiles reddi poſſunt. Primò, qui Bonneri patrocinium ſuſceperunt, licèt Hornum non fuiſſe Epiſcopum obtenderent, huius tamen dicti (quantum ex Dyero colligi poteſt) nullam penitùs rationem reddiderunt. Videtur igitur tempus ſatis amplum illis à Iudicibus eſſe conceſſum, vt, ſi quid haberent quo hoc aſtruerent, in medium proferrent; ſic enim obtritis calumnijs, Epiſcoporum dignitas magis ſplendeſceret. Deinde Iuratores alij ex Comitatu Surrey ante latam ſententiam erant euocandi, quorum conſcientijs ſummum examen, vulgò, *The triall*, permitteretur.

Denique hâc lite pendente, quæ anno Elizabethæ ſeptimo eſt inchoata, eiuſdem Reginæ anno octauo celebratum eſt Parliamentum, in quo Regni Ordines vniuerſas lites pendentes, ob detrectatum primatus Regij iuramentum, à quolibet Epiſcopo cuilibet intentatas, decreto ſuo dirimunt ac diſſoluunt. Ita Bonnerus euaſit, omníque moleſtiâ eſt liberatus. 7

Phil. Rectè mones. Nam (vt habet demonſtrationum Proteſtanticarum [a] author) *decreto publico, ſeu Statuto, Bonnerum Epiſcopum, & alios omnes, in ſimili cauſa conſtitutos, ab omni pœna vel mulcta, illis ob recuſationem iuramenti, à talibus prætenſis Epiſcopis oblati, irroganda, ſimpliciter abſoluunt, idque non alia de cauſa, niſi quòd omnibus rectè ſentientibus manifeſtum eſſet, illos non fuiſſe veros Epiſcopos.* [a] Proteſt. demonſt. pag. 33.

Orth. Profectò nihil ineptiùs dici potuit. Si enim hanc tam bellam ſequamur interpretationem, ſibi ipſis viri prudentiſſimi manifeſtò contradicent. Eodem enim in capite Senatus ille ampliſſimus, Epiſcoporum, qui ſub Elizabetha creati ſunt (ex quo numero fuit Robertus Hornus) electiones, confirmationes, & conſecrationes accuratè, iuxta legum normam & amuſſim peractas, eſſe pronunciat, ipſóſque, ac inſuper omnes in poſterum ſimiliter ordinandos, veros eſſe Epiſcopos, atque pro talibus habendos eſſe, ſummâ authoritate ſancit, maledicóſque calumniatores, qui eorum conſecrationes ſugillabant, acriter reprehendit.

Phil. *Nihilominùs tamen* (vt rectè [b] Champnæus) *omnes eiuſmodi actiones, qualis fuit oblatio iuramẽti facta per Hornum Bonnero, ante illum diem, nempe ante editum decretum exercitas, adeo ſpeciatim declarauit irritas & nullius valoris, vt ad iuſtitiam & æquitatem cauſæ Bonneri reſpexiſſe nemini dubium eſſe poſſit.* Et alibi hæc ſunt verba Champnæi; (Bonnerus) *declaratur innocens à Parliamento.* [b] Champ. p. 436.

Orth. Ain' tu? An Senatus reſpexit ad iuſtitiam, & æquitatem cauſæ Bonneri? An ipſe innocens declaratur à Parlamento? Vnde hæc hauſit Champnæus?

Digitized by Google

p Champ.p.436. Phil. p *Præſtat verba ipſa legis deſcribere. Nihilominùs ſtatutum ſit, quòd nemo quicquam moleſtiæ in perſona ſua, terris, vel bonis in poſterum patiatur, ex nulla delatione ſeu accuſatione, per quemuis Archiepiſcopum vel Epiſcopum hactenus facta, de non recepto iuramento authoritate Parliamenti ſtabilito; & quòd quæuis eiuſdem iuramenti, per quemcunque Archiepiſcopum vel Epiſcopum oblatio hactenus facta, ex vi vel virtute cuiuſuis decreti in prima huius Parliamenti ſeßione ſtabiliti, & quæuis etiam taliter oblati iuramēti reiectio inanis erit, & nullius valoris.*

Orth. Hîc tamen de Bonneri innocentia, vel cauſæ iuſtitia aut æquitate altum ſilentium.

q Champ.ibid. Phil. q *Iſta ſunt verba legis, quæ actionem Horni (quâ Bonnero iuramentum obtulit præſtandum) irritam, ſeu minimè legalem declarauit, & conſequenter eum non fuiſſe Epiſcopum oſtendit. In cæteris enim omnibus legalem fuiſſe præfatam iuramenti oblationem ex lege ipſa liquidò conſtat.*

Orth. Hornium, & reliquos vniuerſos ante hoc tempus ſub Elizabetha euectos, legitimos fuiſſe Epiſcopos ex actis ſtatutiſque Regni & Archiuis, in hoc ipſo ordinum conuentu, eſt declaratum, idque r *vnanimi omnium conſenſu*. Ergo oblatio iuramenti, vt cæteris in rebus, te fatente, ita hac quoque ex parte, id eſt, ratione offerentis qui erat Epiſcopus, erat legitima. Hoc verba ipſius legis clariſſimè loquuntur.

r Camden.Eliz. p.108.

Phil. Nónne lex ipſa oſtendit oblationem iuramenti fuiſſe irritam, ſeu minimè legalem?

Orth. Declarat fore irritam, ſed non fuiſſe minimè legalem. Hæc ſunt ſomnia veſtra, non verba legis.

Phil. Ecquid erat vt redderetur inanis, ſi modò fuiſſet legalis?

Orth. Hæc exinanitio non arguit Bonneri innocentiam, nec vllam Horni in iuramento proponendo culpam, defectum, aut legis violationem, ſed inſignem duntaxat ſplendidiſſimi illius conuentus gratiam & indulgentiam. Nam auguſtus ille conſeſſus primò labes Epiſcopis noſtris, per calumniam aſperſas, penitùs eluere dignatus eſt; deindè Bonnero & ſimilibus, qui propter oblatum iuramentum in Epiſcopos tam impudenter inuolâſſent, clementer, & placidè veniam indulgere. Sperabat enim vſu venturum, vt qui anteà, ſiue inſcitiâ, ſiue malitiâ noſtrorum inaugurationes arrodere non deſtitiſſent, iam à toto Parliamento tam inſigniter edocti, tandem aliquandò ſaperent, & circumfulgentem veritatem amplecterentur. Sed iam tempus eſt vt Horni, & aliorum qui depoſitis ſuffecti ſunt, conſecrationes ſubijciam.

Phil. Id ipſum præſtolamur.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XII.

De Epiſcopis in depoſitorum loca ſurrogatis.

Partes 2
- *Prima, de Eliz. Regina, quanta cum laude omnia geſſerit.* 1
- *Secunda, de nouis Epiſcopis Prouincia*
  - *Cantuarienſis*
    - *quibus ſucceſſerint.* 2
    - *à quibus conſecrati.* 3
  - *Eboracenſis.* 4

ORTH.

Quàm ſanctè ac religioſè ſe geſſerit æternæ memoriæ Elizabetha, non fingo ad gratiam, ſed ad perpetuam rei memoriam verè & ingenuè refero. Deus opt. Max. virgineum pectus tot literarum gemmis, tot virtutum ſtellis ac luminibus, vltra ſexum, excoluit, & perpoliuit, vt non tam nata, quàm ad imperium facta & ficta eſſe videatur. Ita enim diuino viſum eſt numini, vt oſtenderet in ſexus imbecillitate quid poſſit diuina potentia. Hîc ſe mihi aperit ampliſſimus dicendi campus; ſed expatiari non libet. Hanc enim mihi ipſi legem impoſui vt nihil delibem, niſi quod ad rem ipſam de qua agitur ſit accommodatum. Sic igitur habe. Vt Ioſua profeſſus eſt, [a] *Ego, & familia mea colemus Iehouam:* ita Elizabetha, Ego & Regna mea ſeruiemus Domino. Vt Ioſias, congregatis ad ſe Senioribus Iudæ & Ieruſalem, [b] *cum Domino fœdus iniit:* ita Elizabetha, conuocatis Regni Ordinibus, ſimile cum Deo ſuo fœdus pepigit. Verùm vt Nehemiæ, muros Ieruſalem cultúmque Dei reſtauranti, [c] Prophetæ & [d] Sacerdotes qui maximo eſſe debebant adiumento, maximo erant impedimento: ita in primis illis Regni Comitijs Parliamentarijs vſu venit, in quibus Principe, Proceribus, & populo Euangelium ac Dei gloriam promouentibus, Epiſcopi Pontificij ruenti Papæ, ſuperſtitioníque Papali ſuccurrere, &, tanquam Atlantes, humeros ſubijcere. Deus tamen, miſericordiarum Pater, tantam largitus eſt benedictionem, vt veritas victoriam reportaret. Quare vt [e] *Ieboida iureiurando obſtrinxit Centuriones*, vt Ioaſſio adhæreſcerent; ita Regni Ordines ſubditos Principi ſuæ iureiurando obſtringendos curârunt. Et vt [f] Abiathar, Salomonem deſerens vt Adoniam ſequeretur, Pontificatu ſuo eſt exutus: ita quoque Prælati Pontificij, primatus Regij iuramentum (quod iuſtum Reginæ titulum, nec quicquam aliud complectebatur) in Papæ gratiam ſuſcipere de-

[a] *Ioſ. 24. 15.*
[b] *2. Reg. 23. 3.*
[c] *Nehem. 6. 12.*
[d] *Nehem. 13. 28.*
[e] *4. Reg. 11. 4.*
[f] *1. Reg. 2. 35.*

s Ibid. treĉtantes: & vt eiecto Abiathari ſurrogatus eſt s Sadoc, ita exauthoratis Epiſcopis Pontificijs, parùm in Principem officioſis, pij Paſtores ſuffecti ſunt. Quis autem qua in ſede, & cui ſucceſſerit, in hac breui tabella licet conſpicere.

	Exauthorati:	Surrogati.	
In Prouincia Cant.	Bonnerus	Grindallus.	London.
	Whitus	Hornus.	Winton.
	Thirlbeius	Coxus.	Eli.
	Watſonus	Bullingham.	Lincoln.
	Baynus	Bentham.	Cou. & Lich.
	Bournus	Barclaius.	Bath. & Well.
	Turberuillus	Alleyus.	Exon.
	Patus	Sandeſius.	Wigorn.
	Polus	Scamblerus.	Petriburg.
	Goldwellus	Dauis.	Aſaph.
Ebor.	Heathus	Youngus.	Ebor.
	Tunſtallus	Pilkintonus	Dunelm.
	Oglethorpius	Beſtus.	Carliol.
	Scotus	Downam.	Ceſtr.

3 Si à quibus conſecrati ſint Epiſcopis ſcire diſcupias, in tuam gratiam ipſos antiquitatis theſauros reſerare lubet.

t Regiſter. Parker. 1. fol. 18. Edm.t Grindall. conſ. 1559. 21. Decembr. à { Matth. Cantuar. / Will. Ciceſtr. / Iohan. Hereford. / Ioh. Bedford. }

Robertus

Robertus [b] Horn.conſ.1560.16.Februarij,à { Matth.Cantuar. Tho.Meneu. Edm.Londin. Tho.Cou.& Lichf. } [b] *Ibid.fol.88.*

Rich.[c] Coxus conſecrat.1559.21.Decemb.à { Matth.Cantuar. Will.Ciceſtr. Ioh.Hereford. Ioh.Bedford. } [c] *Ibid.fol.22.*

Nichol.[d] Bullingham conſecr.1559.21.Ian.à { Mat.Cant. Edm.Londin. Rich.Elienſ. Ioh.Bedford. } [d] *Ibid.fol.94.*

Thom.[e] Bentham conſecr.1559.24.Martij,à { Mat.Cant. Nic.Lincoln. Ioh.Sarum. } [e] *Ibid.fol.69.*

Gilbert.[f] Barclaius conſecr.1559.24.Martij,à { Mat.Cant. Nic.Lincoln. Ioh.Sarum. } [f] *Ibid.fol.74.*

Will.[g] Alleyus conſecr. 1560. 14.Iulij, à { Matth.Cant. Edm.Londin. Gilb. Bath. & Well. } [g] *Ibid.fol.80.*

Edwin.[h] Sandeſius conſ.1559. 21.Decemb.à { Matt.Cant. Will.Ciceſt. Ioh.Hereford. Ioh.Bedford. } [h] *Ibid.fol.39.*

Edm.[i] Scambler conſec.1560. 16.Februar. à { Matt.Cant. Tho.Meneuenſ. Edm.Lond. Th.Cou.& Lichf. } [i] *Ibid.fol.92.*

Richard. [k] Dauis conſec.1559. 21. Ianuarij,à { Matth.Cant. Edm.Lond. Rich.Elienſ. Iohan. Bedford. } [k] *Ibid.fol.55.*

4 Hactenus de Prouinciâ Cantuarienſi; in alterâ autem Thomas Youngus ex Epiſcopo Meneuenſi factus eſt Archiepiſcopus Eboracenſis,cuius conſecratio ſequitur.

Thomas Youngus conſecr. 1559. 21. Ianuar. a { Matth.Cant. / Edm.Londin. / Rich.Elienſ. / Ioh. Bedford.

Idem de reliquis huius Prouinciæ Epiſcopis ſentiendum, quorum conſecrationes non adduxi, quia Archiepiſcoporum Eboracenſium Regiſtra nondum mihi videre contigit.

CAP. XIII.

Omnium Epiſcoporum quarundam ſedium maximè illuſtrium, qui Regnante Elizabethâ ſacrati ſunt, breuis Synopſis.

Conſecratio Epiſcoporum omnium.

Cantuarienſium	1	*ſub Elizabetha florentium.*
Londinenſium	2	
Wintonienſium	3	
Elienſium	4	
Sariſburienſis	5	
Norwicenſium	6	
Roffenſium	7	

VT pium Eccleſiæ Anglicanæ in antiquis Canonibus obſeruandis ſtudium, & accurata ſedulitas omnibus eluceſcat, vniuerſos quarundam Eccleſiarum, in Prouincia Cantuarienſi maximè inſignium, Epiſcopos, qui Regnante Elizabethâ ſacrati ſunt, placet attexere. In ſede Metropoliticâ Cantuarienſi tres ſub Elizabethâ floruerunt Archiepiſcopi; Matt.Parkerus, Edmond. Grindallus, & Ioh. Whitgiftus. Parkeri & Grindalli conſecrationes ſuperiùs ſunt explicatæ; Whitgifti autem ſic ſe habuit.

Ioh. [a] Whitgift. conſec. 1557. 21. April. ab { Edm.Arch.Cant. / Ioh.Londin. / Rob. Winton. / Rich.Ciceſtr.

[a] Regiſtr. Grindal.

Præſules

Præſules Londinenſes, Edm. Grindallus, Edwinus Sandeſius, Ioh. Elmerus, Rich. Fletcherus, & Richardus Bancroftus, Grindalli & Sandeſij conſecrationes accepiſti; reliquas ſic habe. 2

Ioh. [b] Elmerus conſec. 1576. 24. Martij, ab
Edm. Cant.
Edw. Arch. Ebor.
Ioh. Roff.

[b] *Ibid.*

Rich. [c] Fletcherus conſ. 1589. 24. Decemb. à
Ioh. Cant.
Ioh. Lond.
Ioh. Roff.
Ioh. Glou.

[c] *Regiſt. Whitgiftii tom. 1.*

Rich. [d] Bancroft. conſecrat. 1597. 8. Maij, à
Iohan. Cant.
Ioh. Roff.
Anton. Meneu.
Rich. Bangor.
Anton. Ciceſt.

[d] *Ibid.*

Prælati Wintonienſes, Rob. Hornus, Ioh. Watſonus, Tho. Cooperus, Will. Wickhamus, Will. Dayus, & Thom. Bilſonus. Horni conſecratio ſuperius eſt delineata; reliquæ ſequuntur. 3

Ioh. [e] Watſonus conſecr. 1580. 15. Sept. ab
Edm. Cant.
Ioh. Londin.
Ioh. Roff.

[e] *Regiſt. Grindal.*

Thom. [f] Cooperus conſec. 1570. 24. Feb. à
Matt. Cant.
Rob. Wint.
Nich. Wigorn.

[f] *Regiſter. Parker. t. 1 fol. 138.*

Will. [g] Wickhamus conſ. 1584. 6. Decemb. à
Ioh. Cant.
Edm. Wigorn.
Ioh. Exon.
Marmad. Meneu.

[g] *Regiſt. Whitgiftii. 1.*

Will. [h] Dayus conſecr. 1595. 25. Ianuar. à
Ioh. Cant.
Rich. Lond.
Ioh. Roff.

[h] *Regiſt. Whitgifti t. 2.*

Thom. [i] Bilſonus conſecrat. 1596. 13. Iun. à
Ioh. Cant.
Rich. Lond.
Will. Winton.
Rich. Bangorn.

[i] *Ibid.*

Digitized by Google

4 Antiſtites Elienſes, Rich. Coxus, & Martinus Heatonus. Coxi conſecratio præceſſit, Heatoni ſubſequitur.

k Regiſtr. Whitgift. t.3.

Martinus [k] Heatonus conſ. 1599. 3. Feb. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Will. Cou. & Lichf. / Anton. Ciceſtr. }

5 Epiſcopi Sarisburienſes, Ioh. Iuellus, Edm. Gueaſtus, Ioh. Peirſus, Ioh. Gouldwellus, & Henricus Cottonus.

l Regiſtr. Parker t.1.f.46.

Iohan. [l] Iuellus conſec. 1559. 21. Ianuarij, à { Matt. Cant. / Edm. Lond. / Rich. Elienſ. / Ioh. Bedford. }

m Ibid. fol. 64.

Edm. [m] Gueaſt. conſecrat. 1559. 24. Martij, à { Mat. Cant. / Nic. Lincoln. / Ioh. Sarum. }

n Reg. Grindal.

Ioh. [n] Peirſus conſecrat. 1576. 15. April. ab { Edm. Cant. / Edwin. Lond. / Rob. Winton. }

o Regiſt. Whitgift. t.1.

[o] Io. Gouldwellus conſ. 1591. 26. Decemb. à { Ioh. Cant. / Ioh. Lond. / Thom. Winton. / Rich. Briſtol. / Ioh. Oxon. }

p Regiſt. Whitgift. t.3.

Henr. [p] Cottonus conſ. 1598. 12. Nouemb. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Will. Cou. & Lich. / Ant. Ciceſtr. }

6 Paſtores Norwicenſes, Ioh. Parkhurſtus, Edmond. Freakus, Edmond. Scamblerus. Will. Redmanus, & Iohan. Iegonus. De Scamblero antea; nunc de reliquis.

q Regiſt. Parker, tom. 1.

Ioh. [q] Parkhurſtus conſ. 1560. 1. Septemb. à { Mat. Cant. / Gilb. Bath. & Wel. / Will. Exon. }

r Ibidem.

Edm. [r] Freakus conſecrat. 1571. 9. Martij, à { Matt. Cant. / Rob. Wint. / Edm. Sarum. }

Will.

Will. [e] Redmannus conſec. 1594. 12. Ian. à
- Ioh. Cant.
- Rich. Lond.
- Ioh. Roff.
- Will. Lincoln.

[e] *Regiſt. Whitgifti t. 2.*

Ioh. [f] Iegonus conſecrat. 1603. 20. Feb. à
- Ioh. Cant.
- Rich. Lond.
- Ioh. Roff.
- Anton. Cicest.

[f] *Regiſt. Whitgifti tom. 3.*

Roffenſi Eccleſiæ præfuerunt Edm. Gueaſtus, Edm. Freakus, 7
Ioh. Pierſus, Ioh. Youngus; ex quibus ſolius Youngi conſecratio reſtat declaranda.

Ioh. [g] Youngus conſecr. 1577. 16. Martij, ab
- Edm. Cant.
- Ioh. Lond.
- Ioh. Sarum.

[g] *Regiſt. Grindal.*

Cap. XIIII.

De Prouinciæ Cantuarienſis Epiſcopis, qui conſecrationem ſub ſereniſſimo Rege Iacobo adepti ſunt, vbi etiam Prouincia Eboracenſis leuiter ſtringitur.

PORro, vt eandem Epiſcopos ſacrandi rationem, in Angliâ Regnante ſereniſſimo Domino noſtro Iacobo, etiamnum vigere clarè intelligas, en tibi tabellas quas ſubiunximus.

Ioh. Bridgeſius conſecr. Epiſc. Oxon. 1603. 12. Feb. à
- Ioh. Cant.
- Rich. Lond.
- Tob. Durham.
- Ioh. Roff.
- Anthon. Cicest.

Rich. Parreyus conſecr. Epiſc. Aſaph. 1604. 30. Decemb. à
- Rich. Cant.
- Rich. Lond.
- Tob. Durham.
- Matt. Elienſ.

Thom. Rauis conſecrat. Epiſc. Glouc. 1604. 17. Martij, à
- Rich. Cant.
- Tob. Durham.
- Anth. Cicest.

Will.

Will.Barlous conſ. Ep.Roff.1605. 30.Iun.à
- Rich.Cant.
- Rich.Lond.
- Anth.Ciceſt.
- Thom.Glouc.

Lanc. Andreas conſecrat. Epiſc. Cic. 1605. 3.Nouem.à
- Rich.Cant.
- Rich.Lond.
- Ioh.Noruic.
- Thom.Glouc.
- Will.Roff.

Henr. Parreyus conſec. Epiſc. Glouc. 1607. 12.Iulij,à
- Rich.Cant.
- Thom.Lond.
- Will.Roff.
- Lancel.Ciceſt.

Iac.Montacutus conſec. Epiſ. Bath. & Well. 1608. 17.April,à
- Rich.Cant.
- Thom.Lond.
- Henr.Sarum.
- Will.Roff.
- Lanc.Ciceſt.
- Henr.Glouc.

Rich.Neilus conſ.Ep.Roff.1608.9.Octob.à
- Rich.Cant.
- Thom.Lond.
- Lanc.Ciceſt.
- Ia.Bath.& Well.

Georg.Abbotus conſec. Epiſ.Cou.& Lichf. 1609. 3.Decemb.à
- Rich.Cant.
- Lanc.Ely.
- Rich.Roff.

Samuel Harſnet conſecratus eſt Epiſc. Ciceſtrenſis eodem die,per eoſdem.

Egidius Thomſonus conſ. Ep. Glouc.1611. 9.Iulij,à
- Georg.Cant.
- Ioh.Oxon.
- Lanc.Ely.
- Ia.Bath.& Well.
- Rich.Cou.& Lichf.

Ioh.Buckridge conſ.Epiſc.Roffenſis eodem die,per eoſdem.

Ioh.Kingus conſ.Ep.Lond. 1611.8.Sept.à
- Georg.Cant.
- Rich.Cou.& Lichf.
- Egidio Glouc.
- Ioh.Roff.

Mileſius

Digitized by Google

Mileſius Smithus conſ.Epiſc. Glouc. 1612. 20.Septemb.à { Georg.Cant. / Ioh.Lond. / Rich.Cou. & Lich. / Ioh.Roff.

Eadem penitùs conſuetudo in Prouinciâ Eboracenſi ſemper obtinuit,cuius rei ſpecimen in duobus viris clariſſimis exhibebo. Quorum alter ſub Reginâ Elizabethâ, alter ſub Rege Iacobo euectus eſt.

Henricus Robinſonus conſecrat. Epiſcopus Carl. 1598. 23. Iulij,à { Rich.Lond. / Ioh.Roff. / Anth.Ciceſt.

Will. Iameſius conſecrat. Epiſcop. Dunelm. 1606. 7.Septemb.à { Tob.Ebor. / Rich.Lond. / Will.Roff. / Lanc.Ciceſt.

Cap. XV.

Reuerendiſsimi in Deo Patris Georgij, nunc Archiepiſcopi Cantuarienſis, Linea Epiſcopalis, ſeu ordinationis ſucceſſiuæ catena aurea, per ſingulos annulos oſtendẹs quomodo ab Epiſcopis ſub Henrico 8. ſacratis (qui aduerſarijs noſtris ſunt Canonici) originem duxerit.

De
- *Reuerendiſſimi nunc Archiepſcopi Catena aurea.* 1
- *Eiuſdem catenæ annulo præcipuo, quem*
  - *Puritani, olim infenſiſſimi, non negabant.* 2
  - *Papiſtæ offuſcare volunt famâ, vel potiùs fumo qui*
    - *volitat per Romana Collegia.* 3
    - *Regiſtrorum radijs diſcutitur.* 4

ECquid ſatis exemplorum tibi exhibuiſſe videor? Veruntamen quia vobis omnibus abundè ſatisfacere ardenter diſcupio, Reuerendiſſimi Patris Georgij, nunc Archiepiſcopi Cantuarienſis (quem in Clericorum ſolatium, & Eccleſiæ benedictionem, optimi & religioſiſſimi Regis operâ, euexit Iehoua) ſucceſſiuam ordinationem veluti catenam quandam auream explicandam duxi. In qua, veſtram in gratiam, gradatim, ſed ordine tamen retrogrado, vt res ipſe poſtulat, ad Epiſcopos Anglicanos ſub Henrico octauo conſtitutos, qui vobis ſunt Canonici, per ſingulos huius catenę annulos aſcendam. Tu mihi ſimilem Pauli quinti ſucceſſionem oſtende, & gratiæ tibi agentur maximæ.

Georgius

- Georgius nunc Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſacratus fuit 3. Decemb. 1609. à
  - 1. Richardo Bancrofto, qui ſacratus eſt 8. Maij, 1597. à
    - 2. Ioh. Whitgifto, qui 21. April, 1577. ab
      - 3. Edm. Grindallo, qui 21. Decemb. 1559. à
        - 4. Mat. Parkero, qui 17. Decemb. 1559. à
          - 5. Will. Barlow, } qui ſacrati ſunt tempore H. 8.
          - 6. Ioh. Hodgskins, } qui ſacrati ſunt tempore H. 8.
          - 7. Mil. Couerdal. qui 30. Aug. 1551. à
            - 8. Thom. Cranmero; qui tempore H. 8.
            - Ioh. Hodgskins, vid. 6.
            - 9. Nic. Ridley, qui 5. Sept. 1547. ab
              - 10. Hen. Lincol. qui ſub H. 8.
              - Ioh. Bedford. vid. 6.
              - 11. Thom. Sidon. qui ſub H. 8.
          - 12. Ioh. Scorzo, qui conſecratus fuit cum Couerdalio, vid. 7.
        - 13. Io. Hurley, qui 26. Maij 1553. à
          - Tho. Cranmero, vide 8.
          - 14. Sidon.
          - 15. Ioh. Talero, qui 26. Iulij, 1552. à
            - Tho. Cranmero, vid. 8.
            - Ioh. Scorzo, vid. 12.
            - Nic. Ridlæo, vid. 9.
        - Will. Barlow. vide 5.
        - Iohanne Bedfordienſi, vide 6.
      - 16. Ioh. Elmer, qui 24. Mar. 1577. à
        - Edm. Grindallo, vide 3.
        - 17. Edw. Sandeſio, qui ſacratus fuit cum Grindallo, vide 3.
        - 18. Ioh. Pierſ. qui 13. April. 1576. ab
          - Edm. Grindal. vide 3.
          - Edw. Sands, vid. 17.
          - 19. Ro. Horno, qui 16. Feb. 1560. à
            - Mat. Parkero, vide 4.
            - Edm. Grindal, vide 3.
            - 20. Th. Yongo, qui 21. Ian. 1559. à
              - Mat. Parkero, vide 4.
              - Ed. Grindal, vide 3.
              - Ioh. Hodgskins, vide 6.
              - 21. Rich. Cox. qui vnà cum Grindallo, vid. 3.
          - 22. T. Bentham, qui 24. Mar. 1559. à
            - Mat. Parkero, vide 4.
            - 23. N. Bullingã, qui 21. Ian. 1559. à
              - M. Park. vid. 4.
              - Ed. Grind. vid. 3.
              - Ric. Cox, vid. 21.
              - Ioh. Hodgſ. vid. 6
            - 24. Ioh. Iuello, qui cum N. Bullinghamo, vide 23.
      - Rob. Horno. vide 19.
      - 25. Rich. Curteis, qui 21. Maij, 1570. à
        - M. Parker, vide 4.
        - Rob. Horno, vide 19.
        - 26. Edm. Gueaſt. qui vnà cum Nic. Bullingham, vide 23.
    - 27. Iohanne Youngo, qui 16. Martij, 1577. ab
      - Ed. Grindal, vide 3.
      - Ioh. Elmer, vide 16.
      - Ioh. Iuello, vide 24.
    - 28. Ant. Ruddo, qui 9. Iunij, 1594. à
      - Iohanne Whitgifto, vide 2.
      - Iohanne Youngo, vide 27.
      - 29. Ric. Fletchero, qui 14. Decemb. 1589. à
        - Iohanne Whitgifto, vide 2.
        - Ioh. Elmer, vide 16.
        - Ioh. Youngo, vide 27.
        - 30. Ioh. Bullingham, qui 5. Sept. 1581. ab
          - Ed. Grindal. vide 3.
          - Ioh. Elmero, vide 16.
          - Ioh. Youngo, vide 27.
    - 31. Rich. Vaughan, qui 25. Ian. 1595. à
      - Ioh. Whitgift, vide 2.
      - Rich. Fletcher, vide 29.
      - Ioh. Youngo, vide 27.
    - 32. Ant. Watſono, qui 15. Aug. 1596. à
      - Ioh. Whitgifto, vide 2.
      - Ioh. Youngo, vide 27.
      - Rich. Vaughan, vide 30.
      - 33. Tho. Bilſono, qui 13. Ian. 1596. à
        - Iohan. Whitgifto, vide 2.
        - Rich. Fletchero, vide 29.
        - 34. W. Dayo, qui 25. Ian. 1595. à
          - Io. Whitgifto, v. 2.
          - Ri. Fletchero, v. 29.
          - Ioh. Youngo, v. 27.
        - Rich. Bangor, vide 30.
  - Lanceloto Elienſi, } quorum conſecrationes delineatæ fuerunt, & eodem planè modo deduci poſſunt.
  - Richard. Roffenſi, } quorum conſecrationes delineatæ fuerunt, & eodem planè modo deduci poſſunt.

2 Phil. Hem? Quid audio? O quanta me inceſſit admiratio, vel ſtupor potiùs?

Orth. Quid rei eſt? An Meduſæ tibi caput oſtendiſſe videor?

Phil. Vel ſi quid ſit Gorgone ad ſtuporem creandum efficacius. An credibile eſt hæc tamdiu latere potuiſſe Regiſtra, ſi modò vera fuiſſent, & authentica?

Orth. Parkeri conſecratio (quæ eſt annulus huius catenæ præcipuus, vnde aptati & nexi poſteriorum temporum dependent vniuerſi) non ſolùm in celeberrima hominum corona ſolenniter erat peracta, vt antea monui, ſed etiam, eôdem adhuc in viuis agente, typis mandata, & in lucem publicè emiſſa, dum omnia adhuc firmiter memoriæ infigerentur. Quamuis autem non deeſſent ex eiuſdem inimicis maligni & amarulenti homines, qui in vitam eius (inchoatam) Ironicos ederent commentarios, huius tamen conſecrationis (quæ illo in libro exponitur) veritatem in dubium non vocârunt.

[a] Champ. p. 517. Phil. *Apertiſſimum eſt mendacium*, vt docet [a] Champnæus.

Orth. *Apertiſſimum mendacium?* Quantus hîc hiatus? Neque ſic vociferari Sorboniſtæ ſatis eſt, ſed appingit ad marginem has duas voces, tanquam gemmas, ſcilicet, *apertum mendacium.* Verùm, ô mi Champnæe; *Parciùs iſta viris tamen obijcienda memento;*
Nouimus & qui te.

Sed quæ demum eſt hæc maledicentia? Nam quod ſcripſit Maſonus, non eſt apertum mendacium, ſed comperta veritas.

[b] Champ. ibid. Phil. *Hardingus, Sanderus, Stapletonus, vt ex proprijs eorum verbis clariſſimè conſtat, Parkero non ſolùm ſuperſtite, ſed eorum aliqui ad ipſummet ſcribentes, conſecrationem illius non modò in dubium vocârunt, ſed abſolutè expreſſeque negârunt, idque abſque omni vel ab ipſo vel, à quouis alio illius nomine factâ contradictione, vel minimâ replicatione.*

Orth. Egregiè. Maſonus loquitur de Parkeri inimicis, qui in eius vitam ridiculos commentarios edidiſſent, tu Hardingos, Sanderos, Stapletonos nobis commemoras. Nunquid iſti in vitam Parkeri commentarios ſcripſerunt? Maſonus de Puritanis agit, tu reſpondes de Papiſtis. Sic tu ſoles Maſonum debellare. Sed quid audio? Nemóne Papiſtis hac in cauſa contradixit? O inſigne mendacium! Contradixit enim totus Senatus Parliamentarius.

[c] Champ. p. 518. Phil. [c] *Mihi quidem firmiter perſuadeo, magnum Maſono faceſſiturum negotium, qui ab eo vel vnum exemplar illius exigeret.*

Orth. Hunc libellum ipſe aliquandò habui; nec deſunt ex amicis qui ſimilem hodierno die poſſident. Quin & mihi olim in Bibliotheca Bodleiana oſtendebat amicus meus ſingularis, magnus ille librorum helluo, Doctor Iameſius, eiuſdem Bibliothecæ Protobibliothecarius.

3 Phil. Si quæ citas Regiſtra, vera ſint & fide digna, ſatis mirari nequeo quânâ ratione illa de capite manni narratio in Collegio

Anglico-

Digitized by Google

Anglico-Romano, Rhemenſi, Duacenſi tantoperè increbeſceret. Nihil enim illâ vſitatius, nihil frequentius.

Orth. Profectò, Philodoxe, quod cuiquam ſi accideret, eſſet gratum, illud ita ſe habere facillimè credet. Ita eſt ingenium hominis comparatum; mens odio faſcinata, in eorum quos odit rebus bonis & ſplendidis cæcutire ſolet, in malis plus æquo oculata. Nodum in ſcirpo quærunt; quem ſi non videant, ſibi tamen videre viſi ſunt. Inde fit, vt tanquam vera, in vulgus ſpargere ſoleant, quæ nec vera ſunt, nec veritatis ſpeciem aut vmbram vel tenuiſſimam habent. Fama autem primò ſerpit humi, mox, vbi idoneum reperit auditorem, alas ſumit, & ſeſe tollit in auras. Et ſanè vobis operæpretium eſt hoc vinum, vel venenum potiùs, in veſtrorum Seminariorum alumnos, tanquam in vaſa recentia quamprimum infundere, vt idem ſemper redoleant. Hinc iſtiuſmodi fabulæ, tanquam fumi volitantes, ab imperitis cupidè arripiuntur ac imbibuntur, & quas vobis inuicem Sacroſancta traditionis manu ſoletis porrigere; & in his tanquam argumento inſolubili exultare & triumphare. Ita commilitones veſtri in caſtro olim Framlingamienſi; ita Hartus in colloquio Londinenſi. Qui tamen poſtquam Regiſtrorum conſignatas tabulas inſpexiſſet, illorum ſplendore has nebulas diſcuti & diſpelli facilè animaduertit. Ille igitur olim his rumuſculis deluſus, perinde ac tu, tandem fulgenti ceſſit veritati; quod vtinam, mi Philodoxe, & ipſe facias. Sed de Harto * poſteà. * Infra c.18. n.13.

Cap. XVI.

Ad 12. argumenta Kelliſoni contra Epiſcopos noſtros, & Regiſtra reſponſio.

- *De*
  - *Epiſcopis argumentum*
    - *ab authoritate*
      - *Lutheri.* 1
      - *Caluini.* 2
      - *Bezæ.* 3
      - *Fulci.* 4
      - *Whitakeri.* 5
      - *Sutliuij.* 6
      - *Puritanorum.* 7
      - *iterum Luther. & Calu.* 8
      - *Reformatorum.* 9
    - *A non Epiſcopis.* 10
    - *à Statuto Parliamentario.* 11
    - *ab Epiſcopis ſub Henr. 8. creatis.* 12
    - *à defectu trium.* 13
    - *à materia & forma.* 14
    - *ab authoritate Laicali.* 15
    - *ab excommunicatis.* 16
    - *à non Sacerdotibus.* 17
  - *Regiſtris.* 18

Phil.

QVam [a] *mercedem promeruit Maſonus, qui Regiſtra ex miniſtris ridiculis, cornutis, nundinatoribus, Antichriſtianis, olidis, ſqualidis, Laicis, nullis contexuit?*

[a] *Kelliſ. exam. part. 1. c. 3. p. 155.*

Orth. Immò mitte homines, qui ſunt cinis & puluis, & ad altiſſimum eleua oculos. O quas illi rependemus gratias, qui inter tot inquinamenta Pontificia, Sacroſancti miniſterij eſſentiam tanquam ignem cineribus obuolutum reſeruauit? Sed ita viſum eſt illi, qui lucem è tenebris facit ſplendeſcere.

Phil.

Phil. Lutherus ait, [a] *Catholicos Epiſcopos non eſſe Epiſcopos, ſed planè idola.*

[a] Luth. adu. falſò nominat. epiſc. ord. to. 2. p. 320.

Orth. Idola dici poſſunt, quotquot Epiſcopale nomen & dignitatem vendicant, Epiſcoporum tamen officia non præſtant. Nam linguas habent, & non loquuntur.

Phil. [b] Caluinus ait, *ritum ordinandi & conſecrandi apud Papiſtas merum eſſe ludibrium.* 2

[b] Inſtit. l. 4. c. 5. n. 3.

Orth. Non loquitur de ordinationis eſſentia, ſed (vt patet ex verbis proximè ſequentibus) de examinis ſpecie, quam adeo inanem & ieiunam eſſe dicit, vt omni etiam fuco careat.

Phil. [c] Beza apud Sarauiam, *Papiſticam ordinationem nihil aliud reputat, quàm fœdiſſimas Romani proſtibuli nundinationes.* 3

[c] In defenſ. p. 51.

Orth. De pleriſque loquitur ordinationibus, in quibus pacta Simoniaca interc edere ſolebant, non vniuerſim de omnibus.

Phil. [d] Fulcus ait, *Ex toto corde noſtro abbominamur, deteſtamur, ac conſpuimus Antichriſtianos veſtros olidos & ſqualidos ordines.* 4

[d] Fulcus in retentiu. p. 69.

Orth. Non deteſtamur ſimpliciter, ſed quatenus ſunt veſtri. Quod Chriſti eſt, agnoſcimus; quod propriè veſtrum eſt, vobis relinquimus. Exempli gratia, ordinem Presbyteralem, quatenus in Verbo & Sacramentis, iuxta Verbũ Dei adminiſtrandis verſatur, toto corde amplectimur: at quatenus eſt veſter, id eſt, ad ſacrificandum deſtinatus, eundem vt Antichriſtianum abbominamur, deteſtamur, ac conſpuimus. Similiter Diaconos & Epiſcopos, quatenus Scripturis ſunt conſentanei, quo decet amore & honore proſequimur. Diaconos verò, quatenus ſunt veſtri, id eſt, quatenus ſacrificanti aſſiſtunt, & Epiſcopos, quatenus ſacrificantes ordinant, repudiamus vt Antichriſtianos. Deinde ad oleum quod attinet, ſi tanquam ceremonia adiaphora adhibeatur, nos non reprehendimus: at ſi retineatur vt quiddam ordinibus eſſentiale, vel ſimpliciter neceſſarium, vt contendit [e] Champnæus, nos iſtiuſmodi ordines, vt olidos & ſqualidos, meritò conſpuimus.

[e] Champ. p. 163.

Phil. Idem in reſponſione ad perſonatum Catholicum: *Toto cælo hallucinamini, ſi credatis nobis* alia eſſe officia veſtra Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, quàm merè Laicorum.

[f] Ibid.

Orth. Si Presbyteri Pontificij ad ſacrificium miſſaticum duntaxat fuiſſent ordinati, Chriſti profectò eſſe miniſtri non potuiſſent. Miniſtri enim Chriſti illi ſoli ſunt, quorum ordo à Chriſto ipſo, vel immediatè, vel per Apoſtolos, originem ducit. Veſtrum igitur Sacerdotium, quatenus in ſacrificando verſatur, cùm ſit commentum humanum, vel potiùs Diabolicum, ſacer ordo eſſe non poteſt. Fulcus igitur dum, ratione huius, vos Laicis accenſet, benignè ſatis & candidè vobiſcum agit. Nam vocabula longè duriora & aſperiora vobis accommodare potuiſſet.

Phil. [f] Whitakerus ait: *Nolo vos exiſtimare noſtræ fidei homines tanti facere ordinationes veſtras, vt ſuam vocationem abſque iis illicitam reputent. Proinde vobis ipſis veſtros habeatis ordines.* 5

[f] Whit. contr. Duræum.

Orth. Quod in veſtris ordinibus eſt Chriſti, id ad nos tranſmittitur; quod veſtrum eſt & non Chriſti, id vobis habetote.

Phil. [a] Sutliuius dicit, *Papam nec eſſe Epiſcopum, nec poſſe ordinare.*

[a] *In exam. pag. 641.*

Orth. Nec eſt verus Epiſcopus quoad doctrinam, nec iure poteſt ordinare, eo modo quo ordinat.

7 Phil. Secundum argumentum ducitur à Puritanis, qui Epiſcopum Cantuarienſem appellant [b] *pſeudepiſcopum, principem dæmoniarum, Caipham, Eſau monſtroſum, Antichriſtianum, Papam, & beſtiam: alios autem Epiſcopos Angliæ degeneres, pernicioſos, vſurpatores, deteriores monachis, latrones, lupos, Epiſcopos Diaboli.*

[b] *Bancroft. in libro periculoſ. poſitio. um Sutl. in reſpon. ad calumn. articulos. Ormerodus in pict. puri t.*

Orth. Quid nobis delirantes opponis ſchiſmaticos? Nos eorum ineptias non moramur.

8 Phil. [c] Tertiò, *fruſtra Maſonus deſudauit in tam longa ſerie Epiſcoporum texenda, vt oſtendat ſuos veros eſſe ſacerdotes, cùm per Lutherum & Caluinum omnes ex æquo, nulli verè & propriè ſint ſacerdotes.*

[c] *Kellis ibid. p. 153.*

Orth. Sacerdos eſt, cuius munus in ſacrificando cernitur. Eſt autem duplex ſacrificium, corporale, & ſpirituale. Spiritualia ſacrificia, vt preces, gratiarum actiones, bona opera Deo offerre debent omnes Chriſtiani, ac proinde hoc ſenſu ſacerdotes à Luthero & Caluino appellantur. Corporalia autem in veteri Teſtamento obtulerunt Aaron & eius filij; in nouo vnicum eſt, idque verum, Chriſti ſcilicet, qui in ara crucis corpus ſuum & ſanguinem, pro peccatis noſtris, Deo Patri ſacrificauit. Solus igitur Chriſtus, ſi propriè loquamur, eſt noui Teſtamenti Sacerdos; Neque in hoc ſudauit omninò Maſonus, vt oſtenderet ſuos eſſe veros, id eſt, propriè dictos ſacerdotes, ſed vt euinceret veros eſſe ſacroſancti Euangelij præcones, et miniſtros; in hoc ſudauit, & certè non fruſtrà. Non diffitemur tamen quin Euangelij præcones dici poſſint ſacerdotes, quia ſcilicet in locum Leuiticorum ſacerdotum ſucceſſerunt.

9 Phil. *Quartò,* [d] *communis eſt reformatorum opinio, quòd Papa ſit Antichriſtus, & quòd ſacerdotes, ritu Romanæ eccleſiæ initiati, miniſtri ſint Antichriſti, & quod character ordinis, vel obedientia quam præſtant Romano Pontifici, ſit character beſtiæ. Videant igitur miniſtri Angli quomodo Papiſtarum ordinationem ſibi vendicent, ne ſe Antichriſti mancipia, & illius beſtiæ charactere & nota inuſtos comprobent.*

[d] *Ibid.*

Orth. Non intelligunt reformatores characterem ordinis ſimpliciter, ſed characterem ordinis Sacerdotalis, quatenus in Chriſto propriè ſacrificando verſatur. Cæterùm, ſi Papa ſit Antichriſtus, Papiſtici ſacerdotes miniſtri Antichriſti, eorúmque Sacerdotium character beſtiæ, quid tum poſtea? Non inde ſequitur nos eſſe Antichriſti mancipia, aut beſtiæ charactere inuſtos; quod tamen de veſtris erit veriſſimum. Quotquot enim ſub sereniſſimo Rege Iacobo, Elizabetha, & Eduardo, ordines contulerunt, ij omnes

nes

Digitized by Google

nes eo ipſo tempore ab Antichriſtianiſmo erant alieniſſimi. Cranmerus fateor & alij ſub Henrico his ſordibus coinquinati erant, qui tamen poſteà, diuinâ aſpirante gratiâ, ſunt abluti. Quamuis igitur iſti ritu Antichriſtiano fuiſſent ordinati, nihil tamen ad nos Antichriſtianum tranſmiſerunt, ſed illud duntaxat quod erat Chriſti.

PHIL. Quintò; [e] *Veri Sacerdotes non niſi à veris Epiſcopis ordinari poſſunt, nouantes autem miniſtri non ſunt ordinati à veris Epiſcopis: ergo, &c. Miniſtri Angli iniurioſi miniſtris extra Angliam; neque tamen ſibi ſatis conſulunt; dicunt enim omnes ſub papatu defeciſſe. Si reſpondeant Cranmerum eorum reformationem amplexatum, nihil eos iuuabit tam futilis reſponſio. Nam, vt ait Regula iuris, non firmatur tractu temporis quod ab initio non ſubſiſtit.* 10

[e] Ibid.

ORTH. Omnes Epiſcopos ſub papatu defeciſſe non aſſerimus; id tantùm dicimus, ſacros ordines complures tum feces ac ſordes contraxiſſe.

PHIL. Sextum argumentum à Statuto Parliamentario deſumitur; idémque ab authore anonymo, in libro cui titulus, *Demonſtrationes Proteſtantium*, pro Recuſatione Catholicorum vrgetur, & ſic breuiter concinnari poteſt; [f] *Quotquot in Anglia, vel alijs quibuſcunque Reginæ Dominijs nati poſt feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ, quod in annum Elizabethæ primum inciderat, in Sacerdotes, Diaconos, Religioſas aut Eccleſiaſticas perſonas, ratione alicuius authoritatis vel iuriſdictionis à ſede Romana deriuatæ, vendicatæ aut prætenſæ ſunt ordinati, illi omnes læſæ Maieſtatis ſunt rei:* at omnes Anglorum Epiſcopi Proteſtantes ſunt eiuſmodi, ergo; [g] *Videant igitur miniſtri Angli quam gratiam debeant Maſono pro ſuis Regiſtris, quibus eoſdem omnes, vtpote poteſtate ordinis & iuriſdictionis (ſi quam habent) à ſede Romanâ inſignitos perduelles eſſe, & reos læſæ Maieſtatis euicit.* 11

[f] Proteſt demonſt. p.46.

[g] Kelliſ. exam. part.1.c.3.

ORTH. Quam inſulsè? Quaſi quiſquam noſtrorum in Anglia, ab initio Elizabethæ, ad hunc vſque diem, authoritate Papali fuiſſet ſacratus.

PHIL. [h] *Matthæus Parkerus Proteſtantium Archiepiſcoporum primus, factus eſt Archiepiſcopus, & primus miniſtrorum ordinator, authoritate ac poteſtate à Romana ſede acceptâ, vt Doctor Sutliuius, Doctor Feildus, Magiſter Maſonus, & qui Maſono viam præmonſtrauit ac animos addidit, Archiepiſcopus (qui nunc ſedet) Cantuarienſis, ac alij teſtantur.*

[h] Prot. demonſt. p.46. & 47.

ORTH. O inſignem mendaciorum artificem! An quiſquam tam effrons eſt, vt Parkerum authoritate Papali eſſe ſacratum dicere non erubeſcat? Quid? An id teſtantur Sutliuius, Feildus, Maſonus, atque etiam Archiepiſcopus Cantuarienſis? Quid eſt ſtrenuè mentiri, ſi hoc non eſt? Siccine ſoletis cauſam Catholicam ex Proteſtantibus demonſtrare?

PHIL. *Septimò*; [i] *nullus eorum* (ſub Henrico octauo ordinatorum) *præter vnum Cranmerum, miniſtris nouis manus imponere voluit, ſed innouationi in Religione, & Miniſterio, vt docet Sanderus fol.* 114. 12

[i] Kelliſ. quo ſuprà.

Thomas Youngus conſec. 1559. 21. Ianuar. ab { Matth. Cant. Edm. Londin. Rich. Elienſ. Ioh. Bedford.

Idem de reliquis huius Prouinciæ Epiſcopis ſentiendum, quorum conſecrationes non adduxi, quia Archiepiſcoporum Eboracenſium Regiſtra nondum mihi videre contigit.

CAP. XIII.

Omnium Epiſcoporum quarundam ſedium maximè illuſtrium, qui Regnante Elizabethâ ſacrati ſunt, breuis Synopſis.

Conſecratio Epiſcoporum omnium {
Cantuarienſium 1
Londinenſium 2
Wintonienſium 3
Elienſium 4
Sarisburienſis 5
Norwicenſium 6
Roffenſium 7
} *ſub Elizabetha florentium.*

VT pium Eccleſiæ Anglicanæ in antiquis Canonibus obſeruandis ſtudium, & accurata ſedulitas omnibus eluceſcat, vniuerſos quarundam Eccleſiarum, in Prouincia Cantuarienſi maximè inſignium, Epiſcopos, qui Regnante Elizabethâ ſacrati ſunt, placet attexere. In ſede Metropoliticâ Cantuarienſi tres ſub Elizabethâ floruerunt Archiepiſcopi; Matt. Parkerus, Edmond. Grindallus, & Ioh. Whitgiſtus. Parkeri & Grindalli conſecrationes ſuperiùs ſunt explicatæ; Whitgiſti autem ſic ſe habuit.

Ioh. [a] Whitgift. conſec. 1557. 21. April. ab { Edm. Arch. Cant. Ioh. Londin. Rob. Winton. Rich. Ciceſtr.

[a] Regiſtr. Grindal.

Præſules

Præſules Londinenſes, Edm. Grindallus, Edwinus Sandeſius, 2
Ioh. Elmerus, Rich. Fletcherus, & Richardus Bancroftus, Grindalli & Sandeſij conſecrationes accepiſti; reliquas ſic habe.

Ioh.[b] Elmerus conſec. 1576. 24. Martij, ab { Edm. Cant. / Edw. Arch. Ebor. / Ioh. Roff. } [b] Ibid.

Rich.[c] Fletcherus conſ. 1589. 24. Decemb. à { Ioh. Cant. / Ioh. Lond. / Ioh. Roff. / Ioh. Glou. } [c] Regiſt. Whitgiftii tom. 1.

Rich.[d] Bancroft. conſecrat. 1597. 8. Maij, à { Iohan. Cant. / Ioh. Roff. / Anton. Meneu. / Rich. Bangor. / Anton. Ciceſt. } [d] Ibid.

Prælati Wintonienſes, Rob. Hornus, Ioh. Watſonus, Tho. Cooperus, Will. Wickhamus, Will. Dayus, & Thom. Bilſonus. Horni conſecratio ſuperius eſt delineata; reliquæ ſequuntur. 3

Ioh.[e] Watſonus conſecr. 1580. 15. Sept. ab { Edm. Cant. / Ioh. Londin. / Ioh. Roff. } [e] Regiſt. Grindal.

Thom.[f] Cooperus conſec. 1570. 24. Feb. à { Matt. Cant. / Rob. Wint. / Nich. Wigorn. } [f] Regiſter. Parker. t. 1 fol. 138.

Will.[g] Wickhamus conſ. 1584. 6. Decemb. à { Ioh. Cant. / Edm. Wigorn. / Ioh. Exon. / Marmad. Meneu. } [g] Regiſt. Whitgiftii t. 1.

Will.[h] Dayus conſecr. 1595. 25. Ianuar. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Ioh. Roff. } [h] Regiſt. Whitgifti t. 2.

Thom.[i] Bilſonus conſecrat. 1596. 13. Iun. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Will. Winton. / Rich. Bangorn. } [i] Ibid.

4 Antiſtites Elienſes, Rich. Coxus, & Martinus Heatonus. Coxi conſecratio præceſſit, Heatoni ſubſequitur.

Martinus [k] Heatonus conſ. 1599. 3. Feb. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Will. Cou. & Lichf. / Anton. Cicestr. }

[k] Regiſtr. Whitgift. l. 3.

5 Epiſcopi Sariſburienſes, Ioh. Iuellus, Edm. Gueaſtus, Ioh. Peirſus, Ioh. Gouldwellus, & Henricus Cottonus.

Iohan. [l] Iuellus conſec. 1559. 21. Ianuarij, à { Matt. Cant. / Edm. Lond. / Rich. Elienſ. / Ioh. Bedford. }

[l] Regiſtr. Parker. t. 1. f. 46.

Edm. [m] Gueaſt. conſecrat. 1559. 24. Martij, à { Mat. Cant. / Nic. Lincoln. / Ioh. Sarum. }

[m] Ibid. fol. 64.

Ioh. [n] Peirſus conſecrat. 1576. 15. April. ab { Edm. Cant. / Edwin. Lond. / Rob. Winton. }

[n] Reg. Grindal.

[o] Io. Gouldwellus conſ. 1591. 26. Decemb. à { Ioh. Cant. / Ioh. Lond. / Thom. Winton. / Rich. Briſtol. / Ioh. Oxon. }

[o] Regiſt. Whitgift. l. 1.

Henr. [p] Cottonus conſ. 1598. 12. Nouemb. à { Ioh. Cant. / Rich. Lond. / Will. Cou. & Lich. / Ant. Ciceſtr. }

[p] Regiſt. Whitgift. l. 3.

6 Paſtores Norwicenſes, Ioh. Parkhurſtus, Edmond. Freakus, Edmond. Scamblerus. Will. Redmanus, & Iohan. Iegonus. De Scamblero antea; nunc de reliquis.

Ioh. [q] Parkhurſtus conſ. 1560. 1. Septemb. à { Mat. Cant. / Gilb. Bath. & Wel. / Will. Exon. }

[q] Regiſt. Parker. tom. 1.

Edm. [r] Freakus conſecrat. 1571. 9. Martij, à { Matt. Cant. / Rob. Wint. / Edm. Sarum. }

[r] Ibidem.

Will.

Will.[a] Redmannus conſec. 1594. 12. Ian. à { Ioh.Cant. Rich.Lond. Ioh.Roff. Will.Lincoln. }

[a] *Regiſt. Whitgiftii t. 2.*

Ioh.[f] Legonkis conſecrat. 1603. 20. Feb. à { Ioh.Cant. Rich.Lond. Ioh.Roff. Anton.Ciceſt. }

[f] *Regiſt. Whitgiftii tom. 3.*

Roffenſi Eccleſiæ præfuerunt Edm. Gueaſtus, Edm. Freakus, Ioh.Pierſus, Ioh. Youngus; ex quibus ſolius Youngi conſecratio reſtat declaranda. 7

Ioh.[g] Youngus conſecr. 1577. 16. Martij, ab { Edm.Cant. Ioh.Lond. Ioh.Sarum. }

[g] *Regiſt. Grindal.*

Cap. XIIII.

De Prouinciæ Cantuarienſis Epiſcopis, qui conſecrationem ſub ſereniſſimo Rege Iacobo adepti ſunt, vbi etiam Prouincia Eboracenſis leuiter ſtringitur.

POrro, vt eandem Epiſcopos ſacrandi rationem, in Angliâ Regnante ſereniſſimo Domino noſtro Iacobo, etiamnum vigere clarè intelligas, en tibi tabellas quas ſubiunximus.

Ioh. Bridgeſius conſecr. Epiſc. Oxon. 1603. 12. Feb. à { Ioh.Cant. Rich.Lond. Tob.Durham. Ioh.Roff. Anthon.Ciceſt. }

Rich. Parreyus conſecr. Epiſc. Aſaph. 1604. 30. Decemb. à { Rich.Cant. Rich.Lond. Tob.Durham. Matt.Elienſ. }

Thom. Rauis conſecrat. Epiſc. Glouc. 1604. 17. Martij, à { Rich.Cant. Tob.Durham. Anth.Ciceſt. }

Will.

Digitized by Google

Will.Barlous conſ. Ep.Roff.1605. 30.Iun.à
Rich.Cant.
Rich.Lond.
Anth.Ciceſt.
Thom.Glouc.

Lanc. Andreas conſecrat. Epiſc. Cic. 1605. 3.Nouem.à
Rich.Cant.
Rich.Lond.
Ioh.Noruic.
Thom.Glouc.
Will.Roff.

Henr. Parreyus conſec. Epiſc. Glouc. 1607. 12.Iulij,à
Rich.Cant.
Thom.Lond.
Will.Roff.
Lancel.Ciceſt.

Iac.Montacutus conſec. Epiſ. Bath. & Well. 1608. 17.April,à
Rich.Cant.
Thom.Lond.
Henr.Sarum.
Will.Roff.
Lanc.Ciceſt.
Henr.Glouc.

Rich.Neilus conſ.Ep.Roff.1608.9.Octob.à
Rich.Cant.
Thom.Lond.
Lanc.Ciceſt.
Ia.Bath.& Well.

Georg.Abbotus conſec. Epiſ.Cou.& Lichf. 1609. 3.Decemb.à
Rich.Cant.
Lanc.Ely.
Rich.Roff.

Samuel Harſnet conſecratus eſt Epiſc. Ciceſtrenſis eodem die, per eoſdem.

Egidius Thomſonus conſ. Ep. Glouc.1611. 9.Iulij,à
Georg.Cant.
Ioh.Oxon.
Lanc.Ely.
Ia.Bath.& Well.
Rich.Cou.& Lichf.

Ioh.Buckridge conſ.Epiſc.Roffenſis eodem die, per eoſdem.

Ioh.Kingus conſ.Ep.Lond. 1611. 8.Sept.à
Georg.Cant.
Rich.Cou.& Lichf.
Egidio Glouc.
Ioh.Roff.

Mileſius

Mileſius Smithus conſ.Epiſc. Glouc. 1612. 20.Septemb.à { Georg.Cant. Ioh.Lond. Rich.Cou. & Lich. Ioh.Roff.

Eadem penitùs conſuetudo in Prouinciâ Eboracenſi ſemper obtinuit,cuius rei ſpecimen in duobus viris clariſſimis exhibebo. Quorum alter ſub Reginâ Elizabethâ, alter ſub Rege Iacobo euectus eſt.

Henricus Robinſonus conſecrat. Epiſcopus Carl. 1598. 23. Iulij, à { Rich.Lond. Ioh.Roff. Anth.Ciceſt.

Will. Iameſius conſecrat. Epiſcop. Dunelm. 1606. 7.Septemb.à { Tob.Ebor. Rich.Lond. Will.Roff. Lanc.Ciceſt.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XV.

Reuerendiſsimi in Deo Patris Georgij, nunc Archiepiſcopi Cantuarienſis, Linea Epiſcopalis, ſeu ordinationis ſucceſſiuæ catena aurea, per ſingulos annulos oſtendes quomodo ab Epiſcopis ſub Henrico 8. ſacratis (qui aduerſarijs noſtris ſunt Canonici) originem duxerit.

De
- *Reuerendiſsimi nunc Archiepſcopi Catena aurea.* 1
- *Eiuſdem catenæ annulo præcipuo, quem*
  - *Puritani, olim infenſiſsimi, non negabant.* 2
  - *Papiſtæ offuſcare volunt famâ, vel potiùs fumo qui*
    - *volitat per Romana Collegia.* 3
    - *Regiſtrorum radijs diſcutitur.* 4

ECquid ſatis exemplorum tibi exhibuiſſe videor? Veruntamen quia vobis omnibus abundè ſatisfacere ardenter diſcupio, Reuerendiſſimi Patris Georgij, nunc Archiepiſcopi Cantuarienſis (quem in Clericorum ſolatium, & Eccleſiæ benedictionem, optimi & religioſiſſimi Regis operâ, euexit Iehoua) ſucceſſiuam ordinationem veluti catenam quandam auream explicandam duxi. In qua, veſtram in gratiam, gradatim, ſed ordine tamen retrogrado, vt res ipſe poſtulat, ad Epiſcopos Anglicanos ſub Henrico octauo conſtitutos, qui vobis ſunt Canonici, per ſingulos huius catenę annulos aſcendam. Tu mihi ſimilem Pauli quinti ſucceſſionem oſtende, & gratiæ tibi agentur maximæ.

Digitized by Google

- Georgius nunc Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſacratus fuit 9. Decemb. 1609. à
  - 1. Richardo Bancroſto, qui ſacratus eſt 8. Maij, 1597. à
    - 2. Ioh. Whitgiſto, qui 21. April. 1557. ab
      - 3. Edm. Grindallo, qui 21. Decemb. 1559. à
        - 4. Mat. Parkero, qui 17. Decemb. 1559. à
          - 5. Will. Barlow, / 6. Ioh. Hodgskins, } qui ſacrati ſunt tempore H. 8.
          - 7. Mil. Couerdal. qui 30. Aug. 1551. à
            - 8. Thom. Cranmero; qui tempore H. 8.
            - Ioh. Hodgskins, vid. 6.
            - 9. Nic. Ridley, qui 5. Sept. 1547. ab
              - 10. Hen. Lincol. qui ſub H. 8.
              - Ioh. Bedford. vid. 6.
              - 11. Thom. Sidon. qui ſub H. 8.
          - 12. Ioh. Scorzo, qui conſecratus fuit cum Couerdalio, vid. 7.
        - 13. Io. Hurley, qui 26. Maij 1553. à
          - Tho. Cranmero, vide 8.
          - 14. Sidon.
          - 15. Ioh. Talero, qui 26. Iulij, 1552. à
            - Tho. Cranmero, vid. 8.
            - Ioh. Scorzo, vid. 12.
            - Nic. Ridlæo, vid. 9.
        - Will. Barlow. vide 5.
        - Iohanne Bedfordienſi, vide 6.
      - 16. Ioh. Elmer, qui 24. Mart. 1577. à
        - Edm. Grindallo, vide 3.
        - 17. Edw. Sandeſio, qui ſacratus fuit cum Grindallo, vide 3.
        - 18. Ioh. Pierſ. qui 15. April. 1576. ab
          - Edm. Grindal. vide 3.
          - Edw. Sands, vid. 17.
          - 19. Ro. Horno, qui 16. Feb. 1560. à
            - Mat. Parkero, vide 4.
            - Edm. Grindal. vide 3.
            - 20. Th. Yongo, qui 21. Ian. 1559. à
              - Mat. Parkero, vide 4.
              - Ed. Grindal, vide 3.
              - Ioh. Hodgskins, vide 6.
              - 21. Rich. Cox. qui vnà cum Grindallo, vid. 3.
          - 22. T. Bentham, qui 24. Mar. 1559. à
            - Mat. Parkero, vide 4.
            - 23. N. Bullingã, qui 21. Ian. 1559. à
              - M. Park. vid. 4.
              - Ed. Grind. vid. 3.
              - Ric. Cox, vid. 21.
              - Ioh. Hodgſ. vid. 6.
            - 24. Ioh. Iuello, qui cum N. Bullinghamo, vide 23.
      - Rob. Horno. vide 19.
      - 25. Rich. Curteis, qui 21. Maij, 1570. à
        - M. Parker, vide 4.
        - Rob. Horno, vide 19.
        - 26. Edm. Gueſt. qui vnà cum Nic. Bullingham, vide 23.
    - 27. Iohanne Youngo, qui 16. Martij, 1577. ab
      - Ed. Grindal, vide 3.
      - Ioh. Elmer, vide 16.
      - Ioh. Iuello, vide 24.
    - 28. Ant. Ruddo, qui 9. Iunij, 1594. à
      - Iohanne Whitgiſto, vide 2.
      - Iohanne Youngo, vide 27.
      - 29. Ric. Fletchero, qui 14. Decemb. 1589. à
        - Iohanne Whitgiſto, vide 2.
        - Ioh. Elmer, vide 16.
        - Ioh. Youngo, vide 27.
        - 30. Ioh. Bullingham, qui 3. Sept. 1581. ab
          - Ed. Grindal. vide 3.
          - Ioh. Elmero, vide 16.
          - Ioh. Youngo, vide 27.
    - 31. Rich. Vaughan, qui 23. Ian. 1595. à
      - Ioh. Whitgift, vide 2.
      - Rich. Fletcher, vide 29.
      - Ioh. Youngo, vide 27.
    - 32. Ant. Watſono, qui 15. Aug. 1596. à
      - Ioh. Whitgiſto, vide 2.
      - Ioh. Youngo, vide 27.
      - Rich. Vaughan, vide 30.
      - 33. Tho. Bilſono, qui 13. Ian. 1596. à
        - Iohan. Whitgiſto, vide 2.
        - Rich. Fletchero, vide 29.
        - 34. W. Dayo, qui 25. Ian. 1595. à
          - Io. Whitgiſto, v. 2.
          - Ri. Fletchero, v. 29.
          - Ioh. Youngo, v. 27.
        - Rich. Bangor, vide 30.
- Lanceloto Elienſi, / Richard. Roffenſi, } quorum conſecrationes delineatæ fuerunt, & eodem planè modo deduci poſſunt.

2 PHIL. Hem? Quid audio? O quanta me inceſſit admiratio, vel ſtupor potiùs?

ORTH. Quid rei eſt? An Meduſæ tibi caput oſtendiſſe videor?

PHIL. Vel ſi quid ſit Gorgone ad ſtuporem creandum efficacius. An credibile eſt hæc tamdiu latere potuiſſe Regiſtra, ſi modò vera fuiſſent, & authentica?

ORTH. Parkeri conſecratio (quæ eſt annulus huius catenæ præcipuus, vnde aptati & nexi poſteriorum temporum dependent vniuerſi) non ſolùm in celeberrima hominum corona ſolenniter erat peracta, vt antea monui, ſed etiam, eôdem adhuc in viuis agente, typis mandata, & in lucem publicè emiſſa, dum omnia adhuc firmiter memoriæ infigerentur. Quamuis autem non deeſſent ex eiuſdem inimicis maligni & amarulenti homines, qui in vitam eius (inchoatam) Ironicos ederent commentarios, huius tamen conſecrationis (quæ illo in libro exponitur) veritatem in dubium non vocârunt.

ᵃChamp. p.517. PHIL. *Apertiſſimum eſt mendacium*, vt docet ᵃChampnæus.

ORTH. *Apertiſſimum mendacium?* Quantus hîc hiatus? Neque ſic vociferari Sorboniſtæ ſatis eſt, ſed appingit ad marginem has duas voces, tanquam gemmas, ſcilicet, *apertum mendacium.* Verùm, ô mi Champnæe; *Parciùs iſta viris tamen obijcienda memento;*
Nouimus & qui te.

Sed quæ demum eſt hæc maledicentia? Nam quod ſcripſit Maſonus, non eſt apertum mendacium, ſed comperta veritas.

ᵇChamp. ibid. PHIL. *Hardingus, Sanderus, Stapletonus, vt ex proprijs eorum verbis clariſſimè conſtat, Parkero non ſolùm ſuperſtite, ſed eorum aliqui ad ipſummet ſcribentes, conſecrationem illius non modò in dubium vocârunt, ſed abſolutè expreſſéque negârunt, idque abſque omni vel ab ipſo vel, à quouis alio illius nomine factâ contradictione, vel minimâ replicatione.*

ORTH. Egregiè. Maſonus loquitur de Parkeri inimicis, qui in eius vitam ridiculos commentarios edidiſſent, tu Hardingos, Sanderos, Stapletonos nobis commemoras. Nunquid iſti in vitam Parkeri commentarios ſcripſerunt? Maſonus de Puritanis agit, tu reſpondes de Papiſtis. Sic tu ſoles Maſonum debellare. Sed quid audio? Nemóne Papiſtis hac in cauſa contradixit? O inſigne mendacium! Contradixit enim totus Senatus Parliamentarius.

ᶜChamp. p.518. PHIL. ᶜ*Mihi quidem firmiter perſuadeo, magnum Maſono faceſſurum negotium, qui ab eo vel vnum exemplar illius exigeret.*

ORTH. Hunc libellum ipſe aliquandò habui; nec deſunt ex amicis qui ſimilem hodierno die poſſident. Quin & mihi olim in Bibliotheca Bodleiana oſtendebat amicus meus ſingularis, magnus ille librorum helluo, Doctor Iameſius, eiuſdem Bibliothecæ Protobibliothecarius.

3 PHIL. Si quæ citas Regiſtra, vera ſint & fide digna, ſatis mirari nequeo quânâ ratione illa de capite manni narratio in Collegio Anglico-

Anglico-Romano, Rhemenſi, Duacenſi tantoperè increbeſceret. Nihil enim illâ vſitatius, nihil frequentius.

Orth. Profectò, Philodoxe, quod cuiquam ſi accideret, eſſet gratum, illud ita ſe habere facillimè credet. Ita eſt ingenium hominis comparatum: mens odio faſcinata, in eorum quos odit rebus bonis & ſplendidis cæcutire ſolet, in malis plus æquo oculata. Nodum in ſcirpo quærunt; quem ſi non videant, ſibi tamen videre viſi ſunt. Inde fit, vt tanquam vera, in vulgus ſpargere ſoleant, quæ nec vera ſunt, nec veritatis ſpeciem aut vmbram vel tenuiſſimam habent. Fama autem primò ſerpit humi, mox, vbi idoneum reperit auditorem, alas ſumit, & ſeſe tollit in auras. Et ſanè vobis operæpretium eſt hoc vinum, vel venenum potiùs, in veſtrorum Seminariorum alumnos, tanquam in vaſa recentia quamprimum infundere, vt idem ſemper redoleant. Hinc iſtiuſmodi fabulæ, tanquam fumi volitantes, ab imperitis cupidè arripiuntur ac imbibuntur, & quas vobis inuicem Sacroſancta traditionis manu ſoletis porrigere; & in his tanquam argumento inſolubili exultare & triumphare. Ita commilitones veſtri in caſtro olim Framlingamienſi; ita Hartus in colloquio Londinenſi. Qui tamen poſtquam Regiſtrorum conſignatas tabulas inſpexiſſet, illorum ſplendore has nebulas diſcuti & diſpelli facilè animaduertit. Ille igitur olim his rumuſculis deluſus, perinde actu, tandem fulgenti ceſſit veritati; quod vtinam, mi Philodoxe, & ipſe facias. Sed de Harto * poſteà. * Infra c.18. n.13.

Phil. Lutherus ait,[a] *Catholicos Epiſcopos non eſſe Epiſcopos, ſed planè idola.* [a] *Luth. adu. falſò nominat. epiſc. ord. to. 2. p. 320.*

Orth. Idola dici poſſunt, quotquot Epiſcopale nomen & dignitatem vendicant, Epiſcoporum tamen officia non præſtant. Nam linguas habent, & non loquuntur.

Phil. [b] Caluinus ait, *ritum ordinandi & conſecrandi apud Papiſtas merum eſſe ludibrium.* 2 [b] *Inſtit. l. 4. c. 5. n. 3.*

Orth. Non loquitur de ordinationis eſſentiâ, ſed (vt patet ex verbis proximè ſequentibus) de examinis ſpecie, quam adeo inanem & ieiunam eſſe dicit, vt omni etiam fuco careat.

Phil.[c] Beza apud Sarauiam, *Papiſticam ordinationem nihil aliud repùtat, quàm fœdiſſimas Romani proſtibuli nundinationes.* 3 [c] *In defenſ. p. 51*

Orth. De plerisque loquitur ordinationibus, in quibus pacta Simoniaca interciedere ſolebant, non vniuerſim de omnibus.

Phil. [d] Fulcus ait, *Ex toto corde noſtro abhominamur, deteſtamur, ac conſpuimus Antichriſtianos veſtros olidos & ſqualidos ordines.* 4 [d] *Fulcus in retentiu. p. 69.*

Orth. Non deteſtamur ſimpliciter, ſed quatenus ſunt veſtri. Quod Chriſti eſt, agnoſcimus; quod propriè veſtrum eſt, vobis relinquimus. Exempli gratia, ordinem Presbyteralem, quatenus in Verbo & Sacramentis, iuxta Verbū Dei adminiſtrandis verſatur, toto corde amplectimur: at quatenus eſt veſter, id eſt, ad ſacrificandum deſtinatus, eundem vt Antichriſtianum abhominamur, deteſtamur, ac conſpuimus. Similiter Diaconos & Epiſcopos, quatenus Scripturis ſunt conſentanei, quo decet amore & honore proſequimur. Diaconos verò, quatenus ſunt veſtri, id eſt, quatenus ſacrificanti aſſiſtunt, & Epiſcopos, quatenus ſacrificantes ordinant, repudiamus vt Antichriſtianos. Deinde ad oleum quod attinet, ſi tanquam ceremonia adiaphora adhibeatur, nos non reprehendimus: at ſi retineatur vt quiddam ordinibus eſſentiale, vel ſimpliciter neceſſarium, vt contendit [e] Champnæus, nos iſtiuſmodi ordines, vt olidos & ſqualidos, meritò conſpuimus. [e] *Champ. p. 163.*

Phil. Idem in reſponſione ad perſonatum Catholicum: *Toto cælo hallucinamini, ſi credatis nobis* alia eſſe officia veſtra Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum, quàm merè Laicorum.

Orth. Si Presbyteri Pontificij ad ſacrificium miſſaticum duntaxat fuiſſent ordinati, Chriſti profectò eſſe miniſtri non potuiſſent. Miniſtri enim Chriſti illi ſoli ſunt, quorum ordo à Chriſto ipſo, vel immediatè, vel per Apoſtolos, originem ducit. Veſtrum igitur Sacerdotium, quatenus in ſacrificando verſatur, cùm ſit commentum humanum, vel potiùs Diabolicum, ſacer ordo eſſe non poteſt. Fulcus igitur dum, ratione huius, vos Laicis accenſet, benignè ſatis & candidè vobiſcum agit. Nam vocabula longè duriora & aſperiora vobis accommodare potuiſſet.

Phil. [f] Whitakerus ait: *Nolo vos exiſtimare noſtræ fidei homines tanti facere ordinationes veſtras, vt ſuam vocationem abſque ijs illicitam reputent. Proinde vobis ipſis veſtros habeatis ordines.* 5 [f] *Whit. contr. Duræum.*

ORTH. Quod in veſtris ordinibus eſt Chriſti, id ad nos tranſmittitur; quod veſtrum eſt & non Chriſti, id vobis habetote.

PHIL. [a] Sutliuius dicit, *Papam nec eſſe Epiſcopum, nec poſſe ordinare.*

[a] *In exam. pap. 641.*

ORTH. Nec eſt verus Epiſcopus quoad doctrinam, nec iure poteſt ordinare, eo modo quo ordinat.

7 PHIL. Secundum argumentum ducitur à Puritanis, qui Epiſcopum Cantuarienſem appellant [b] *pſeudepiſcopum; principem dæmoniorum, Caipham, Eſau monſtruſum, Antichriſtianum, Papam, & beſtiam: alios autem Epiſcopos Angliæ degeneres, pernicioſos, vſurpatores, deteriores monachis, latrones, lupos, Epiſcopos Diaboli.*

[b] *Bancroft. in libro periculoſ. poſitionum Sutl. in reſpon. ad calumn. articulos. Ormerodus in pict. purit.*

ORTH. Quid nobis delirantes opponis ſchiſmaticos? Nos eorum ineptias non moramur.

8 PHIL. [c] Tertiò, *fruſtra Maſonus deſudauit in tam longa ſerie Epiſcoporum texenda, vt oſtendat ſuos veros eſſe ſacerdotes, cùm per Lutherum & Caluinum omnes ex æquo, nulli verè & propriè ſint ſacerdotes.*

[c] *Kellis. ibid. p. 153.*

ORTH. Sacerdos eſt, cuius munus in ſacrificando cernitur. Eſt autem duplex ſacrificium, corporale, & ſpirituale. Spiritualia ſacrificia, vt preces, gratiarum actiones, bona opera Deo offerre debent omnes Chriſtiani, ac proinde hoc ſenſu ſacerdotes à Luthero & Caluino appellantur. Corporalia autem in veteri Teſtamento obtulerunt Aaron & eius filij; in nouo vnicum eſt; idque verum, Chriſti ſcilicet, qui in ara crucis corpus ſuum & ſanguinem, pro peccatis noſtris, Deo Patri ſacrificauit. Solus igitur Chriſtus, ſi propriè loquamur, eſt noui Teſtamenti Sacerdos; Neque in hoc ſudauit omninò Maſonus, vt oſtenderet ſuos eſſe veros, id eſt, propriè dictos ſacerdotes, ſed vt euinceret veros eſſe ſacroſancti Euangelij præcones, et miniſtros; in hoc ſudauit, & certè non fruſtra. Non diffitemur tamen quin Euangelij præcones dici poſſint ſacerdotes, quia ſcilicet in locum Leuiticorum ſacerdotum ſucceſſerunt.

9 PHIL. *Quartò,* [d] *communis eſt reformatorum opinio, quòd Papa ſit Antichriſtus, & quòd ſacerdotes, ritu Romanæ eccleſiæ initiati, miniſtri ſint Antichriſti, & quod character ordinis, vel obedientia quam præſtant Romano Pontifici, ſit character beſtiæ. Videant igitur miniſtri Angli quomodo Papiſtarum ordinationem ſibi vendicent, ne ſe Antichriſti mancipia, & illius beſtiæ charactere & nota inuſtos comprobent.*

[d] *Ibid.*

ORTH. Non intelligunt reformatores characterem ordinis ſimpliciter, ſed characterem ordinis Sacerdotalis, quatenus in Chriſto propriè ſacrificando verſatur. Cæterùm, ſi Papa ſit Antichriſtus, Papiſtici ſacerdotes miniſtri Antichriſti, eorúmque Sacerdotium character beſtiæ, quid tum poſtea? Non inde ſequitur nos eſſe Antichriſti mancipia, aut beſtiæ charactere inuſtos; quod tamen de veſtris erit veriſſimum. Quotquot enim ſub ſereniſſimo Rege Iacobo, Elizabetha, & Eduardo, ordines contulerunt, ij omnes

Digitized by Google

nes eo ipſo tempore ab Antichriſtianiſmo erant alieniſſimi. Cran-
merus fateor & alij ſub Henrico his ſordibus coinquinati erant, qui
tamen poſteà, diuinâ aſpirante gratiâ, ſunt abluti. Quamuis igitur
iſti ritu Antichriſtiano fuiſſent ordinati, nihil tamen ad nos Anti-
chriſtianum tranſmiſerunt, ſed illud duntaxat quod erat Chriſti.

Phil. Quintò; [e] *Veri Sacerdotes non niſi à veris Epiſcopis ordina-* 10
ri poſſunt, nouantes autem miniſtri non ſunt ordinati à veris Epiſcopis: er- [e] Ibid.
go, &c. Miniſtri Angli iniurioſi miniſtris extra Angliam; neque tamen
ſibi ſatis conſulunt; dicunt enim omnes ſub papatu defeciſſe. Si reſponde-
ant Cranmerum eorum reformationem amplexatum, nihil eos iuuabit tam
futilis reſponſio. Nam, vt ait Regula iuris, non firmatur tractu temporis
quod ab initio non ſubſiſtit.

Orth. Omnes Epiſcopos ſub papatu defeciſſe non aſſerimus;
id tantùm dicimus, ſacros ordines complures tum feces ac ſordes
contraxiſſe.

Phil. Sextum argumentum à Statuto Parliamentario deſu- 11
mitur; idémque ab authore anonymo, in libro cui titulus, *Demon-*
ſtrationes Proteſtantium, pro Recuſatione Catholicorum vrgetur, &
ſic breuiter concinnari poteſt; [f] *Quotquot in Anglia, vel alijs quibuſ-* [f] Proteſt demonſt. p.46.
cunque Reginæ Dominijs nati poſt feſtum ſancti Iohannis Baptiſtæ, quod in
annum Elizabethæ primum inciderat, in Sacerdotes, Diaconos, Religioſas
aut Eccleſiaſticas perſonas, ratione alicuius authoritatis vel iuriſdictionis
à ſede Romana deriuatæ, vendicatæ aut prætenſæ ſunt ordinati, illi omnes
læſæ Maieſtatis ſunt rei: at omnes Anglorum Epiſcopi Proteſtantes
ſunt eiuſmodi, ergo; [g] *Videant igitur miniſtri Angli quam gratiam de-* [g] Kelliſ. exam. part.1.c.3.
beant Maſono pro ſuis Regiſtris, quibus eoſdem omnes, vtpote poteſtate or-
dinis & iuriſdictionis (ſi quam habent) à ſede Romanâ inſignitos perduel-
les eſſe, & reos læſæ Maieſtatis euicit.

Orth. Quam inſulsè? Quaſi quiſquam noſtrorum in Anglia,
ab initio Elizabethæ, ad hunc vſque diem, authoritate Papali fuiſ-
ſet ſacratus.

Phil. [h] *Matthæus Parkerus Proteſtantium Archiepiſcoporum primus,* [h] Prot. demonſt. p.46. & 47.
factus eſt Archiepiſcopus, & primus miniſtrorum ordinator, authori-
tate ac poteſtate à Romana ſede acceptâ, vt Doctor Sutliuius, Doctor
Feildus, Magiſter Maſonus, & qui Maſono viam præmonſtrauit ac ani-
mos addidit, Archiepiſcopus (qui nunc ſedet) Cantuarienſis, ac alij teſtan-
tur.

Orth. O inſignem mendaciorum artificem! An quiſquam
tam effrons eſt, vt Parkerum authoritate Papali eſſe ſacratum dice-
re non erubeſcat? Quid? An id teſtantur Sutliuius, Feildus, Ma-
ſonus, atque etiam Archiepiſcopus Cantuarienſis? Quid eſt ſtre-
nuè mentiri, ſi hoc non eſt? Siccine ſoletis cauſam Catholicam
ex Proteſtantibus demonſtrare?

Phil. *Septimò;* [i] *nullus eorum* (ſub Henrico octauo ordinato- 12
rum) *præter vnum Cranmerum, miniſtris nouis manus imponere voluit,* [i] Kelliſ. quo ſuprà.
ſed innouationi in Religione, & Miniſterio, vt docet Sanderus fol. 114.

vtcunque ſeſe oppoſuerunt,& ,quantum audebant, reſtiterunt. Non legitur autem in Chronicis noſtris hoc, Catholicos Epiſcopos vt vllà coactos ad manus illis imponendas.

ORTH. Hoc falſum eſſe res ipſa loquitur. Primus omnium, Regnante Eduardo, ſacratus fuit Nicolaus Ridleius, cui tres, abſente Cranmero, vt[f] antè oſtendimus, manus impoſuerũt Epiſcopi.

[f] L.1.c.13.n.9.

13 PHIL. Octauò, Kelliſonus, cùm ad Epiſcopum conſtituendum tres requiri Epiſcopos oſtendiſſet, ſic inſtat; [g] *Dicant igitur Angli, Quis? Cranmerus enim, qui vnus & ſolus erat, non potuit niſi ex commiſſione; & quis ei hoc munus commiſit, cùm Papa & omnes Angliæ Epiſcopi reclamarent?*

[g] Ibid.

ORTH. Huius argumenti futilitatem prior noſtra demonſtrauit reſponſio.

14 PHIL. Nonò, non vtuntur hæretici vera materia & forma ordinationis. Materia enim eſt impoſitio manuum, à tribus legitimis facta Epiſcopis; forma autem, Accipe Spiritum ſanctum.

ORTH. Nobis hanc materiam & formam in perpetuo eſſe vſu [h] ſuprà oſtendimus.

[h] L.2.c.14.n.5. & 6.

15 PHIL. Decimò, veſtri [i] *authoritate Laica & tyrannide obtinuerunt* Sacerdotia.

[i] Ibid.

ORTH. Authoritate Principis, Philodoxe, ſed non tyrannide. Ius conferendi Epiſcopatus in Eccleſia Romana, Conſtantinopolitana, Hiſpana, Gallicana, perinde ac in Anglicana, ad Principes olim ſpectâſſe, ſuo loco liquebit.

16 PHIL. Vndecimò, veſtri ordinati ſunt *ab* [k] *excommunicatis.*

[k] Ibid.

ORTH. Nos Papæ brutum fulmen & inania crepitacula non moramur; ille maledicit, ſed tu (O Domine) benedices.

17 PHIL. Duodecimò, à [l] *non Sacerdotibus* ſacrati eſtis.

[l] Ibid.

ORTH. Non ſunt Sacerdotes ſacrifici, aut miſſificantes; iſtiuſmodi tamen ſunt Sacerdotes, quales Chriſtus in nouo Teſtamento eſſe voluit, id eſt, qui in Verbi & Sacramentorum adminiſtratione verſantur. Sed de hoc infrà copioſè eſt agendum. Ita Anglicanos præſules à venenatis oblatrantis Kelliſoni morſibus liberaui.

18 Iam verò de me, quem [m] Kelliſonus *Regiſtra contexuiſſe* ait, paucis reſpondeo. Contexere aliquando in malam partem ſumitur; ſic apud Ciceronem crimen contexere, idem eſt quod fingere, & comminiſci. Si ſic intelligat Kelliſonus (hoc enim nonnulli perfrictæ frontis Scriptores Papiſtici mihi obijcere non erubeſcunt) ſuos conſulat commilitones, paulò [n] pòſt nominandos, qui Parkeri Regiſtrum à me citatum proprijs oculis conſpexerunt; quorum hac in cauſa candorem & conſcientiam appello. Sin contexere Regiſtra Kelliſono nihil ſit aliud quàm multa Regiſtra connectere, & in vnum quaſi corpus compingere, hoc à me factum libens agnoſco. Nam ex varijs diuerſorum temporum Regiſtris flores decerpſi, ex quibus hanc, qualemcunque pro Epiſcopis Anglicanis corollam contexui.

[m] Ibid.

[n] C.18.n.16.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XVII.

De Regiſtrorum illibata fide contra Fitz-Simonem Ieſuitam, Champnæum, & demonſtratorem Anonymum.

- *Quæ*
  - *oſtenditur.* 1
  - *defenditur contra*
    - *Fitz-Simonem, cuius obiectio*
      - *proponitur.* 2
      - *diluitur.* 3
    - *Champn. & Anonymum, quorum obiectio*
      - *proponitur.* 4
      - *diluitur.* 5

Phil.

HÆc quæ tantoperè venditas, domeſtica ſunt teſtimonia, & ſanè haud ſcio an pro veris ſint habenda.

Orth. Antiquitatum monumenta, vnde hæc decerpſimus, tam illuſtria ſunt, & illibatæ fidei, vt nullis planè machinis labefactari poſſint. Nam (vt refert quidam antiquitatum noſtrarum peritiſſimus) [a] *eam vim* [a] *Antiq. Brit. l. 33.*
in iure habent, vt ſine alijs probationum adminiculis plenam, non legentibus ſolùm, ſed & iudicantibus fidem faciant. Et rurſus: *Ob annorum geſtorúmque multitudinem, mandantis authoritatem adminiſtrantiúmque dignitatem obtinuit Archiepiſcopus, vt edita inſtrumenta, ſiue authentica & ad formam publicam redacta, ſiue priuata, in ſolito & conſueto Regiſtri loco cuſtodiæ causâ poſita, ſine alterius probationis ope fidem ex ſe ſtruerent.* Cuius rei confirmandæ gratiâ librum citat, hunc titulum præ ſe ferentem, *quòd Archiepiſcopi Cantuarienſis Regiſtrum faciat ex ſe fidem.*

Phil. Age igitur; videamus quânam ratione arietibus illis, 2
quibus [b] Fitz-Simon Regiſtra tua quatefecit, poſſis occurrere. [b] *Fitz-Sim. Britannom. l. 3. c. 5. p. 322.*
Nónne te terrent denſa illa contradictionum agmina, ab eodem collecta, & contra te in aciem producta? Nónne Regiſtra tua, & Godwini, tanquam Cadmæi fratres, inter ſe pugnant & digladiantur?

Orth. Reuerendus Pater Franciſcus, tum Landauenſis, nunc 3
Herefordenſis, quum in meum de Epiſcoporum noſtrorum conſecratione librum, Anglicè conſcriptum, incidiſſet, & cum ſuo

Epiſcoporum

Epiſcoporum catalogo diligenter contuliſſet, nos in his omnibus, quæ tanto molimine obtendit Ieſuita, à nobis inuicem diſcrepare iamdudum animaduertit. Quod vbi intellexit, protinus, veritatem exploraturus, Londinum profectus eſt, &, inſpectis Authenticis tabulis, nemine monente, librum ſuum ad limam reuocauit, & has in tam formoſo corpore labeculas (quæ ſiue amicorum quibus hac in cauſa vſus eſt, ſiue tranſcribentium, ſiue Imprimentiū incuria irrepſerant) illicò expungendas & eluendas cenſuit. Quid igitur fecit? Profectò id ipſum quod virum bonum, ac Religioſum vel maximè decuit. Nam antequam Fitz-Simonis nomen vel fando audiuiſſet, hæc tantilla calami, vel preli erratula (quo eſt candore) & agnouit ipſe, & ſuâ ſponte libro Anglicè recuſo emendauit. Quinetiam me quoque de vno aut altero in notis numerarijs lapſu, quem ipſe, lector admodum oculatus, deprehenderat, amicè per literas admonuit; cui eo nomine gratias ago. Nec Anglicè modò, ſed & Latinè quoque opus ſuum æternitate dignum paulò pòſt elimatiùs, atque emendatiùs edidit: atque ita apud omnes bonos & pios ingentem ſibi gloriam comparauit. Non igitur me terrent hæc contradictionum agmina, quæ iam diſparuerunt, ſed me fouet & refocillat tanti viri candor & ingenuitas.

PHIL. Hæc minutiora ſunt, nec tanti ponderis; at quæ ſequuntur, cauſæ caput & iugulum petunt. Siquidem in Parkeri (qui veſtrorum ordinum & totius miniſterij fons eſt) conſecratoribus enumerandis ipſa Regiſtra toto cœlo diſcrepant. Qua de re ſic Champnæus, [c] *Maſonus, Sutcliffus, & Butlerus, omnes Proteſtantes, de Parkeri conſecratione loquentes, dum eius conſecratores referunt, apertè inter ſe diſſentiunt. Maſonus enim dicit, Barloum, Scoræum, Couerdallum, & Hodgskinſonum illum conſecraſſe. Sutcliffus tribus hîc primò nominatis addit duos Suffraganeos; adeo vt quinque fuerint ſecundùm ipſum; qui dicit hoc conſtare ex actis illis publicis adhuc extantibus. Butlerus verò dicit, Suffraganeum Derobornenſem vnum fuiſſe ex conſecratoribus Parkeri. Qui tamen neque in literis patentibus Reginæ, quibus poteſtas Parkerum conſecrandi conceſſa fuit (aliâ enim authoritate iſti noui pſeudopaſtores non fuerunt inaugurati) non continetur, neque à Maſono nominatur: vndè tandè colligitur, iſtos tres authores tria diſtincta habuiſſe, vel vidiſſe huius vnius conſecrationis acta. Et quia cui illorum credendum ſit, incertum omninò eſt, nulli illorum fidem eſſe adhibendam, quiuis, vt arbitror, cordatus facilè iudicabit.* Hucvſque Champnæus, &, ante eum, author anonymus, cuius liber Inſcribitur, *Proteſtantium demonſtrationes pro recuſatione Catholicorum:* [d] *Edico Magiſtro Franciſco Maſono, & directoribus eius, qui Magiſtrum Parkerum à quatuor veris Epiſcopis, vel ſaltem à tribus & Suffraganeo ſacratum eſſe perhibent, nullis qui ſplendidè mentiuntur, & ſibi ipſis mutuò contradicunt, fidem eſſe adhibendam, præſertim cum res tanta ſit molis & momenti: ſed omnes, vel ſaltem plerique Proteſtantes, qui hanc Parkeri conſecrationem nobis retulerunt, ſuo ipſorum teſtimonio*

c Champ. p. 475.

d P. 28.

Digitized by Google

teſtimonio ſunt mendaces, ergo fides illis non eſt adhibenda. Maior propoſitio eſt manifeſtò vera; minor autem ſic probatur. Nam primò quum tres occurrant huius prætenſæ conſecrationis & Regiſtri Parkerani relatores, D. Butlerius, D. Sutliuius, & Magiſter Maſonus (quem in ſuo opere concinnando direxerunt alij) primus eorum, nempe Butlerius, Iohannẽ Suffraganeum Doverienſem inter hos conſecratores recenſet. Sutliuij autẽ verba ſic ſe habent: Parkerus Epiſcopus ſacratus fuit impoſitione manuum Barloi Epiſcopi; Couerdallij Epiſcopi, Sorai Epiſcopi, & duorum Suffraganeorum, de quibus in conſecrationis acto, adhuc conſpiciendo, facta eſt mentio. Maſonus autem vnicum duntaxat interfuiſſe Suffraganeum, cúmq; Bedfordienſem, nobis narrat. Ita in his Scriptoribus Proteſtantibus, & relatoribus huius conſecrationis approbatis tres occurrũt diuerſæ, & omninò repugnantes narrationes, ex quibus (ſi non vniuerſæ) duæ ad minimum ſunt ſplendida mendacia, & corruptelæ; hi tamen ſinguli Matthæi Parkeri citant Regiſtrum. Quare ſi vlla fides his hominibus ſit adhibenda, profectò tria à ſe inuicem diſcrepantia, eáque omnia falſi inſimulanda inſpexerant Regiſtra.

Orth. Immò vnicum eſt publicum & authenticum harum conſecrationum Regiſtrum, ab Archiepiſcopi protonotario ex inſtrumentis authenticis fide publicâ exaratum.

Phil. Vnde igitur tanti fluxerunt errores?

Orth. Butlerius Proteſtantium numerum verè recenſuit. Quinetiam ex his tres extitiſſe Epiſcopos, Suffraganeum verò vnum, rectè obſeruauit, in hoc tantùm lapſus quòd pro Suffraganeo Bedfordienſi Douerienſem ſubſtituat. Quantillus hic error? Qui tamen fortè non fuit authoris, ſed tranſcriptoris, vel Impreſſoris. Sutliuius autem primò tres interfuiſſe Epiſcopos fideliter narrat; ſecundò, eorum nomina accuratè commemorat; in hoc tantùm hallucinatus, quòd præter tres Epiſcopos, duos quoque adfuiſſe Suffraganeos dicat, cùm vnicus tantùm fuerit. Error autem inde manauit, quòd in literis Reginæ patentibus duo Suffraganei nominentur. Hinc ex lapſu memoriæ error procliuis. Nec dubito quin ſi opera ſua aliquandò ad limam reuocauerit, hanc labeculam, quæ in quemuis mortalium, licèt doctiſſimum, & diligentiſſimum incidere potuit, pro ſuo candore & veritatis amore ſit abſterſurus. Hoc enim ipſemet mihi non ita pridem coram ſignificauit, neque interim, vt ita eius nomine reſponderem, monuit.

Phil. Negari non poteſt quin hæc ſint magna & memoranda mendacia, & horum concinnatores inſigniter mendaces.

Orth. Bona verba. Dic enim an Campianus, Baronius, Beda, & Gregorius Magnus videantur tibi inter nobiles mendaciorum Architectos numerandi.

Phil. Mihi? Nequaquam. Sed quorſum hæc?

Orth. Gregorius Magnus Auguſtinum Cantuarienſem à *Germaniarum* [e] *Epiſcopis* ſacratum eſſe tradit. [f] Baronius, [g] Bedam ſecutus, hoc à *Galliarum Epiſcopis* factum eſſe prædicat. [h] Campianus

[e] *Greg. l. 7. epiſt. 30. ind. 1.*
[f] *Bar. an. 597. n. 27.*
[g] *Bed. l. 1. c. 26. & 27.*
[h] *Champ. fol. 1 o*

nus tamen nec in Germania, nec in Gallia, ſed Romæ ſacratum eſſe affirmat. An hinc ſequitur vel omnes tres, vel duos ad minimum eſſe inſigniter mendaces? Deindè [i] Beda eundem ab Etherio Archiepiſcopo Arelatenſi inauguratum eſſe tradit. At [k] Baronius contendit Virgilium tunc fuiſſe Epiſcopum Arelatenſem, & Etherium non Arelatenſem, ſed Lugdunenſem. Quid igitur? An vterque, vel alter ad minimum erit egregius mendaciorum artifex?

[i] *Quo ſuprà.*

[k] *Baronius quo ſuprà.*

PHIL. Nequaquam. Nam aliud eſt mentiri, aliud falſum dicere. Qui per memoriæ lapſum, aut incogitantiam falſum enunciat, is non mentitur, ſed ille demùm qui datâ operâ, & ex inſtituto hoc facit. Noſtri igitur hîc leuiter lapſi ſunt, mentiti non ſunt.

ORTH. Eandem tibi de noſtris reſponſionem regero ac repono. Nec vlla erat cauſa cur dolo malo agerent. Nam ſiue Parkerus ſacratus ſit à tribus Epiſcopis & vno Suffraganeo, vel à tot Epiſcopis cum duobus Suffraganeis, ad rei ſummam nihil intereſt. Vtroque modo & Canoni, & Statuto ſatisfieri eſt clariſſimum. Deindè ſi vnus tantùm intererat Suffraganeus, vtrum hic Douerienſis eſſet, vt Butlerius, an Bedfordienſis, vt Maſonus & veritas habent, quid refert? Nulla igitur hîc fraus ſubeſſe potuit. Nam cui bono? Hactenus de ſplendido, quod tantoperè crepas, mendacio. Sed quæro vlteriùs, an his Auguſtinianæ conſecrationis relatoribus vlla fides ſit adhibenda?

PHIL. Quid ni? Quamuis enim in loco diſcrepent, in re tamen ipsâ ſumma eſt concordia; quoniam ſacratum eſſe omnes concedunt.

ORTH. Ità licèt noſtri aliquantulum inter ſe diſſentiant, in hoc tamen omnes conueniunt, Parkerum ſcilicet à Barloo, Couerdalio & Scoræo Epiſcopis, ac ab vno præterea ad minimum Suffraganeo eſſe ſacratum. In hoc (inquam) omnes inter ſe cum Maſono & cum veritate ipſa conſentiunt.

PHIL. Vndè verò conſtat, Maſonum in tanta opinionum varietate, ipſam veritatis metam attigiſſe?

ORTH. Primò, nihil hac in cauſa ex ſolo auditu accepit, ſed Regiſtra proprijs inſpexit oculis. Neque Parkeri conſecrationem ſemel duntaxat, aut iterùm perlegebat, vt fortè alij, ſed (vt ſanctè profitetur) pluſquam decies; neque obiter, ſed ex inſtituto. Neque quod indè excerpſerat, fragili mandauit memoriæ, vnde elabi poſſit & effluere, ſed firmis illicò, quaſi ad perpetuam rei memoriam, inſcripſit tabulis, ídque illum ipſum in finem, vt ad poſteros tranſmitteret. 2°. (nam tibi cumulatè ſatisfactum fore diſcupio) quum Fitzherb. ſacerdos Pontificius, de Parkeri conſecratione à Maſono ex Regiſtris aſſertâ atq; defensâ Romæ mirabund' accepiſſet, impensè rogauit, vt hæc ipſa Regiſtra viris quibuſdam Romano-Catholicis oſtenderētur. Quocirca Reuerendiſſimus Pater Georgius, Archiepiſcopus Cantuarienſis, voto eius abundè ſatisfecit, eadémque Regiſtra quatuor viris prudentiæ ac eruditionis apud

vos

Digitized by Google

vos fama florentibus conſpicienda exhibuit; de quibus paulò [1]poſt vberiùs ſum dicturus. Illi, ijſdem perſpectis, & Parkeri conſecratione perlectâ, eximium Maſono & veritati teſtimoniū dederunt.

[1] *Cap. proximo, n.16.*

Cap. XVIII.
Ad Fitzherbertum circa Epiſcopos, & Regiſtra reſponſio.

- *De*
  - *Conſecratione obiectio,*
    - *Prima,*
      - *proponitur à ſuorum authoritate, qui*
        - *hoc telum iam olim ſæpè, & vehementer contorſerunt.* 1
        - *hoc nixi fundamento, quòd nobis deeſſent Epiſcopi.* 2
      - *Refellitur, quia ſeptē hîc in Anglia tunc fuerūt Epiſc.* 3
    - *Secunda,*
      - *proponitur, quia noſtri licèt prouocati, nec*
        - *ſacratores ſuos nominârunt, teſtes, vel Regiſtra protulerunt.* 4
      - *Refellitur, quia hæc non erant neceſſaria: quod cōſtat ex*
        - *Epiſcoporū tunc multitudine.* 5
        - *conſecrandi ſolemnitate.* 6
        - *geſtis in curia Parliamētaria.* 7
    - *Tertia,*
      - *Proponitur, quaſi Iuelli reſponſio ambigua, indirecta, frigida.* 8
      - *Refellitur, probando eundem dilucidè, directè, & ſolidè reſpondiſſe.* 9
  - *Regiſtris*
    - *Criminatio*
      - *proponitur, quòd poſt quinquaginta demum annos ſint citata.* 10
      - *Refellitur, quia citata ſunt Parkero*
        - *viuo*
          - *in Parliamento Eliz. 8°.* 11
          - *in vita Parkeri inchoata.* 12
        - *mortuo*
          - *à Iohan. Rainoldo.* 13
          - *ab alijs.* 14
    - *Poſtulatio*
      - *Proponitur, vt Regiſtrum Parkeri à Maſono citatum oſtenderetur.* 15
      - *Conceditur. Nam à Reuerendiſſimo Archiepiſcopo eſt oſtenſum.* 16

PHIL.

AT Fitzherberti rationes, iam proponendas nulla prorſus arte potes eludere. Quarum prima à varijs ducitur circumſtantijs,

tijs,quæ magni ſunt momenti & ponderis. Nam hæc obiectio contra Parkerum, Iuellum,& reliquos *non eſt* [a] *recens,ſed ab ipſo Regni Elizabethæ exordio ; quam ſæpè, & vehementer diuerſis temporibus multi Catholici preſſerunt ; nominatim verò duo eruditi Doctores, Hardingus,& Stapletonus.* Et hîc diligenter penſandum, *an* [b] *veriſimile ſit tam literatos Doctores hunc conſecrationis defectum in libris impreſſis adeo confidenter,& peremptoriè vrgere voluiſſe, niſi rem totam ſatis compertam,& exploratam habuiſſent.*

[a] *Fitzh.append. n.2.*
[b] *N.9.*

Orth. Quàm ſæpè, aut vehementer hoc obiecerint, parum refert,ſed quàm verè ; nec quàm multi, aut quàm docti fuerint, ſed quibus nixi ſint fundamentis.

2 Phil. Fundamenta ſatis ſunt ſolida. Vt tamen omnia reddantur pleniora, ac illuſtriora, placet his duobus Antesignanis, à Fitzherberto allatis, tertium adiungere, Nicolaum ſcilicet Sanderum. Ex his igitur tribus coryphæis hoc firmiſſimum colligitur argumentum. Parkerus, Iuellus, & reliqui ſimiles, Epiſcopi non ſunt ; quia non ritè conſecrati : non ritè conſecrati, quia non per idoneum numerum ; numerus non erat idoneus, quia tres vobis non ſuppetebant. Vndè enim? An è Gallia, Hiſpania,aut Germania? Id negat [c] Stapletonus. An à Lutheranis, vel Caluiniſtis? Id negat [d] Sanderus. Tranſmarinos igitur non habuiſtis. Quid? An domeſticos? Quos tandem illos? Catholicos? Vel Proteſtantes? Non Catholicos,quia *vel non erant rogati, vel,ſi rogati, recuſarunt*, vt docet [e] Hardingus. Nec tamen Proteſtantes. Quærit enim [f] Hardingus ; *Quinam ex illis trini tum in Regno exiſterent?* Et [g] Stapletonus aſſerit, *Eorum qui poſſent,& vellent legitimum numerum non fuiſſe.* [h] Sanderus,vos *tres duóſue non habuiſſe* contendit. Deniquè [i] Hardingus *vnicum apud vos extitiſſe ſtultulum* commemorat, *quem in veſtra* caſtra *pellexiſtis*, Antonium nempe Landauenſem. Quomodo igitur veſtri à tribus?

[c] *Fortil.part.2. c.7.*
[d] *Sand.de ſchiſ.l.3.p.297.*
[e] *Hard.confut. deteɛ.part.2.*
[f] *Ibid.*
[g] *Quo ſuprà.*
[h] *Quo ſuprà.*
[i] *Hard.conf. Apol.part.6.*

3 Orth. Hæc fundamenta ſunt putrida, & ſuperſtructo ædificio ruinam minantur. Nam veſtri homines [k] maleuolentiſſimi, præter Landauenſem,etiam Scoræum nobis concedunt. At ego ſeptem [l] in Regno tum repertos eſſe liquidò oſtendam.Licèt enim ex Marianis ſolus Landauenſis ſe nobis adiunxerat,ſex tamen alij iam tum ab exilio ſunt reuocati. *Elizabetha* (inquit [m] Sanderus) *ſtatim hæreticos* (ſic nos appellat) *ex varijs,vbi exulauerant, locis redire permiſit.* Iam,ſi placet,temporum rationem ineamus. Elizabetha Regnum ſuum auſpicata eſt anno (vt diximus) 1558. Nouemb. 17. & Ianuarij ſubſequentis die 15. Regio diademate eſt redimita: Eiuſdem menſis die [n] 25. inchoata ſunt Regni Comitia Parliamentaria.Martij dies [o] vltimus primò,dein Aprilis [p] tertius ſolenni diſputationi eſt deſtinatus ; cui ab exilio reuerſus interfuit Scoræus,quondam Epiſcopus Ciceſtrenſis.8. [q] Maij Parliamento finis eſt impoſitus.Iunij 24. Reformatio vbique obtinuit. Menſe Iulio, & deinceps veteres Epiſcopi coram Conſiliarijs honorarijs euocati,

[k] *Chr.à Sacrobosco de inueſt. Chr.eccl.c.4.*
[l] *Hen.Fitz-Sim. Britannom.lib.3 c.5.p.321.*
[m] *Sand.de ſchiſ. lib.3.p.272.*
[n] *Hollinſh.pag. 1180.col.1. lin.46.*
[o] *Idem,p.1182. col.1.lin.36.*
[p] *Idem,p.1183. col.1.lin 41.& Sand.de ſchiſ. l.3.p.284.*
[q] *Idem,p.1184. col.1.lin.60.*

Digitized by Google

ob non ſuſceptum ſuprematus [r] iuramentum, Epiſcopatibus exuti ſunt. Hæc omnia primo Elizabethæ anno geſta erant, quo tamen ne vnus quidem dignitatem Epiſcopalem ſuſcepit. Primus enim eam (Regnante Elizabethâ) conſecutus eſt Matthæus Parkerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis. Iam verò ab initio Regni Elizabethæ (quum illis ab exilio redeundi facultas eſt conceſſa) ad Parkeri inaugurationem integer annus, & vnus menſis interfluxerunt. Quandoquidem igitur exulantibus & redeundi erat copia, & tempus ſatis amplum, nec defuit voluntas, (quis enim id vel ſuſpicari poterit?) profectò in patriam ſuam rediiſſe nemo iure poteſt ambigere. Vel ſi quis fortè ambigat, Reginæ de Parkero confirmando & conſecrando literæ patentes (de quibus [ſ] ſuperiùs) ad ſeptem Epiſcopos miſſæ, & in publicas tabulas relatæ, omnem ſcrupulum poſſunt eximere. An teſtem quæris illuſtrem? En tibi Reginam ſplendidiſſimam. An inſtrumentum authenticum? En tibi Regias literas patentes commiſſionales, quibus magnum Angliæ ſigillum erat appenſum. Ecquis hîc dubitandi locus? Non enim credo tam futurus es vecors, vt vel leuiſſimam alicuius impoſturæ ſuſpicionem inijcias. Literæ patentes Regiæ, quas attulimus adeo in luce, & oculis hominum verſantur, & tam multorum patent conſcientijs, vt nullâ penitus arte fucari, vel ſimulari poſſint. Etenim, iuxta legem Henrici 8. anno viceſimo ſeptimo latam, primò, Regia Maieſtas eaſdem ſerenitatis ſuæ propria manu obſignat. Secundò, vnus ex Regijs Clericis Signeti, conſpectâ manu Regiâ, Signetum apponit, noménque ſuum propriâ manu ſubſcribens, eaſdem ad Dominum priuati ſigilli Cuſtodem tranſmittit. Tertiò, vnus ex Clericis Regijs priuati ſigilli, ſigillum priuatum affigit, ac nomine ſuo propriâ manu ſubnotato, ad Dominum ſummum Angliæ Cancellarium, vel ad Dominum magni Sigilli Cuſtodem dirigit, qui, conſpecto priuato Sigillo, magnum Angliæ Sigillum appendit. Ita nihil hîc in angulo, nihil ſine multorum illuſtrium virorum conſcientia peragi poteſt. Vide quanta cum prudentia, ſolennitate, ac ſolicitudine gerantur omnia; adeo vt nullus dari poſſit ſurreptioni locus, nulla ſubeſſe poſſit ſuſpicio, nulla vel tenuiſſima ſuſpicionis vmbra. Quid quòd iſtæ literæ patentes, de quibus agitur, ab omnibus Regni Ordinibus in [t] Comitijs Parliamentarijs, ante annos plus minùs quinquaginta, ſummo cum honore citatæ ſint, & allegatæ? Quæ cùm ita ſint, certè omnem ſuperant exceptionem, &, ſi quod aliud in terris humanum teſtimonium, fidem plenam ex ſe & legentibus & iudicantibus facere poſſunt. Septem igitur in Anglia tunc fuiſſe Epiſcopos, ſole meridiano eſt clarius. Ita corruit prima ratio. Pergamus ad ſecundam.

[r] *Holl p. 1184. col. 2. lin. 26.*

[ſ] *Libr. huius c. 9. n. 2.*

[t] *8. Eliz. c. 1.*

Phil. Secunda, à veſtrorum hominum, Iuelli & Horni ſilentio ducitur. Quamuis enim [u] *noſtri ſæpiùs hoc argumentum ſtrennè contra ipſos vrgerent* & premerent, ídque *eo tempore, quo* [x] *omnia adhuc in recenti eſſent memoria, cúmque, ſi verè conſecrati fuiſſent, facillimè* 4

[u] *Vid. Fitzherbert. app. n. 2.*

[x] *n. 11. & 9.*

& ſe defendere, & omnes contradictores rubore ſuffundere potuiſſent, tamen *nec* [y] *conſecratores ſuos nominârunt, nec teſtes aut Regiſtra ſua protulerunt.* Quantum autem eorum intererat nemo neſcit, cùm & ipſorum [z] honor & vniuerſi miniſterij exiſtimatio, & tota ferè inter nos agitata cauſa, ab hoc vnico quaſi filo pendêre videretur.

[y] *N.5.*

[z] *Vid.n.10. & 11.*

5 ORTH. Non ideò tacuerunt, quia reſpondere non poterant, ſed quia ampliùs reſpondere minimè neceſſarium iudicabant. Non neceſſarium autem fuiſſe ſatis tibi liquebit, modò hæc tria mecum perpenderis; numerũ Epiſcoporum, conſecrandi ſolennitatem, & rationem omnibus ſatiſfaciendi priùs initam. Ad numerum quod attinet, ante Iuelli cônſecrationem (quam anno 1559. Ian.21. contigiſſe diximus) duodecim in Anglia floruerunt Epiſcopi Proteſtantes. Nam præter illos ſeptem (quos ſingulos, præter Landauenſem, regnante Mariâ, exulâſſe diximus) quinque erant alij ſub Elizabetha iam creati; Parkerus Cantuarienſis, Grindallus Lóndinenſis, Coxus Elienſis, Sandeſius Wigornienſis, & Mericus Bangorienſis. Harum rerum multa perſpicua & illuſtria habemus documenta. Nam primò Regia diplomata, Magno Angliæ Sigillo roborata, hoc ipſum demonſtrant. Deinde eorundem exemplaria in Archiuis & rotulis, ad perpetuam memoriam conſeruantur. Denique Cathedralium Eccleſiarum, quibus præfecti erant, monumenta clariſſimum illis præbent teſtimonium. Robertus autem Hornus conſecratus eſt Ann.Dom.1560.Feb.16.(vt antea retulimus) ante quod tempus plures quàm viginti noſtri claruerunt Epiſcopi. Quocirca, qui idoneum Epiſcoporum hîc fuiſſe numerum inficiabitur, idem ſolem in meridie ſplendentem lucere neget. Ex Fitzherberti ſententia, ſi vel [a] quatuor in Regno extitiſſent, hoc ipſum neminem latere potuiſſet. Quid ergo dixiſſet, ſi ante conſecratum Iuellum duodecim, ante Hornum viginti hîc fuiſſe intellexiſſet? Si hæc adeo erant dilucida, vt neminem laterent, quorſum vel nomina, vel teſtes, vel tabulas ad hæc probanda producerent? Quid hoc eſſet aliud, quàm in re minimè neceſſaria oleum & operam impendere?

[a] *App.n.11.*

6 Proximo loco de ſolennitate, quâ in Prælatis promouendis vtimur, eſt dicendum. Et quoniam Iohannis Iuelli creationem plerique veſtrûm inſcitè & malignè in conuiuijs rodunt, in circulis vellicant, idcirco in eodem à calumnijs veſtris vindicando rem totam illuſtrandam duxi. Primò igitur, ſereniſſima Regina Decano & Capitulo Sariſburienſi (cuius tunc membrum fuit Thomas Hardingus) nouum eligendi Epiſcopum veniam conceſſit, & in ſuis miſſiuis, quas vocant, literis, Iohannem Iuellum nominauit. Secundò, Decanus & Capitulum, & inter reliquos, Hardingus Iuellum vnanimiter elegerunt. Huic enim electioni interfuiſſe, & palàm conſenſiſſe Hardingum, aſſerit Iuellus, eundem ſic alloquens: [b] *Præterea, quaſi meus eſſes Metropolitanus, quæris à me,*

[b] *Defenſ.apol. pag.129.*

me, an ſim Epiſcopus, nécne. Reſpondeo, me eſſe Epiſcopum, idque ex liberâ & conſueta totius capituli Sarisburienſis, illum ipſum in finem Congregati, electione Canonicâ, ex qua ſocietate ſeu fraternitate tu ipſe (Harding) tum vnus, in propria perſona (vt ego accepi) interfuiſti, & electioni liberâ & clarâ voce Suffragium dediſti. Si inficias eas, vide ne tuus ipſius halitus contra te ſpiret.

PHIL. Hoc negat Hardingus his verbis: [c] *Noſti, noſti tu rectè (Iuelle) tam me, quàm reuerendum illum Sacerdotem, & Eccleſiæ illius Prabendarium Magiſtrum Dominicum electioni tuæ ſuffragari expreſsis verbis pernegâſſe. Sanè idem omninò ſcelus reputauimus, te in Sarisburienſem Epiſcopum, quàm Arium, Eunomium, Neſtorium, Eutychem, Aerium, Pelagium, vel alium quemcunque condemnatum hæreticum elegiſſe. Tot igitur falſitates, quas hîc vno tantùm ſpiritu effutiſti, reuoca. Electio tua non erat libera, non erat Canonica, totum non aderat capitulum, non eram ego ibi præſens, neque abſens conſenſi.* Et paulò antè ad Decanum, aliquot Præbendarios, & ipſa Eccleſiæ Sarisburienſis Regiſtra prouocat.

[c] *Hard. in detect. fol. 233. vide, Champ. p. 465.*

ORTH. Quùm Decanum & Præbendarios iam fato ſuo functos interrogare non liceat, agè, Regiſtra conſulamus; in quibus hæc reperiuntur: [d] *Vnanimi aſſenſu & conſenſu, nullo prorsùs diſcrepante, ſubitò & repentè, quaſi Spiritus ſancti gratiâ coöperante, ac eo (vt credimus) inſpirante, direximus oculos noſtræ intentionis, ſiue voces noſtras, in venerabilem & egregium virum Magiſtrum Iohannem Iuellum, Theologiæ Profeſſorem, virum vtique prouidum & diſcretum, ac penes nos, clerum, & populum, ſuis meritis exigentibus, meritò commendatum, in ſpiritualibus & temporalibus plurimùm circumſpectum, ſcientem & valentem iura, priuilegia, & libertates Eccleſiæ Cathedralis Sarum, & Epiſcopatus eiuſdem laudabiter defendere & tueri, in noſtrum, & dictæ Eccleſiæ veſtræ Cathedralis Sarum, Paſtorem & Epiſcopum nominauimus, & elegimus.* Et hoc factum eſt vnanimi aſſenſu, & conſenſu, nullo prorſus diſcrepante. Vt pergam igitur; tertiò, Decanus & capitulum (ex quo numero erat Hardingus) electionem hanc ritè peractam Regiæ Maieſtati literis communi electorum ſigillo munitis ſignificârunt, humiliter rogantes, vt eidem Regium ſuum aſſenſum præbere dignaretur, electúmque ſuum, ab ijs, quorum intererat, confirmandum, conſecrandum, & ad Eccleſiam ſuam quàm maturè tranſmittendum authoritate ſuâ Regiâ curaret. Quartò, ſereniſſima Regina Regalem ſuum præbens aſſenſum, literas patentes commiſſionales, magno Angliæ Sigillo munitas ad Archiepiſcopum miſit, mandans vt omnia & ſingula ad confirmationem & conſecrationem ſpectantia, ſecundùm formam legibus præſcriptam, perficerentur. Quintò, Archiepiſcopus & Epiſcopi 18. Ian. 1559. tam electionem, quàm electum Londini in Eccleſia de Arcubus publicè confirmârunt. Sextò, eiuſdem, Ian. die 21. conſecratio ipſa in Capella de Lambehith in maxima hominum co-

[d] *Ex Regiſtr. Parkeri tom. 1.*

Digitized by Google

rona, adhibitis precibus, concione, & Euchariſtiâ, à quatuor Epiſcopis, vt alibi diximus, ſolenniter eſt celebrata. Septimò, ipſa conſecrationis acta per publicum Protonotarium, ſpectatæ fidei & probitatis virum, in publicas Eccleſiæ Anglicanæ tabulas, ſeu Archiua Eccleſiaſtica, vbi adhuc à quolibet conſpici poſſunt, ad perpetuam rei memoriam ſunt relata. Octauò, ipſe Iuellus Maieſtati Regiæ, ſecundùm antiquam huius Regni conſuetudinem, homagium præſtitit. Nonò, eidem à sereniſſima Regina, reſtituta ſunt temporalia. Decimò, idem in Eccleſia ſua Cathedrali ſolenniter receptus, ſeu inthronizatus, omnia munera Epiſcopalia, ſiue ordinis, ſiue Iuriſdictionis, maxima cum laude obibat. Denique, cùm paulò pòſt omnes Regni Ordines in Parliamento conuenirent, Iuellus, perinde ac reliqui Epiſcopi, inter Regni Barones, ſeu Proceres ſuo honore & dignitate fruebatur. Hæc cùm ita ſe habeant, cuiuſquam, non iniquiſſimi rerum æſtimatoris iudicio permittam, an neceſſarium, vel an par & æquum eſſet, vt Iuellus tanta cum ſolennitate & ſplendore creatus, vel conſecratores nominaret, vel teſtes, aut tabulas publicas ad rem ſuâ ipſius luce clariſſimam, confirmandam produceret. Quaſi verò hæc omnia in angulo aut tenebris geſta forent, & non in luce & oculis hominum. Nec illi vitiò verti debet, quòd Hardingi crebras & denſas quæſtiunculas tam parui-penderet. Nam cùm ſe tam ſolenniter ſacratum eſſe teſtem haberet conſcientiam, hoc Hardingum, niſi vltrò ignorare non poſſe, ſibi ipſi meritò perſuadere poterat. Hardingum (inquam) qui, vnà cum fratribus, de Iuello promouendo Regias literas acceperat, qui, ſi non ipſe apertâ & clarâ voce Iuellum elegerat, ſi non ipſe factam electionem vnà cum fratribus Reginæ ſignificârat, ſi non ipſe ſuppliciter rogârat, vt Regium ſuum electioni præberet aſſenſum, electúmque quamprimùm conſecrandum, & ad illos tranſmittendum curare vellet, hæc tamen à fratribus ſuis facta eſſe omnia probè nouit. Quomodo enim eum, niſi vltrò, latere poterant? Quare ſi ſciens, volénſque, remordente conſcientiâ, diſſimulauit, maius peccatum habet; ſin ignorans fecit (quod tamen eſt admodùm improbabile) excuſari tamen non poteſt, cùm ſit ſpontanea ignorantia. Licèt enim ipſe fugam, & Louanium iam cogitaret, amici tamen eius, vel famâ publicâ, quæ ſine dubiò in vulgus emanârat, vel ſaltem Regiſtro publico, omnibus eruditis Londini agentibus notiſſimo, ſi modò cõſulere voluiſſent, edocti, de toto hoc negotio certiorem reddere potuiſſent. Et hîc (Philodoxe) dicam tibi quod res eſt. Dum Hardingus adhuc dubius animi pendebat, nec dum quibus ſe partibus adiungeret, apud ſe ſtatuerat, priora illa in Iuellum humanitatis præſtabat officia; verùm paulò pòſt, fugam meditans, de ſolo vertendo, quàm de veritate indaganda magis erat ſollicitus. Accedit, quòd Iuellus, dum Eccleſiam Sariſburienſem viſitaret, * Hardingum, & Dominicum

* Hardingus apud Champ. 465

nicum cuſtodiæ traderet. Hinc illæ lachrymæ. Quamprimùm autem elapſus Louanium ſalutâſſet, O quantùm mutatus ab illo quem ſe, Regnante Eduardo, præſtiterat? Tunc Iuello inuidere, odium conflare, in eum impotenter debacchari, in hoc ſanè valdè vituperandus, quòd in veritate inueſtigandâ negligentior, in conuicijs congerendis diligentiſſimus exiterit.

Vltimo loco conſideranda proponebatur ratio, quæ iam inita erat, vt ſingulis, ſi fieri poſſet, ſatisfieret. Omnes enim Regni Ordines, octauo Elizabethæ in Parliamento conuenientes, primò, quorundam reprehendunt petulantiam, qui Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum conſecrationes in quæſtionem vocarant, anxiè & ſcrupuloſè inquirentes, num iuxta formam legibus præſcriptam peractæ eſſent. Secundò, vt conuicia retundi, & veritas ſplendidiùs elucere poſſet, leges de Epiſcoporum electione, confirmatione, & conſecratione latas, & nondum antiquatas recitant. Tertiò, ad Præſules ſub Elizabetha euectos accedentes, omnes & ſingulos ritè & iuxta accuratam legum normam ordinatos fuiſſe oſtendunt, clariſſimè affirmantes, *Nullam penitùs vllius ſcrupuli, ambiguitatis, vel dubitationis iuſtam ſubeſſe cauſam, quæ contra eaſdem electiones, confirmationes, vel conſecrationes, aut contra quicquam ad eaſdem pertinens, factu neceſſarium, vel expediens, obijci poſſit, ſed omnia requiſita & neceſſaria, tanto ſtudio, támque accurata diligentia, vel potiùs exactiori ſub Elizabetha, quàm vnquam anteà præſtita fuiſſe.* Quod ſanè (vt id obiter attingam) à tribus ordinatos clariſſimè arguit, quoniam id leges recitatæ apertè efflagitant. Neque hoc à conuentu illo nobiliſſimo nudè, aut frigidè proponitur, ſed huius rei confirmandæ gratiâ ad Archiua (de quibus poſteà) lectorem remittunt. Habitum eſt hoc Parliamentum Anno Domini 1566. Hardingus autem ſuam apologiæ confutationem, in qua tam acerbè Iuellum inſectatur, anno 1565. id eſt, paulò antè inchoatum hoc Parliamentum in lucem emiſit. Iuellus verò anno 1567. Parliamento iam finito, apologiæ ſuæ defenſionem edidit. Cùm igitur omnes Regni Ordines, &, inter hos Barones, inter Barones Epiſcopi, inter hos Iuellus, Pontificijs noſtrorum antiſtitum calumniatoribus, & in ijs Hardingo, reliquorum anteſignano, tam copioſé & ſolidè reſpondiſſent, non opus erat, vt Iuellus rem actam ageret. Hoc enim quid eſſet aliud, quàm hominis iam demortui caput amputare? Nec tamen omninò tacuit Iuellus; ſed in apologiæ ſuæ defenſione, licèt ſuccinctè, appoſitè tamen, & neruosè reſpondebat. 7

Phil. Immò hinc naſcitur tertium Fitzherberti argumentum. Nam Hornus & Iuellus, cùm ab Hardingo, & Stapletono fortiter vrgerentur, quid fecerunt? [f] *Hornus* (inquit ille *quod ſciam*) *per ſe, vel per alium nunquam reſpondit. Iuellus reſpondit quidem, verùm adeò languidè, frigidè, ambiguè, vt noſtrorum obiectio non tam confutata, quàm confirmata eſſe videatur.* Et rurſus [g]: *Hoc quoque perpendatur, an Iuellus clarè, & strictè interrogatus & preſſus, vt à quo ipſe* 8

[f] Fitzherb. append. n. 5.

[g] N. 10.

& ſocij inaugurati eſſent, nobis enunciaret, tam vacillanter, ambiguè, indirectè reſpondere voluiſſet, vt reuera fecit, ſi eorum conſecrationes vel teſtibus, vel Regiſtris, vel quouis alio authentico probationis genere confirmare potuiſſet.

9 ORTH. Vt Iuelli reſponſionem rectiùs intelligamus, primùm, de quæſtione conſtet oportet.

PHIL. Quæſtio hæc gemina illi propoſita fuit; ſcilicèt, à quibus, & quomodò conſecratus eſſet?

ORTH. Quæſtioni geminæ geminam adhibuit reſponſionem: [h] *Noſtri Epiſcopi eâ ratione & formâ, quâ ſemper, conſtituuntur, per liberam capituli electionem, Archiepiſcopi conſecrationem, & tres alios Epiſcopos.* Quibus in verbis illud obiter obſeruandum, non intelligere Iuellum, tres alios præter Archiepiſcopum. (Illud enim licèt ſæpiſſimè contingat, non ſemper tamen, neque eſt neceſſarium.) Sed tres alios præter ordinandũ. Archiepiſcopi autẽ conſecratio ſemper requiritur; id eſt, vt vel per ſe, vel per alium eius authoritate ſuffultum manus imponat. Sed hæc, vt dixi, obiter. Age nunc, quid eſt quod tibi in hac reſponſione non ſatisfacit?

[h] Iuel. defenſ. Apol. p. 129.

PHIL. [i] *Non dicit, Ego conſtitutus ſum, aut nos conſtituti ſumus; quorum tamen alterutrum dicendum fuit, ſi directè reſpondere voluiſſet. Sed noſtri Epiſcopi conſtituti ſunt. Quæ verba præter receptam eo ipſo, quo hæc ſcriberet tempore, conſuetudinem directè & verè nihil inſinuant; quam tamen Hardingus non negabat, immò de eadem ne dubitabat quidem, cùm nihil quicquam ad inſtitutum pertineret. Nam ad Iuelli & aliorum, qui priùs euecti fuiſſent, inaugurationem, omninò non ſpectabat, multò minùs ad Archiepiſcopi, quæ tamen vt clarâ in luce poneretur, quantoperè intererat, Iuellum non latuit.*

[i] Fitzher. append. n. 6.

ORTH. Animaduertas velim Epiſcopũ non ſimpliciter dixiſſe, *Noſtri epiſcopi conſtituti ſunt*, ſed addidiſſe, eâ *ratione et ordine quo ſemper:* ita non ſolũ præſentem reſpicit conſuetudinẽ, ſed anteacta etiam tempora orationis ambitu complectitur, ſeipſum, Archiepiſcopum, & reliquos omnes ſub Elizabetha ſacratos includens. Quod ipſum in reſponſione ſua ad detectionem expreſſit his verbis: [k] *Nos conſecrationem per tres Epiſcopos non inficiamur, nos Metropolitani confirmationem non negamus, nos ipſi ita conſecramur, & confirmamur.* Hoc non eſt ambiguè, indirectè, & languidè, ſed perſpicuè, directè, & ſolidè reſpondere.

[k] P. 125.

10 PHIL. Hîc Dominus [l] Fitzherbertus *cuiuſquam viri boni & æqui conſcientiam appellat, quid de Regiſtro tuo, nuper inuento, exiſtimandum ſit, nunc tandem poſt annos quinquaginta, & ampliùs elapſos, in lucem edito, ad teſtandam hanc conſecrationem, pro qua ne vnus quidem teſtis, nec vllum omninò Regiſtrum, ab ijs quorum res agebatur, intra quinquennium, aut ſexennium, ex quo res geſta perhibetur, produci vel citari potuit.* Et [m] Fluddus: *Nunc tandem* (inquit) *Archiua prelo commiſit, cùm mortui ſunt, qui contradicant, quòd eorum*

[l] Append. n. 13.

[m] Flud. Triumph. Purg. p. 141.

Digitized by Google

importunitas, dum eſſent in viuis, nunquam extorquere poterat. Et [n] Fitz-Simon Ieſuita; *Cùm annis iam ſexaginta, neque qui Cantuarienſi ſedi per ſummum nefas præſidebant, neque qui in Academijs, ſcholiſque præfulgebant, neque qui annales exarabant, neque in Catholicos vel etiam Puritanos ſcriptitabant, talia Regiſtra in ſuæ ordinationis probroſæ defenſionem aliquando produxerint, quomodò Oxonienſis Bacchalaureus, inferioris ſubſellij, folia hæc Sibyllina ſolus ex adytis & aduerſarijs, cum aliqua oſtentatione, eruere non erubeſcat?* [n] Fitz-Sim. Britannom. p.312.

ORTH. Veritas (Philodoxe) nec erubeſcit ipſa, nec quenquam rubore ſuffundit.

PHIL. His Regiſtris, [o] *influxa fide Miniſtri fundatis*, fides non videtur accommodanda. [o] Fitz-Sim. ibi.

ORTH. Quæ à me in lucem prolata ſunt Regiſtra, non ſunt nuper inuenta, non ex terra eruta, non è cerebro nata, ſed vera, antiqua, authentica, nec ſunt folia Sibyllina, huc illuc quouis vento volitantia, ſed rerum geſtarum in epiſcoporum ordinationibus vera, certa, & fideliſſima monumenta. Quæ quamuis à me poſt annos 50. & ampliùs ſint citata, ego tamen primus non produxi, ſed ante me quamplurimi.

Anno Dom. 1566. nobiliſſima curia Parliamentaria Epiſcopis, de quibus agitur, hoc ampliſſimum exhibuit teſtimonium; nempe, *Vniuerſa ad eos eligendos, confirmandos, conſecrandos ſpectantia, ſecundùm legum normam & regulam, tam exquiſitâ diligentiâ (ſi non exquiſitiori) ſub Elizabetha eſſe peracta, ac vnquam antea.* Cuius rei vt firma & inexpugnabilis ſit probatio, ad Archiua prouocant his verbis; *Vt Archiua, quæ tempora Patris & Fratris ſereniſſimæ Reginæ, atque adeo quæ ſui ipſius temporis geſta delineant, luculentiùs teſtantur & oſtendunt.* Quæ verba tria nobis præſtant documenta. Primò, omnes & ſingulas electiones, confirmationes, & conſecrationes ſub Elizabetha exactè, & accuratè, ſecundùm leges fuiſſe factas. Secundò, eaſdem, vt retroactis temporibus, ita Regnante Elizabethâ, in Archiua, Regiſtra, ſeu publicas tabulas relatas eſſe. Tertiò, hæc Regiſtra fuiſſe authentica, & integerrimæ fidei, quandoquidem omnes Regni Proceres illuc Lectorem remittũt, vt illis perlectis, cuiquam plenè & cumulatè ſatiſfiat. Vides igitur illa ipſa, quæ ego non ita pridem protuli, Regiſtra, ante annos 50. cùm à Parkeri conſecratione nondum integrum effluxerat ſeptennium, à delibato totius Angliæ flore perquàm honorificè citata eſſe & allegata. Non igitur in fluxa fide Miniſtri fundantur, vt garrit Ieſuita, ſed ſolidiſſimo & ſplendidiſſimo nituntur teſtimonio. 11

Anno Domini 1572. 70. Archiepiſcoporum Cantuarienſium vitæ Londini ſunt editæ, quorum vltimus tunc ſuperſtes erat Matthæus Parkerus; in cuius vita tum inchoata ſic ſcribitur: *Anno Dom. 1559. Cantuarienſis Archiepiſcopus electus eſt à Decano & capitulo Eccleſiæ Metropolitanicæ Cantuarienſis, poſteáque eodem anno 17. Decemb. adhibitis quatuor Epiſcopis, Willielmo Ciceſtrenſi, Iohanne* 12

hanne Herefordenſi, Milone quondam Exonienſi, & [p] Iohanne Bedfordienſi, lege quâdam hâc de re latâ requiſitis, conſecratus eſt. Poſtea idem Author, ab eo conſecratos & confirmatos enumerans, hæc margini apponit, *Hæ conſecrationes & confirmationes in Regiſtris apparent.* Ita conſecrantium nomina ante annos 44. (Parkero adhuc viuente) in libris impreſſis, qui paſſim venales proſtabant, & qui hæc ipſa Regiſtra non ſine honore citabant, ſunt diuulgata. Quâ igitur fronte me hæc typis mandantem arrodit [q] Fluddus, quaſi primus è noſtris hæc emiſerim, cùm mortui eſſent, qui contradicant? Itáne verò? Num Hardingus, Stapletonus, Sanderus, Briſtoüs mortui erant, cùm curiã Parliamẽtariã & Regiſtra citaret Author, & miniſterium noſtrum à veſtris calumnijs vindicaret? Vel fortè in viuis erant, ſed de hoc Statuto Parliamentario nihil acceperant? Siccine, Philodoxe? O quoties, & quanto cum faſtidio Epiſcopos noſtros ſatis ſuperciliosè Parliamentarios, Parliamentarios vocitârunt? Vnde tandem? An non ab hoc ipſo edicto Parliamentario? Quid igitur? An veſtri homines Statuta noſtra legunt, vt inde calumnias & mendacia concinnent, non etiam vt veritatem, ſeſe in legentium oculos ingerentem, agnoſcant, & amplectantur? Hoc Statutum ad Regiſtra prouocans quoties, illis viuentibus & videntibus, eſt impreſſum? Sed hoc ipſum eſt ſapere; quod ſciunt neſciunt, modò neſcire ſit in rem ſuam. Verùm ſi hæc tam celebria, & [r] adeo decantata clauſis oculis aſpiciunt, non mirabor profectò, ſi in vita Parkeri legendâ ſponte cæcutiant. Sed de his hactenus: nunc alios hæc Regiſtra poſt mortem Parkeri citantes placet attexere.

13 Cùm Iohannes Hartus 30. ab hinc annis idem, quod tu nunc, in nos torqueret telum, doctiſſimus Rainoldus ex eiſdem Regiſtris Edmundi Freaki, à quo ipſe ordinatus eſt presbyter, atque inſuper Matthæi Cantuari. qui Freako munus impendit epiſcopale, conſecrationes tranſcripſit, quas vbi conſpexit Hartus, illicò faſſus eſt, putâſſe ſe nihil tale oſtendi potuiſſe; in his igitur acquieſcens, totum illud argumentum, ne typis cõmitteretur, ex colloquio, quod iam Prelo erat deſtinatũ, eraſit et expunxit. Hæc ipſe Rainoldus mihi coràm narrauit; quinetiam et ſuàm ipſius epiſtolam ad pium & doctum virum Thomam Barkerum, eccleſiæ de Soham-monachorum apud Suffolcienſes paſtorem (qui, à Papiſtis Framlingamiæ Caſtello tunc incluſis eodem telo petitus, Rainoldum per literas conſulüerat) conſcriptam oſtendit. Cuius autographon in Suffolciam tranſmiſſum apud me habeo, quod amicus meus Eduardus Barkerus, poſt patris ſui obitum, mihi dono dedit. Aliud quoque eiuſdem autographon (ipſius etiam Rainoldi manu exaratum) eſt apud amicum meum Henricum Maſonum, eruditum inprìmis Theologum, Reuerendiſſimi Patris Iohannis Epiſcopi Londinenſis, ſanctæ memoriæ olim Capellanum domeſticum.

14 Nec deſunt alij, in noſtris educati Academijs, qui ante me eiuſdem Matthæi Catuarienſis inaugurationem libris publicè

[p] *Author per errorem appellat Richardum, cuius loco Iohannem repoſui: hoc enim erat illi nomen, vt ex Archiuis conſtat multis in locis.*

[q] *Purg. triumph. p. 141.*

[r] *Sutliuius, & alij.*

Digitized by Google

publicè impreſſis, memoriæ & literis prodiderunt, & ad hæc ipſa
Regiſtra prouocârunt. His addantur duo alij, qui ſe eandem in Re-
giſtris vidiſſe & legiſſe teſtati ſunt. Primus eſt qui olim veſter,
(Collegij ſcilicet Anglico-Romani alumnus & Sacerdos) ſed nunc
noſter, Richardus Shelden, poſt ſuum ad nos reditum ſic ſcri-
bens: [a] *Ego nuper, vt mihi ipſi ſatisfacerem, Regiſtra ſcrutatus ſum, &*
Parkerum ſufficienter, verè, Canonicè ordinatum & conſecratum liquidò
comperi. Alter eſt olim noſter, nunc veſter, [b] Iacobus Wadſwor-
thus, qui in Epiſtola à partibus tranſmarinis miſsâ, teſtatur ſe, ante
ſuum ab Anglia diſceſſum, Parkeri conſecrationem in Regiſtris le-
giſſe. Porrò ex eo tempore quo ego librum emiſi, quatuor legen-
ti mihi occurrunt, antiquitatis iuxta ac veritatis amantiſſimi viri,
qui Parkeri conſecrationem eodem planè ac ego modo ex Archi-
uis veriſſimè delinearunt, quorum primus eſt Anglorum [c] Pauſani-
as; ſecundus Reuerendiſſimus Pater, Franciſcus [d] Herefordienſis;
tertius almæ Academiæ Cantabrigienſis [e] Profeſſor Regius;
quartus vir ob eruditionem ſummam, & egregia in Eccleſiam
merita celebris, Ioſephus [f] Hallus, Theologiæ Doctor, & De-
canus Wigornienſis. Hactenus quæ literis & ſcriptis conſignata
ſunt retuliſſe ſufficiat. Porrò noſtrorum cum veſtris Sacerdotibus
incarceratis frequentes collationes ac diſputationes, in quibus Re-
giſtrorum crebra facta eſt mentio, ſciens volénſque tranſilio. Nunc
cuiuis non moroſo abundè ſatisfactum ſpero.

[a] *Rich. Shelden de ſpiritib. Pontificijs, p. 17.*
[b] *In epiſt. M.S. ad amicum in Anglia.*
[c] *Camden in Eliz. p. 38.*
[d] *De præſulib. Angliæ, p. 218.*
[e] *Doct. Collin. in increp. p. 490.*
[f] *De honore cleri coniugati, l. 1. ſ. 17.*

PHIL. Immò, vt cumulata fiat ſatisfactio, illud quoque præ- 15
ſtandum, quod [g] Fitzherbertus his verbis poſtulat. *Spero* (inquit)
nemini æquo rerum æſtimatori à ratione alienum viſum iri, ſi adeo ſolidis
nixus rationibus & fundamentis, contra Maſoni Regiſtrum tantiſper
grandem exceptionem obtendam, donec vel ipſe, vel amicorum aliquis
idem aliquot eruditis, prudentibus, ſinceris oſtenderit Catholicis, qui, eodem
ſuis oculis perluſtrato & ritè perpenſo, de eiuſdem veritate & validitate
ſententiam & teſtimonium ferant. Et paulò pòſt; *Oſtendatur igitur, &*
in lucem proferatur.

[g] *Fitzherb. append. n. 13. Ib. n. 14.*

ORTH. Æqua ſanè poſtulatio. Sic enim Reuerendiſſimo Pa- 16
tri Georgio, Archiepiſcopo Cantuarienſi viſa eſt; qui cùm hæc a-
pud Fitzherbertum perlegiſſet, vt eius voto ſatisfaceret, illicò
(quâ eſt æquitate) iſtos viros Pontificios accerſendos curauit,
nempe Magiſtrum Collintonum, quem eo tempore nonnulli Ar-
chipresbyterum indigitabant, Magiſtrum Laithwait, & Magi-
ſtrum Faircloth, Ieſuitas, & Magiſtrum Leakum, Sacerdotem ſe-
cularem. Nónne iſti eruditi, prudentes, atque ſinceri tibi videntur
Catholici? Reuerendiſſimus igitur Archiepiſcopus anno 1614.
Maij 12. coram clariſſimis Epiſcopis, Iohanne Londinenſi, Guliel-
mo Dunelmenſi, Lanceloto Elienſi, Iacob. Bath. ac Wellenſi, Ric.
Lincolnienſi, & Ioh. Roffenſi, ipſum Parkeri Regiſtrũ à me toties
citatum in medium produxit, dictiſque quatuor Romano-Catho-
licis oſtendens, vt oculis diligenter perluſtrarent, admonuit.
Illi *codicem* (vt verbis vtar reuerendi [h] Epiſcopi) *quantùm libuit,*
ſpectârunt,

[h] *Franc. Land. de Præſul. Angl. in Park. Cant.*

ſpectârunt,contrectârunt,euoluerunt,perlegerunt, ſed præcipuè Parkeri conſecrationem (cuius cognoſcendæ deſiderio flagrabat Fitzherbertus) legunt,relegunt,voluunt,reuoluunt,ac volumine,charactere,argumento,cæteriſque rebus omnibus accuratè & ſedulò perpenſis,tandem aliquando de libri veritate & validitate ferunt teſtimonium, fatentes ſibi quidem videri codicem omni exceptione maiorem. Præterea ab Archiepiſcopo rogati, vt quod oculis viderant, Fitzherberto per literas ſignificarent, id ipſum (teſte [a] Champnæo) præſtare ſunt polliciti.

[a] P.527.

[b] Champ.p.525.

PHIL. [b] *Quod aſſerit Godwinus, Alexandrum Fairclothum,& cæteros,quantùm libuit,librum præfatum ſpectâſſe,contrectâſſe, euoluiſſe & perlegiſſe(in quo ſita eſt defenſionis tuæ vis, atque momentum) abſque refutatione præterire neque volo,neque debeo,*inquit Champnæus.

ORTH. Champnæus fremat licèt,& frendat,quod de oſtenſo Regiſtro ſcripſit Epiſcopus,eſt veriſſimum.

[c] P.527.

PHIL. [c] *Quatuor prædicti Sacerdotes codicem Regiſtralem ſimplici intuitu inſpicientes,deſcriptam in eo Parkeri conſecrationem ſe vidiſſe agnoſcebant.*

ORTH. Benè habet. Hoc enim illud ipſum erat,quod Fitzherbertus tam ardenter expetebat.

[d] Ibid.

PHIL. [d] *Neque pro loco, neque pro tempore illis licebat diligentiùs eum contueri,nedum perlegere.*

ORTH. Perlegere? Credo equidem; eſt enim ingens volumen,immenſa rerum Eccleſiaſticarum varietate refertum. Neque hoc dixit Epiſcopus, ſed *perlegiſſe quantùm libuit.* Parkeri tamen conſecrationem(in qua cardo quæſtionis vertitur) ſe in illo libro vidiſſe agnoſcebant. Illud erat palmarium, de reliquis nihil erat, vt adeò eſſent ſoliciti. De hac,quam proprijs oculis perlegiſſent, illuſtre Maſono & veritati perhibuerunt teſtimonium.

[e] Ibid.

PHIL. [e] *Reducti ad carceres,& ſecum rem totam diligentiùs conſiderantes,atque adeo perpendentes, ſe illud ſolùm literis ſuis teſtari poſſe dixerũt,nimirũ,quòd talia vidiſſent acta,vtrũ verò germana eſſent atq; authẽtica,& ab omni fraude & falſitate immunia,nihil prorsùs ſtatuere poſſe.*

ORTH. Liber ipſe totâ mole ſibi congener,vniformi ac temporibus apto charactere conſcriptus,vt reliquas Eccleſiaſticorum negotiorum actorúmq; publicorum narrationes iam tum cùm gerebantur,ſtylo, vt vocant, Curiali exprimit, ita huiuſcè in domo Cantuar.Capitulari electionis, in Capella Lambethana conſecrationis etiam circumſtantias ſigillatim quaſique punctim recenſet: ac eâ ſimplicitate conſignat in perpetuam rerum & ſecularum memoriam, vt ridendus videatur potiùs quàm refutandus, qui in ſcirpo nodum,in fide optima dolum malum quæritet. Si adſit,cæteris ſcilicet naſutior, ipſe Champnæus, ſi inſpiciat, introſpiciat, perſpiciat,ſi à capite ad calcem perſcrutetur, ac pellegat, nihil hîc in tanta rerum grauiſſimarum copiâ deprehendet præter genuinam fraudíſque expertem hiſtoriam deprehendet. Neque dubito, quin veſtri,

Digitized by Google

veſtri,qui proprijs oculis intuiti ſunt, idem ſint dicturi,niſi fortè reluctante loquantur conſcientiâ.

PHIL. [b] *Vt pleniorem hac de re certitudinem tam ſibi quàm alijs procurarent,duo priori loco nominati,ſcriptis literis ab Archiepiſcopo rogarunt, vt copia illis fieret præfatum codicem liberiùs atque diligentiùs inſpiciendi; ſed repulſam paſſi ſunt: quod totum (ſicut geſtum fuit) Thomæ Fitzherberto per literas ſuas ſignificârunt. Iudicet iam quiuis,licèt minùs æquus arbiter,qualia cenſenda ſint illa acta,quæ adeo lucem abhorrent, & diſtrictiorem examinationem reformidant, vt non,niſi in præſentia dominorum ſuorum,idque leuiſſimè,& tanquam per tranſennam ſpectari, tractaríque permittantur.*

[b] *Ibid.*

ORTH. Liberiùs (inquis) ac diligentiùs codicem inſpiciendi copiam rogantes,repulſam paſſi ſunt. Subdolam verò vafrámque rei geſtæ narrationem! Quod rogarunt, hîc aut ſiletur, aut verbis generalibus obuoluitur. Librum illum, de rebus huiuſmodi vnicum Inſtrumentum,vt appellamus, authenticum rogarunt, & poſtularunt,non modo inſpiciendum denuo,ſed ſecum deportandum & priuatis ſcrinijs manibúſque credendum. Apertè,candidéque reſponſum eſt à reuerendiſſimo Archiepiſcopo: Adirent pro arbitrio ipſum in propinquo Chartophylacium, ſiue domum, in qua huiuſmodi Autographa aſſeruantur: ibi licere illis,inſpectante cuſtode Inſtrumentorum publico, hæc, & alia rerum Eccleſiaſticarum monumenta inſpicere,penitúſque perſcrutari: Libros autem ipſos ſede ſua dimoueri,ac priuatorum, etiam optimè affectorum, manibus arbitrióque permitti,nefas. Quam hîc rogo, repulſam paſſi rogatores iſti,niſi quâ importuni & inſolentes? Quod æquum erat,vltro ijs liberalitérque indultum, quod iniuſtè poſtulatum, æquiſſimo iure negatum. Quid vero? An vos monumenta *Vaticana* cuilibet ſine delectu,etiam Eccleſiæ veſtræ aperto hoſti pro libitu perlegenda,imo inſpectionis liberioris prætextu deportanda permittitis? Certè, abſentibus ijs quorum fidei commiſſa ſunt, Archiua publica oſtendi æquum non eſt; imò nec tutum, ne forte delumbentur. Satis eſt, ſi in loco publico cuſtodiantur, vbi à quolibet (illis præſentibus) conſpici poſſunt. Non minùs liberali cuſtodiâ publica in Archiuis monumenta apud nos aſſeruari res ipſa loquitur,ac hodierna comprobat experientia. Si quis veſtrûm ſeriò cupiat hæc perlegere,adeat locum ſatis omnibus obuium,fores inueniet haudquaquam clauſas, libros ipſos haud grauatè oculis vſurpandos,modò ne manu ſubleſtâ lancinandos. Adeat,inquam, hodie quiuis veritatis explorandæ cupidus: hæc eadem proprijs oculis intueri,ac diligentiùs rimari dabitur. Sed vin' verbo dicam? Vbi affectata dominatur malitia, veritate nihil ingratius, vtpote morbum iucundum ſanaturâ. Clauſi manent non tam libri noſtri, quàm oculi veſtri.

Huic ipſorum petitioni hoc modo iam tum à ſe reſponſum probè meminit,ac hodie coram teſtibus fide dignis recolit digniſſimus,integerrimúſque Dominus Archiepiſcopus.

Digitized by Google

LIBER QVARTVS.

Cap. I.

Epiſcopalis Iuriſdictio quomodo differat à Regali, & vnde fluat.

Iuriſdictio Epiſcopalis
- *propriè dicta differt à Regali, ratione*
  - *Materiæ, quia*
    - *Epiſcopus, quà Epiſcopus* — *tractat cauſas eccleſiaſticas tantùm.* 1
    - *Rex, quà Rex* — *tractat cauſas eccleſiaſticas & ciuiles.* 1
  - *formæ, quia*
    - *licèt vterq; tractet cauſas eccleſiaſticas* 2
    - *tamen*
      - *Epiſcopus non niſi eccleſiaſticè.* 2
      - *Rex*
        - *non eccleſiaſticè.* 3
        - *ſed Regiè, id eſt,*
          - *imperando.* 4
          - *leges ſanciendo.* 5
          - *externis pœnis coercendo.* 6
- *latiùs ſumpta, id eſt, quàm exercent Epiſcopi, eſt partim*
  - *Ciuilis, quæ à Rege tota eſt quoad*
    - *cauſas ciuiles.* 7
    - *pœnas temporales.* 8
  - *Spiritualis, fluens*
    - *à Principe quoad externas circũſtantias.* 9
    - *à Chriſto*
      - *quoad internam poteſtatem.* 9
      - *quando? In conſecratione.* 10
      - *quomodo?*
        - *immediatè.* 11
        - *æqualiter.* 12

Phil.

SI Eccleſiæ Anglicanę Præſules canonicam conſecrationem conſecutos fuiſſe, diſputandi gratiâ, concederem, non tamen inde ſequitur eſſe perfectos, & omnibus ſuis numeris abſolutos. Eorum enim iuriſdictio à quo tandem fonte dimanat?

ORTH. A Chriſto partim, partim à Principe.

PHIL. Quid audio? A Principe? Quî fieri poteſt? Eſtne Iuriſdictio Epiſcopalis eiuſdem naturæ et conditionis cum Regali?

ORTH. Inter Regalem & Epiſcopalem propriè dictam multa ſunt diſcrimina, duo tamen, quæ noſtro maximè inſeruiunt inſtituto, delibâſſe ſufficiet. Differunt igitur, primò, ratione materiæ ſubiectæ, quoniam Regalis Epiſcopali longè amplior eſt, & extenſior. Epiſcopalis enim ad cauſas tantùm ſpirituales, ſiue Eccleſiaſticas propriè ſe porrigit; Regalis autem ad omnes, ſiue temporales, ſiue ſpirituales.

2 Secundò, differunt ratione formæ. Siquidem licèt vterque in cauſis verſetur Eccleſiaſticis, non tamen eodem modo. Nam Epiſcopus, quâ Epiſcopus, res eccleſiaſticas eccleſiaſticè tractat, vtpote qui per ſe, idque ex officio ordinario, non ſolùm Verbum & Sacramenta in Eccleſia miniſtrare, ſed alias quoque ſacras & ſolennes actiones (quales ſunt miniſtrorum ordinatio, excommunicatio, cenſurarum relaxatio) obire, & exercere poteſt.

3 Rex autem cauſas quidem Eccleſiaſticas regit ac gubernat, non tamen Eccleſiaſticè, ſed Regiè. Non Eccleſiaſticè, quia hoc ad Paſtores ſpectat, quibus Chriſtus Regni cœlorum claues tradidit. Porrò Regem hæc ſacra munera in propria perſona præſtare poſſe Eccleſia noſtra nunquam docuit. [a] *Nos enim Regi cenſuræ poteſtatem non facimus*; neque Reges, aut Reginæ noſtræ his ſe rebus hoc modo vnquam immiſcuerunt.

[a] *Tort. Tort. p. 151.*

Iuriſdictio enim Regia non ſita eſt in poteſtate aliqua Sacerdotali, aut in perſonali alicuius Eccleſiaſticæ functionis adminiſtratione, ſed in authoritate quadam externa, ſuprema illa quidem, quæ in imperando cernitur, quæque delinquentes pœnis ciuilibus externè coercet, prout [b] antea oſtendi. Quocirca, vt Regibus Iudæ officium Sacerdotale inuadere, Incenſum adolendo, aut in proprijs perſonis ſacrificando non licuit, authoritate tamen Regiâ Sacerdotibus, vt hæc ipſa ſecundùm legem Iehouæ præſtarent, ſanctè [c] imperârunt; ita Chriſtianis Regibus Verbum & Sacramenta adminiſtrare, ordinare, excommunicare fas nō eſt, ad eoſdem tamen, tanquam ad ſupremos omnium perſonarum in omnibus cauſis intra ſuas ditiones Gubernatores, ſpectat authoritate Regiâ iubere, & curare, vt hæc omnia à talibus perſonis adminiſtrentur, quales ad hæc ſacra mumera obeunda deſignauit Dominus, ídque eâ ratione, quæ ſacris Scripturis eſt conſentanea. Quum Maximus Epiſcopus Salonitanus Eccleſiaſticas cenſuras meritò incurriſſet, eas Gregorius [d] Magnus, *ſecundùm iuſsiones ſereniſsimi Domini Imperatoris*, laxauit. Hanc imperandi authoritatem, vt Gregorius in Mauritio agnouit, ita veſtrorum nonnulli Abbati eam, addo etiam & Abbatiſſæ tranſcribunt: [e] *Tabiena & Armilla ſcribunt, poſt Panormitanum Aſtenſem, & alios, Abbatiſſam poſſe præcipere ſuis ſubditis Sacerdotibus, vt excommunicent ſuas rebelles, & contumaces moniales,* *vel*

[b] *L. 3. c. 5. n. 2.*

[c] *Vid. l. 3. c. 2. n. 5.*

[d] *Epiſt. l. 5. & 25.*

[e] *Steph. de Albin tract. de poteſt. epiſ. Abbat. &c. c. 3. n. 13.*

Digitized by Google

vel eaſdem abſoluant, ita vt teneantur obedire. Hoc ſpiritualis iuriſdictionis genus, non delegatum modò, ſed ordinarium etiam, vel fœminis tribuunt Canoniſtæ: e *Volunt Canoniſta, vt Prælatorum dignitas officiorúmque præſtantia fœminis Eccleſiaſticis iuriſdictionem ſpiritualem, & Eccleſiaſticam ordinariam tribuat, quâ iure non tantùm delegato & commiſſo, ſed ordinario fungantur, & vti valeant, in ſuas præſertim moniales.* In quam ſententiam ipſe f Stephanus de Albin videtur propendêre. Immò excommunicandi poteſtatem ipſis g Abbatiſſis aſſerere contendit, quam Eccleſia Anglicana Regi noſtro ſereniſſimo non vendicat, ſed eam duntaxat prærogatiuam, quam in ſacris Scripturis à Deo ipſo omnibus pijs Principibus videmus ſemper attributam, hoc eſt, vt omnes ſtatus atque ordines fidei ſuæ à Deo commiſſos, ſiue illi Eccleſiaſtici ſint, ſiue ciuiles, in officio contineant. Quod ipſum ſumma cum laude præſtant, dum pro Chriſto, pro pietate, pro diuina veritate iubent.

e Idem, c.2.n.3.

f c.2.n.7.

g Vid. Tort. Torti p.151.

Nec mandatis tantùm, & verbis ſuis res Eccleſiaſticas promouebunt Principes, ſed quum poteſtatem habeant Nomotheticam, his ipſis de rebus vel ſanctè credendis, vel decorè peragendis leges ſancient, quales innumeræ in Codice & Authenticis habentur; quarum vnam exempli gratiâ placet ſubijcere. Iuſtinianus omnibus Epiſcopis & Presbyteris interdixit, h *Ne quempiam à ſacra communione priùs ſegregent, quàm cauſa monſtretur, quamobrem Eccleſiaſtici hoc Canones fieri iubent. Si quis autem contra hæc à ſancta communione aliquem ſeparauerit, ille quidem qui iniuſtè à communione ſeparatus fuit, reſolutâ ſeparatione per maiorem Sacerdotem, ſanctâ dignus habeatur communione. Is verò, qui iniuſtè aliquem à ſancta ſeparare communione auſus fuit, omnibus modis per Sacerdotem, ſub quo collocatur, à communione ſeparabitur quantocunque tempore illi viſum erit, vt quod iniuſtè alij fecit, ipſe iuſtè ſuſtineat.*

h Nouel. Conſtit.123.

Denique Principum eſt, *contumaces ac delinquentes gladio ciuili coercere*, vt noſtra veriſſimè docet i Eccleſia. Vbi, vt illud obiter addam, ſignanter dictum eſt, *gladio ciuili*; quia Rex gladium geſtat non ſpiritualem, ſed ciuilem. Gladium ſpiritualem ſtringere eſt Epiſcoporum, non Regum, quanquam & hîc, licèt Epiſcoporum manu, piorum tamen Regum ſancto monitu & euaginari, & in vaginam recondi ſolet. Vbi autem Epiſcopus ſpirituali gladio animum hominis perculit, vlteriùs ad corpus, vel fortunas progredi non valet, verùm hîc ſe exerit ciuilis gladius. Nam vt Ioſias omnes in Iſraële repertos k *compulit adſeruiendum Domino*, ita quilibet Rex ſubditos ſuos, etiam Eccleſiaſticos, ad vtriuſque tabulæ officia præſtanda poteſt cogere, & vniuerſos, qui Eccleſiam non audient, gladio ciuili debet compeſcere, pœnáſque illis temporales (quales ſunt mulcta pecuniaria, incarceratio, exilium, mors) pro qualitate delicti infligere. Quando Paulus Samoſatenus in Concilio Antiocheno abſtentus atque depoſitus, Eccleſiam nihiloſeciùs, & Cathedram adhuc vi & armis retineret, Patres Antiocheni probè

6

i Art.37.

k 2.Chro.34.33

 intelligen-

intelligentes non licere ſibi authoritate Epiſcopali vlteriùs progredi, [l] Aureliani Imperatoris auxilium implorabant, cuius demum mandato ab Eccleſiæ poſſeſſione vi & armis eiectus eſt.

[l] Euſeb. hiſt. eccl. l. 7. c. 24.

7 Phil. Si hæc duo iuriſdictionum genera tanto à ſe inuicem diſiungantur interuallo, quomodò fieri poteſt vt Epiſcopalis à Regali oriatur, & fluat?

Orth. Duo hîc ſpectanda; ſcilicet materia, id eſt, cauſæ in Epiſcoporum Conſiſtorijs tractandæ; & ſententias ſuas ſtabiliendi formalis ratio. Cauſæ ad hæc fora Eccleſiaſtica propriè ac originaliter ſpectantes, ſunt illæ ſolæ quæ propriè, & ex origine ſua ſunt Eccleſiaſticæ. Forma, ſeu ratio eorum ſententias ſtabiliendi, & ratas faciendi non ſita eſt in mulctis pecuniarijs, ſeu pœnis corporalibus, aut ciuilibus, ſed in cenſuris ſpiritualibus irrogandis, & diſpenſandis. Cæterùm Iuriſdictio Epiſcopalis Chriſtianorum Principum gratiâ & indulgentiâ magnum ſanè vtroque reſpectu accepit incrementum. Quoad materiam, ſiue cauſas, Conſtantinus Magnus, teſte [m] Nicephoro, Clericis in iudicium vocatis poteſtatem dedit, ſi modò animum inducerent Magiſtratus ciuiles reijcere, ad Epiſcoporum Iudicia prouocandi, atque eorum, quam ferrent ſententiam ratam ac firmam eſſe iuſſit, atque aliorum Iudicum ſententijs plus habere authoritatis ſeu ponderis, ac perindè haberi, ac ſi ab ipſo Imperatore in perſona propria fuiſſent prolatæ, vt ex [n] Sozomeno promptum eſt colligere. Hinc factum eſt, vt quàm plurimæ cauſæ ciuiles ad Epiſcoporum cognitionem perducerentur, & apud eorum tribunal in foro Eccleſiaſtico ventilarentur. Quicquid autem poteſtatis ſeu authoritatis in huiuſmodi cauſis ciuilibus habent Epiſcopi, id à ſola Regum gratia & indulgentia, tanquam à fonte fluit.

[m] Niceph. l. 2. c. 46.

[n] Sozom. l. 1. c. 9

8 Iam vt de forma agamus, quamuis Epiſcopus, quatenus eſt Epiſcopus, gladium tantummodo ſtringat ſpiritualem, expedit tamen aliquando, vt ciuilis quædam pœnis temporalibus externè cogendi, ſeu coercendi poteſtas ordini annectatur Epiſcopali; idque duas potiſſimùm ob cauſas. Primò, ob honorem Sacerdotij; nempe vt Epiſcopi apud populum maiori ſint in pretio. Secundò, vt cenſuræ eorum ſpirituales maiorem delinquentibus terrorem poſſint incutere, neque vt inania terriculamenta contemnantur. Hæc autem poteſtas coactiua, quæ pœnas irrogat temporales, quanta quanta eſt, à Rege tota eſt. Nam vt Dominus quicquid eſt cœleſtis lucis, illud omne in corpus ſolare compegit, ac conglobauit, vt indè in lunam & ſtellas tranſmitti poſſet: ita quicquid eſt ciuilis atque coactiuæ poteſtatis, illud omne perſonæ Principis indidit, vt indè, tanquam à ſole quodam ſublunari, omnes inferiores lampades ſuum lumen mutuentur.

9 Verùm ſi de illa Epiſcopali iuriſdictione ſermo inſtituatur, quæ verè eſt Epiſcopalis, merè ſpiritualis, (qualis eſt excommuni-

candi poteſtas) huiuſce fons immediatus eſt ipſe Deus; prout Rex noſter, doctiſſimus, & religioſiſſimus regali calamo toti terrarum orbi profitetur, his verbis: [o] *Epiſcopos eſſe in Eccleſia debere, tanquam inſtitutionem Apoſtolicam, ac ordinationem proindè diuinam, ſemper ſenſi contra Puritanos, contráque Bellarminum, qui negat Epiſcopos à Deo immediatè ſuam iuriſdictionem accepiſſe.* Si Maieſtas Regia contrà ſentiat, ac Bellarminus, qui partem tuetur negatiuam, certè hanc affirmatiuam amplectitur eius ſerenitas, nempe Epiſcopos iuriſdictionem ſuam (merè ſpiritualem) immediatè à Deo accipere: quod eſt veriſſimum. Cæterùm, quum hæc iuriſdictio in Dominijs regijs, erga Regis ſubditos, ſub religioſi Regis nutu, Imperio, atque præſidio, iuxta Canones atque Statuta, Regiâ authoritate ſancita, exerceatur, nihil obſtat, quin hæc Conſiſtoria dicantur Regis Eccleſiaſtica fora, itidémque Archiepiſcopi, atque Epiſcopi, qui ibidem præſident ac iudicant, Regiæ Maieſtatis Iudices Eccleſiaſtici. Quamobrem licèt hæc poteſtas merè ſpiritualis, ratione ſui ſit immediatè à Deo, hoc tamen modo & ſenſu dici poteſt etiam à Rege ad nos dimanare. Eſt igitur à Chriſto, tanquam ab authore conferente, à Rege tanquam à permittente, dirigente, ſanciente, promouente, atque protegente.

[o] Præfatio Monit. p. 54.

Phil. Si iuriſdictio merè ſpiritualis à Chriſto immediatè fluat, quando, & quomodò à Chriſto ad Epiſcopos veſtros deriuatur? 10

Orth. [p] *Quà, & unde Epiſcopi ſunt, iuriſdictionem habent.* Sunt autem Epiſcopi per conſecrationem; ergò dum conſecrantur, iuriſdictionem accipiunt. Namque perſona conſecranda Archiepiſcopo à duobus Epiſcopis præſentatur ſub hac formula: [q] *Reuerendiſſime in Deo Pater, præſentamus tibi hunc pium & eruditum virum, vt conſecretur in Epiſcopum.* In quâ formula hæc vox *Epiſcopus*, vſitato & Eccleſiaſtico ſenſu, Titum vel Timotheum, Eccleſiæ ſtellam, ſeu Angelum denotat. Paulò pòſt Archiepiſcopus, (atque vnà reliqui præſentes Epiſcopi) manus imponit, dicens, *Accipe Spiritum ſanctum*, id eſt, iſtiuſmodi ſanctam & ſpiritualem poteſtatem, ſeu Spiritus ſancti gratiam, qualis ad hoc requiritur, vt quis ex Presbytero fiat Epiſcopus. Quare his verbis nouo Epiſcopo exhibetur quicquid ad officium Epiſcopale ſpectat; vt precationes hanc manuum impoſitionem tum antecedentes, tum conſequentes manifeſtum faciunt. In quibus Dominum humiliter rogamus, *vt ſuam benedictionem & gratiam huic largiri dignetur, quò munus Epiſcopale ritè exequi, in eodem fideliter ſeruire Domino, & diſciplinam miniſtrare poſſit.* Ecce tibi Eccleſia Anglicana non modò munus miniſteriale in genere, ſed etiam diſciplinæ adminiſtrationem in ſpecie, id eſt, iuriſdictionis poteſtatem, mediante conſecratione, tribuit.

[p] Lancel. Elienſ. in reſp. ad apol. Bell. cap.

[q] Ordinale Anglic.

Phil. Si in conſecratione detur Epiſcopali, quomodò igitur immediatè à Deo? 11

ORTH. Quæſtioni tuæ mox ſatisfaciam, modò interroganti mihi pauca reſpondeas. Primò, igitur hoc mihi expedias velim, vndenam ſit poteſtas ordinis?

[r] Bell.de Rom. pont.l.4.c.25.

PHIL. [r] *Confertur immediatè à Deo, quia requirit characterem, & gratiam, quam ſolus Deus efficere poteſt.*

ORTH. Nónne datur cum manuum impoſitione?

PHIL. Quamuis cum impoſitione manuum detur ordo, ordinem tamen (ſi propriè loquamur) nec dat, qui manus imponit, nec ipſa manuum impoſitio, ſed ſolus Deus ad impoſitionem manuum.

[s] Ambr. de dign. ſacerdot. c. 5.

In hanc ſententiam pulchrè Ambroſius, [s] *Quis dat (frater) Epiſcopalem gratiam? Deus, an homo? Reſpondes, ſine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam; Sacerdos imponit ſupplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextrâ.*

ORTH. Secundo loco percontor vndenam ſit baptiſmi gratia?

PHIL. Hæc quoque proculdubio eſt immediatè è Deo.

ORTH. Quæro denique quiſnam fidem accendat, dum prædicatur Euangelium?

PHIL. Certè ſolus Deus immediatè illuminat, ac aperit corda.

ORTH. In his tamen omnibus hominis vtitur miniſterio.

PHIL. Verum eſt.

ORTH. Gratia igitur à Deo immediatè dari poteſt, licèt in ea danda hominis vtatur miniſterio. Siquidem in huiuſmodi locutionibus vox *immediatè* non intelligitur, quaſi omnia media & inſtrumenta ſimpliciter, & abſolutè excludens, ſed tantummodo vt propriam Dei actionem ab inſtrumenti actione diſtinguens. Cùm filij Iſraelis ab ignitis ſerpentibus icti eſſent, Deus ad ſanandos eos vſus eſt ſerpente æneo, ſanandi tamen virtus non à ſerpente

[t] Sapient. 16.7.

æneo, ſed à Deo immediatè profluxit. [t] *Qui aduertebat ad illud* (ſymbolum) *non per illud ſeruatus eſt, quod videbat, ſed per te Seruatorem omnium.* Eodem planè modo licèt Deus in hac ſpirituali poteſtate diſpenſandâ humanâ vtatur operâ, ipſa tamen poteſtas non ab hominibus, ſed immediatè à Deo dimanat. Cui ſententiæ (ni fallor) accedit [u] Salmeron Ieſuita. Nam vbì ſanctus Paulus inter dona Eccleſiæ collata [x] *gubernationes* nominat, & Sanctus Petrus dicit: [y] *Si quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex viribus, quas ſuppeditauit Deus:* Salmeron licèt iuriſdictionem, quatenus in actum reducitur, à Pontifice deriuare contendat, quatenus tamen in ſe conſideratur, vi veritatis victus in hæc verba erumpit: [a] *Miniſtrationes quoque Domino aſcribuntur à Petro, ſicut & gubernationes à Paulo, quia quicquid eſt ſupernaturale in miniſterio, & gubernatione, Deus per ſe fecit. Id autem, ad quod creatura poteſt concurrere, ſinit eam agere, etſi ipſe præcipuè id operetur. Gratia igitur gratis data miniſtrandi & gubernandi à Deo eſt immediatè.* Et rurſus; *Si ſumatur gratia pro gratis data gubernandi, & miniſtrandi iuriſdictionem, vt ſumunt Petrus & Paulus,*

[u] Salm. tom. 12. tract. 67. p. 473.
[x] 1. Cor. 12. 28.
[y] 1. Pet. 4. 11.
[a] Tract. 69. p. 496.

procul-

proculdubio donum eſt, quod ab homine procedere non poteſt. Quocirca S. Paulus, cùm commonefacit Timotheũ, vt [a] *exuſcitet* gratiam, quæ in illo *eſt per impoſitionem manuum*, non intelligit, interprete Salmerone, ſolius ordinis gratiam, ſed iuriſdictionis etiam. Et ſanctus [b] Ambroſius, cùm dicit, *Deum largiri gratiam*, omnem gratiam Epiſcopalem ſignificat. Quis enim Eccleſiæ Paſtoribus gratiam dare poteſt, niſi ſolus Deus gratioſus, qui Eccleſiæ ſuæ Paſtores excitat, & familiæ ſuæ œconomos ſtatuit? Salmeroni licet adiungere Henricum Gandauenſem, affirmantem, *Epiſcopos poteſtatem ſuam, tam ordinis quàm iuriſdictionis, immediatè à Chriſto accipere:* Et prætereà Gottifridum de fontibus, & Iohannem à Poliaco, à Salmerone citatos; quorum opiniones immeritò ſugillat, cùm ipſi idem, ſi rem ipſam ſpectemus, paulò ante aſſeruerint. Sed de tota hac quæſtione luculenter ſanè loquitur Academia Pariſienſis, his verbis [c]: *Dicere inferiorum Prælatorum poteſtatem iuriſdictionis, ſiue ſint Epiſcopi, ſiue curati, eſſe immediatè à Deo, Euangelicæ & Apoſtolicæ conſonat veritati.* Porrò hæc illuſtris Academia quendam Iohannem Sarazim contraria docentem ad Palinodiam adegit.

[a] 2. *Tim.* 1. 6.
[b] *De Dignit. Sacerdot. cap.* 5.
[c] *Decr. ſacr. facul. theolog. Pariſ. prop.* 6.

Phil. Si iuriſdictio ad impoſitionem manuum immediatè daretur à Deo, in omnibus Epiſcopis eſſet æqualis. 12

Orth. Ipſa poteſtas, quæ à Deo eſt, in omnibus par eſt, & æqualis, licèt eiuſdem determinatio, quæ ab hominibus eſt, impar ſit, & inæqualis. Epiſcopus ad aliam ſedem tranſiens poteſtatem iuriſdictionis habitualem, quâ priùs gaudebat, non amittit, vt neque Sol lumen ſuum, quum ad alterum tranſit hemiſphærium. Cùm Epiſcopus à ſede minoris ambitus ad ampliorem transfertur, maiorem poteſtatem non acquirit, ſed ampliorem materiam ſubiectam, in quam priorem ſuam poteſtatem exerceat. Similiter Epiſcopus depoſitus, & gradu deiectus, non dicendus eſt priſtinâ ſuâ poteſtate ſimpliciter & abſolutè priuatus, ſed materia ſubtrahitur, in quam poteſtas illa operari poſſit. Hanc Alphonſi, ac aliorum eſſe ſententiam fatetur Franciſcus [d] Vargas, quam & ipſe amplectitur. Idem penitùs ſtatuit Cardinalis Cuſanus: [e] *Omnes* (inquit) *Epiſcopi ſunt æquales quoad iuriſdictionem, ſed non quoad executionem: quod quidem exercitium executionum ſub certis terminis poſitiuis clauditur, & reſtringitur propter melius.*

[d] *Franc. Varg. de epiſ. iuriſd. pag.* 116.
[e] *Cuſan. de concord. l.* 2. *c.* 13.

Digitized by Google

Cap. II.

Epiſcoporum iuriſdictionem ſuperiori capite traditam oppugnat Champnæus.

Quatenus eſt
- *à Principe, hic*
  - *Primò diſputat à diſtributione, quæ per partes expenditur.* 1
  - *Secundò, cōtradictionē ſomniat inter iuramētum, & doctrinam; agens*
    - *primò, de iuramento*
      - *ſancito, quod exponit ex Statuto & Iniunctionibus.* 2
      - *ſuſcepto à noſtris Epiſcopis.* 3
    - *ſecundò, de doctrina ex*
      - *Religionis articulis.* 4
      - *Epiſcopis*
        - *Elienſi.* 5
        - *Landauenſi.* 6
  - *Tertiò, corollaria hinc deducit, ſed valdè inſipida.* 7
- *à Chriſto, hic*
  - *fundamenta ponit, ſed arenoſa.* 8
  - *Argumenta ſuperſtruit, ſed infirma.* 9

Phil.

a Champ.p.746. *Maſonus a, vt ſuperintendentibus ſuis dignitatem Epiſcopalem ſartam tectam conſeruet, bipartitam illis confingit iuriſdictionem, partim à Chriſto, partim verò à Principe receptam. Quam verò partem à Principe recipiant, neque ille declarat, neque facile eſt vel ex illius, vel cæterorum collegarum ſuorum doctrina, vel etiam aliunde expiſcari.*

Orth. Immò explicatè ſatis, & enucleatè hanc ipſam depinxit. Conſulantur verba, & penes Lectorem iudicium eſto.

b Ibid. Phil. b *Illam à Principe iuriſdictionem recipere nequeunt, quam ipſe non habet, vt per ſe clarum eſt. Sed Princeps non habet illam iuriſdictionis partem, quam internam vocant, & in adminiſtratione Verbi & Sacramentorum conſiſtit, vt in fidei ſuæ articulis expreſſè profitentur, dicentes Verbi diuini & Sacramentorum adminiſtrationem Principi non concedimus.*

Orth. Hæc omnia ſunt clariſſima.

c Champ.p.747. Phil. c *Neque externam coercitiuam habet, quæ præcipuè in cenſuris excommu-*

excommunicationis, ſuſpenſionis, & ſimilium infligendis conſiſtit. Nam Maſonus ex Elienſi, in Tortura Torti oſtendit, quòd Princeps huiuſmodi poteſtatem non habet. Nos (inquit ille) Principi cenſuræ poteſtatem non facimus. Et [d] *Carletonus, Proteſtanticæ etiam reformationis Profeſſor, qui librum de iuriſdictione edidit, idem clariſſimis verbis, inferiùs referendis, expreſſè docet.* [d] De Juriſd. p. 9. & 10.

O r t h. Hoc nos omnes vno quaſi ore agnoſcimus.

P h i l. [e] *Neque tandem habet illam iuriſdictionis partem, quæ directiua dicitur, quæ eſt poteſtas condendi Canones & Conſtitutiones, ad curam & regimen animarum & Sacramentorum rectam adminiſtrationem ſpectantes. Iſta enim poteſtas merè eſt Spiritualis, ſicut ſunt Sacramenta, ad quorum debitam ordinationem præcipuè ordinatur, ac proinde Principi ex doctrina Proteſtantium competere non poteſt. Nam, præter articulum profeſſionis ſuæ iam citatum, docent, Omnem ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ tribuimus. Ita* [f] *Carletonus, qui addit, ſpirituale* [g] *Eccleſiæ regimen ſpiritualibus committitur rectoribus. Primò, à Chriſto duodecim Apoſtolis traditur, ab ipſis, ad Epiſcopos & Paſtores eorũ ſucceſſores deſcendit.* Et iterùm: [h] *Quod ad ſpirituale Eccleſiæ iuriſdictionem attinet, quæ in diſcuſſione controuerſiarũ in materia fidei, in iudicandis ſeu condemnandis hæreſibus, deponendis hæreticis, excommunicandis notorijs & obſtinatis tranſgreſſoribus, in Sacerdotibus & Diaconis ordinandis, inſtituendis, & conferendis beneficijs, & curis ſpiritualibus, &c. conſiſtit, eam integram Eccleſiæ reſeruamus, quam Principes neque dare, neque auferre Eccleſiæ poſſunt. Et, vt miniſtri illius dictum (ne fortè ab omnibus ſuis non recipiatur,) euidenti ratione confirmemus; ſi Princeps ſpiritualem hanc directiuam iuriſdictionem haberet, haberet etiam & coercitiuam, & cenſuras infligere poſſet; iſta enim ab alia procedit, & vt efficax ſit neceſſariò eam conſequitur: ſed hanc iuriſdictionis partem Principi non conuenire iam ex ipſorum doctrina oſtendimus. Ergo neque altera ei competere poteſt.* [e] Champ. quo ſupra. [f] Pag. 4. [g] P. 5. 6. [h] Pag. 9.

O r t h. Canones ſanctos, & Eccleſiæ ſalutares condere eſt Epiſcoporum; ſed Canonibus legum vim & pondus adijcere, eſt Regum, & Imperatorum.

P h i l. [i] *Quam igitur iuriſdictionis partem, vel ſpeciem Epiſcopi & Paſtores Eccleſiæ à Principe temporali, etiam iuxta Proteſtantium doctrinam, recipere poſſunt, neque Maſonus, neque quiſquam alius monſtrare poteſt.* Hucuſque Champnæus in editione Latina. Verùm in [k] Anglicana hæc adiungit: *Ac proinde eiuſdem Maſoni de ſpirituali iuriſdictione doctrina, (nam de ſpirituali loquitur) à Principe ex parte accepta, eſt manifeſtè falſa.* [i] Ibid. [k] Pag. 314.

O r t h. Immò tu falleris, Philodoxe. Champnæus enim tibi fucum fecit, perinde loquens, ac ſi Maſonus iuriſdictionem Epiſcoporum ſpiritualem primò in duas ſpecies, aut partes ſeparatas diſtribuiſſet, deinde hanc à Principe, illam à Chriſto deriuaſſet; quod calumnioſè dictum eſt. Maſonus enim eo loci non diuidit iuriſdictionem ſpiritualem, ſed Epiſcoporum iuriſdictionem in genere,

Digitized by Google

genere, quam partim à Principe, partim à Chriſto deducit.

PHIL. Quaſi verò omnis Epiſcoporum iuriſdictio non ſit ſpiritualis.

ORTH. Non eſt eo ſenſu, quo ipſe loquitur. Etenim Epiſcoporum iuriſdictionem appellat, quam exercent Epiſcopi; ea verò partim eſt ciuilis, partim ſpiritualis; Ciuilis quæ verſatur in cauſis ciuilibus tractandis, & pœnis ciuilibus infligendis. Nam Conſtantini Magni indulgentiâ, etiam ciuiles cauſas ad tribunalia Epiſcopalia eſſe delatas, Nicephori & Sozomeni dilucidis probauit teſtimonijs. Quod Conſtantini exemplum & alij quoque per Orbem Chriſtianum Principes paſſim ſunt imitati. Hæc igitur ciuilis Epiſcoporum iuriſdictio, velis nolis, tota eſt à Principe: reliqua verè & merè ſpiritualis (qualis verbi gratiâ eſt excommunicandi poteſtas) bifariam à Maſono conſideratur: vel ratione ſui, & ſic à Chriſto immediatè profluit, & non à Principe: vel ratione quarundam circumſtantiarum, quæ requiruntur, vt in praxin reducatur, quarum determinatio quoniam in Regno Chriſtiano pendet à Principe, earum reſpectu dici poteſt quodammodò à Principe promanare. Hæc eſt Maſoni ſententia vera, clara, liquida.

[a] Champ. p. 750. PHIL. [a] *Hoc nimis ineptum eſt, vt à quoquam cordato dicatur. Nam neque in legitima Principis poteſtate ſitum eſt prædicatoribus & Eccleſiæ paſtoribus munerum ſuorum exercitium prohibere, neque eſt eorum conceſſio neceſſaria ad legitimam & validam Verbi diuini & Sacramentorum adminiſtrationem, vt ex prima Chriſtianæ Religionis in Orbe plantatione conſtat, quæ non ſolùm abſque tali conceſſione, vt plurimùm, fiebat, ſed etiam expreſſè contra illam, vt ſacra Scriptura teſtatur; & clarius eſt quàm vt probatione egeat, etiam ex Proteſtantium praxi, qui abſque tali conceſſione Principum, nouum ſuum Euangelium vbique diſſeminant.*

ORTH. Non eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria, (illud enim tuum euincit argumentum) eſt tamen neceſſaria ſuo modo & gradu, non quidem vt prædicetur Euangelium, vel vt exerceatur iuriſdictio ſpiritualis, ſed vt hæc meliùs & fructuoſiùs fiant. Tunc enim florentiſſima eſt Eccleſia, cum in gratiam Euangelij & gladij ſpiritualis diſtringitur ac euaginatur temporalis.

2 PHIL. [b] *Antequam ad aliam doctrinæ ſuæ partem, quæ docet reliquum*
[b] Champ. p. 751. *iuriſdictionis Epiſcopalis à Chriſto recipi, diſcutiendam accedamus, ſummam Pſeudoepiſcoporum Angliæ, tam in Deum, quàm Principem ſuum & rempublicam, impietatem, lectorem aduertere, & deteſtari velim.*

ORTH. Vel potiùs monendus eſt lector, quàm impiè ſe gerat Champnæus in patriam, in Principem, in Eccleſiam Dei.

[c] P. 751. PHIL. [c] *Primò, iuramento, quo ſupremum Eccleſiæ in Anglia Imperium in omnibus rebus & cauſis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus Principi attribuitur, non conſenſerunt modò, ſed etiam eius inſtitutionem ſuaſerunt. Talique rigore in primis generalibus ſub Elizabetha habitis Comitijs decretum eſt illud iuramentum, vt qui ſemel illud reſpuere, legis*

de

Digitized by Google

de Præmunire reus eſſet, hoc eſt, bona ſua omnia amitteret, & carceres perpetuos ſubiret: qui verò ſecundò illud recuſaret, læſæ Maieſtatis reus haberetur. Alteri etiam Statuto in eiſdem Comitijs ſtabilito conſenſerunt, cuius tenor eſt huiuſmodi. Iuriſdictiones, priuilegia, ſuperioritates, & præeminentiæ ſpirituales, quæ hactenus per poteſtatem vllam ſpiritualem vſurpatæ fuerunt, vel legitimè vſurpari poſſunt, ad ſtatum vel perſonas Eccleſiaſticas viſitandas, reformandas, in ordinem reducendas, & corrigendas, atque etiam omnes omnis generis errores, hæreſes, ſchiſmata, abuſus, offenſas, contemptus, & enormitates tollendas & corrigendas, Imperiali huius Regni coronæ in perpetuum erunt vnita, ſeu coniuncta, &c. Hâc lege amplitudo, ſeu extenſio poteſtatis, Principi in iuramento præfato conceſſa, ex parte declaratur, & idem eſt in rei ſubſtantia illud iuramentum cum illo, quod ſub Henrico octauo anno viceſimo ſexto illius Regni, Ordinum etiam decreto editum fuit, iſto tenore, vt Poultonus illud refert. Rex cenſebitur & reputabitur ſolùm ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ in terris Caput, & omnes errores, hæreſes, & abuſus in eadem corrigendi poteſtatem habebit.

[a] *Porrò omnes noui Superintendentes, præfatum iuramentum in proprijs perſonis ſuſceperunt, atque adeò tanquam legitimum, approbârunt. Quo factum eſt, vt Princeps omnes ſuos ſubditos ad illud ſuſcipiendum magno cum rigore coegerit. His tamen non obſtantibus, Principem talem poteſtatem & Iuriſdictionem non habere, qualis in præfato iuramento & Ordinum Statuto illi tribuitur, libris impreſſis vbique docent.* 3 [a] P. 753.

ORTH. Ecquis noſtrum hoc docet? Quid hoc eſt aliud, quàm egregiè & ſplendidè mentiri? 4

PHIL. [b] *Totus Angliæ clerus Proteſtanticus in fidei ſuæ profeſſione, Anno 1561. edita, ita loquitur: Verbi Diuini & Sacramentorum adminiſtrationem Principi non concedimus.* [b] Ibid.

ORTH. Nihil aut veriùs, aut liquidiùs dici potuit. Sed quid hinc elicies? Scilicet doctrinam noſtram iuramento & Statuto repugnare. O acumen hominis!

PHIL. [c] *Sed quare huiuſmodi authoritatem Principi negant, cùm expreſſè iurent, quod ſit ſupremus Rector, vel Caput Eccleſiæ, in omnibus rebus & cauſis ſpiritualibus? Verbi Diuini & Sacramentorum adminiſtratio nonne eſt res ſpiritualis? Hoc certè negare non audent. Debet igitur Princeps illius eſſe ſupremus Adminiſtrator & Caput, ſi iuramentum præfatum verum ſit ac legitimum.* [c] Ibid.

ORTH. Adminiſtrator, & Caput? Quaſi hæc idem ſonarent. Caput quidem erit, id eſt, ſupremus Gubernator, etiam in rebus ſpiritualibus, non tamen Adminiſtrator. Externum enim duntaxat Regimen Regi à Deo eſt demandatum, Verbi & Sacramentorum adminiſtratio non Regibus, ſed Sacerdotibus à Domino cœlitùs eſt conceſſa.

PHIL. [d] *Supremus cuiuſcunque poteſtatis Adminiſtrator, & Rector* [d] Champ. p. 754.

poteſt omnem actum eiuſdem poteſtatis per ſeipſum exercere, quem per alios implere poteſt.

Orth. Hîc quoque (mî homo) res à ſe longè diſſitas imperitè coniungis, quaſi idem eſſent Adminiſtrator, & Rector. Deinde Verbum & Sacramenta adminiſtrandi poteſtas dupliciter dicitur. Aliquando enim ſignificat authoritatem illam internam, in ordinatione acceptam, à qua, tanquam à cauſa, actiones miniſteriales habent; vt ſint ratæ ac validæ; & hanc Principes ſeculares nec ipſi habent, nec exercere, vel conferre poſſunt: aliquando externam tantùm facultatem, ſeu licentiam munus miniſteriale legitimâ ordinatione collatum exequendi denotat; & hanc Reges miniſtris doctis & pijs conferre & poſſunt, & debent, vt Auguſtino Ethelbertus: ſed non inde ſequitur, poſſe in perſonis proprijs Verbum & Sacramenta adminiſtrare.

a Ibid. Phil. [a] *Chriſtus Dominus, ſupremum Eccleſiæ Caput, potuit per ſeipſum omnes illas Eccleſiaſticas actiones exercere, quarum poteſtatem alijs tradidit.*

Orth. Rectiſſimè. Quam enim Apoſtolis prædicandi, baptizandi, ordinandi, Euchariſtiam miniſtrandi conceſſit poteſtatem, ea, quanta quanta erat, ab ipſo ſolo originem duxit; ſed quid hoc ad Principem ſecularem?

b Ibid. Phil. [b] *Idem etiam dicendum eſt de Papa.*

Orth. Eſto; & de quouis Epiſcopo. Sed quid hoc ad inſtitutum?

c Ibid. Phil. [c] *Et Rex quiuis poteſt etiam per ſeipſum (ſi lubeat) omnes & ſingulas actiones ciuiles facere; quas Magiſtratus ſui, per authoritatem ab eo receptam, præſtare queunt.*

Orth. Quid ni? Eſt enim omnis ciuilis poteſtatis, iuxta Deum, ſcaturigo; ac proinde quam alijs communicat his in rebus, ſi quando viſum ſit, in propria perſona exequi poteſt.

d Ibidem. Phil. [d] *Ergo poteſt etiam Princeps, ſi ſupremus ſit Eccleſiæ Rector & Caput, Verbum & Sacramenta per ſe adminiſtrare.*

Orth. Toto cœlo erras. Nam hæc adminiſtratio poteſtatem efflagitat internam in ordinatione acceptam: Rex autem regit Eccleſiam regimine duntaxat externo.

e Cham. c. 757. f Edit. Anglic. p. 145. Phil. [e] *Dicit [f] Maſonus Regalem Iuriſdictionem, non in Miniſteriali poteſtate, ſed in ſuprema Imperiali authoritate conſiſtere, hoc eſt, Regiam dignitatem non decere actiones tales per ſe exercere, ſed per alios faciendas imperare. Miſerrimum effugium, & Chriſtianis auribus horrendum: quandoquidem Chriſtus Dominus, Rex Regum, adminiſtrationem, quam alijs exercendam tradidit, ipſemet perficere non dedignatus eſt.*

Orth. Maſonus, cùm dixiſſet Eccleſiam Anglicanam hæc

Sacro-

Sacro-ſancta (excommunicandi & abſoluendi) munera perſonæ Principis non tribuere, neque Reges, aut Reginas noſtras hæc vnquam exercuiſſe: huius dicti hanc reddit rationem: *Nam iuriſdictio Regia non ſita eſt in poteſtate Sacerdotali, aut in perſonali iſtiuſmodi rerum executione, ſed in externa quadam authoritate, ſuprema illa quidem, quæ in imperando cernitur*; Quaſi dicat, Eccleſia Anglicana hæc ideo Regi non adſcribit, quia ad munus Regium nõ ſpectant, quippe quòd in perſonali harum rerum præſtatione nullo modo ſitum eſt. Quid? An hæc verba munus miniſteriale Regio ſplendore indignum eſſe innuunt, vt calumniatur Champnæus? Minimè verò, ſed vtriuſque iuriſdictionis poteſtates rectiſſimè diſcriminant. Quis autem neſcit hæc duo munera, licèt valdè inter ſe diſtincta & diſſita, aliquando tamen in vna perſona concurriſſe? Heli erat ſupremus Iſraelis Iudex, & tamen ſummus Pontifex. Melchiſedech erat Rex, & Regio tamen ſplendore non obſtante, erat Dei altiſſimi Sacerdos. Sed quò dilapſus es, Champnæe? Inſtituiſti de neſcio quibus ſacrilegijs & periurijs noſtris loqui; & cõtradictiones noſtras, quibus inuoluimur, te patefacturũ interminatus es, à te tamen adhuc, præter magnum hiatum, nihil accepimus.

PHIL. [a] *Non magis concordare videtur huius articuli doctrina & iuramentum prædictum, iuxta naturalem verborum ſonum & intellectum, quàm iſta duo, Princeps eſt ſupremus Rector & Caput Eccleſiæ in omnibus rebus & cauſis ſpiritualibus, non eſt Princeps ſupremus Rector & Caput Eccleſiæ in omnibus rebus & cauſis ſpiritualibus: quorum primum idem eſt cum iuramento, poſterius verò idem, vel æquiualens cum profeſſionis ſuæ articulo; ſunt tamen directè contradictoria, ac propterea alterum illorum neceſſariò falſum.* [a] Champ. ibid.

ORTH. Egregiè hîc fallitur Doctor Sorbonicus. Nam articulus qui Verbi & Sacramentorum miniſterium Principi negat, Champneanæ propoſitioni, quæ Principem in cauſis Eccleſiaſticis ſummum eſſe Gubernatorem negat, nõ æquipollet, cum articulus ſit veriſſimus; propoſitio autem Champnæana falſiſſima. Sed huius doctorculi me pudet, pigétque, qui iuramenti verum ſcopum & genuinum ſenſum aut non aſſecutus, aut vltro tacens, falſum & fictitium ex Pontificiorum officina deprompſit, quò contra Regem ſuum, Orbis Chriſtiani delicias, debacchari liberiùs & deſpumare ſua poſſet opprobria.

PHIL. Probabo doctrinam veſtram iuramento directè aduerſari: [b] *Primum Lancelotus, dictus Epiſcopus Elienſis, inter Proteſtantes propter doctrinam ſuam nominatiſſimus, & nulli eorum ſecundus, in libro quem contra Matthæum Tortum, iuſſu ſereniſſimi Iacobi Regis, vt dicitur, ac proinde non abſque publica approbatione edidit, ita ait: Nos Principi cenſuræ poteſtatem non facimus: ergo neque ſupremam iuriſdictionis poteſtatem illi conceditis. Cenſuræ enim poteſtas, eſt poteſtas iuriſdictionis, vt omnes norunt. Idcirco vel iniuriam illi facitis, denegantes illi hanc poteſtatem, vel certè peieratis, cùm ſub* 5 [b] Champ. p. 758.

iureiurando profitemini illum intra dominiorum ſuorum limites ſupremum Eccleſiæ eſſe Rectorem & Caput, in rebus omnibus, tam ſpiritualibus, quàm temporalibus.

ORTH. Ex verbis Epiſcopi, quem iure laudas, neque hoc neque illud ſequitur. Primatus enim Principis, quoad ſpiritualia, non poſitus eſt in cenſuris diſplodendis, quæ à clauibus pendent, ac proinde ad Regem non pertinent, ideóque ſine vlla iniuria Regi denegari poſſunt, ſed in imperando, vt omnia ritè ab ijs fiant, quibus hanc Prouinciam demandauit Dominus. Quare Regem ſummum etiam in his rebus eſſe Gubernatorem ſine periurio affirmare poſſumus.

6 PHIL. [a] *Sed hoc multò clariùs conſtat ex Carletono, authore etiam Proteſtante, qui integrum librum de iuriſdictione ſcripſit, edidit, & Archiepiſcopo Cantuarienſi dedicauit; in quo, præter plura alia, iſta habet:* [b] *Patres pro ſpirituali Eccleſiæ iuriſdictione ſuper Principes, quam non negamus, ſcripſerunt. Sic ille. Quomodò ergo, abſque manifeſto periurio, iurare poteſtis, Principes ſupremos eſſe Rectores, & Capita Eccleſiæ in omnibus rebus & cauſis ſpiritualibus? Quomodo poteſt Eccleſia iuriſdictionem ſpiritualem ſuper Principes habere, & tamen Principes eſſe ſupremi Rectores Eccleſiæ in rebus ſpiritualibus? Si iſta contraria non ſint, nulla ſunt contraria.*

[a] Champ. p. 759.
[b] In admonit. ad lect.

ORTH. Quæ ex Reuerendo Patre Georgio, nuper Landauenſi, nunc Ciceſtrenſi adducis, nec iuramento, nec Stylo Regio repugnant. Ponamus enim ſpiritualem Epiſcoporum iuriſdictionem, etiam ad Principes coercendos ſe porrigere: Liceat Ambroſio Theodoſium ab ingreſſu Eccleſiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptione tantiſper prohibere, donec publicam pro cæde Theſſalonicenſium peregerit pœnitentiam. Demittat ſe Theodoſius, & Eccleſiæ diſciplinæ ſe ſubijciat. Hæc tamen omnia non impediunt, quin Theodoſius ſit ſupremus Eccleſiæ Gubernator, etiam tum cùm ſe humi poſternit, etiam tum cùm anima eius pauimento adhæret. Suprema enim Gubernatio non ſita eſt in immunitate à diſciplina Eccleſiaſtica, ſed in poteſtate quadam Nomothetica, & architectonica, quæ vt alijs de rebus, ita de cenſuris leges Verbo Dei conſentaneas ſancire poteſt, nempe in quos, quando, & quouſque exerceri debeant, quibus boni Principes ſe poſſunt ſubmittere, interim vt de eorum ſuprematu nihil decedat. Age enim; nónne veſtri docent ipſum Papam, dum confitetur Confeſſario ſuo, quoad illum actum, inferiorem eſſe? Quem tamen eo ipſo tempore ſupremum eſſe Eccleſiæ Paſtorem docent. Quomodò poteſt Confeſſarius iuriſdictionem ſpiritualem ſuper Papam habere, interim vt Papa ſit ſupremum Eccleſiæ caput? Hæc ſi non ſint contraria, neque illa.

PHIL. [c] *Prætereà ait,* [d] *Omnem poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ tribuimus. Et iterum, Spiritualis Eccleſiæ Gubernatio ſpiritualibus tribuitur rectoribus, vt primò à Chriſto duodecim Apoſtolis ſuis, deinde ab iſtis,*

[c] Champ. ibid.
[d] De iuriſdict. pag. 4.

iſtis, Epiſcopis, & Paſtoribus eorum ſucceſſoribus. Quà ergo ratione Princeps, qui neque eſt Epiſcopus, nec Paſtor, poteſt eſſe ſupremus rerum ſpiritualium Rector?

ORTH. Iuriſdictio, poteſtas, vel Gubernatio, dupliciter ſpiritualis dici poteſt; obiectiuè, & formaliter: obiectiuè, cuius obiectum eſt res ſpiritualis, ſiue Eccleſiaſtica; formaliter, quæ circa obiectum ſpirituale, vel Eccleſiaſticum verſatur modo ſpirituali vel Eccleſiaſtico. Principis poteſtas, Iuriſdictio, vel Gubernatio in rebus ſpiritualibus, eſt ſpiritualis obiectiuè tantùm, non formaliter. Obiectiuè, quia verſatur circa obiectum ſpirituale, Verbi gratiâ, circa Religionem in Regno ſuo ſtabiliendam. Non formaliter, quia non verſatur circa hoc obiectum modo ſpirituali, id eſt, prædicando, vel Sacramenta miniſtrando, ſed ciuili, nempe leges ſanciendo: neque delinquentes coercet gladio excommunicationis ſpirituali, ſed tantùm ciuili, & materiali. At Epiſcoporum Iuriſdictio eſt ſpiritualis vtroque modo. His præmiſſis, ad argumentum tuum reſpondeo. Reuerendus Pater, Georgius Ciceſtrenſis, *Cùm nos omnem poteſtatem ſpiritualem Eccleſiæ dare, & Eccleſiæ Gubernationem ſpiritualem ſpiritualibus Gubernatoribus demandatam* eſſe aſſerit, poteſtatem intelligit & Gubernationem ſpiritualem formaliter dictam, quæ in prædicando, baptizando, ſoluendo, ligando, & iſtiuſmodi ſacris muneribus obeundis verſatur. Hanc poteſtatem, Iuriſdictionem, ſeu Gubernationem vniuerſam ad ſolam Eccleſiam ſpectare, & non ad Principem, omnes vno quaſi ore affirmamus. Princeps tamen nihiloſeciùs erit ſupremus Gubernator, cuius eſt omnes Paſtores, & Epiſcopos in officijs continere. Quamuis enim prædicare non debeat, aut baptizare, non ligare aut ſoluere, his tamen de rebus, pro poteſtate ſuâ architectonicâ & nomotheticâ leges feret, & delinquentes gladio ciuili coercebit.

PHIL. [a] *Sed adhuc magis directè tam contra iuramentum, quàm contra Statutum, quo latitudo poteſtatis ſpiritualis Principi conceſſa declaratur, ita ſcribit:* [b] *Quantum ad ſpiritualem Eccleſiæ iuriſdictionem, quæ in diſcutiendis fidei controuerſijs, hæreſibus iudicandis, deponendis hæreticis, excommunicandis notorijs & obſtinatis tranſgreſſoribus, ordinandis Sacerdotibus & Diaconis, inſtituendis & conferendis beneficijs, & ſpiritualibus curis conſiſtit, &c. Hanc integram Eccleſiæ reſeruamus, quam Principes neque dare, neque auferre poſſunt.* Sic ille: Princeps *claues, quas Deus Eccleſiæ tradidit, non tractat (inquit Maſonus.) Quomodo autem iſta doctrina, quæ in ſe vera eſt, cum iuramento & Statuto, quæ omnem hanc poteſtatem Principi expreſſè tribuunt, concordare poſſit, captum meum fateor excedere.*

[a] *Champ. p.763.*

[b] *De iuriſdict. p.4.*

ORTH. Statutum, quum Regi *omnes ſpirituales Iuriſdictiones tribuit, quæ poteſtate vllâ ſpirituali vel Eccleſiaſticâ hactenus exercebantur, vel licitè exerceri poſſunt, ad Eccleſiaſticum Statum & ordinem viſitandum & reformandum,* non intelligit Iuriſdictiones, quæ ex-

ercebantur poteſtate Epiſcopali, ſed quæ Regali. Diſtinguit enim inter Statum Eccleſiaſticum iam viſitandum vel reformandum, & Regem, cuius erat viſitare & reformare. Regi autem tribuit omnes ſpirituales Iuriſdictiones, quæ hactenus exercebantur, nempe à Regibus, vel licitè exerceri poſſunt. Quæ verba docent, authores ſtatuti nihil hîc Regi concedere voluiſſe, niſi quod licitè concedi potuit. Non igitur fundatur hoc Statutum ſimpliciter in nuda priſcorum Regum praxi, ſed in legitima praxi. Quicquid ſpiritualis Iuriſdictionis priſci noſtri Reges in Statu Eccleſiaſtico viſitando vel licitè exercuerunt, vel licitè exercere potuerunt, illud omne, nec aliud quicquam, hoc in loco in Regem transfunditur. Statutum igitur omnem ſpiritualem Iuriſdictionem Regi vendicat, ſed Regalem: Epiſcopus omnem Iuriſdictionem ſpiritualem Regi detrahit, ſed Sacerdotalem; nulla igitur contradictio.

PHIL. Quam mihi narras Iuriſdictionem Regalem? An externam illam & coercitiuam, cuius Carletonus & Maſonus aliquoties meminerunt? Si hâc ratione doctrinam ſuam cum iuramento reconciliare conentur, fruſtrà ſudant: [a] *Nullus enim ignorat poteſtatem omnem à ſuo ſubiecto, circa quod verſatur, vel ab obiecto, circa quod terminatur, denominari & ſpecificari debere. Tantum idcirco abeſt, vt poteſtas iſta coercitiua, quam iſti Miniſtri Principibus attribuunt, ſuprema ſit Eccleſiaſtica, vt nullo modo ſit Eccleſiaſtica, ſed merè ſecularis.*

[a] Champ. p. 762.

ORTH. Hæc poteſtas, quatenus res Eccleſiaſticas ſancit & ſtabilit, Eccleſiaſtica dici poteſt, non quidem formaliter, vt antea monui, ſed obiectiuè.

PHIL. Si poteſtas illa Eccleſiaſtica eſſet: [b] *Non tamen ſufficeret eos à periurio eximere, qui præſtito iuramento profitentur Principem ſupremum eſſe Rectorem in omnibus rebus & cauſis ſpiritualibus, & quòd omnem Iuriſdictionem & ſuperioritatem ſpiritualem habeat, quam hactenus quiſquam licitè exercuerit. Ex doctrina enim aduerſariorum perſpicuum eſt, quàm plures eſſe res & cauſas, in quibus nullam habent poteſtatem, nec iuriſdictionem.*

[b] Ibid.

ORTH. Falſum eſt. Noſtri enim hoc non docent, ſed planè contrarium; nempe poteſtatem Regiam ad omnes cauſas, tam Eccleſiaſticas quàm ciuiles, ſe porrigere: quæ quidèm poteſtas, quatenus ad res Eccleſiaſticas pertingit, vocatur Eccleſiaſtica. Quamuis autem Rex non poſſit concionari, Sacramenta celebrare, ſoluere, aut ligare, in his tamen poteſtatem habet: non quidem miniſterialem, ſed Regalem: non vt hæc in propria perſona præſtet, ſed vt ab alijs, à Domino deſtinatis præſtanda curet. His enim de rebus ritè peragendis poteſt, & leges condere, & pœnas ciuiles violantibus irrogare. Et hæc poteſtas nomothetica eſt omnium ſuprema.

7 Hactenus Champnæus contradictionum laqueis nos irretire

tire fruſtrà tentauit; nunc ex præcedentibus corollaria quædam molitur deducere; quæ à te, ſed paucis, audire diſcupio.

Phil. [c] *Colligitur primò iuramentum primatus, etiam iuxta ipſorum Proteſtantium claram doctrinam, illicitum eſſe ac pernicioſum, vtpote expreſſè contra ſecundum primæ tabulæ mandatum, idque non tantùm quia in vanum ſumatur nomen Domini (vt in iuramentis otioſis, temerarijs, & non neceſſarijs, veris tamen) ſed etiam, quia ſcienter & prudenter falſum in eo iuratur, quo vllum maius delictum vix eſſe poteſt.* [c] Champ.p.763

Orth. Hoc iuramentum nihil in ſe illicitum complecti abundè probauimus, & omnes calumniarum veſtrarum fumos, & præſtigias diſpulimus. Caue igitur, Champnæe, & iterum atque iterum caue; [d] *Qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit, & qui reſiſtunt, ipſi ſibi condemnationem acquirunt.* [d] Rom.13.

Phil. [e] *Secundò, apertè colligitur quàm iniquè Epiſcopi Catholici initio Regni Elizabethæ, ex repudiato hoc iureiurando, ſedibus ſuis eiecti fuerunt, & conſequenter quàm iniuſti poſſeſſores & manifeſti intruſores illi fuerunt, qui ex eodem titulo eorum ſedes inuaſerunt.* [e] Champ.ibid.

Orth. Quicquid putrido ſuperſtruitur fundamento, corruat oportet; cuiuſmodi eſt hoc corollarium. Nos enim & veſtros iuſtè exauthoratos eſſe, & noſtros legitimè ſucceſſiſſe antea euicimus.

Phil. [f] *Tertiò denique colligitur, quàm mali ac plusquam cæci animarum duces iſti noui prælati ſint; qui primò in publicis Comitijs per ſua ſuffragia, deinde per proprium factum illud iuramentum approbârunt, quod expreſſa eorum doctrina ex diametro aduerſatur.* [f] Ibid.

Orth. Vt ſibi applaudit, & adblanditur ineptus & importunus hic ſophiſta! Doctrinam noſtram Comitijs Parliamentarijs, & iuramento contraire, viſus eſt ſibi probâſſe, ſed probationes eius ad examen reuocauimus, & repertæ ſunt plumbeæ. Doctrina iuramento, iuramentum Statuto, ſingula ſingulis, vniuerſa vniuerſis conſonant & concordant. Hactenus Epiſcoporum Iuriſdictionem, quatenus à Principe deriuatur, oppugnauit; nunc eandem, vt à Christo dimanat, adorietur.

Phil. [g] *Iuriſdictionem, quam à Chriſto immediatè habere ſe prætendunt, mediante Epiſcopali conſecratione, recipere aſſerit Maſonus; & neceſſe eſt omnes Proteſtantes idem aſſerant. Separatâ enim ab illis tali conſecratione, nulla penitùs reſtat ratio vel via, quâ illis Iuriſdictio Eccleſiaſtica impertiatur magis, quàm cæteris omnibus hominibus. Cùm igitur ſatis efficaciter iam oſtenſum fuerit, eos nullam habere vel habuiſſe Epiſcopalem conſecrationem, luce clarius eſt, eos à Chriſto nullam habere poſſe Iuriſdictionem.* [g] Champ.p.767.

ORTH. Noſtrorum conſecrationes adeò ſanæ ſunt ac ſolidæ, vt nullis veſtrorum machinis quaſſari queant, vt ſuprà ſatis ſupérque oſtendimus.

[a] P. 768. PHIL. [a] *Supponemus (contra clariſſimam veritatem) conſecrationes fuiſſe, quoad ſubſtantiam legitimas & Canonicas, ſeu, quòd idem eſt, veras ac validas; tamen oſtendemus nullam à Chriſto eos accipere potuiſſe iuriſdictionem. Quod vt faciliùs clariúſque præſtari poſſit, quædam, quæ ex ſe ſunt clara, præmittenda ſunt. Primùm poteſtatem ordinis, quæ per conſecrationem confertur, adeò à poteſtate Iuriſdictionis diſtinctam ac diuerſam eſſe, vt vna abſque alia eſſe poſſit. Hoc clariſſimum eſt ex vſu cenſurarum excommunicationis: ſcilicet ſuſpenſionis, depoſitionis, degradationis, & ſimilium; (non minùs apud Proteſtantes quàm Catholicos in vſu exiſtentium) quæ tametſi ab ijs, in quos infliguntur, Iuriſdictionis poteſtatem auferant, ac proinde poteſtatis ordinis vſum, & exercitium illicitum reddant, ipſam poteſtatem tamen ordinis integram relinquunt, vt Maſonus ſuprà relatus non ſemel agnoſcit, & neceſſe eſt vt omnes, qui excommunicandi poteſtatem Eccleſiæ tribuunt, fateantur. Hinc clarè ſequitur, quòd ex poteſtate ordinis non poteſt legitimè & validè inferri poteſtas Iuriſdictionis, quia illa abſque iſta exiſtere poſſit.*

ORTH. Aliud eſt ipſa Iuriſdictionis poteſtas, aliud eiuſdem poteſtatis vſus legitimus. Epiſcopus cenſuris illaqueatus, ipſam Iuriſdictionis internam poteſtatem non amittit, ſed poteſtatis duntaxat vſum & exercitium; ídque non ſimpliciter, ſed quouſque Eccleſiæ viſum erit. Nam vt ex Franciſco Varga, (quem veſtri laudant vt inſigniter eruditum) & alijs docuimus, cenſura non tollit ipſam Iuriſdictionem in conſecratione acceptam, ſed eiuſdem duntaxat ſubtrahit materiam, in quam ageret; ſubtractâ autem materiâ, ceſſat executio, ſeu exercitium. Primum igitur fundamentum debile eſt, & arenoſum; accedamus ad ſecundum.

[a] Champ. p. 769. PHIL. [a] *Secundum; nullum crimen neque magis iuſtè, neque magis manifeſtè excommunicationis cenſuram ſecum trahere, & conſequenter Iuriſdictionis iacturam inferre, quàm hæreſim & Apoſtaſiam. Hæretici enim à Chriſto ipſo, & Apoſtolo excommunicationis fulmine percelluntur.* [b] *Qui Eccleſiam non audit (inquit Chriſtus Dominus) ſit tibi vt Ethnicus, & Publicanus. Et Apoſtolus,* [c] *Hæreticum hominem, poſt vnam, aut alteram admonitionem deuita. Quod adeò etiam clarum eſt ex antiqua Eccleſiæ praxi, vt ampliùs probari non debeat.*

[b] Matth. 18. 17.
[c] Ad Tit. 3. 10.

ORTH. Illud tuum conſequenter eſt inconſequens. Cenſura ipſius Iuriſdictionis priuationem ſecum non trahit, vt iam admonui, ſed vſus duntaxat & exercitij: ita ſecundùm tuum fundamentum fundamento caret.

[d] Champ. ibid. PHIL. [d] *Tertium receptiſſimum apud omnes eſt dogma, neminem poſſe alteri dare id, quod ipſe non habet.*

ORTH.

Digitized by Google

Orth. Fateor, Philodoxe; ſed expecto ex his fundamentis, quàm pulchrum & ſpecioſum ædificium ſis extructurus.

Phil. [c] *Si vel Proteſtantes ſuperintendentes, vel Eccleſiæ Romanæ Epiſcopi, à quibus illi conſecrationem receperunt, hæretici ſint, illi* (Proteſtantes) *veram ac legitimam iuriſdictionem habere non poſſunt; ſed neceſſe eſt, vt vel illi, vel iſti hæretici ſint. Ergo.* 9

[c] Champ. p. 771.

Orth. Primò, aſſumptio non eſt vſque adeò certa, & indubitata; quia ad hæreticum conſtituendum requiritur pertinacia. Quamuis autem iſti, quos commemoras, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi dogmata hæretica amplecterentur, pertinaces tamen fuiſſe minimè conſtat. Secundò, vacillat etiam propoſitionis connexio.

Phil. [d] *Si Epiſcopi Eccleſiæ Romanæ hæretici eſſent, excommunicatos quoque fuiſſe, & iuriſdictionem ſuam amiſiſſe neceſſe eſt, ac proinde nullam Proteſtantibus ſuis ſucceſſoribus tradere poſſent; ſi verò Proteſtantes hæretici ſint, iuriſdictionem nullam propter eandem rationem recipere potuerunt.*

[d] Vid. ibid.

Orth. Hæretici non ſunt ipſo facto excommunicati, ſed ſemel atque iterum admonendi, vt docet [e] Paulus. Secundò, ſi ipſo facto à ſanctorum communione ſegregati fuiſſent, iuriſdictionem tamen ipſam, in conſecratione acceptam non amiſiſſent, ſed eiuſdem duntaxat vſum & exercitium, vt antea oſtenſum eſt. Tertiò, ſi demus maiores noſtros olim fuiſſe hæreticos, at quum noſtri (Regnante Eduardo vel Elizabetha) manus imponerent, hæretici non erant, ſed, erroribus depoſitis, ad veritatem Euangelicam redierant.

[e] Tit. 3. 10.

Cap.

Cap. III.

Vtrum ſanctus Petrus omnis ſpiritualis Iuriſdictionis, ſub Chriſto, vnicus ſit fons & ſcaturigo.

- *Ratio*
  - *Proponitur: Papiſtæ arguunt ſolùm Papam eſſe fontem, quia ſolus Petrus fuit.* 1
  - *Repellitur: nam ſolùm Petrum fuiſſe non,*
    - *Probat vel*
      - *Clauium promiſſio, quia data ſunt*
        - *omnibus.* 2
        - *immediatè.* 3
        - *æqualiter.* 4
        - *vt legatis, non Petri, ſed Chriſti.* 5
      - *omniũ commiſſio, quæ expenditur lance*
        - *diuinâ quoad*
          - *præceptum ipſum.* 6
          - *præcepti ſolennitatem.* 7
        - *humanâ, diuinæ congruâ.* 8
      - *Praxis Petri in Synodo*
        - *prima, de electione Matth.* 9
        - *ſecunda, de electione Diaconorum.* 10
        - *tertia, de circumciſione, atque idolothytis, Act. 15.* 11
    - *Agnoſcit Paulus Apoſtolus.* 12

Phil.

IVriſdictionis [a] *collatio ab eo ſolo, qui omnis ſpiritualis Iuriſdictionis ſub Chriſto fons eſt, proficiſcitur, id eſt, à Pontifice Romano; vel ſaltem ab aliquo Metropolitano aut Epiſcopo, qui ab illo authoritatem mutuatur:* Siquidem Eccleſia Dei eſt inſtar ciuitatis, quæ vnicum habet fontem, à quo plurima, eaque ingentia naſcuntur flumina, quorum ſingula, in varios diſpartita alueos,

[a] *Cathol. theolog. in reſp. ad quintam partem relat. p. 172.*

alueos, aquas per canales & fiſtulas ad totam ciuitatem irrigandam & potandam tranſmittunt. Iſte fons eſt Pontifex Romanus; ingentia illa flumina Patriarchæ, Archiepiſcopi, Metropolitanæ; Aluei ſunt reliqui Epiſcopi; fiſtulæ autem & canales, quotquot ab Epiſcopis Iuriſdictionem accipiunt. Eccleſia Anglicana, olim his fluentis irrigata, inſtar Paradiſi floruit; verùm ex quo tempore, à perenni fonte abſciſſa eſt & diuiſa: proh dolor, inſtar horrentis eremi ſterileſcit.

ORTH. Eccleſia Anglicana (Deo gratias) ita ſe habet, vt omnes eius amicos in Domino exultare, inimicos præ inuidiâ frendere videas. Fons verò, quem narras, non eſt ille Fons aquæ ſalientis in vitam æternam, cuius Author eſt Rex cœli, ſed puteus venenatus, cuius Author eſt princeps Abyſſi. Patriarcham quidem Romanum, magno antiquitùs in pretio habitum, Iuriſdictionémque, quamuis non vniuerſalem, per amplam tamen exercuiſſe, reliquíſque omnibus loco & dignitate præcelluiſſe non inuiti fatemur. Quod tamen ipſum legi tantùm humanæ acceptum referri debet, eò quòd vrbis Imperialis Epiſcopus eſſet. At nunc, Oceani inſtar, longè latéque furit, ripas tranſgreditur, indignabundus non patitur repagula, cancellis includi neſcit, vniuerſalē ſibi in vniuerſum Orbem Chriſtianum, ídq; lege diuinâ, Iuriſdictionē vendicat.

PHIL. Probo tibi Pontificem Romanum omnis ſpiritualis Iuriſdictionis, iuxta Deum, vnicum eſſe fontem, ídque lege diuinâ: nam talis erat ſanctus Petrus, cui ſuccedit Pontifex.

ORTH. De Petro quod protuliſti, præſta ſi potes.

PHIL. Sacra Scriptura plena eſt teſtimonijs, tum authorita- 9
tem Petri legitimam, tum debitam eiuſdem authoritatis praxin & executionem demonſtrātibus. Authoritas multis argumentis conſtare poteſt; Ego duobus tantùm inſiſtam, id eſt, clauibus Petro promiſſis, & ouibus eidem commiſſis. Chiriſtus (vt à primo exordiar) dixit Petro,[a] *Dabo tibi claues Regni cælorum:* non dixit, *clauem*, ſed *claues*. Duas enim promiſit; alteram ſcientiæ, poteſtatis alteram. Clauis ſcientiæ omnia Scripturarum myſteria, & controuerſiarū arcana reſerare poteſt. Clauis poteſtatis duplex eſt, ordinis, vel Iuriſdictionis. Ad clauē ordinis ſpectat, Eccleſię paſtores & Epiſcopos ordinare. Clauis Iuriſdictionis aperit & claudit, tum in foro externo, excōmunicando, abſoluendo, diſpenſando, concilia indicendo: Tum in foro interno conſcientię, peccata remittendo & retinendo. Et, vt vno verbo omnia complectar, quicquid vſpiam eſt Eccleſiaſticæ poteſtatis, illud omne clauium voce eſt comprehenſum, & Sancto Petro collatum.

ORTH. Claues reliquis Apoſtolis, perinde ac Petro, ſunt hîc promiſſæ. Nam huius promiſſi occaſio fuit quæſtio, quam Chriſtus omnibus ſuis Diſcipulis propoſuit;[b] *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Cui reſpondit Petrus,[c] *Tu es Chriſtus, filius Dei viuentis.* Vnde Petrum *vnum pro omnibus hoc dixiſſe*, obſeruat[d] Auguſtinus,

[a] Mat. 16. 19.
[b] Mat. 16. 15.
[c] Ver. 16.
[d] In Mat. c. 16. hom. 55.

Pro

[e] In Mat. c. 16. homil. 55.
[f] In Iob hom. 87.
* Ioh. 6. 69.
[g] Auguſt. quo ſupra.
[h] Adu. Iouin. l. 1. c. 14.
[i] In Mat. 16. tract. 1.
[k] De Trin. lib. 6.
[l] In Pſal. 38. iuxta finem.
[m] Seſſ. 4.
[n] Rat. 5.

pro omnibus eſſe locutum, ait [e] Hieronymus; & hac de cauſa *Os Apoſtolorum* eum appellat [f] Chryſoſtomus. Quæ Patrum ſententia ſacris Scripturis eſt conſentanea, teſtantibus Petrum, vel ante hoc tempus, vnum pro omnibus reſpondiſſe: * *Nos credimus, & ſcimus, quòd tu es Chriſtus, filius Dei viuentis.* Porrò, vt Petrus reſpondit vnus pro omnibus, ita Chriſtus vni Petro, & in Petro omnibus dixit; *Ego dabo tibi claues Regni cælorum.* Sic enim Patres hunc locum interpretantur. [g] Auguſtinus: *Ei dicitur, Tibi dabo claues Regni cælorum: tanquam ligandi & ſoluendi ſolus acceperit poteſtatem, cùm & illud vnus pro omnibus dixerit, & hoc cum omnibus, tanquam perſonam gerens ipſius vnitatis, acceperit.* [h] Hieronymus: *Cunctos Apoſtolos claues Regni cælorum accepiſſe dicit.* [i] Origenes: *An ſoli Petro dantur claues Regni cælorum? Nec eas beatorum quiſquam accepturus eſt? Quod ſi dictū hoc, Tibi dabo claues, cæteris quoq; commune eſt, cur non ſimul omnia, & quæ priùs dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnium communia?* [k] Hilarius dicit: *Sanctos & beatos viros* (ſic enim appellat Apoſtolos,) *claues regni cælorum ſortitos.* [l] Ambroſius: *Quod Petro dicitur, Apoſtolis dicitur.* Iſte Patrum conſenſus apud te ex Concilij [m] Tridentini decreto præponderare deberet. Et hîc ſanè [n] Campiani velitationem non iniuriâ retorquere poſſem: *Patres admiſeris? Captus es; Excluſeris? Nullus es.* Certè præ vobis ferre ſoletis, vos Patrum ſententias amplexuros; cùm verò ad congreſſum ventum eſt, plerunque repudiatis; Patrum nomina dicis causâ prætexitis, at ſanctiſſimus Pater Papa veſter eſt tanquam pixis nautica, ad cuius nutum totum curſum dirigitis.

3. PHIL. Nos Apoſtolos claues accepiſſe concedimus, ſed quid tum poſtea? Chriſtus Petro immediatè dedit, reliquis per Petrum. Ita omnis tum ordinis, tùm Iuriſdictionis poteſtas à Petro, tanquam à fonte ad nos profluxit.

[o] De Rom. Pontif. l. 4. c. 23.

[o] Bellarminum ipſum hac in causâ Iudicem appello, qui Apoſtolos à Chriſto immediatè Iuriſdictionem omnem accepiſſe quatuor argumentis probat. Primum ducitur à Verbis Domini: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quod Chryſoſtomi, Theophylacti, Cyrilli, & Cypriani authoritate corroborat. Et poſt allata Cypriani verba, hæc ſubiungit: *Vbi vides idem dari Apoſtolis per illa verba, Ego mitto vos, quod Petro fuit promiſſum per illud, tibi dabo claues, &c. Et poſtea exhibitum per illud, Paſce oues meas. Conſtat autem per illa (Tibi dabo claues) & per illud (Paſce oues) intelligi Iuriſdictionem pleniſſimam, etiam exteriorem.* Secundum argumentum Bellarmini ab electione Matthiæ ſumptum eſt: *Nam Actorum primo legimus* (inquit) *Matthiam Apoſtolum non fuiſſe ab Apoſtolis electum, nec datam ei vllam authoritatem, ſed, imploratâ diuinitùs, & impetratâ electione eius, mox inter Apoſtolos annumeratum. Certè ſi Apoſtoli omnes à Petro habuerunt Iuriſdictionem, in Matthiâ maximè id oſtendi debuiſſet.* Tertiò, idem probat ex Paulo: *Qui ex profeſſo docet, ſe authoritatem ac Iuriſdictionem habuiſſe à Chriſto, & inde probat ſe verum eſſe Apoſtolum. Nam*

ad

Digitized by Google

ad Gal. primo ait Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem. Et ibidem: *Vt oſtenderet ſe non accepiſſe authoritatem à Petro vel alijs Apoſtolis, ait;* [p] *Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, continuò non acquieui carni & ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum Damaſcum. Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, &c.* Et cap. ſecundo: [q] *Mihi enim qui videbantur eſſe aliquid, nihil contulerunt.* Quartò, hoc probat euidenti ratione: *Nam Apoſtoli à ſolo Chriſto facti ſunt, vt patet, Luc. 6.* [r] *Vocauit Diſcipulos ſuos, & elegit* 12. *ex ipſis, quos & Apoſtolos nominauit.* Et Ioh. 6. [s] *Nonne ego vos* 12. *elegi?* Quòd autem Apoſtoli habuerunt Iuriſdictionem, *patet tum ex geſtis Pauli, qui* [t] *excommunicat, & leges paſſim conſtituit, tum quia Apoſtolica dignitas eſt prima & ſuprema dignitas in Eccleſiâ, vt patet, 1 Cor. 12. & Epheſ. 4.* Ex his liquet Apoſtolos, ex ſententiâ Bellarmini, non à Petro, ſed immediatè à Chriſto Iuriſdictionem accepiſſe. Quod adeò clarum eſt & liquidum, vt Franciſcus de Victoria, Alphonſus de Caſtro, & Cardinalis Caietanus, quos citat Bellarminus, atque alij præterea quamplurimi in eandem concedant ſententiam.

[p] Gal. 1. 15.
[q] Gal. 2. 6.
[r] Luc. 6. 13.
[s] Joh. 6. 70.
[t] 1. Cor. 5. 5.

PHIL. Eſto: Petrus tamen ſingulari quodam modo. Chri- 4
ſtus enim claues promittens [u], *tot modis eius perſonā deſignauit, vt non pluribus circumſtantijs deſcribere ſoleant certum hominem Notarij illi, qui inſtrumenta publica conficiunt. Nam in primis expreſſit ſubſtantiam perſonæ ſingularis, per Pronomen tibi; deinde addidit nomen inditum in natiuitate, cùm ait, Beatus es, Simon; adiungit nomen Patris, cùm ait, filius Ionæ; nec omittere voluit nomen à ſe recens impoſitum, & ego dico tibi, Tu es Petrus. Quorſum Petri tam accurata deſcriptio, ſi nihil ipſi Petro propriè promittitur?* Si autem claues ſingulari quodam modo ſint eidem promiſſæ, ſingulari quoque modo fuiſſe datas & exhibitas eſt credibile.

[u] Bell. de Rom. Pontif. l. 1. c. 12. primum.

ORTH. Quicquid promiſit Chriſtus, id ipſum præſtitit; At claues ſingulari modo Petro non præſtitit; non promiſit igitur.

PHIL. Nónne dixit, *Dabo tibi? Quicquid ligaueris? Quicquid ſolueris?* Petro igitur in ſingulari numero promiſit.

ORTH. Verba ſint ſingularia, non tamen Petro dicta in perſonâ ſuâ, ſed Petro repræſentanti Eccleſiam, cámque myſticè ſignificanti, ex ſententiâ Patrum. Chriſtus enim, cùm dixit, *Dabo tibi claues Regni cœlorum,* mox ſubiunxit, & *quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatum erit in cœlo, & quicquid ſolueris in terrâ, ſolutum erit in cœlo.* In quæ verba ſic [x] Bellarminus: *Planus ſenſus illorum verborum iſte eſt, vt primò promittatur authoritas, ſeu poteſtas deſignata per claues, deinde & actiones, ſiue officium explicetur per illa vocabula ſoluere & ligare, ita vt omninò ſit idem ſoluere & aperire,*

[x] De Rom. Pont. l. 1. c. 12. Verſ.

Digitized by Google

rire, claudere & ligare: expreſſit verò Dominus clauium actiones per ſoluere & ligare, non per claudere & aperire, vt intelligamus eſſe omnes iſtas metaphoricas loquutiones, & tum demum cœlum hominibus aperiri, cùm homines ſoluuntur à peccatis, quæ ingreſſum in cœlum prohibebant. Hactenus Bellarminus. Ego autem aſſumo: At poteſtas ligandi & ſoluendi à Chriſto ipſo immediatè data eſt omnibus Apoſtolis, hiſce verbis: [y] *Quæcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo: quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.*

[y] Matth. 18. 18.

PHIL. Cardinalis Caietanus exiſtimat hæc vocabula *aperire & claudere*, quæ clauium officia continent, maioris eſſe ambitus, quàm *ſoluere & ligare*.

ORTH. *Hæc doctrina* (inquit [z] Bellarminus) *ſubtilior quàm verior nobis eſſe videtur, inauditum eſt enim in Eccleſia eſſe alias claues, quàm Ordinis & Iuriſdictionis, quæ ſignificantur per actiones ligandi & ſoluendi, vt fatetur Caietanus.* Et Bellarminus id ipſum antea tum ex patribus, tum ex Scripturis confirmauerat.

[z] Bell. de Rom. Pontif. l. 1. c. 12. Verum hæc.

PHIL. Poteſtas ſoluendi & ligandi poteſtate clauium eſt anguſtior, ex ſententia Scholaſticorum.

ORTH. Ad antiquitatem & Patres ſoletis prouocare; hîc tamen, relictis patribus, Scholaſticos ſequimini. Hem antiquitatem! Quid autem ſi Scholaſtici etiam vobis aduerſentur? Petrus [a] Lombardus ait: *Claues iſtæ non ſunt corporales, ſed ſpirituales, ſcilicet, diſcernendi ſcientia, & potentia iudicandi, id eſt, ligandi & ſoluendi, quâ dignos recipere, & indignos debet excludere à Regno Eccleſiaſticus Iudex.* Quibus in verbis licèt claues definiat per ſcientiam æquè ac potentiam, vniuerſam tamen clauium potentiam per potentiam ligandi & ſoluendi interpretatur. Alexander de Hales dicit: [b] *Tantùm eſſe ligare & ſoluere quantùm aperire & claudere.* Verùm eſto: claues ad plura ſe porrigant, quàm ligandi & ſoluendi poteſtas, cùm tamen hæc ipſa Iuriſdictionem includat, vt ex Patribus probauit [c] Bellarminus, nec ſoli Petro, immò nec Petro præ reliquis, ſed Petro cum reliquis à Chriſto immediatè ſit data, ídque verbis clariſſimis [d]: *Quæcunque ſolueritis, quæcunque ligaueritis*, inde efficitur, reliquos etiam Apoſtolos Iuriſdictionem ſuam à Chriſto æqualiter hauſiſſe.

[a] L. 4. ſent. d. 18. b.

[b] Sum. Theolog. part. 4. q. 79. memb. 2. & 5.

[c] De Rom. Pontif. l. 1. c. 12. & quamuis.

[d] Mat. 18.

5 PHIL. Hæc non impediunt, quin Petrus ſit omnis Iuriſdictionis ad quoſuis mortales deriuandæ radix. Reliqui enim Apoſtoli acceperunt quidem plenam Iuriſdictionem, ſed ex delegatione tantùm; quæ idcirco vnà cum perſonis ſuis eſt extincta, nec ad alios propagari potuit. Petrus verò eandem habuit vt ordinarius Eccleſiæ Paſtor, à quo ad ſucceſſores tranſire debuit. A Petro igitur, & Petri ſucceſſore Romano Pontifice, tanquam à perenni fonte, omnes poſteri, quicquid habent Iuriſdictionis, hauriant oportet.

ORTH.

Digitized by Google

Orth. Iſtæ diſtinctionum præſtigiæ nihil ſunt aliud, quàm humani cerebri figmenta, quæ omni Scripturarum authoritate deſtituuntur: à vobis tamen vbique in præſidium vocantur, repetuntur, ad nauſeam vſque inculcantur, ſed probantur nuſquam. Quin agè, Philodoxe; reliqui Apoſtoli erant delegati, cuiuſnam obſecro? Num ſancti Petri? At ſuperiùs probauimus illos à Petro ſuam Iuriſdictionem minimè mutuatos eſſe, ſed immediatè à Chriſto. Deinde, ſi Paulus erat Petri legatus, cur ſe ſemper Ieſu Chriſti profitetur Legatum, ſeu Apoſtolum, ſancti autem Petri legatum à latere (ſi benè memini) nuſquàm? Præterea ſi Paulus lumen ſuum à Petro accenderat, cur eos, [e] *Qui videbantur eſſe aliquid, ſibi nihil contuliſſe iactitat?* Cur ſe vel [f] *ſummis Apoſtolis inferiorem* negat? Denique ſi reliqui omnes ſancti Petri fuiſſent legati, intereunte Petro, vnà cum Petro omnis eorum Iuriſdictio interijſſet; quod fieri non potuit. Sanctus enim Iohannes, teſte [g] Hieronymo, vſque ad annum poſt paſſionem Domini ſexageſimum octauum, id eſt, Incarnationis centeſimum primum, ſuperſtes fuit, qui, ſecundùm [h] Baronij calculum, erat Clementis nonus. Sanctus autem Petrus longè antea, nempe anno Domini ſexageſimo nono, eſt Martyrio coronatus, iuxta Baronium. Iohannes igitur Petro annis triginta duobus ſuperuixit, quo tempore Linus, Clemens, Cletus Romæ ſediſſe perhibentur. Quid igitur? Num extincto Petro, tota Iohannis Iuriſdictio derepentè euanuit? Nunquid ille, mortuo Petro, facem ſuam à Lino, & mortuo Lino, à Cleto, & mortuo Cleto, à Clemente reaccendere coactus eſt? Ergo poſt aſcenſionem Chriſti, ſuperſtite adhuc Apoſtolo, maior erat in Eccleſia Iuriſdictio, quàm Apoſtoli; quod eſt abſurdum. Dignitas enim Apoſtolica eſt *prima et ſuprema dignitas et Iuriſdictio pleniſſima*, vt rectè [i] Bellarminus. Quamobrem cum ſanctus Iohannes eſſet Apoſtolus, & per conſequens primam, ſupremam, pleniſſimam haberet poteſtatem, certè nec Lini, nec Cleti, nec Clementis potuit eſſe legatus, ſed Ieſu Chriſti. Neque Iohanne in viuis exiſtente, quiſquam alius omnis Iuriſdictionis fons, & ſcaturigo appellari debuit. Sin reſpondeas, Apoſtolos vniuerſos ipſius Chriſti fuiſſe legatos; rectè tu quidem, ſed cauſam tuam iugulas.

[e] *Gal. 2. 6.*
[f] *2. Cor. 12. 11.*
[g] *In Catalog. ſcript. in Iohan.*
[h] *An. 101. n. 2.*
[i] *De Rom. Pont. l. 4. c. 23.*

Phil. Minimè verò. Petrus enim ſolus erat ordinarius Eccleſiæ Paſtor, vt ſuprà dixi.

Orth. Quâ tandem ratione? An quatenus Apoſtolus? Ergo reliqui etiam Apoſtoli, perinde ac Petrus, erant ordinarij. An ratione alterius cuiuſquam poteſtatis? Quæ tandem illa? Erátne Apoſtolatu maior, aut minor? Si minor, quomodo potuit eum ſupra Apoſtolos euehere? Maior autem eſſe non potuit, cùm Apoſtolica ſit *prima, ſuprema, & pleniſſima.*

Digitized by Google

6 Verùm age; quandò factus eſt Petrus ordinarius Eccleſiæ Paſtor?

[k] Ioh. 21. 15.

PHILODOXA. Quando Chriſtus dixit, [k] *Paſce oues meas.*

[l] Marc. 16. 15.
[m] Mat. 28. 19.
[n] Ioh. 20. 21.

ORTHODOXA. Vt Chriſtus dixit Petro, Paſce oues meas, ita omnibus dixit; [l] *Ite in vniuerſum mundum*; [m] *Docete omnes gentes*: *Vt* [n] *Pater miſit me, & ego mitto vos.* Nónne hæc æquè amplam complectuntur poteſtatem, ac Paſce oues meas?

PHIL. Nequaquam. Chriſtus enim oues ſuas vniuerſas Petro paſcendas commiſit, nullâ penitùs exceptâ. At erant reliqui Apoſtoli oues Chriſti; reliquos ergo Apoſtolos, nemine prorsùs excepto, Petro paſcendos commiſit. Erat ergo Petrus Apoſtolorum Paſtor, & per conſequens totius terrarum orbis Ordinarius.

[o] Marc. 16. 15.

ORTH. Chriſtus mandauit omnibus Apoſtolis, & inter cæteros, Andreæ; vt [o] *Euangelium prædicarent omni creaturæ*; omni, inquam, creaturæ, nullâ penitùs exceptâ. At ſanctus Petrus erat creatura, ergo Chriſtus mandauit ſancto Andreæ, vt Euangelium prædicaret ſancto Petro. Ergo ſanctus Petrus ſancto Andreæ commiſſus eſt. Num ſanctus Andreas erat ſancti Petri Paſtor, aut totius terrarum orbis Ordinarius?

7 PHIL. Non eſt par ratio; quia verba à te allata, ſine dubio ad omnes ſpectant; mandatum verò quod ego protuli, ipſum Petrum vel nomine deſignat, idque non ſine ſummâ ſolennitate. Nam mandatum hoc Chriſtus ter repetit, ter Petrum nomine compellat.

[p] Vide Lanc. Elienſ. in reſp. ad Apol. c. 8. p. 215.

ORTH. *Si* [p] *præceptum reſpiciat quis, porrigit ſe ad omnes Apoſtolos, & Apoſtolorum ſucceſſores; oues enim Chriſti omnibus paſcendæ: Sin præcepti Solennitatem, trinam, ſcilicet, repetitionem, vni eſt peculiaris, ſed ex cauſa, qua non valdè Monarchiam iuuet.* Quamuis enim Seruator noſter vni dixit, vni ter dixit, *Paſce oues meas*, Petrus tamen his verbis non nouum accepit munus, non factus eſt repentè totius Eccleſiæ Rector ordinarius, hæc veſtra ſunt ſomnia & deliria; non hîc Monarcha, non Caput viſibile eſt conſtitutus, ſed in priſtinum duntaxat gradum reſtitutus.

[q] Ibid. p. 214.

[q] *Paſce*, inquit Chriſtus, *id eſt, iterùm à me recipe paſcendi munus; eſto inter Paſtores, licèt meruiſti ne eſſes, qui me ſummum Paſtorem toties negàris.* Nec in poſterum, viſo lupo, vt anteà, fugam capeſſe, ſed oues & agnos meos paſce, & Spartam, quam iterum indulgentiâ meâ nactus es, adorna. Hunc eſſe loci ſenſum ex antecedentibus conſtat. Nam Petrus non exiguum amoris deliquium in trinâ Domini ſui abnegatione prodiderat, quem Chriſtus, vt languentem excitaret, ter interrogauit, Petre, amas me? Vnde quem

anteà ter abnegauerat, nunc ter cum trinâ amoris Proteſtatione confeſſus eſt. Chriſtus igitur, cum ignem trinâ quæſtione ventilâſſet, qui iam trinâ confeſſione in flammam erumpere cœpiſſet, caleſcens (vt eſt in prouerbio) ferrum ferit, dicens, *Paſce agnos meos:* & vt ictum animo Petri altiùs poſſit imprimere, reductâ manu, iterum atque iterum repetit, *Paſce oues meas*; quaſi diceret, Si me amas, Petre, noli vlteriùs me abnegare, ſed latentem in animo amorem oſtende. Si me amas, ama agnos meos, quos pretioſo meo ſanguine acquiſiui. Si me amas, paſce illos; paſce vitâ, paſce verbo. Non pauci vrſi & leones, quibuſcum congrediaris, tibi occurrent; animum tamen deſpondere noli, nec gregem meum præ metu deſerere, quin, ſi me amas, paſce, paſce. Chriſtum cùm cogito, Nauarchum nautas ſuos ſic alloquentem audire videor: Non exigua nobis ingruit tempeſtas; verùm ſi me amatis, velis remíſque incumbite, ſuo quiſque ſtrenuè fungatur officio. Vel belli ducem ſic milites ſuos compellantem: O ſocij, anceps & periculoſa eſt pugna: verùm, ſi me amatis, nolite timere, ſed fortiter pro aris & focis dimicate. Vel maritum, qui peregrè profecturus, domi vnà cum vxore, (quæ aliquando parum fuiſſet officioſa) filiolum, ſpem gentis relinquens, Agedum, inquit, chariſſima vxor, Si me amas, filiolo, delicijs noſtris, diligenter attende; quibus verbis non nouum illi aſſignat munus, ſed monet, vt quod illi priùs (diſponente Domino) incubuit officium, præſtet ſedulò.

Præterea, quid ſi Dominus Petro dixit, *Paſce oues meas?* Num 8
Petrus illicò factus eſt omnium Caput, & coryphæus? Num Petrus repentè [illegible] euaſit, reliqui eius famuli & ſeruuli, qui Domini ſui nutum expectent, & iuſſa capeſſant? Num Petrus ſolus Epiſcopus, reliqui Petro à ſacellis? Hoc inficiatur ſanctus Paulus, *Se* [e] *nullâ in re ſummis Apoſtolis inferiorem* clamans. Hoc inficiantur antiquæ illius (quæ tempore Cypriani floruit) Eccleſiæ Romanæ Patres, in Epiſtola [f] Synodali ad Eccleſiam Carthaginenſem, qui cùm horum Verborum, *Paſce oues meas,* meminiſſent, mox ſubiungunt; *Et reliqui Diſcipuli ſimiliter fecerunt.* Hoc inficiatur Sanctus [t] Ambroſius: *Quas oues, & quem gregem non ſolùm beatus tunc ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* Et [u] Auguſtinus: *Cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Paſce oues meas.* Rem totam dicto hoc memorabili obſignabo: [x] *Non me latet recentiores, vt ſua priuilegia expeditiùs propugnent, obtendere Dominum hâc voce, Paſce oues meas, vni & ſoli Petro totam detuliſſe Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, quò eam deinceps pro animi ſui arbitrio quibuſcunque vellet diſpertiretur. At ſacra Scripturæ oraculis, omnium antiquorum Doctorum monumentis, necnon etiam praxi veteris Eccleſiæ, tam planè atque apertè confutantur, vt mirum ſit illos tam abſurda comminiſci audere.*

[e] 2. Cor. 12. 11.
[f] Apud Cyprian. epiſt. 3.
[t] De dignit. ſacerdot. c. 2.
[u] De agone Chriſt. c. 30.
[x] De eccl. & polit. poteſt. p. 6. 7.

Phil. Ego hoc ipſum ex Praxi euincam. 9

ORTH. Ex praxi? Imò praxis contrarium docet. Etenim Chriſtus peculiare tribunal ratione quadam ſingulari Petro non erexit, ſed Eccleſiæ; neque dixit, y *Dic Petro, ſed, Dic* y *Eccleſiæ.* Porrò reliqui etiam Apoſtoli huius Eccleſiaſtici tribunalis Iuriſdictionem æquè ac Petrus exercuerunt, ſiue per ſe ſinguli, ſiue in Synodo congregati vniuerſi conſiderentur.

y Mat. 18. 17.

PHIL. Nequaquam. In Synodo Hieroſolymitanâ, anno 34. paulò poſt Chriſti aſcenſionem habitâ, præſidebat Petrus, z *Cuius factum (dum Apoſtolis Matthiæ electionem, eiúſque modum præſcribit) primatum tam luculenter demonſtrat, vt aduerſarij noſtri Petrum totius collegij, aut cætus Apoſtolorum antiſtitem fuiſſe fateantur.*

z Anglo-Rhem. in act. cap. 1. verſ. 15.

ORTH. Quòd rem ad Senatum Apoſtolorum retulerit, hoc *loci* primatum arguit, non *Iuriſdictionis & poteſtatis.* Quamuis enim Petrus ſolus rem proponeret, non ſolus tamen quis eſſet eligendus, ſtatuit. Verba Scripturæ ſatis ſunt diſerta; & a *ſtatuerunt duos.* Quinam? Diſcipuli ſcilicet. Dein ex duobus, quos ſtatuerunt Diſcipuli, vnum elegit non Petrus, non Diſcipuli, ſed ſolus Deus, vt ex his verbis patet; *Et orantes dixerunt,* b *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum.* Denique cùm ſors cecidiſſet ſuper Matthiam, nullam illi Petrus Iuriſdictionem contulit, neque præſtolati ſunt, dum pallium à Petro acciperet, ſed continuò c *annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.* Matthiæ igitur Iuriſdictio non erat ab homine, nec per hominem, ſed à Ieſu Chriſto.

a Act. 1. 23.
b V. 24.
c V. 26.

18 Hactenus de primâ Apoſtolorum Synodo; ſic enim appellat d Binius: accedamus ad ſecundam, in qua Diaconi ſunt conſtituti. Quis hanc Synodum conuocauit? An fortè ſolus Petrus? Nequaquam: Scriptura enim dicit, e *Conuocantes duodecim multitudinem, dixerunt, &c.* Non ſolus igitur Petrus, ſed duodecim. Quis conuocatâ multitudine, rem in Synodo propoſuit? Non ſolus Petrus, ſed duodecim. f *Duodecim dixerunt, Non eſt æquum, &c.* Deinde, re propoſitâ, quis Diaconos elegit? Non ſolus Petrus, ſed tota multitudo, teſtante Scripturâ; g *Et placuit ſermo coram omni multitudini, & elegerunt Stephanum, virum plenum fide & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochiæ; hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum.* Quis autem electis manus impoſuit? Non ſolus Petrus, ſed Apoſtoli; h *Et orantes impoſuerunt eis manus.* Cæterùm, licèt Apoſtoli ſoli manus imponerent, totam tamen multitudinem elegiſſe conſtat.

d Tom. 1. p. 1.
e Act. 6. 3.
f Act. 6. 2.
g V. 5.
h V. 6.

PHIL. i *Diaconorum electio permiſſa eſt multitudini, ex conceſſione Apoſtolorum, vt Lucas teſtatur.*

i Ex Bell. de cler. c. 7. reſpondeo primò.

ORTH. Homo igitur homini quantùm intereſt? O quanto interuallo diſiunguntur Apoſtoli, & Pontifices? Apoſtoli de ſuo iure decedunt, vt populo gratificentur; Papa ſibi omnia per fas & nefas corrodit, populo, Presbytero, Principe ſpoliatis. Cæterùm, hoc

Digitized by Google

hoc *ex Apoſtolorum conceſſione* factum eſſe dicis. Si per conceſſionem intelligas *conſenſum & conſilium*, non abnuo. Nam monuerunt multitudinem,[k] *Vt conſiderarent viros bono teſtimonio ornatos:* ſin id vis, totum ſcilicet eligendi munus ita ad Apoſtolos ſpectâſſe, vt populum penitùs à ſuffragijs excludere potuiſſent, obſeruandum tibi eſt, populi conſenſum hoc in caſu ipſius humanæ ſocietatis fundamentis niti. Singularis reddi poteſt ratio cur, hoc præſertim tempore, Diaconorum electio ad totum populum pertineret; nimirum, quia totius populi theſaurus ad ſubleuandos pauperes collectus illorum fidei erat committendus. Sed ponamus hic quicquid fecit populus, id *ex Apoſtolorum conceſſione* feciſſe: verùm ſiſte parumper, & apud te cogita quid dixeris, *ex conceſſione Apoſtolorum*; non Petri, ſed Apoſtolorum. Ita huius Synodi praxis poteſtatem Apoſtolorum parem fuiſſe, nec Petrum, vel in vnius Diaconi electione, reliquis præcelluiſſe docet. k V.3.

PHIL. Præcelluiſſe verò ex tertiâ Synodo Hieroſolymitanâ, longè celeberrimâ, anno 51. habitâ, clariſſimè apparet. Hîc enim S. Petrus ſe reuerâ geſſit, vt viſibile Eccleſiæ caput, Apoſtolorũ Principem, Chriſtíque vicarium maximè decuit. Nam & [l] *primus & vltimus loquutus eſt; in cuius ſententiam & Iacobus & reliqui omnes conceſſerunt.* l Vid. Stapl. princip. doctr. l.6.c.13.

11

ORTH. Nihil quicquam quod protuliſti veritati eſt affine. Petrum enim non primùm locutum hæc indicant verba; [m] *Cùm autem magna diſceptatio fuiſſet, ſurgens Petrus dixit ad eos:* Sed nec vltimum, quia Scriptura non meminit Petrum hac in Synodo niſi ſemel loquutum, poſt quem [n] Barnabas & Paulus, &, poſtquam illi conticuiſſent, [o] Iacobus loquutus eſt. Synodus autem in ſententiam Iacobi conceſſit, & ſecundùm verba [p] Iacobi rem totam definiuit: ídque ſecundùm id quod in eius ſermone erat ſingulare, cuius Petrus ne meminiſſet quidem. Neque promulgata ſunt Concilij acta ſolius Petri authoritate, ſed omnium nomine miſſa fuit Synodalis epiſtola. Neque ſic ſubſcripſit Petrus; Ego Petrus, Chriſti vicarius, Apoſtolorum Princeps, vniuerſalis Eccleſiæ caput viſibile, & paſtor ordinarius; verùm hoc caput ſuper humeros non eminùit, nuſquam ſe extulit, ſed inter reliquos delituit. Sic enim ſubſcripſerunt [q]: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Vbi nunc tandem Petri præcellens & ſupereminens poteſtas? Quam ſi vnquam exercere voluit, certè hic locus, hoc tempus, hic cœtus maximè opportunus; præſertim cùm huic Synodo, non per Legatum, ſed in propriâ perſonâ intereſſet. Si nunc ius tranſcendens ſibi vendicâſſet; ſi ſe tanquam Caput ſuper reliquos erexiſſet; ſi inter Apoſtolos monarchiam in propriâ perſonâ exercuiſſet, ſanè acta res eſſet, eodem iure ſucceſſoribus ſuis ſine omni contradictione, ſummâ cum tranquillitate & pace omnium in perpetuum frui licuiſſet. Quid ſibi voluit Petrus? Cur ſui, & ſedis ſuæ tantoperè oblitus? Cur ſucceſſoribus ſuis non conſuluit? Cur Vicarijs Chriſti tantoperè præiudicauit?

m Act.15.7. n V.12. o V.13. p V.20,29. q V.28.

uit? Hactenus de Apoſtolis in Synodo congregatis; nunc eoſdem ſigillatim conſideremus.

12 Hîc vnus inſtar omnium occurit Sanctus Paulus, qui inceſtuoſum Corinthium Satanæ tradendũ iudicauit, id eſt, excommunicandum ex ſententiâ [b] Hieronymi, & [c] Anſelmi, quos [d] Bellarminus, [e] Baronius, & multi alij, tum ex noſtris, tum ex veſtris ſequuntur. Quamuis autem non deſint, qui de miraculoſâ operatione, quâ egregij peccatores Satanæ ad tempus corporaliter torquendi tradebantur, exponant; Corinthium tamen excommunicatum non negant. Videamus igitur quânam authoritate hoc factum fuerit. [x] *Ego* (inquit Paulus) *abſens corpore, præſens autem Spiritu, jam iudicaui, vt præſens,* (En ſententiam iuridicam!) *vt is, qui hoc ita perpetrauit, vobis & meo Spiritu in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis, cum poteſtate Domini noſtri Ieſu Chriſti, tradatur Satanæ, &c.* Non dicit, *congregatis vobis, et Spiritu Petri*; ſed *Spiritu meo*. Ita Caput veſtrum viſibile huic negotio nec Caput, nec pedem interpoſuit. Solus Paulus Corinthijs hanc cenſuram exercendi poteſtatem fecit; Paulus (inquam) non Petrus: nec ſe Petro Magno Vniuerſalis Eccleſiæ Ordinario ſubordinatum, nec à Petro quicquam poteſtatis mutuatum agnoſcit. Nec Apoſtoli modò, ſed Epiſcopi etiam, quales erant Titus & Timotheus, tribunal ſuum Eccleſiaſticum habuerunt, hominéſque citare, citatos examinare, [y] *accuſationes recipere*, Presbyteris [z] *ne aliter docerent denunciare*, [a] docentibus quæ non oportuit, *os obturare* potuerunt. Iſti enim Scripturæ loci de iudiciario in Epiſcopali Conſiſtorio proceſſu ſunt accipiendi; ac proinde Titi ac Timothei Iuriſdictionem arguunt, quam non Petro, ſed (ſi Scripturis credimus) ſoli Paulo acceptum ferunt. Quæ cùm ita ſint, vnicum Spiritualis Iuriſdictionis fontem, Iure diuino non eſſe Petrum concludimus, ſed potiùs duodecim Apoſtolos totidem fuiſſe fontes, qui à Ieſu Chriſto, perenni omnium fontium fonte æqualiter dimanârunt. Sed fac vt hoc priuilegium ſoli Petro Iure diuino competat; quid hoc ad Papam?

[b] Epiſt. 1.
[c] In 1. Cor. 5.
[d] De Rom. Pont. l. 4. c. 16.
[e] An. 57. n. 11.
[x] 1. Cor. 5. 3.
[y] 1. Tim. 5. 19.
[z] 1. Tim. 1. 3.
[a] Tit. 1. 11.

Cap.

Cap. IIII.

Vtrùm Papa ſancto Petro in toto ſuo iure, lege diuinâ ſuccedat.

Succedit Papa Petro quoad
- *modum,*
  - *non vt*
    - *Apoſtolus Apoſtolo.* 1
    - *totius orbis Paſtori ordinario;* 2
  - *ſed vt Epiſcopus Apoſtolo.* 3
- *ius*
  - *non iure diuino,* 4
  - *ſed humano, quod nititur*
    - *conſuetudine.* 5
    - *honore vrbis Imperialis.* 6

PHIL.

Papa eſt ſancti Petri ſucceſſor; ac proinde, ſi quid huiuſmodi poteſtatis ad ſanctum Petrum ſpectabat, eiuſdem hæres eſt ex aſſe.

ORTH. Nónne ſanctus Petrus erat Apoſtolus? Ecqua in ipſo Apoſtolatu datur ſucceſſio?

PHIL. Quid ni? [a] *Certè, Papatus eſt continuus Apoſtolatus*, vt clariſſimi noſtri Anglo-Rhemenſes aſſeruerunt.

ORTH. At clariſſimus [b] Stapletonus docet, *in Apoſtolatu non ſuccedi*; & clariſſimus [c] Bellarminus negat Romanum Pontificem Petro propriè ſuccedere, *vt Apoſtolo*. Hæc ſi vera ſint, non eſt hæres ejus ex aſſe; neque ſuccedit in vniuerſo eius iure. Cæterùm, ſi Papa non ſit propriè Apoſtolus, cur igitur ſe titulis Apoſtolicis tantoperè venditat? Quippe cuius ſedes [d] Apoſtolica, legatus Apoſtolicus, indulgentia Apoſtolica, ſigillum Apoſtolicum, Bullæ Apoſtolicæ, &, vt vno verbo dicam, omnia Apoſtolica; Imò Papatus eſt Apoſtolatus;

cauſæ

[a] *Anglo-Rhem. in Eph. 4.*

[b] *Princ. doctrin. l. 6. c. 7.*

[c] *De Rom. Pont. l. 4. c. 25.*

[d] *Vide Rainoldum, in ſum. colloq. c. 6. ſ. 4.*

Digitized by Google

cauſæ tractandæ ſunt coram eius Apoſtolatu; grauiora negotia ſunt reſeruanda eius Apoſtolatui; Epiſcopi tenentur viſere limina Apoſtolorum, niſi hoc illis relaxetur ab Apoſtolis ipſis, id eſt, à Papa; nec ita pridem Clemens octauus *quinti Euangeliſta, & Apoſtoli decimi-tertij* titulo eſt inſignitus, narrante, & approbante [e] Baronio. Sed ſpero Deum tales in Eccleſiâ noſtrâ Angelos excitaturum, qualis ille fuit in Eccleſia Epheſinâ; ad quem ſic Chriſtus: [f] *Noui opera tua, & laborem & patientiam tuam, & quòd non poſſis ferre malos, & exploràris eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe, nec ſunt, & compereris eos eſſe mendaces.* Quin ſi Petro in Apoſtolatu non ſuccedat, quomodo igitur?

[e] *Bar. in Corollario de leg. Eccl. Al. in fine, t.6.n.6.*
[f] *Apoc. 2.2.*

2 PHIL. [g] *Vt Paſtori totius Eccleſiæ ordinario.*

ORTH. Nónne reliquis etiam Apoſtolis, perinde ac Petro, ſucceditur?

[g] *Bellar. de Rom. Pontif. l.4.c.25. Stapl. quo ſuprà.*

PHIL. Minimè. Illorum authoritas fuit extraordinaria; Petri ordinaria. Vnde ſequitur eorum poteſtatem fuiſſe temporariam, & vnà cum ipſorum perſonis extinguendam, Petri verò perpetuam fore, & in ſucceſſoribus ſuis perennem.

ORTH. Hoc à vobis affirmatur ſemper, probatur nunquam. Sed obſeruandum, in Apoſtolis dona alia fuiſſe extraordinaria, alia ordinaria. Extra & ſupra communem ordinem Dominus quatuor illis indulſit prærogatiuas; vocationem à Chriſto immediatam, munus ad omnes gentes prædicandi ſine vlla reſtrictione ampliſſimum; Spiritus ſancti in docendo & ſcribendo afflatum infallibilem; & denique miracula operandi facultatem: Quæ omnia ad Eccleſias plantandas erant neceſſaria, ad rigandas non item; ideóque ad poſteros perpetuâ ſucceſſione non ſunt tranſmiſſa.

PHIL. Imò totius Eccleſiæ regimen à Petro in Pontificem eſt transfuſum.

ORTH. Erátne hæc poteſtas in ipſo Petro extraordinaria, an ordinaria? Si extraordinaria, ad Pontificem Romanum tranſire non potuit. Si ordinaria in Petro, cur non in reliquis? Nam Chriſtum munus æquè amplum, verbis æquè amplis, reliquis demandâſſe [h] antea oſtendimus. Petrus ergo nihil habuit præ reliquis ſingulare, nihil à Petro ſingulare accepit Pontifex.

[h] *Cap.3.n.6.*

PHIL. Túne Pontificem Petro ſuccedere negabis?

3 ORTH. Non nego; ſuccedit enim, ſed vt alij Epiſcopi alijs Apoſtolis. Nam præter dona illa extraordinaria, de quibus diximus, alia ordinaria in Apoſtolos ſunt collata, quæ Eccleſiæ ſemper ſunt neceſſaria, ac proinde in ſucceſſores transferenda, qualia ſunt Verbi prædicatio, & Sacramentorum adminiſtratio, in quibus ſinguli Præsbyteri ſuccedunt Apoſtolis; &, præter hæc, miniſtrorum ordinatio, & cenſurarum diſploſio vel relaxatio, in quibus ſinguli Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis. Quocirca in ordinarijs reliqui habent

Digitized by Google

habent ſucceſſores æquè ac Petrus, in extraordinarijs vt reliqui non habent, ita nec Petrus; vel ſi fortè habuit, quo tandem iure Petro ſuccedit Pontifex?

PHIL. [i] *Succeſſio Romani Pontificis in Pontificatum Petri ex inſtituto Chriſti eſt*, ac proinde Iure diuino. [i] *Bell. de Rom. Pontif. l. 2. c. 12.*

ORTH. Vbi tandem, aut quando hoc inſtituit Chriſtus? Profectò Romani Pontificis in toto nouo Teſtamento Chriſtus, quod ſciam, ne meminit quidem.

PHIL. Meminit Petri, qui poſtea factus eſt Romanus Pontifex.

ORTH. Fingamus Chriſtum in perſona Petri inſtituiſſe Monarchiam; ſed quomodo ex perſonali facta eſt localis? Hoc certè non eſt ex inſtituto Chriſti, quia Chriſtus nullum omnino locum deſignauit.

PHIL. [k] *Potuiſſet Petrus nullam ſedem particularem ſibi vnquam eligere, ſicut fecit primis quinque annis; & tunc, moriente Petro, ſucceſſiſſet is, quem ſibi Eccleſia elegiſſet.* [k] *Bellar. ibid. ad verò.*

ORTH. Videtur ergo facta localis, ex electione Petri, & non Iure diuino. Verùm ſi ſit localis, nunquid iſte locus erit Roma ex Iure diuino?

PHIL. Nónne fuit Sanctus Petrus Eccleſiæ Romanæ Epiſcopus?

ORTH. Sic perhibent homines; tuum autem eſt euincere ex Iure diuino.

PHIL. An celeberrimæ hiſtoriæ, quam Euſebius & antiquorum plerique literis prodiderunt, fidem derogabis?

ORTH. Ego verò? Minimè gentium. Interim tu humanâ niteris hiſtoriâ, non Iure diuino. Hiſtoriæ autem referunt Petrum non Romæ modò, verùm etiam Antiochiæ fuiſſe Epiſcopum, idque antequam eſſet Epiſcopus Romæ.

PHIL. [l] *Potuiſſet ſemper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenus ſine dubio ſucceſſiſſet; quia verò Romæ ſedem fixit, & tenuit vſque ad mortem, inde factum eſt, vt Romanus Pontifex ei ſuccedat.* [l] *Ibidem.*

ORTH. Si Petrus Romæ Cathedram fixerit, cui ſucceſſio innititur, quid fiet iſtis Pontificibus, qui Auinione in Galliâ commorati ſunt, & Romam ne ſalutârunt quidem? Præterea hoc eſt Petri facto niti, & non Iure diuino.

PHIL. [m] *Non eſt improbabile, Dominum etiam apertè iuſſiſſe, vt ſedem ſuam ita figeret Romæ, vt Romanus Epiſcopus ei abſolutè ſuccederet.* [m] *Ibidem.*

ORTH. Hoc eſt humanis agere coniecturis, & non Iure diuino.

PHIL. *Sanctus* [n] *Marcellus Papa in Epiſtola ad Antiochenos ſcribit, Petrum, Domino iubente, veniſſe Romam.* Et ſanctus Ambroſius in oratione contra Auxentium, & Athanaſius in [n] *Bell. ibid.*

Apologiâ

Apologiâ pro fugâ dicunt Petrum Chriſti iuſſu Romæ Martyrium pertuliſſe.

Orth. Vt de authoribus nihil dicam, aliud eſt Romæ martyrium pati, aliud Romanum eſſe Epiſcopum. Præterea, hoc fundatur in traditione humana, non in Iure diuino.

5 Et vt ſucceſſio veſtra, ita Monarchica Iuriſdictio Iure diuino probari non poteſt. Quod ipſum ſanctis Patribus [n] Nicenis ſatis innotuit, qui Pontificem Romanum æquè ac Alexandrinum ſuis Cancellis circumſcripſerunt, & poteſtatem eius Patriarchalem *conſuetudini* tribuunt, non Iuri diuino.

[n] *Conc. Nicen. 1 can. 6.*

6 Idem pro certo & explorato habuerunt Patres in ſecundo & quarto generali Concilio congregati; qui Epiſcopi Romani primatum Vrbis Imperialis honori tribuunt. Sic habetur in Concilio [o] Chalcedonenſi: *Antiquæ Romæ Throno, quòd Vrbs illa imperaret, Iure Patres Priuilegia tribuêre; & eâdem conſideratione moti* 150. *Dei amantiſſimi Epiſcopi* (id eſt, Patres ſecundi Concilij generalis, quod primũ fuit Cõſtantinopolitanũ) *ſanctiſſimo nouæ Romæ Throno æqualia priuilegia tribuêre, rectè Iudicantes Vrbem, quæ & Imperio & Senatu honorata ſit, & æqualibus cum antiquiſſimâ Reginâ Româ priuilegijs fruatur, etiam in rebus Eccleſiaſticis non ſecus ac illam extolli ac magnificari*, ſecundam poſt illam exiſtentem. Ita liquet Epiſcopi Romani Iuriſdictionem non eſſe Monarchicam, ſed Patriarchicã, quam non inſtituto Chriſti, non facto Petri, non ſucceſſioni, non Petri Cathedræ, ſed *Vrbi Imperiali* fert acceptam, & per conſequens, ex ſententiâ Patrum, non eſt Iuris diuini, ſed humani, fatente [p] Binio.

[o] *Conc. Chalc. can. 28. Bin. t. 2. p. 135.*

[p] *In not. in Conc. Ch. to. 2. pag. 188.*

Phil. Reſpondent [q] Baronius, [r] Bellarminus, [s] Binius, hunc Canonem à Leone Pontifice non eſſe approbatum.

Orth. [t] Euſebius Epiſcopus Dorylæi, contrarium in ipſo Concilio palam teſtatus eſt, dicens, *Sponte ſubſcripſi, quia & hanc regulam ſanctiſſimo Papæ in Vrbe Romæ ego relegi, præſentibus Clericis Conſtantinopolitanis, eámque ſuſcepit.* Porrò, quid ſi eam non ſuſcepiſſet? Quid ſi reieciſſet etiam? Veſtrum candorem hîc appello, Lectores, vtrùm maior fides adhibenda ſit vni propriam cauſam agenti, cui, præter aliquos paraſitos & adulatores, nemo aſtipulatur, an ſexcentis Epiſcopis, generalium Conciliorum ſententijs & decretis inſiſtentibus, animique ſui ſententiam liberè & ingenuè profitentibus?

[q] *An. 450. & 451.*
[r] *De Rom. Pont. l. 2. c. 22.*
[s] *Quo ſuprà. to. 2. p. 180. & 188.*
[t] *Conc. Chal. act. 6. Bin. t. 2. pag. 136.*

Phil. Hic Canon à Concilio compoſitus non eſt, ſed eundem, inſtigante [u] Anatolio, Iudicibus abſentibus, & Legatis, ad Concilium clanculùm & furtim addiderunt [x] Orientales Epiſcopi.

[u] *Bin. t. 2. p. 180.*
[x] *P. 181.*

Orth. Eccleſia Conſtantinopolitana [y] *rogauit Dominos Epiſcopos de Roma, vt communicarent ijs geſtis; illi verò refutauerunt, dicentes non, ſed alia ſe ſuſcepiſſe mandata: tum ad Iudicum magnificentiam*

[y] *Vid. Conc. Chal. act. 16. pag. 134.*

rem retulerunt, qui iuſſerunt, vt præſens ſanctum Concilium hoc ipſum inſpiceret, quod & factum eſt. Quamobrem licet viſum eſt Iudicibus è Concilio diſcedere, Concilium tamen hanc cauſam authoritate Iudicum ſuſcepit; Legati autem Pontificij, ſi non intererant, cuius hoc vitio factum eſt? Sponte diſceſſerunt, nec quamuis rogati, intereſſe voluerunt. Præterea hoc decretum proximâ ſeſſione publicè[y] relectum eſt, coram Iudicibus, & Reuerendiſſimi Epiſcopi dixerunt: [z]*Hæc iuſta ſententia, hæc omnibus placet, hoc omnes dicimus, hoc iuſtum decretum, quæ conſtituta ſunt valeant, hæc iuſta ſententia, omnia ordinatè decreta ſunt.* [y] Ibidem. [z] Pag. 137.

PHIL. Legati [a] Apoſtolici *contradictio his geſtis inhæret, affirmantis ſedem Apoſtolicam humiliari non debere.* [a] Vide conc. Ch. ibid.

ORTH. Illuſtriſſimi tamen Iudices à ſententiâ diſcedere noluerunt, ſed totum hoc negotium hoc effato obſignârunt, [b] *Quod interloquuti ſumus, tota Synodus approbauit.* Quamobrem totius Synodi authoritate conſtat, Romani Pontificis primatum non eſſe iure diuino. [b] Ibid.

Digitized by Google

Cap. V.

De electione Epiſcoporum in Primitiua Eccleſia, quum nulli adhuc eſſent Chriſtiani Principes.

- *Miniſtrorum electio in*
  - *Nouo Teſtamento triplex, per* — 1
    - *ſortes.*
    - *ſuffragia.*
    - *ſpiritum prophetiæ.*
  - *Primitiua Eccleſia per*
    - *Clerum;* — 2
    - *&*
    - *populum, qui eligebat*
      - *non modò per*
        - *teſtimonium.* — 3
        - *conſenſum.* — 4
      - *ſed etiam per*
        - *ſuffragium.* — 5
        - *ſubſcriptionē.* — 6

Phil.

SI Orbis Chriſtiani in priſcâ illâ & Primitiuâ Eccleſiâ (quæ fonti propinquior Iuris diuini ſenſum penitiùs introſpexit) praxin perpendamus, Eccleſiarum antiſtites à Romano Pontifice, vel ſaltem ab alijs eius authoritate ſuffultis, (ipſo aut iubente, aut permittente, aut ad minimum conniuente) electos, aut confirmatos comperiemus. Itaque omnis eorum Iuriſdictio à Romano Pontifice profluxit.

Orth. Vt hæc omnia ſuo quæque Ordine ad examen reuocentur, à Miniſtrorum electione exordiemur; quæ in Nouo Teſtamento poſt aſcenſum Chriſti in triplici fuit diſcrimine. Eligebantur enim per ſortes, per ſuffragia, per Prophetiæ Spiritum. Per ſortes, vt [a] Matthias ad Apoſtolatum; per ſuffragia, vt ſeptem illi ad [b] diaconatum; per Spiritum Prophetiæ, vt [c] Timotheus ad Epiſcopatum. Nam, vt rectè [d] Chryſoſtomus: *Tunc, quia nihil fiebat humanum, Sacerdotes etiam ex Prophetia veniebant. Quid eſt ex Prophetia? Ex Spiritu ſancto. Quippe munus eſt Prophetiæ non modò futura prædicere, verùm & præſentia dicere; quoniam & Saul prophetiâ oſtenſus eſt, qui inter vaſa latebat. Deus enim reuelat iuſtus. Prophetia itidem fuit, cùm dicit Spiritus ſanctus; Separate mihi Saulem, & Barnabam. Ita & Timotheus electus eſt.* Et [e] Theodoretus ſic Timotheum alloquitur;

[a] Act. 1. 26.
[b] Act. 6. 5.
[c] 1. Tim. 1. 18. & 4. 14.
[d] In 1 ad Tim. c. 1 hom. 5.
[e] Theod. in 1. Tim. 4.

alloquitur; *Reuelatione diuinâ hunc ordinem* (Epiſcopalem)*accepiſti.*
Et[f] Oecumenius: *Spiritus iuſſu inſtituti ſunt Epiſcopi, non temerè.* Hoc [f] *Oecum. in 1. Tim. 4.*
eligendi genus Apoſtolorum tempore maximè videtur in vſu fu-
iſſe,& tamdiu obtinuiſſe, quamdiu prophetiæ donum in Eccleſiâ
durauit. In primo & vltimo eligendi modo,ſolus Deus elegit, in
ſecundo omnes fideles. Huc redeunt omnia,quæ de electionibus
tradit Nouum Teſtamentum; nec in his occurrit præceptum, ſed
ſola exempla. Quamobrem videtur Dominus rationem miniſtros
ſuos eligendi,tanquam rem adiaphoram, in medio reliquiſſe, &
Eccleſiæ Iudicio permiſiſſe,modò omnia honeſtè fiant,& decorè.

A Scripturis ſi ad proximum ſeculum nos conferamus,electio- 2
nem clero & populo tributam intelligemus.

Phil. Clero fateor; res enim ſatis eſt liquida. At in Conci-
lio[g] Laodicenſi interdictum eſt, *Ne ſe populus Epiſcoporum electioni-* [g] *Conc. Laodic. c. 13. Bin. t. 1. p. 289.*
bus immiſceat.

Orth. Concilium eo loci de Presbyteris loquitur, non de 3
Epiſcopis. Et, ſi ſub Presbyterorum nomine Epiſcopos compre-
hendi dixeris,cogitare oportet, hoc Concilium cùm fuerit Pro-
uinciale,toti Chriſtiano Orbi leges imponere non potuiſſe. Epiſ-
copos autem vel poſt hoc Concilium à populo electos,docet cele-
berimum illud[h] Nicenum, ſex annos poſt Laodicenſe (vt compu- [h] *Apud. Theod. l. 1. c. 9.*
tat Baronius) celebratum, In Epiſtola Synodali ad Eccleſiam *A-*
lexandrinam, & dilectos fratres Ægyptum, Libyam, & Pentapolin inco-
lentes. Quod ſi quis fortè Eccleſiæ præſul abdormierit, ius eſto paulò antè
receptis ſuccedere in locum demortui, ſi modò & mereri videbuntur, & po-
pulus elegerit, ſic tamen vt ſuffragium, & quaſi conſignatio accedat Epiſ-
copi Catholicæ Alexandrinæ Eccleſiæ. Quinetiam populum vel ante
Nicenum Concilium hoc priuilegio gauiſum eſſe teſtatur[i] Cy- [i] *Epiſt. 68. vel vt alij numerant, lib. 1. Epiſt. 4.*
prianus: *Plebs obſequens præceptis dominicis, & Deum metuens, à pec-*
catore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificia
miſcere, quando ipſa maximè habeat poteſtatem vel eligendi dignos Sacer-
dotes, vel indignos recuſandi.

Phil. *Non mirum eſt* (inquit[k] Pamelius) *quod hic dicit plebem* [k] *In eandem Epiſtolam.*
maximam habere poteſtatem eligendi dignos, vel indignos recuſandi, quia
ipſius erat crimina, ſeu merita detegere; quod ſi non faceret, meritò illi
imputaretur indigni ad Epiſcopatum promotio, &c. Quod adeo eſt il-
luſtre,vt Alexander Seuerus Imperator (teſte[l] Lampridio) cùm [l] *Lampr. in Seuero.*
Prouinciarum præſides conſtitueret, eorum nomina publicare ſo-
litus ſit,& populum rogare,vt ſi quid obijcerent, iuſtis probationi-
bus fidem facerent; dicens, *Graue eſſe, non fieri in Prouinciarum Re-*
ctoribus, quum id Chriſtiani, & Iudæi facerent in prædicandis Sacerdoti-
bus, qui ordinandi ſunt.

Orth. An populi duntaxat teſtimonium requirebatur, non 4
conſenſus etiam? Quid ergo ſibi vult Leo his verbis?[m] *Teneatur* [m] *Leo. 1. ep. 89.*
ſubſcriptio Clericorum, honoratorum teſtimonium, ac Ordinis conſenſus, &
plebis.

[a] *Turrian. de iure ord. l. 2. c. 1. p. 131 in marg.*
[o] *Quo ſupra.*
[p] *Ep. 52. 4.*
[q] *In epiſt. Cypr. 68. 16.*
[r] *In Epiſt. Cypr. 52. 29.*
[s] *Lanc. Elienſ. in reſp. ad Apolog. Bellar. c. 13. p. 313.*
[t] *Turrian. quo p. 136.*
[u] *Theodoret. l. 4. c. 22.*

Phil. [a] *Aliud eſt conſenſum populi in ordinationibus miniſtrorum requiri, aliud propria ſuffragia.*

Orth. Sanctus [o] Cyprianus *iuſtam & legitimam* appellat ordinationem, quæ *omnium ſuffragio & iudicio fuerit examinata.* Omnium, id eſt, tam populi quàm Cleri. Quod Cyprianus alibi illuſtrat exemplo Cornelij Epiſcopi Romani: [p] *Factus eſt Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti eius Iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis quæ tunc affuit ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum Collegio, &c.* Imò populi ſuffragia apud antiquos tam clarè & liquidò ſunt expoſita, vt [q] Pamelius ipſe negare non poſſit: *Non negamus* (inquit) *veterem electionis Epiſcoporum ritum, qui plebe præſente, imò & ſuffragijs plebis eligi ſolent. Nam in Affricâ illum obſeruatũ cõſtat, vt ex electione Eradij, ſucceſſoris D. Auguſtini, de quo extat epiſtola eius 110. In Græciâ ætate Chryſoſtomi in libro tertio de Sacerdotio; In Hiſpanijs, ex Cypriani loco, & Iſodoro, libro de officijs; In Gallijs, ex epiſtola Cæleſtini Papæ ſecundi; Romæ, ex eis quæ ſuprà diximus in epiſtola ad Antonianum; alibi etiam frequenter ex epiſtola Leonis 87. Et perduràſſe eam conſuetudinem ad Gregorium primum vſque, ex eius epiſtolis; Immò & ad tempora vſque Caroli & Ludouici Imperatorum, ex primo libro capitulorum eorundem, ſatis conſtat.* Et alibi idem [r] Pamelius: *Sæpè variatus eſt mos eligendi Romani Pontificis. Primùm diuus Petrus ſuos ſucceſſores deſignauit, Linum, Cletum, & Clementem. Anacletus, & cæteri vſque ad ſecundum ſchiſma inter Damaſum & Vrſicinum, Cleri & populi ſuffragijs ſunt creati, &c.* En tibi, Pamelius, qui modò populi electionem apud Cyprianum per modum teſtimonij, ieiunè ſatis & frigidè eſt interpretatus, nunc fateri coactus eſt (ô vim veritatis!) populum elegiſſe, & creàſſe Epiſcopos per modum ſuffragij, atque inſuper ipſos Romanos Prælatos, ab Anacleto ad Damaſum, id eſt, ab anno 113. ad annum 307. eodem planè modo à populo electos eſſe. Quocirca longè eſt veriſſimum, quod præſul clariſſimus eleganter expreſſit: [s] *Præſentia plebis apud Cyprianum includit teſtimonium de vita, nec excludit ſuffragium de perſona.*

Phil. Duo ſunt ſuffragiorum genera, vt dextrè diſtinguit [t] Turrianus; vnum petitionis, conſenſus, aut teſtimonij: alterum verò poteſtatis, ſiue authoritatis. Prius ad populum ſpectabat, poſterius non item.

Orth. Quid hoc eſt? Suffragium petitionis, conſenſus, aut teſtimonij? An petere, conſentire, vel teſtimonium dicere, eſt ſuffragari? Huiuſmodi diſtinctiunculæ nihil ſunt aliud, quàm verborum impoſturæ ad homines ludificandos.

Phil. De Lucio, qui Petri Alexandrini cathedram inuaſerat, dictum eſt, quòd *Epiſcopatum* [u] *non conſenſu Epiſcoporum Orthodoxorum in vnum conuenientium, non ſuffragijs verè Clericorum, non poſtulatione populi, vt ſacri Eccleſiæ Canones præſcribunt, accepiſſet; ſed pecuniâ, tanquam dignitatem ſecularem emiſſet.* Vbi vides ſuffragia Clericis, poſtulationem populo tribui.

Orth.

Orth. Vt par pari rependam, ex [x] Cypriano ſuperiùs audiuiſti, Corneliũ Epiſcopum, *Clericorum teſtimonio, & plebis ſuffragio*, electũ eſſe. Vbi vides teſtimonium Clericis, plebi ſuffragium deberi. [x] Ep. 52. 4.

Ph. Nõ hinc colligitur, clericos ſuffragãdi iure fuiſſe deſtitutos.

Orth. Rectè quidem; neque quæ tu attuliſti, euincunt populum à ſuffragijs eſſe excludendum.

Phil. Clericorum ſuffragia erant poteſtatis, & authoritatis; populi verò non item. Neque enim tenebantur Clerici, accipere quemcunque poſtularet populus.

Orth. Nec recipere coactus eſt populus, quemcunque elegerant Clerici: ſed par erat, vt omnium vota concurrerent. Decreuit enim [y] Leo, *vt nullus inuitis, & non petentibus ordinaretur.* [y] Leo Mag. Epiſt. 84. c. 5.

Phil. [z] Pamelius hanc controuerſiam optimè dirimit, dicens; plebi *ſola ſuffragia conceſſa, non autem electionem, quæ per ſubſcriptionem fieri ſolet; perſpicuum ſit ex Concilio Laodicenſi, & Hieronymo, Epiſt. ad Euagr. dum dicit, Electionem Alexandrini Epiſcopi à Presbyteris fieri ſolere. Deinde ex Epiſt. Leonis, qui ſingulorum in electione propria diſtinguens officia, vota requirit ciuium, teſtimonia populorum, honoratorum arbitrium, electionem Clericorum, & denuò poſteà, ſubſcriptionem Clericorum, honoratorum teſtimonium, ordinis & plebis conſenſum.* 6 [z] Pam. in Epiſt. 68. 16.

Orth. De Concilio Laodicenſi ſuperiùs diximus, Hieronymus & Leo in locis allatis ſubſcriptionis non meminerunt. Deinde dum Clericis electionem aſſerunt, populum fortè non excludunt; vel ſi fortè excludant, certè [a] Gregorius Magnus illis refragatur, qui populo & electionem, & ſuffragia, & ſubſcriptionem tribuit. Vacante enim Epiſcopatu, Clerum, plebémque eiuſdem Eccleſiæ admonere ſolebat, vt, *remotis ſtudijs diuerſarum partium, vno eodémque conſenſu talem ſibi præficiendum expectent, qui & tanto miniſterio dignus valeat reperiri, & venerandis canonibus nullatenus reſpuatur; qui dum fuerit poſtulatus, cum ſolennitate decreti omnium ſubſcriptionibus roborati, & viſitatoris paginâ proſequente, veniet ordinandus.* Vbi hæc verba (*omnium ſubſcriptionibus*) diligenter notanda: id eſt, omnium electorum, tam ex populo, quàm ex Clero. Præterea in eligendo Conone, populus exercitúſque Romanus ſubſcripſit, teſte [b] Anaſtaſio. Hinc conſtat plebem vnà cum Clero elegiſſe aliquando, non ſolùm per ſuffragia, ſed etiam per ſubſcriptionem. [a] Epiſt. l. 2. indict. 10. Ep. 19. 26. & 27. indict. 11. Ep. 22. 26. [b] In vita Cononis.

Phil. Verum eſt, permittente Pontifice.

Orth. Atqui, ſede vacante, nullus tunc erat Pontifex, qui permitteret: vel, ſi fuiſſet, quid tum? Nunquid Papæ permiſſionem expectauit ſanctus Auguſtinus in Eradio ſucceſſore ſuo eligendo? Immò verò, non conſulto Pontifice, populum ſic eſt allocutus: [c] *Hoc ad vltimum rogo, vt geſtis iſtis dignemini ſubſcribere, qui poteſtis. A populo acclamatum eſt, Fiat, fiat, dictum quatuordecies.* Quamobrem cùm plebs Gregorij & Auguſtini tẽporibus ſuffragia ferre & ſubſcribere ſit ſolita, nullo modo dubitãdum eſt, habuiſſe etiam ſua ſuffragia tempore Cypr. neq; Papæ permiſſioni hoc tribuendũ, [c] Aug. Ep. 110.

 quia

quia Cyprianus hâc in cauſâ Papæ ne meminit quidem. Verùm ſic ait: [d] *Propter quod diligenter de traditione diuinâ & Apoſtolicâ obſeruatione obſeruandum eſt, & tenendum, quod apud nos quoque, & ferè per Prouincias vniuerſas tenetur, vt ad ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem, cui præpoſitus ordinatur, Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ proximi quique conueniant, & Epiſcopus deligatur plebe præſente, quæ ſingulorum vitam pleniſſimè nouit, & vniuſcuiuſque actum de eius conuerſatione perſpexit: quod & apud vos factum videmus in Sabini collegæ noſtri ordinatione, vt vniuerſæ fraternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum Iudicio Epiſcopatus ei deferretur.* Vbi per vniuerſam fraternitatem, Clerum & populum intelligit; de Pontifice verò altum ſilentium. Quod igitur de eius permiſſione ſubinfers, gratis dicitur. Siquidem cùm Deus certam eligendi formulam in Scripturis non tradiderit, ſed rem in medio reliquerit, rationi maximè erat conſentaneum, vt populus in primis illis Eccleſiæ Chriſtianæ cunabilis hoc honore potiretur. Hinc enim factum eſt, vt Epiſcopos ſuos tranquillè recipere, diligenter audire, ardenter amare, copioſè alere parati eſſent. Quamobrem ſuffragia populi ſumma æquitate nitebantur.

[d] Epiſt. 68. 1. 6.

PHIL. Quot ex electionibus popularibus oriantur tumultus, Eccleſia Dei (proh dolor!) ſatis ſupérque experta eſt. Quanta ſeditio & clades propter electionem Propterij Alexandriæ ſuſcitata ſit, narrat [e] Euagrius: hîc milites vi coactos ad templum Serapidis confugere, populum ſe conglobare, Templum expugnare, viuos concremare cerneres; Propterium ipſum ad Baptiſterium fugientem (viſceribus eius gladio transfixis) conficiunt, fune ligatum omnium oculis ſubijciunt, corpus per totam ciuitatem raptant, membratim diſcindunt, & belluarum more viſcera eius deglutire non exhorreſcunt; poſtremò, quod reliquum erat, igni tradunt, & cineres illius in ventum ſpargunt, diſſipántque. Narrat etiã Ammianus [f] Marcellinus in electione Damaſi *in Baſilicâ: Sicini vno die centum triginta ſeptem reperta cadauera peremptorum, efferatámque diu plebem agrè poſtea delinitam.* Ita humanus ſanguis riuorum inſtar per loca ſancta fluxit, & redundauit. En tibi, populares electiones quos ferant fructus!

[e] Euag. l. 2. c. 5. 7. 8.

[f] Ammian. Marcellin. l. 27.

Canones

Canones ab electionibus non excludunt Principes.

Cap. VI.

Reſponſio ad quaſdam obiectiones ex Concilijs & Hiſtorijs Eccleſiaſticis deductas; contra electiones à Chriſtianis Regibus, & Imperatoribus faciendas.

Obiectio ex
- *authoritate*
  - *Concilij*
    - *Occidentalis*
      - *Pariſienſis.* 1
      - *Santonenſis.* 2
    - *Orientalis,*
      - *Niceni ſecundi.* 3
      - *Conſtantinopolitani quarti.* 4
  - *Athanaſij.* 5
- *Exemplo Valentiniani.* 6

Orth.

SI eligendi ratio popularis adeo ſit periculoſa, in quem potiùs transfundi oportuit antiquum populi ius, quàm in Principem, qui lege diuinâ ſupremus eſt Gubernator ad ſuos regendos, Eccleſiæ & Reipublicæ pater ad ſuos tuendos & fouendos?

Phil. In Concilio [a] Pariſienſi ſic ſancitum eſt: *Quòd ſi per ordinationem Regiam honoris iſtius culmen peruadere aliquis nimiâ temeritate præſumpſerit, à comprouincialibus loci ipſius Epiſcopis recipi nullatenus mereatur.*

[a] *Conc. Pariſ. 3. tempore Ioh. 3. & Childeberti Regis. Bin. t. 2. p. 639.*

Orth. Germanus verborum ſenſus ex verbis iſtis antecedentibus colligi poteſt: *Nullus ciuibus inuitis ordinetur Epiſcopus, niſi quem populi & clericorum electio pleniſſimâ quæſiuit voluntate. Non Principis Imperio, neque per quamlibet conditionem contra Metropolitæ voluntatem, vel Epiſcoporum comprouincialium ingeratur.* Prohibent ergo huius Concilij Patres, nè quis temerè per ordinationem Regiam, vel Imperium Principis ingeratur; id eſt, ne quis à Rege vi & minis, inuito populo, inuito Metropolitano, inuitis comprouincialibus obtrudatur. Sed quid hoc ad Reges Angliæ, qui omnia

Digitized by Google

ordine & canonicè gerunt? Populus enim Anglicanus, ſi quam habuit, aut habere debuit, Epiſcopos eligendi poteſtatem, in Principem comitiјs Regni Parlamentarijs prudenter & officioſè tranſtulit; idcirco totius populi conſenſus in conſenſu Regio includitur. Præterea ſinguli cuiuſquam pouinciæ Epiſcopi, à ſuo Motropolitano ſecundùm leges Angliæ ordinantur, aſſiſtentibus duobus ad minimum comprouincialibus, itaque inuitis populis, Motropolitanis, comprouincialibus, apud nos haud quiſquam ingeritur.

2 PHIL. Anno 566. Concilium [b] Santonenſe in Galliâ celebratum eſt, in quo Leontius & alij congregati Emeritum à Rege Clothario intruſum, ab Epiſcopatu depulerunt.

[b] Bin. t. 2. p. 646.

ORTH. Non erat canonicè hoc honore donatus, [c] *Decretum enim Regis Clotharij habuerat, vt abſque Metropolitani conſilio benediceretur*, at nihil quicquam tale à Regibus noſtris fieri ſolet.

[c] Greg. Turon. l. 4. c. 26.

3 PHIL. In Concilio Niceno ſecundo, ſancitum eſt ſecundùm Apoſtolicum Canonem, [d] *Omnem electionem, quæ fit à Magiſtratibus, vel Epiſcopi, vel Presbyteri, vel Diaconi, irritam manere*: electionem autem ab Epiſcopis fieri debere, ex primi Niceni Concilij Canone quarto, ijdem Patres confirmant.

[d] Conc. Nic. 2. can. 3. Bin. t. 3. p. 393.

ORTH. Secundi Concilij Niceni Canonem, vt & [e] Apoſtolicum, quo nititur, de Magiſtratibus vim inferentibus intelligendum apparet, ex hoc titulo præfixo; *Electiones Epiſcoporum, qui vi Principum procedunt, infirmari debent*. Primi autem Niceni Canon quartus Epiſcopi electionem ab Epiſcopis fieri poſtulat, ſed non à ſolis; vt conſtat ex [f] epiſtolâ eiuſdem Concilij Synodali ad Alexandrinos, & dilectos fratres Ægyptum, Libyam, & Pentapolin incolentes.

[e] Can. ap. 31.

[f] Apud Theod. l. 1. c. 9.

4 PHIL. Non poteris ſic elabi, & octaui Concilij generalis Canoni 22. fucum facere, qui inſtituto noſtro maximè eſt appoſitus; vbi promulgatur; [g] *Neminem Laicorum Principum, vel potentum, ſemet inſerere debere electioni, vel promotioni Patriarchæ, vel Metropolitæ, aut cuiuſlibet Epiſcopi, ne videlicet inordinata hinc, & incongrua fiat confuſio, aut contentio, præſertim cùm nullam in talibus poteſtatem quenquam poteſtatiuorum vel cæterorum Laicorum habere conueniat, ſed potiùs ſilere & attendere ſibi vſque quò Regulariter à collegio Eccleſiæ finem accipiat electio futuri Pontificis.*

[g] Apud Bin. c. 22. tom. 3. p. 857.

ORTH. Hunc Canonem pro ſubintroducto habemus, [h] *Cùm in exemplaribus eius Græcis quatuordecim modò extent.* Et ſanè germanus huius Concilij Canon ſecundus reſponſum noſtrũ confirmat. [i] *Apoſtolicis & Synodicis Canonibus promotiones & conſecrationes Epiſcoporũ, ex potentatu & præceptione Principũ factas, penitùs interdicentibus concordantes definimus, & ſententiam nos quoq; proferimus, vt ſi quis Epiſcopus per verſutiã, et tyrannidem Principum huiuſmodi dignitatis conſecrationẽ receperit, deponatur, &c.* Quamobrẽ antiquorũ Canonũ verus & genuinus ſenſus nõ abſolutè Chriſtianos excludit Principes, ſed ſolùm verſutiam & tyrannidem. Doctrina illa Hildebrandica nondũ orbi innotuit.

[h] Elienſis in reſp. ad Apol. c. 6. p. 141.

[i] Conc. 8. Can. 12 Bin. t. 3. p. 856.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. Quærit Athanaſius[k], Vbi ille Canon; vt è Palatio mittatur is, qui futurus eſt Epiſcopus?

[k] *Athanaſ. in Ep. ad ſol. vitam agentes.*

ORTH. Athanaſius eo loci de geſtis Conſtantij loquitur, qui vſque adeo omnes contempſit Canones, vt & ſuam ipſius voluntatem pro Canone eſſe voluerit. Cùm enim illis temporibus Epiſcopi plebis & Clericorum conſenſu eligi, & in Eccleſia publicè ab Vniuerſis illius Prouinciæ Epiſcopis (ſi fieri poſſet) vel ad minimum à tribus, cum conſenſu Metropolitani ordinari ſolerent, Conſtantius non in Templo, ſeu Eccleſiâ, ſed in ſuo Palatio hoc fieri iuſſit; nec à Prouinciæ Epiſcopis, ſed à tribus quos Athanaſius non [illegible] ſed [illegible] appellat: nec populo præſente, ſed tribus duntaxat Aulicis, Conſtantij ſcilicet Eunuchis ſpectantibus. Hoc modo Fœlix quidem creatus eſt Epiſcopus. Hæc Epiſcopos à Palatio mittendi formula omnes violat Canones. In hanc inuehitur Athanaſius, nec ſanè quiſquam (modò ſano ſit iudicio) approbare poſſet. Cæterùm, quæ iam obtinet in Eccleſiâ Anglicanâ Epiſcopos creandi ratio, illa & antiquis Canonibus, & Hiſtoriæ priſcæ maximè eſt conſentanea.

6

PHIL. [l] Valentinianus, *cùm Concilium Epiſcoporum contenderet ab eo, vti ipſe (vtpote ſapientiæ & pietatis inſignibus præclarè ornatus) Epiſcopum eligeret; Maior eſt (inquit) hæc Prouincia, quàm quæ viribus noſtris ſuſtineri poſſet. Proinde vos, diuinâ repleti gratiâ, & illius ſplendore illuminati, multò meliùs hoc Epiſcopi diligendi negotium tranſigetis.*

[l] *Theod. l. 4. c. 6.*

ORTH. Dum hoc ab Imperatore tot petunt Epiſcopi, idem profectò licuiſſe ampliſſimum perhibent teſtimonium. Et ſanè Epiſcopi ſe piè & officioſè geſſerunt in Principem, Princeps ſe in ſubditos modeſtè & clementer. Sed hæc rem acu non tangunt. Dubitari enim non poteſt, quin Principi fas ſit de ſuo iure ad tempus decedere, ex pietate tamen, non ex debito; & quod iam in Epiſcopos onus refundit, poteſt ipſe (vel ſucceſſores eius) ſi quando viſum ſit, reſumere. Alijs obiectionibus ſuperſedêre poſſumus; quia hoc argumentum copioſè tractârunt[m], Bellarminus & Elienſis[n]. Eligendi autem ius ad Principem antiquitùs ſpectâſſe, vbi primò vrbes Imperiales, Romam, & Conſtantinopolim, dein Galliarum, & Hiſpaniarum Regna perluſtraueris, abundè conſtabit.

[m] *In Torto.*

[n] *In Tortura. pag. 109. Et deinceps.*

CAP.

Cap. VII.

De Romanorum Epiſcoporum electione ſub Imperatoribus Chriſtianis, vſque ad tranſlationem Imperij à Græcis ad Francos.

Electio Romanorum Pontificum,	*à Silueſtro ad Damaſum.* 1
	à Damaſo ad Vigilium. 2
	à Vigilio ad Benedictum ſecundum. 3
	à Benedicto ad tranſlationem Imperij. 4

Phil.

o Pamel. in Cypr. ep. 52.

IN[o] *electione Damaſi interponi cœpit Imperatorum authoritas; & primùm quidem in ſchiſmate duntaxat ad ſedandos tumultus: vti à Valentiniano res compoſita eſt inter Damaſum & Vrſicinum, ab Honorio inter Bonifacium & Eulalium, & à Theodorico Rege inter Symmachum & Laurentium. Deinde etiam extra ſchiſma, ne fortè tumultus contingeret. Imò eò res paulatim deuenit, vt ſine illorum aſſenſu conſecrationem ſuſcipere non auderent.*

p Bell. diſ. de exempt. p. 271. in octauo.

q Soc. l. 2. c. 20.

Orth. Conſtantinus Magnus, qui [p] *primus fuit Imperator apertè Chriſtianus*, ad fidem conuerſus eſt, ſecundùm Baronij calculum, Imperij ſui anno 7. qui erat Chriſti 312. Melchiadis autem Romani Pontificis ſecundus. Sub cuius Imperio tres ſucceſſerunt Epiſcopi Romani, Syluester, Marcus, & Iulius; quorum electionibus (cum longè abeſſet) ſe non admiſcuit, ſed eaſdem (vt olim fieri ſolebat) populo & clero permiſit. Quantum verò Iuris in huiuſmodi negotijs ſibi vendicaret, ex eiuſdem ad Athanaſium literis percipi poteſt: *Si* (inquit) [q] *intellexero quenquam, qui Eccleſiæ particeps fieri cupiat, vel impeditum à te, vel introitu prohibitum, mittam illico aliquem ex meis, qui mandato meo te de gradu dimoueat, locúmque tuum alteri tribuat.* Mortuo Conſtantino Patre, Athanaſium exulantem reſtituit Conſtantinus filius. Imperante Conſtantio, in ſede Romana anno 352. Iulio Papæ ſucceſſit Liberius, qui

Digitized by Google

qui ſub Iuliano & Iouiniano viuens ad annum 367. pertingebat; cum cuius electione in Occidente factâ, Conſtantius quidem nihil habuit commercij, non quòd ab eius authoritate eſſet aliena, ſed eâdem de causâ, quia ſcilicet longo terrarum interuallo erat diſiunctus. Idem tamen vel ante hoc tempus in Oriente ſe interpoſuit: Nam *de cæde* [r] *Harmogenis certior factus, Conſtantinopolin rectà iter capit, Paulum eiecit è ciuitate, Macedonium tamen Epiſcopum eius ciuitatis renunciare diſtulit.* Etenim in illum, vt alijs de cauſis, ita *quòd de eius ſententiâ & conſilio nutiquam delectus fuiſſet, iracundiâ admodum exarſit: itáque poteſtate factâ Macedonio, conueniendi in eâ ſolum Eccleſiâ, in quâ electus erat Epiſcopus, celebrandi, Antiochiam reuertit.* Poſtea ſimul atque acceperat Paulum ſedem denuò occupâſſe; eundem per [s] Philippum præfectum exturbari, atque in exilium mitti, ac Macedonium in eius ſedem collocari præcepit. Vides igitur etiam Conſtantinum Iuniorem, & Conſtantium ſuam in Oriente poteſtatem exercuiſſe.

[r] Socr. l. 1. c. 10.
[s] Socr. l. 1. c. 12.

Defuncto Liberio, anno 367. creatus eſt Damaſus, ſed non ſine Valentiniani ſubſidio, qui teſte [t] Pamelio, *rem inter Damaſum & Vrſicinum compoſuit*; & ita compoſuit, vt Damaſus Cathedrâ potiretur. Damaſo (qui ſub 5. vixerat Imperatoribus, Valentiniano, Valente, Gratiano, Valentiniano Iuniore, & Theodoſio) anno Chriſti 385. qui inciderat in Valentiniani Iunioris decimum, Theodoſij autem ſeptimũ, ſucceſſit Siricius: cuius electionem confirmauit [u] Valentinianus his verbis; *Memoratus Epiſcopus ipſe permaneat*; vt ex eius Epiſtolâ ad Pinianum conſtat, quæ adhuc in Bibliothecâ Vaticanâ extat, & habetur apud Baronium.

[t] In Cypr. Epiſt. 52.
[u] Baron. an. 385. n. 6.

PHIL. Hoc erat ſingulare quiddam, præter communem morem ad ſedandum ſchiſma; nondum tamen in conſuetudinem abierat; verùm *ſub Iuſtiniano Imperatore* (vt narrat [x] Onuphrius) *ex authoritate Papæ Vigilij nouus quidem in Comitijs Pontificijs mos inoleuit: is fuit, vt, mortuo Papâ, noua quidem electio more maiorum ſtatim à Clero, Senatu, populóque Romano fieret: verùm electus Romanus Pontifex non antè conſecrari, atque ab Epiſcopis ordinari poſſet, quàm eius electio ab Imperatore Conſtantinopolitano confirmata eſſet, ipſéque literis ſuis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, vt ordinari, & conſecrari poſſet, atque ita Iuriſdictionem Pontificatus tum obtineret.* Si hic mos ex authoritate Papæ inoleuit, nullam Imperatoris arguit poteſtatem, niſi à Pontifice profectam.

[x] Onuph. in Platin. in Pelagio. 2.

ORTH. *Pro licentiâ conſequendâ* (inquit [y] Onuphrius) *electo neceſſe erat certam pecuniæ quantitatem Imperatori tranſmittere; quâ veniâ obtentâ, ipſe poſtea conſecrabatur, & Romanum adminiſtrabat Pontificatum. Antea enim idem dies comitiorum, & conſecrationis Pontificis renunciati erat. Hoc autem ideo Iuſtinianum Imperatorem, vel ex eius authoritate Vigilium Papam inſtituiſſe credendum eſt.* Animaduerte, Philodoxe; mos quidem inoleuit authoritate Papæ, verùm Papa ex Imperatoris authoritate hoc inſtituit. Authoritas ergo quam

[y] Ibid.

hîc

hîc exercuit Papa, ab Imperatoris authoritate profluxit. Sed pergat Onuphrius: *Vt Imperator certus eſſet de conditionibus noui Pontificis, cuius tum maxima eſſe authoritas cœperat, Imperatoribus præſertim Italiâ abſentibus, ne aliquo Pontifice factioſo, vel Imperatoris hoſte Ordinato, Vrbs, & Italia, eo Authore, ab Orientali Imperio deficeret.* Prætereà, licèt hanc pecuniæ ſummam primus omnium Pontificum ſoluit Vigilius, primus omnium Imperatorum accepit Iuſtinianus, Imperatorum tamen, vel ante Iuſtinianum in electionibus emicuit authoritas, teſte Platinâ in vitâ Siluerij (qui Vigilium proximè antecesſit, & Pontificatum ſuſcepit anno 537) his verbis: *Siluerius natione Campanus, patre Hormiſda Epiſcopo, Theodato Rege iubente, Pontifex creatur, cùm antea non Regum, ſed Imperatorum authoritas interueniret; plus autem valüere Theodati mina, quàm Decreti ratio.* Sic Platina. Ergo vel ante Siluerium interuenire ſolebat Imperatorum authoritas, non modò ad ſchiſma compeſcendum (vt in electionibus Bonifacij & Symmachi) ſed ex decreto. Iuſtinianus autem ſe hoc iure fraudatum, tam indignè tulit, vt inter alias etiam hanc ob cauſam, teſte [a] Platinâ, *Beliſarium Patricium cum exercitu in Italiam miſerit.* Denique vt hic mos longè ante Iuſtinianum obtinuit, ita diu poſt Iuſtinianum durauit.

[a] *In vitâ Siluerij.*

3 PHIL. Hanc tyrannidem (ſic enim non immeritò appellat Cardinalis [a] Bellarminus) vſque ad tempus Benedicti ſecundi valüiſſe fateor. *Ad hunc enim* [b] *Conſtantinus* (Pogonatus) *Imperator, hominis ſanctitate permotus, ſanctionem miſit, vt quem deinceps Clerus, populus, exercitúſque Romanus in Pontificem delegiſſet, eundem ſtatim verum Chriſti vicarium eſſe omnes crederent, nullâ aut Conſtantinopolitani Principis, aut Italiæ Exarchi expectatâ authoritate, vt antea fieri conſueuerat. Id enim ratum erat in creando Pontifice, quod Princeps confirmâſſet, vel qui eius vices in Italiâ gerebat.*

[a] *Apol. pro reſp. ad lib. Reg. c. 6.*
[b] *Anaſtaſ. & Plat. in Bened. 2.*

ORTH. *Ita comparatum eſt apud Cardinalem, vbi Pontifex in Cæſarem quid, libertas vera: vbi Cæſar quid in Pontificem, Tyrannis mera:* vt eleganter reſpondit doctiſſimus Epiſcopus [c] Elienſis. Sed vt accipiam quod das, fateris obtinuiſſe hanc conſuetudinem à Vigilio ad Benedictum ſecundum; quo temporis interuallo viginti vnus aut circiter fuerunt Romani Pontifices; authoritate Imperiali creati omnes, ſi vnum Pelagium ſecundum exceperis: de quo ſic [d] Platina: *Hæc autem vna fuit cauſa, quare Pelagius iniuſſu Principis tum Pontifex creatus ſit, quum extra obſeſſam ab hoſte vrbem mitti quiſpiam non poſſet. Nihil enim tum à Clero in eligendo Pontifice actum erat, niſi eius electionem Imperator approbâſſet, miſſus itaque Conſtantinopolim ad placandum Imperatorem, Gregorius Diaconus, vir optimus atque doctiſſimus.* Mortuo Pelagio, cùm Gregorius inuitus crearetur Pontifex, *Is, cùm Principis conſenſus requireretur, nuntios cum* [e] *literis miſerat, qui Mauritium obſecrarent, ne pateretur electionem Cleri & populi eâ in re valere. Intercepta ſunt literæ à Præfecto vrbis, ac diſcerptæ, ſcriptæque aliæ quibus rogabatur, vt quem populus & Clerus in Pontificem legiſſet, eundem*

[c] *In reſp. ad apol. c. 6. p. 145.*
[d] *In Pel. 2.*
[e] *Bar. in Greg. 1.*

Digitized by Google

eundem Imperator confirmaret. Præterea, [f] *Seuerinus in Honorij de mortui locum ſurrogatus ab Iſacio, totius Italiæ Exarcho, in Pontificatu confirmatur*. Vana enim *tum habebatur populi ac Cleri electio, niſi Imperatores, ac eorum Exarchi confirmaſſent*. Quam confirmandi rationem vſque ad Benedictum ſecundum duraſſe concedis. [f] In Seuer.

Sed nunquid in Benedicto deſijt, & ceſſauit? At Conſtantinus non abſolutè hoc conceſſit Clero populóque Romano, ſed iiſdem, vt ex [g] Platinâ conſtat, *Romanum adiunxit exercitum*, qui cùm eſſet in Imperatoris præſidium conſtitutus, ab eiuſdem nutu pendebat. Præterea licèt Conſtantinus Pogonatus, pecuniæ ſummam, quæ à Iuſtiniani vſque temporibus pro Romani Epiſcopi ordinatione ſolui ſolebat, per diualem vel ſacram ſuam Agathoni remitteret, eligendi tamen ius non abſolutè reliquit, ſed hâc lege: [h] *Vt non debeat ordinari, qui electus fuerit, niſi priùs decretum generale introducatur in regiam Vrbem, ſecundùm antiquum conſuetudinem, vt cùm eorum (id eſt, Imperatorum) conſcientia & iuſſione, debeat ordinatio proſperari*. Conſtantini filius Iuſtinianus Iunior, qui mox ſucceſſit (nam Conſtantinus eodem anno quo ſanctionem miſit fato ſuo functus eſt) [i] *mandauit vt non crearetur Pontifex ſine conſenſu Exarchi*. Quod mandatum anno proximo in actum reducebatur in eligendo Conone. Nam, vt verbis vtar [k] Anaſtaſij: *Videns exercitus vnanimitatem Cleri, populíque in decreto eius ſubſcribentium, poſt aliquot dies & ipſi flexi ſunt, & conſenſerunt in perſonâ prædicti ſanctiſſimi viri, atque in eius decreto deuotâ mente ſubſcripſerunt, & miſſos pariter vnà cum Clericis & ex populo ad excellentiſſimum Theodorum Exarchum, vt mos eſt, direxerunt*. Quem verò in finem ad Exarchum miſerint docet [l] Platina, his verbis; *Omnes ad quos pertinebat eum confirmabant cum maximâ acclamatione laudum ſuarum: idem fecit Theodorus Exarchus*. 4

[g] In Ben. 2.
[h] Diſt. 63.
[i] Bin. in not. in vita Cononis, t. 3 p. 13.
[k] In vita Cononis, Bin. quo ſuprà.
[l] In vita Cononis.

PHIL. Hactenus de Imperatoribus Græcis; nunc Romanorum Imperatores ſunt perluſtrandi.

Digitized by Google

Cap. VIII.

De Romanorum Epiſcoporum electione à Carolo ad Othonem.

De
- *Carolo*
  - *quomodo ad Romanum imperium euectus.* 1
  - *quomodo eligendi poteſtas*
    - *ab Adriano data, vbi de Canonis*
      - *veritate, vbi obiectionum*
        - *Sigiberti defenſio.* 2
        - *Baronij* / *Binij* / *Bellarmini* *depulſio.* 3
      - *vero ſenſu.* 4
    - *à Carolo ad praxin reuocata.* 5
- *Caroli in Romano Imperio ſucceſſoribus*
  - *Ludouico.* 6
  - *Lothario.* 7
  - *Ludouico ſecundo.* 8
  - *Reliquis.* 9

Orth.

CVm Imperator Leo tertius ſe cultui imaginum opponeret, Gregorius Papa, eius nominis ſecundus, non modò eum excommunicauit; verùm etiam Italis interdixit, [a] ne tributum aut obedientiam illi præſtarent. Hinc, magnâ Italiæ parte à fidelitate Imperatori debitâ reſiliente, Roma, & Ducatus Romanus Pontifici ceſſerunt; Italia verò reliqua Regi Longobardorum. Poſtea, ortâ ſimultate inter Pontificem & Longobardum, Longobardus vrbem obſedit. Obſidio autem auxilio Caroli Martelli (qui illâ tempeſtate Regnum Galliæ adminiſtrabat) ſoluta eſt. Mortuo Martello, filius eius Pipinus ope Zachariæ Pontificis (beneficio vno alterum inuitante)[b] Rex Galliæ factus, non modò Pôtificem contra Lôgobardum

[a] *Simon. de Reg. Ital. l.3. An. 726.*

dum tuebatur, ſed etiam ſubiugatâ Rauennâ, & eius territorijs, [e] Exarchatum, Pentapolímque Sancto Petro, & ſucceſſoribus eius in perpetuum poſſidenda conceſſit. Quam donationem filius eius Carolus (debellatis Longobardis, & victâ Italiâ) confirmauit, ac locupletauit. Hic erat Carolus ille magnus, qui Galliæ Regnum hæreditate, Italiæ victoriâ adeptus, Romanorum Imperator ſalutatus eſt, vt hoc modo ab Imperatore Græcorum diſtingueretur.

[e] *Idem, an. 755.*

Porrò, vt ante hoc tempus, electiones erant penes Imperatores Græcorum, ita iam factæ ſunt penes Imperatores Romanorum. Nam [a] *Hadrianus Papa cum vniuersâ Synodo tradiderunt Carolo ius & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem: dignitatem quoque patriciatus ei conceſſerat, inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Prouincias ab eo inueſtituram accipere definiuit, vt niſi à Rege laudetur & inueſtiatur, Epiſcopus à nemine conſecretur: & quicunque contra hoc decretum ageret, Anathematis vinculo eum innodauit,* & niſi reſipiſceret, *bona eius publicari præcepit.*

[a] *Diſt. 63. Adrianus.*

Phil. Quod de Hadriani conceſſione Carolo factâ producis, [e] *mendacium eſſe, commentum, & impoſturam* quis non videt?

[e] *Bin. ſ. 3. p. 252.*

Orth. Ampliſſimâ inſignium teſtium coronâ probari poteſt, qui veritatem clarâ in luce conſtituerunt, & ſole meridiano illuſtriorem fecerunt.

Phil. Eſt commentum à Sigeberto excogitatum, in gratiam Henrici quarti ſchiſmatici Imperatoris, Eccleſiarum inueſtituras ſibi vendicantis. Quod licèt à complurimis Eccleſiaſticis authoribus in ſuos libros ſit relatum, omnes tamen à Sigeberto (qui primus hanc adornauit impoſturam) mutuati ſunt, cui, vt narrat [f] Baronius: *Res accidit ex ſententiâ, vt, nullo de impoſturâ habito diligentiori examine, creditum ſit eſſe verum, quod à Sigeberto quàm mendaciſſimè eſſet affirmatum.*

[f] *Anno 774. n. 10.*

Orth. Si tot illuſtres Authores hoc à Sigeberto mutuati ſint, certè Sigebertus viſus eſt illis vir probus, famæquè intactæ, cùm rem tanti momenti, eius ſolius authoritate nixi, in publicum auderent emittere. Quem ſi tot Eccleſiaſtici Scriptores per annos quingentos tanti fecerint, cur primus omnium Baronius de eius gloria delibare, eiúſque nomini ignominiæ maculam inurere molitur? Verùm quid ſi Sigebertus hoc primus non prodiderit? Quid ſi hoc ipſum retulerint hiſtorici vel ante natum Sigebertum? Quid ſi Papæ ipſius aſſeclæ? Quid ſi Anaſtaſius Bibliothecarius, frater natu maior ipſius Baronij Bibliothecarij, item Apoſtolici?

Phil. Falleris. Proſtat Anaſtaſius, nec quicquam huiuſmodi apud eum reperitur.

Orth. Fuit tamen apud eum aliquando. Verùm, dum ignem tranſijt expurgatorium, liquefactum credo defluxit.

Phil. Quid? Num Anaſtaſius tibi expurgatus videtur?

Orth. Nullus dubito. Veſtrâ intererat cauere, ne quid Romana curia detrimenti caperet.

Phil. Coniecturæ iſtæ charitati repugnant, quæ omnia [c] ſperare iubet.

[c] 1. Cor. 13. 7.

Orth. Scilicet, quæ prudentem ſperare oportet: at hic prudentia nullam ſpem ſuadet.

Phil. An euincere potes hoc ſcripſiſſe Anaſtaſium?

Orth. Ex [d] Platinâ clariſſimè euincitur; cuius hæc ſunt verba: *Idem quoque Bibliothecarius ſcribit, Ludouicum liberam eligendorum Epiſcoporum poteſtatem Paſchali dediſſe, cùm antea ea quoque in re Imperatores conſulerentur. Quam poteſtatem ab Hadriano Pontifice Carolo conceſſam, idem author refert.* Hactenus Platina. Audin' hoc? Platina affirmat *hanc poteſtatem ab Adriano Carolo conceſſam,* idque referre Bibliothecarium; is autem erat Anaſtaſius, celeberrimus Bibliothecarius, qui vitas Romanorum Pontificum, vſque ad Benedictum 3. ſucceſſorem Nicolai, ſcripſit, vt tradit [e] Onuphrius, vel ad Stephanum ſextum, vt placet [f] Baronio. Ita compertum habemus hoc ſcripſiſſe Anaſtaſium, quamuis in hodierno Anaſtaſio nuſquam compareat. Atque hic infinitam Dei ſapientiam admirari debemus, qui opera tenebrarum reuelare, & quæ in intimis fiunt cubiculis retegere ſolet. Nam Baronius, cùm præter Anaſtaſium hiſtoricorum neminem Sigeberto antiquiorem, qui huius rei meminerit, in memoriam reuocare poterat, ſibi ipſi adblandiens perſuaſit, ſi Sigebertum huius rei authorem indigitaret, rem Romanam ſatis fore ſaluam. Etenim inſignes illos Scriptores, & nobiles hiſtoricos, qui per annos 340. florentes hanc hiſtoriam literis tradiderunt, omnes hoc vno quaſi ictu obtruncat, quòd vniuerſi à Sigeberto decepti eſſent. Sigebertum autem ipſum, tanquam mendacem, &, in gratiam ſchiſmatici Imperatoris, dolo malo turpiter vtentem, indignabundus reijcit, & repudiat. Anaſtaſium verò Medici Pontificij iſtiuſmodi noxijs humoribus purgandum cenſuerunt. Interim Platinam in Paſchali primo hoc diuulgaſſe non animaduerterant. Quin ſi animaduertiſſent, ſine dubio linguam iamdudum exercuiſſent, vel ſaltem os garrulum obturâſſent. Nunc verò ille plenus eſt rimarum, huc illuc diffluit, & Imperij Pontificij arcanũ diuulgat. Ita Sigeberti probitas emicuit, & Pontificiorum inſignis fraus ac impoſtura patefacta eſt. Benedictus ſit Dominus, qui aſtutos in ſua aſtutia comprehendit, & huius ſeculi prudentiam in ſtultitiam vertit. Sed vt ſingulæ aues proprijs decorentur pennis, huius fraudis retectæ gloria iuxta Deum, ad doctiſſimum virum Georg. Carletonum, S. Theologiæ D. Ciceſtrenſem nunc Epiſcopum, ſpectare fateor, qui furem ſubodoratus (inſtar canis ſanguiſequæ) veſtigia ſecutus eſt, nec vnquam demiſit, donec in ipſo Vaticano furem nobis purpuratum oſtenderet. Baronius in rimandis antiquitatibus oculum Aquilinum, robur Leoninum

[d] In Paſch. 1.

[e] Onuph. in Plat. in Ioh. 8. & in Nic. 1.

[f] Bar. an. 885. n. 7.

Economum habuiſſe prædicatur; Annales eius ingens intimæ antiquitatis theſaurus à pleriſque habiti ſunt: verùm propiùs intuentibus,& ipſe videbitur nobilis Papæ paraſitus, & Annales eius antrum vulpinum eſſe. Huius vulpis aſtutiam & fraudem in Honorio nobis retexit doctiſſimus [a] Rainoldus, in Iohannâ Papiſſa Alexander [b] Cokus,in Iuſtiniano Imperatore decolorando Rich. Cranckinthorpius, Doct. Theolog. & in hoc Adriano de quo agitur, [d] Georgius,quem dixi, Ciceſtrenſis. Iohannes [e] Marſilius perhibet,librum in lucem breui eſſe proditurum,cuius inſcriptio eſt, ***Errores Cardinalis Baronij,*** vbi ſigillatim oſtenduntur pluſquàm viginti errores,quos in antiquiſſima Papæ Iohannis 12. hiſtoria neganda commiſit. Accepi etiam de alijs, qui in hac palæſtra plurimùm deſudârunt,quorum laboribus benedicat Dominus,vt fumi falſariorum diſpellantur,& veritas,tanquam Sol in meridie, ſplendeſcat. Hactenus de Anaſtaſio; cui (vt tibi abundè ſatisfiat) duos alios à doctiſſimo Epiſcopo,nuper [f] Elienſi, nunc Wintonienſi,adiungam productos, Walthramum ſcilicet,Sigeberto antiquiorem,& vtroque ducentis annis priorem Eutropium Longobardum. Nunc æquo & candido cuiquam iudicandum permitto,quiſnam mendacij,commenti,& illuſtris impoſturæ reus ſit peragendus; num Sigebertus,an potiùs illuſtriſſimus Cardinalis Baronius.

[a] *Apol.theſium, n.43.*
[b] *In dial. Angliæ de Iohanna Papiſſa.*
[d] *De iuriſd.c.7.*
[e] *Ioh.Marſil. defenſ.p.354.*
[f] *In Reſp. ad apol. Bellar. c.6.p.140.*

PHIL. Baronius inter recentes hiſtoricos micat,*velut inter ig-* 3
nes Luna minores. Nec dubito quin quod aſſerit,ſolido ſuperſtruat fundamento. Quod in hoc de quo agitur eſt manifeſtum. [g] Eginhardus,qui Caroli Magni lateri adhærebat, & vitam eius ſcripſit, huius priuilegij non meminit,nec Francorum annales. Immò ex Scriptoribus omnibus rerum Francicarum, qui Sigebertum tempore præceſſerunt, nullus penitùs reperitur, qui de Carolo id aſſerüerit.

[g] *Baron.an.774. ex Bin.t 3.p.252 Bell.in apol.ad reſp.ad lib. Iac. Reg.c.6.p.76.*

ORTH. Iſtorum ſilentium aliorum relationi non præiudicat; In hiſtoriâ vnius aſſertio multorum ſilentio præponderat. Nec tamen hîc omnes taceant Scriptores Gallicani. [h] Frosbardus, qui Caroli geſta ex eius gentis antiquis Scriptoribus colligit,huius hiſtoriæ meminit.

[h] *In Charlemain.fol. 80.citante Georg. Ciceſtr. de iuriſdictione,c.7 148*

PHIL. [i] *Quo pacto verum eſſe poteſt, dediſſe Hadrianum priuilegium aliquod Carolo Magno Imperatori, quum tempore Hadriani Carolus Imperator non eſſet?*

[i] *Bell.apol. p.76.77.*

ORTH. Carolus ad nouum in Occidente Imperium paulatim emicuit: rem parauit virtute ſua: nomen poſteà, dignitatémque nominis contulerunt Romani: Imperialis Inaugurationis ſolennia addita ſunt à Leone. Italiam ſubiugauit anno 774.ideóque rem Imperij ſibi conquiſiuit vigenti plus minus annis ante defunctum Hadrianum. Quamobrem cùm iam eundem Romani pro ſuo Principe agnoſcerent, quidni etiam eidem concederent poteſtatem, quâ priores Principes in eligendis Pontificibus vſos fuiſſe conſtabat?

Digitized by Google

PHIL. Quo demum in loco facta eſt hæc conceſſio?

ORTH. Romæ [a] in Laterano.

PHIL. Romæ? Fieri non potuit. [b] *Eginhardus expreſſè affirmat, Carolum non niſi quater ſe Romam contuliſſe. Vbi ergo quintus à Sigeberto confictus, nunquam aſſertus ab alio quoquam, vel excogitatus Caroli Magni in vrbem aduentus?*

ORTH. Quoties ſe Romam contulerit, non admodum refert; hoc ad inſtitutum noſtrum ſatis eſt, quòd, exercitu Papiæ relicto, in Sancta Reſurrectione ab Hadriano Papa Romæ honorificè ſuſceptus, poſt ſanctam Reſurrectionem, reuerſus Papiam, cæperit Deſiderium Regem. Deinde Romam reuerſus, conſtituit ibi Synodum cum Hadriano Papa in Patriarcatu Lateranenſi. Quâ in re ſi Sigeberto non credas, crede Gratiano; Gratiano inquam Romæ recognito ex editione Gregorij 13. vel ſaltem Theodorico de Niem.

PHIL. Si [c] *Papiâ Romam reuerſus ſit, at ibi Synodum non conſtituit. Vnde enim tot Epiſcopi, & Abbates tam repentè conuenirent?*

ORTH. *Abſtollens ſecum* (inquit [d] Anaſtaſius) *diuerſos Epiſcopos & Abbates, Romam per Tuſciæ partes properauit.* Nonne hoc arguit ſtatuiſſe apud ſe Carolum Concilium conuocare? Quod vt eſſet inſtructius, hos parauit Epiſcopos. Hîc mirari ſubit, quidnam Romanæ ſpongiæ Clerici ſibi voluerint, qui quum conceſſionem ab Hadriano factam Carolo ex Anaſtaſio penitùs eraſerant, hoc de Epiſcopis & Abbatibus non pariter expungerent. Ita iſti infœlices Ariſtarchi priuilegium Imperiale, id eſt, Cygnorum, qui in Anaſtaſij natabant flumine, formoſiſſimum ſurripuerunt, quibus tamen imprudentibus nonnullæ exciderunt plumæ, ex quibus certo indicio conſtaret, eo loci fuiſſe Cygnum.

PHIL. Cur quæſo Carolus in Italia Concilium conuocaret?

ORTH. Theodoricus [e] de Niem ait, hanc Synodum celebratam *ab* 153. *Epiſcopis, & Abbatibus, exquirentibus vſus, leges, & mores eiuſdem, Eccleſiæ, & Imperij.* Quorſum autem Imperij, niſi vt omnia Imperij priuilegia in Carolum, qui iam rem Imperij nactus erat, conferrent?

PHIL. Quæ tandem priuilegia?

ORTH. Romani multis beneficijs non ſolùm à Carolo, verùm etiam ab eius patre & auo affecti ſunt. Imprimis vt paulò altiùs hîc repetam, quod ſuperiùs attigi, cùm Longobardus vrbem Romam turmis hoſtilibus cingeret, Carolus Martellus, huius Caroli auus, expeditione ſusceptâ, obſidionem ſoluit. Poſteà, cũ Longabardus, expugnatâ Rauenna, Romæ inhiaret, Pipinus, Caroli magni pater, recuperatam Rauennam cùm eiuſdem territorijs, Sancto Petro, & ſucceſſoribus eius dono dedit. Quam donationem

[a] *Diſt. 63. Adrianus.*
[b] *Baronius quo ſuprà.*
[c] *Ex Baronio quo ſuprà.*
[d] *In vita Adriani.*
[e] *Apud Georg. Cartec. epiſc. de hæreſ. l. 7. p. 140*

Digitized by Google

nem Carolus Magnus, Longobardis penitùs debellatis, & Italiâ in ditionem eius redactâ, confirmauit, & amplificauit. Vrbem Romam nunquam vi aut armis intrauit, ſed ſemper ab aliorum iniurijs liberauit. Vexillum ſuum nunquam in Romanos, ſed in eorum hoſtes ſemper expandit. Longobardos (Romanis eius opem implorantibus) Româ, et Italiâ totâ exterminauit. Denique in Romam nunquam erat hoſtili animo, ſed ſemper amiciſſimo. Pro quibus tot & tantis in ſe collatis beneficijs, Romani, vt Carolo gratificari poſſent, Regias illi prærogatiuas, tam in Eccleſia, quàm in Republica indulſerunt. Rempublicam quod attinet, Hadrianus Papa (omnium qui conuenerant, Ciuiũ & Procerum nomine) Patriciatus dignitatem ei conceſſerat, id eſt, *vt* [f] *Romanorum Princeps, patronus, protector diceretur.* Quod ad Eccleſiam ſpectat, Hadrianus cum vniuerſa Synodo tradiderunt Carolo ius & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi ſedem Apoſtolicam. Reliquam huius decreti partem, quæ de Epiſcoporum inueſtituris agit, ſciens prætermitto; quoniam de ſolis Epiſcopis Romanis nobis adhuc eſt ſermo.

[f] *Vid. Iunium in animadu. in Bellar. de tranſlat. imp. l. 1. c. 7. n. 6.*

Phil. Si Papa hanc Carolo poteſtatem tradidiſſet, vt qui- 4
dam dicunt, aut conceſſiſſet, vt alij, aut dediſſet, vt alij; certè inde ſequeretur ex ſe non habuiſſe, ſed duntaxat beneficio & donatione Pontificis.

Orth. Eligendi poteſtas Carolo duplici ſenſu tribui poteſt, vel vt vnà cum Clero & populo, vel vt ſolus ſuo nutu & arbitrio eligeret: ſi primo modo intelligatur, genuinus huius Canonis ſenſus Clerum & populum non excludit, ſed decernit, licere quidem illis ſuum deſignare Epiſcopum, ita tamen, vt eorum electio non futura ſit rata & valida, niſi Imperatoris accedat Authoritas. Si hunc ſenſum amplectamur, verè cum doctiſſimo Epiſcopo dicere poſſumus: [g] *Decretum hoc Iuris veteris (fuit) vel reſtitutio, vel continuatio, non conceſſio noui:* vel ſi conceſſionem nominare libeat, hæc tamen conceſſio non eſt priuilegium aliquod, ex mera Pontificis gratia & liberalitate profectum, ſed eſt tanquam hominis vltrò bonam fidem agnoſcentis confeſſio. Cæterùm non deſunt, aliam huius canonis interpretationem ſequuti, ad ſolitariam, & plenariam ſuo ipſius arbitratu, ſine Clero & populo eligendi rationem extendunt. Sic enim Duraenus. [h] *Sine Imperatoris Romani conſenſu & authoritate, non ſolebat antiquitùs Romæ Pontifex ordinari; eâdémque ferè poteſtate ſinguli Reges in Eccleſias Regni ſui vtebantur; ſed non ideo ius eligendi Clero ademptum erat. Verùm poſteà Carolo Magno & Othoni Imperatoribus vltrò ius eligendi Romani Pontificis omninò conceſſum, ac permiſſum eſt.* Et Paulò pòſt: *Plenam illam poteſtatem arbitrio ſuo eligendi Carolo conceſſam fuiſſe,* dicit. Et [i] Theodoricus de Niem; *Populus Romanus conceſſit ei, & in eum omne ius ſuum & poteſtatem tranſtulit. Ad eorum autem exemplum Hadrianus Papa, cum omni Clero ac populo, ac vniuerſâ Sanctâ Synodo conceſſit Carolo Auguſto omne* ius

[g] *Lanc. Elienſ. reſp. ad apol. Bell. c. 6. p. 140.*

[h] *De Sacr. eccl. miniſt. l. 3. c. 1.*

[i] *De iure & priuil. Imperij, vide Epiſ. Elienſ. quo ſuprà pag. 145.*

ius ſuum & poteſtatem eligendi ſummum Pontificem. Vtcunque autem ſe res habet, certum eſt, Hadrianum cum Synodo tradidiſſe Carolo, ſi non plenariam, at præcipuam & præcellentem in eligendo Pontifice poteſtatem. Si plenariam; quatenus Clerus & populus ſuum ius, quo antea gaudebant, in eum contulerunt, conceſſio vel donatio dici poteſt. Sin præcipuam tantùm & præcellentem, tum, ſi propriè loqui velimus, nec donatio nec conceſſio eſt, ſed antiqui Iuris & priuilegij, quibus olim fruebantur Imperatores, ingenua confeſſio & agnitio.

[h] Bellar. in apol. pro reſp. c.6. p.78.
[i] L.1.c.84.

PHIL. [h] *At Carolus in [i] capitulari decernit, liberas eſſe debere electiones Cleri & populi.*

ORTH. Hoc arguere videtur Hadrianum, cum Synodo plenariam illi poteſtatem indulſiſſe, ipſum tamen (quâ erat clementiâ) liberas eſſe actiones ſponte ſuâ permiſiſſe. Sed quid ſibi volunt electiones liberæ? Scilicèt, vt Clerus & populus, quem vellent, liberè eligerent. Ergo hæc libertas ad Clerum & populum æquè ſpectabat. Libertas Cleri non excluſit populum, libertas populi non excluſit Clerum; ergo nec hæc, nec illa excluſit Imperatorem. [k] Reuera ante diuiſionem Imperij liberæ erant electiones; electus tamen non antè conſecrari potuit, quàm eius electio ab Imperatore eſſet confirmata. Eodem planè modo, & Carolo permittente, liberæ eſſe poterant electiones, interim vt ipſi inuiolatum eſſet priuilegium.

[k] Onuph. in Platin. in Pelag. 2.

5 PHIL. Si tantâ Carolus authoritate polleret, cur non ipſe aliquando exercuit, aut ſaltem eius ſucceſſores?

ORTH. Huic interrogationi primò generatim, deinde ſpeciatim reſponſurus ſum. Si omnes generatim vno quaſi intuitu contemplari libeat, hunc locum [l] Naucleri tibi conſpiciendum exhibeo. Imperator, *Volens vti conſuetudine & authoritate prædeceſſorum ſuorum, petebat ſibi ſeruari ea, quæ priuilegijs Carolo Magno & ſucceſſoribus in Imperio, iam per 300. annos & ampliùs conceſſa, & obſeruata fuerunt; ex quibus priuilegijs licitè per inueſtituram annuli & virgæ, Epiſcopatus & Abbatias conferebant.* Cui concinit Matthæus [m] Pariſius: *Imperator vti voluit priuilegio anteceſſorum, habito annis 300. ſub Romanis Pontificibus 60. qui licitè dederant Epiſcopatus & Abbatias per annulum & baculum Paſtoralem.* Hactenus in genere, nunc in ſpecie.

[l] Naucler. gener.38.
[m] In Henr.1. p.62.

PHIL. [n] *Anaſtaſius Bibliothecarius, qui 12. Pontificum Adriano ſuccedentium vitas & creationes accuratè conſcripſit, nuſquam Caroli vel ſucceſſorum eius meminit, ſed à ſolo Clero & populo electos & creatos fuiſſe tradit.*

[n] Ex Bell. in apol. p.77.

ORTH. Immò refert, (vt ex Platina accepiſti) *Ludouicum eligendi poteſtatem Paſchali dediſſe, cùm antea hac de re Imperatores conſulerentur.* Si ante hoc tempus conſulerentur, ergo tempore Caroli. Si Ludouicus ipſe hanc poteſtatem dedit, certè quod daret, habuit. Et hæc ſi afferat Anaſtaſius, de Carolo & eius ſucceſſoribus non omninò tacet. Sed Bibliothecarios veſtros non moramur, qui in

Pontifices

Digitized by Google

Pontifices plus ſatis ſunt officioſi. Quid autem ſi Bibliothecarius in gratiam Domini ſui tacuiſſet? Nónne alij Hiſtorici teſtes ſunt ſatis idonei? Defuncto Adriano ſucceſſit Leo 3. qui ſolus, Imperante Carolo, ad Pontificatum electus eſt; de quo ſic Author annalium Gallicorum [d] Nicolaus Gillius: *Anno 796. obijt Adrianus Papa, qui annis 24. diebus 10. fuerat Pontifex, & poſt eum obtinuit ſedem alter nomine Leo, qui ſimul atque ſacratus fuerat, miſit ad Carolum Magnum claues Eccleſiæ S. Petri, cum vexillo ciuitatis Romæ, eique denuntiauit vt certos homines mitteret, qui Sacramenta iuriſiurandi exigerent, & fidem obſequij à populo, quod fecit.* Quid eſt claues S. Petri, & Vrbis vexillum mittere, niſi omnia in manum Cæſaris dedere? Hoc facto agnouit nolle ſe Eccleſiam S. Petri, id eſt, Romanam ſine Imperiali aſſenſu poſſidere, quem dubio procul eſt conſecutus. Poſtea enim, cùm Leo à ſede ſuâ deturbatus, ad Carolum confugeret, iterum Romam cum [e] *magno honore per Legatos Regis, qui cum eo miſſi ſunt, reductus, atque in locum ſuum reſtitutus eſt.*

[d] Gillius in Annal. vid. Iunij animad. in Bell. de transl. imper. l.1.c.1.n.32.

[e] Gil. an. 796. vid. Iun. ibid.

Carolo ſucceſſit in Imperio filius eius Ludouicus, quo Imperante, fato ſuo functus eſt Leo, & Pontificatum adeptus Stephanus 6
quartus, qui, vt ex Aimonio refert Baronius, nō [*] duobus poſt conſecrationem exactis menſibus, quàm maximis itineribus ad Imperatorem venire contendit. Sed quæ tandem tantæ feſtinationis cauſa? Hanc ex eiuſdem apud Gratianum decreto licet colligere: [f] *Quia ſancta Romana Eccleſia, cui, Authore Deo, præſidemus, à pluribus patitur violentias, Pontifice obeunte, quæ ob hoc inferuntur, quia abſque Imperiali notitia Pontificis fit conſecratio, nec Canonico ritu & conſuetudine ab Imperatore interſunt nuncij, qui ſcandala fieri vetent; volumus cum inſtituendus eſt Pontifex, conuenientibus Epiſcopis & vniuerſo Clero, eligatur præſente Senatu & populo, qui ordinandus eſt, & ſic ab omnibus electus, præſentibus Legatis Imperialibus, conſecretur. Nullúſque ſine periculo ſui, iuramenta vel promiſſiones aliquas noua adinuentione audeat extorquere, niſi quæ antiqua exigit conſuetudo, ne Eccleſia ſcandalizetur, & Imperialis honorificentia minuatur.* Eſt igitur admodum probabile hac ipſa de cauſa vſque adeo properâſſe; nempe vt ſeipſum apud Imperatorem excuſaret, quòd ſine eius conſcientia ſacratus fuiſſet. Quod adhuc eſt veriſimilius, quia proximus Papa [g] Paſchalis primus, nulla interpoſita Imperiali authoritate creatus, ſtatim ſine mora ſuos Legatos ad Ludouicum miſit, qui eius rei culpam omnem in Clerum & populum reijcerent, eò quòd ab his coactus eſſet Pontificium munus obire. Acceptâ hâc ſatisfactione, Ludouicus reſpondit: *Clero & populo maiorum inſtituta & pacta ſeruanda eſſe caverent, ne deinceps Maieſtatem læderent.*

[*] An. 816. n. 101

[f] Diſt. 63. quia ſancta.

[g] Plat. in Paſchali. 1.

PHIL. Siquâ hac in re gaudebat poteſtate Ludouicus, eandem reſignauit in conſtitutione ſuâ de donatione facta Eccleſiæ Romanæ; cuius particulæ aliquæ ſunt apud [h] Gratianum. Integram autem ponit [i] Baronius ex monumentis Vaticanis: in qua apud vtrumque ſic habetur: *Liceat Romanis cum omni veneratione,*

[h] Diſt. 63. ego Ludouicus.

[i] An. 817. n. 10.

&

& ſine aliquâ perturbatione honorificam Pontifici ſuo exhibere ſepulturam, & eum quem diuinâ inſpiratione, & Beati Petri interceſſione, omnes Romani, vno Conſilio & vnâ concordiâ, ſine aliqua promiſſione ad Pontificatus Ordinem elegerint, ſine aliqua ambiguitate & contradictione more Canonico conſecrare, &, cum conſecratus fuerit, Legati ad nos, vel ad ſucceſſores noſtros Reges Francorum, qui inter nos & inter illum amicitiam, & charitatem, & pacem ſocient, ſicut temporibus piæ recordationis Domini Caroli ataui noſtri, ſiue Domini Pipini, aui noſtri, vel & Caroli Imperatoris genitoris noſtri conſuetudo erat faciendi.

[i] Duar. de ſacr. eccl. miniſt. lib. 3. cap. 1.

ORTH. De hac conſtitutione ſic [i] Duarenus: *Forma iuriſiurandi, quæ apud Gratianum hodiè legitur, authoritatem & conſenſum Imperatoris, qui ante adhibebatur, ipſis fortaſſis non aufert, ſed planè illam poteſtatem arbitrio ſuo eligendi, quæ Carolo conceſſa fuerat: quâ tamen in re ampliùs deliberandum eſt. Sic ille.*

7 Præterea, huic priuilegio ſi renuntiauit Ludouicus, idem reſumpſit filius eius Lotharius, quo Imperante, tres Romani Pontifices Imperiali authoritate creati ſunt, Sergius 2. Leo 4. Benedictus 3. Vt à primo exordiar, oſtendit [k] Sigebertus Ludouicum Lotharij filium à Patre ſuo Romam miſſum ad confirmandam electionem Sergij Papæ.

[k] Sigeb. an. 844.

PHIL. Cur miſſus fuerat, narrat his verbis Ado [l] Vienneſis: *Lotharius filium ſuum Ludouicum, quem in Italia Regem fecerat, vt Imperatoris nomen ſortiretur, per Drogonem Patruum Romam miſit: cui Sergius, iam tunc Pontifex, coronam impoſuit, & acclamante vniuerſo populo, Imperator & Auguſtus eſt ſalutatus. Ex quibus redarguas impudentiam ſchiſmatici Sigeberti*, vt egregiè [m] Baronius.

[l] Ado ſub an. 841.

[m] An. 844. n. 5.

ORTH. Redarguas? Quomodo? Hæc repugnantia non ſunt, ſed ſatis concinnè inter ſe cohærent. Nam Lotharius Ludouicum miſit ad confirmandum Pontificem, Pontifex confirmatus, Ludouico coronam impoſuit. Tam bellè Sigebertum redarguit Baronius. Sergio ſucceſſit Leo, cuius electione Romani congaudentes: *Cœperunt iterum* (teſte [n] Anaſtaſio) *non mediocriter contriſtari, eò quòd ſine Imperiali non audebant authoritate futurum conſecrare Pontificem: periculum Romanæ Vrbis maximè metuebant, ne iterum, vt olim alijs ab hoſtibus, fuiſſet obſeſſa.*

[n] Anaſtaſ. in Leone 4.

PHIL. *Leo* [o] *Papa obſtitit Lothario & Ludouico Imperatoribus, vendicantibus ſibi confirmationem Romani Pontificis electi, vel qualecunque aliud ius, quod ſibi ijdem Imperatores in eiuſdem electione, vel conſecratione arrogare tentâſſent, euicitque, vt ijdem conſenſerint, ne ea niſi ex Canonum præſcripto fieri deberet.* [p] *Extat de his decretum eiuſdem Pontificis ad eoſdem Imperatores his verbis: Leo quartus Lothario & Ludouico Auguſtis: Inter nos & vos pacti ſerie ſtatutum eſt, & confirmatum, quòd electio & conſecratio futuri Romani Pontificis non niſi iuſtè & Canonicè fieri debeat.*

[o] Ex Baron. an. 847. n. 10.

[p] Diſt. 63. inter.

ORTH. Iuſtè & canonicè? Non negabis, credo, ſanctū Gregorium electum & conſecratum iuſtè & canonicè, qui tamen Imperi-

ali authoritate confirmatus erat. Quocirca hoc pactum authoritatem Imperialẽ non infringit; quod in ſubſequente Pontifice Benedicto tertio clariſſimum euadit, cuius electione vnanimi cleri & populi conſenſu peractâ, *Clerus & cuncti Proceres* (verbis vtor [a] Anaſtaſij) *decretum componentes proprijs manibus roborauerunt, & vt conſuetudo priſca poſcit, inuictiſſimis Lothario & Ludouico deſtinauere Auguſtis.* Et Platina [b], *Hominem ſanctiſſimum de more adorant; idem fecerunt & Ludouici Imperatoris Legati, ad confirmandam, & cleri, & populi electionem Romam miſſi.* Benedicto ſuccedens Nicolaus primus Imperialem authoritatem eneruare voluit; qui tamen ipſe (vt in eius vitâ aſſerit Anaſtaſius) præſente Cæſare, conſecratus eſt. Sed licèt Imperatorem excludere ſit molitus, hoc tamen ab illo (vt rectè Platina [c]) *tentatum potiùs, quàm inchoatum.* Nicolaum ſequitur Adrianus ſecundus, qui dum crearetur Pontifex, *non eſt habita* (inquit [d] Platina) *cuiuſpiam ratio.* Hanc ob rem Legati Ludouici, qui eius rei cauſâ aderant, indignati, quòd nunquam (vt par erat) dum hæc agerentur, intereſſe potuiſſent, & authoritatem Imperatoris in creando Pontifice interponere.

[a] Anaſt. in Bened. 3.
[b] In Bened. 3.
[c] In Adr.
[d] In Adr. 2.

P h i l. *Indignati certè, ſed* [e] *reſponſum eis* (vt ſcripſit [f] Gulielmus Bibliothecarius) *eâ ratione factum, ne legatos Principum in electione Romani Pontificis expectandi mos inoleſceret: quâ ratione acceptâ omnem ſuæ mentis indignationem medullitus ſedauère.*

[e] Ex Bell. apol. c. 6. 77.
[f] In Adr. 2.

O r t h. Hoc quid eſſet aliud, quàm igni oleum inijcere? *Reſponſum hoc* (vt prudenter Elienſis [g]) *non ſedâſſet Legatis indignationem, excitâſſet magis.* Longè ſanè eſt probabilius quod habet Platina [*], *Legatis hâc ratione ſatisfactum, quòd dicerent, multitudinis voluntatem ſe in tanto tumultu moderari non potuiſſe; eos tamen rectè facturos, ſi virum optimum, quem & clerus & populus elegerant, de more Pontificem ſalutarent. Fecerunt id Legati, quanquã apertè cernerent clerum & populum eligendi Pontificis totam authoritatem ſibi vendicare, ne deinceps Principis cuiuſquam nutus expectaretur.* Sed vel ipſe tuus Gulielmus (vt Bellarminum admonuit [h] Elienſis) *Senatorum conſilijs ſedatum multitudinis tumultum refert, & acceptâ demum Imperiali Epiſtolâ, nec priùs Hadrianum ſacratum fuiſſe.* Vnde [i] Binius margini ſuo hæc inſerit: *Imperator probat electionem factam.* Ita Canon Adriani primi, ſuas quodammodo vires obtinuit vſque ad Hadrianum tertium, qui initio Pontificatus ſui ſtatim ad Senatum populúmque retulit, [k] *Ne in creando Pontifice Imperatoris authoritas expectaretur.*

[g] Reſp. ad apol. Bell. p. 141.
[*] In Adr. 2.
[h] Reſp. ad apol. Bell. c. 8. p. 146.
[i] Bin. t. 3. p. 819.
[k] Plat. in Adr. 3.

P h i l. Eccleſiæ (quæ multas angarias, & diuturnam ſeruitutem ab Imperatoribus paſſa erat) tandem aliquando libertas illuxit, quâ ad Othonem vſque Imperatorem gauiſa eſt: id eſt, vſque ad annum 963. 9

O r t h. An libertas tibi dicenda videtur, vel licentia potiùs, quâ omnes ſumus deteriores? Nam Rempublicam tumultibus,

[b] Bar.912.8.
[c] Ibid.
[d] Vid. Bell. de Rom Pontif. l.4 c.12.
[e] Vid. Plat. in Steph.6.
[f] Platin. ibid. ex Martino.
[g] Plat. in Serg.3.
[h] An.908. n.2.
[i] Luitprandus, l.6.c.7.
[k] L.6.c.7.
[l] Sum. de Eccl. l.2.c.103.

Eccleſiam monſtris,totum terrarum orbem flagitijs oppleuit. Hoc enim illud,illud erat tempus, quando [b] Romæ dominabantur potentiſſimæ æquè ac ſordidiſſimæ meretrices,quarum Amaſij in ſedem Petri intrudebantur. Hoc eſt illud tempus,in quo [c] Canones omnes ſilentio preſſi,decreta Pontificũ ſuffocata, antiquæ traditiones proſcriptæ, vteréſq; in eligendo ſummo Pontifice conſuetudines,ſacríq; ritus & priſtini vſus prorſus extincti. Hoc enim tempore electus Formoſus,qui à Papa [d] degradatus,contra iura [e] ſacramenti Romam & Sacerdotium repetens, Pontificatum adeptus eſt. Hoc tempore electus eſt Stephanus,qui [f] tanta rabie deſæuijt, vt,habito concilio,corpus Formoſi à tumulo tractum, Pontificali habitu ſpoliatum, indutúmque ſeculari, ſepulturæ Laicorum mandauerit,abſciſſis tamen dextræ eius duobus digitis,illis potiſſimùm quibus in conſecratione Sacerdotes vtuntur, & in Tiberim proiectis. Immò eius acta & decreta omnia reſcidit, & quos ipſe ordinauerat,reordinandos curauit. Hoc tempore erant Romanus, Theodorus,Iohannes 10. qui acta Stephani eneruauerunt,& Formoſi decreta reſtituerunt. Hoc tempore erat Sergius,qui ab illo ordinatos [g] denuò ad ſacros ordines admiſit,& Formoſi corpus in Tiberim proiecit. Hic erat nefandus ille Sergius, *vitiorum omnium ſeruus, facineroſiſſimus omnium,quem conſtat* (referente [h] Baronio) *poſt malum ingreſſum, deteriorémque progreſſum, peſſimum demum eſſe conſecutum egreſſum.* Iohannes tamen 12. hoc monſtrum omne genus flagitijs longè ſuperauit. [i] Patris concubinam ſtuprauit, ſanctum Palatium lupanar & proſtibulum fecit,Benedictum, ſpiritualem Patrem ſuum lumine priuauit, Iohannem Cardinalē virilibus amputatis occidit,in amorem Diaboli vinum bibit, in ludo aleæ, Iouis,Veneris,cæterorúmque Dæmonum auxilium popoſcit. Hic omnium monſtrorum monſtroſiſſimus; de quo ſic [k] Luitprandus: *Quâdam nocte extra Romam,dum ſe cum cuiuſdam viri vxore oblectabat,in temporibus adeò à Diabolo eſt percuſſus, vt intra dierum 8. ſpatium eodem ſit vulnere mortuus.* Et Card. de [l] Turre-cremata: *Quoniam* (inquit) *vita Iohannis erat deteſtabilis, & Chriſtiano populo plurimùm ſcandaloſa, Chriſtus,non paſſus ampliùs Eccleſiam ſuam ſcandalizari, in eum damnationis ſententiam intulit. Nam vbi cum vxore cuiuſdam oblectaretur, ſubitò à Diabolo in tempora percutitur, vt ita ſine pœnitentia moriretur.* En vobis quos fructus Imperatorum ab electionibus excluſio pepererit; nempe periurium, homicidium, infandam libidinem,& omne genus ſcelera ac flagitia.

Cap.

Digitized by Google

Cap. IX.

De Romanorum Epiſcoporum electione ab Othone ad Henricum quartum.

- Electiones factæ
  - imperante
    - Othone
      - *primo.* 1
      - *ſecundo.* 2
      - *tertio.* 3
    - Henrico
      - *ſecundo.* 4
      - *tertio.* 5
      - *quarto.* 6
  - *Excluſis Imperatoribus non caruerunt*
    - *monſtris.* 7
    - *ſchiſmaticis.* 8

Orth.

PRoſapiâ Caroli deficiente,& Imperio Occidentali ad Othonem deuoluto, Romani eiuſmodi viperam in cathedrâ Petri ſpectantes, rubore ſuffuſi, Imperatorem ſupplices rogârunt,vt,monſtro amoto,eccleſiæ[a] conſuleret. Qua de cauſa Iohannes duodecimus,pontificatu eſt priuatus, & Leo 8. in eius locum ſuffectus.

[a] *Luitpr. lib. 6.*

Phil. Leo non fuit Papa,ſed pſeudo-papa, & ſchiſmaticus Antipapa.

Orth. Iohanne depoſito in magno[b] Concilio Romano, præſente & conſentiente Imperatore, omnium ſuffragijs electus erat: quem *in catalogum retulerunt,& Iohanni ſubiunxerunt ſcriptores numero infiniti,* fatente[c] Binio. Hic igitur Leo Papa (ſic enim cum infinitis ſcriptoribus appellare lubet)in Synodo cum Clero & populo Romano, Othoni Imperatori in perpetuum conceſſit facultatem[d] *ſummæ ſedis Apoſtolicæ Pontificem ordinandi,& per hoc Archiepiſcopos, & Epiſcopos, vt ipſi ab eo inueſtituram accipiant, & vt nemo deinceps cuiuſcunque dignitatis & religionis eligendi vel patricium,vel Pontificem ſummæ ſedis Apoſtolicæ, aut quemcunque Epiſcopum ordinandi habeat poteſtatem abſque conſenſu Imperatoris.*

[b] *Ibid.*
[c] *Bin. tom. 3. pag. 1065.*
[d] *Diſt. 63. in Synodo.*

[e] Bar. ann. 774. num. 15.

PHIL. Hoc decretum commentitium eſſe, & impoſturam multis argumentis contendit [e] Baronius. Quomodo enim dicitur Carolo Magno, inueſtituras ab Hadriano eſſe conceſſas, *Cùm nec ipſum quidem nomen inueſtituræ tempore Caroli eſſet in vſu?*

ORTH. Audio Baronium, ſed probationem deſidero. Nec hîc quæro an iſte inueſtiendi ritus à Longobardis (vt quibuſdam placet) profluxerit. Nam vnicum hoc Gratiani teſtimonium, in ius Canonicum relatum, nudæ Baronij coniecturæ longè præponderat.

[f] Ibidem.

PHIL. [f] *Dicitur id à Leone factum in Concilio habito in Eccleſia Saluatoris. Penes quem, rogo, mentio, eiuſmodi Concilium à Leone 8. dicto Pontifice factum, vt quid huiuſmodi ſit ab eo conceſſum Othoni?*

[g] Diſt. 63. in Synod.
[h] L. 4. ſec. 10.
[i] De Reg. Ital. l. 8. an. 1046.

ORTH. [g] Gratianus hunc ipſum Canonem in ius Canonicum inſeruit. Quid multis? Nos Pontificium Canonem ex iure Pontificio, à Canoniſtis Papiſmi columnis, & hiſtoricis Pontificijs agnitum adducimus; inter alios agnoſcit [h] Genebrardus, agnoſcit [i] Carolus Sigonius; cuius hæc ſunt verba: *Romani Proceres, priuatæ quærendæ potentiæ causâ corruptis comitijs Pontificijs, Eccleſiam grauibus in ducentos propè annos ſeditionibus ac fœdis offenſionibus implenère. Hi fuère Albertus Marchio, & Albericus filius, Conſul, Thuſculani Comites, & qui ab eis aut genus traxerunt, aut potentiam acceperunt, qui populo, cleróque aut mercede corrupto, aut quâcunque aliâ ratione, vetere comitiorum libertate ſpoliato, amicos aut propinquos ſuos pro arbitrio prouexerunt, homines fermè longè à rectâ ſuperiorum Pontificum diſciplinâ & ſanctitate remotos, ad quorum libidinem coërcendam, Leo 8. Pontifex Legem retulit, ab Hadriano primo latam, deinde à tertio abrogatam, ne Pontifex deſignatus ſine Regis authoritate iniret. Quâ lege (ambitu in vrbe flagrante) ſublatâ, rurſus, Eccleſia priuatis earundem factionum ſtudijs, in maximum eſt dignitatis diſcrimen adducta.* Ita Leonem verè fuiſſe Pontificem, hunc Canonem à Leone Pontifice renouatum, eiuſdem abrogatione Eccleſiam in maximum diſcrimen eſſe adductam fatetur Sigonius. Verùm licèt Canon hic eſſet vtiliſſimus, rogatus ipſis præſentibus ac conſentientibus Romanis, qui [k] iureiurando *ſe Othoni obſtrinxerant, ſe ſine eius aut filiorum conſenſu Pontificem nunquam electuros*; illico tamen iugum hoc excutere moliebantur. Nam abeunte Imperatore, Iohannis cognati & clientes, pulſo Leone, Iohannem ipſum reuocant [l], quem quidem diuinitus eiſdem fermè diebus perijſſe creditum eſt. Romani, mortuo Iohanne, in eius locum [m] Benedictum ſubrogant; ſed iratus Otho, vi & armis compulit, dedito etiam Benedicto, Leonem ſuſcipere. [n] *Eodem etiam anno Leo Papa obijt. Tum Legati Romanorum, Azo videlicet Protoſcriniarius, & Marinus Sotrienſis Eccleſiæ Epiſcopus, Imperatorem pro inſtituendo, quem vellet, Romano Pontifice Saxoniam adeuntes, honorificè ſuſcipiuntur, & remittuntur, & Otgerus Spiranenſis Epiſcopus, & Linzo Cremonenſis cum*

[k] Luitprand. lib. 6. c. 6.
[l] Plat. in Ioh. 13
[m] Plat. in Leon. 8
[n] Bar. ann. 965. nu. 4. ex auct. apud Reginon.

ijſdem

Digitized by Google

iiſdem Romam ab Imperatore diriguntur. Tunc ab omni plebe Romanâ Iohannes Narnienſis Epiſcopus eligitur, ſedique Apoſtolicæ Pontifex inthronizatur; qui ab vrbis præfecto Rotfredo comprehenditur, & vrbe expulſus, in Campaniâ cuſtodiæ mancipatur. Vel (vt [a] Platina) *Iohannem capiunt, captúmque primò in Hadriani molem perducunt, mox inde hominem in Campaniam exulatum mittunt. Otho, cognitâ Pontificis calamitate, magnis itineribus Romam perueniens, Conſules cum Dearchonibus captos in vincula coniecit; Conſules in Germaniam mittuntur; Dearchones, laqueis ſuſpenſi, pœnas ſtatim dedere; Petrus autem, vrbis præfectus, malorum omnium fons & origo, diu cum ignominia per publica vrbis loca tractus, ac virgis caſus, in Germaniam vinctus mittitur. Sunt qui ſcribunt Petrum ipſum excarnificandum Pontifici traditum, abraſâ barbâ, capillis ſuſpenſum, ad caput equi Conſtantiniani aliquandiu ſtetiſſe, inde ablatum, Aſinóque ſuper impoſitum, verſo ad clunes vultu & manibus ſub cauda ligatis, atque ita per vrbem & virgis cæſum ferè ad interitum fuiſſe: Poſtea autem in Germaniam exulatum miſſum.* Hactenus Platina. Ita Otho frænum Romanis impoſuit, idémque quoad vixit, ad eos coercendos propriâ manu tenuit.

a In Ioh. 14. vide etiam Bar. an. 964. n. 2. ex auctario apud Reginonem.

2 Othone defuncto, prior factio ſub filio eius Othone ſecundo iterum valuit. Nam Bonifacius ſeptimus à Romanis electus eſt; qui Pontificatum malis artibus adeptus, malè amiſit; qui (vt [b] Platina) *relinquere vrbem coactus, pretioſiſſima quæque è baſilicâ Sancti Petri ſubtrahens, Conſtantinopolim fugit, vbi tam diu ſubſtitit, quoad diuenditis quæ ſacrilegio abſtulerat, magnam vim pecuniarum comparâſſet, quibus tanquam adminiculis occupandæ Tyrannidis fretus, vrbem repetit, ciues Romanos largitione corrupturus.* Et paulò pòſt. *Vide, quæſo, quantum degenerauerint hi Pontifices à maioribus ſuis, qui hanc Rempublicam Chriſtianam tam amplam támque magnificam, ſuo ſanguine nobis reliquêre. Pontifex Romanus, Sacrorum pater & Rex, ſacra ipſa furto abſtulit, & qui vindicare ſacrilegia debuerat, tanti ſacrilegij factus eſt author.* Et [c] Baronius: *Duorum Pontificum crudeliſſimus interfector, induſdmque iterum Petri Cathedram, (proh nefas!) tenuit Tyrannus menſibus 4. qui nec pilum habuiſſe dici poteſt Romani Pontificis, ſiue ſpectes ingreſſum, ſiue progreſſum, réſque ab eo geſtas conſideres.* Et paulò pòſt. *Eundem numerandum cenſet inter Famoſos Latrones, & Potentiſſimos graſſatores, atque patriæ proditores, Syllas, & Catilinas, horúmque ſimiles, quos omnes ſuperauit ſacrilegus iſte turpiſſimâ nece duorum Pontificum.*

b Plat. in Bonif. 7.

c An. 985. n. 1.

3 Poſt hos tamen à Romanis electos, iterum emicuit Imperialis in eligendo authoritas. [d] *Gregorius quintus, natione Saxo, Patre Othone, Bruno ante vocatus, Othonis 3. authoritate ob affinitatem Pontifex creatur. Verùm, abeunte in Germaniam Othone,* [e] *Romani Creſcentium denuo cum ſummâ poteſtate conſulem decernunt, qui ſtatim Iohannem quendam, natione Græcum, Epiſcopum Placentinum,*

d Plat. in Greg. 5

e Ibid.

Digitized by Google

[f] Glab. Rodulph. lib. 1. ca. 4. vid. Bar. an. 996. n. 7

non minùs pecunioſum, quàm doctum, Pontificem creat. Sed [f] *mox, vt Otho hoc factum comperit, ira accenſus, cum permagno exercitu Romam properauit. Cùm perueniſſet ad vrbem, primitus iuſsit comprehendere illum malè ſecurum Pontificem, comprehenſóque præcepit eius manus quaſi ſacrilegas amputari, deinde aures abſcindi, atque oculos euelli. Creſcentium verò iuſſu Imperatoris per ſuperiora propugnacula proiectum, deinde poſt terga boum religatum per paludes plurimum deuoluentes, ad vltimum in conſpectu ciuitatis in trabe excelſa pendere demiſerunt.*

[g] In Silu. 2.

PHIL. Quin pergas, ſi placet, ad proximum, Silueſtrum ſcilicet ſecundum, nobilem illum Necromanticum. Nónne hic imperiali authoritate ſublimatus eſt? Vos monſtra nobis obijcere ſoletis, verùm hic (ſi [g] Platinæ fides adhibenda) *Pontificatum adiuuante Diabolo conſequutus eſt, hâc lege, vt poſt mortem totus illius eſſet.* Tales erant electiones Imperiales.

[h] An. 999. n. 3.

[i] Annot. in Plat. in Silu. 2.

[k] L. 5. c. 45. Bar. an. 999. n. 2.

ORTH. Si hæc vera ſunt, ſiſte, quæſo, gradum parumper, & ad auream veſtram ſucceſſionis catenam oculos reflecte, in qua tot reperiuntur (homines dicam an monſtra hominum,) certè ſceleratiſſimi & flagitioſiſſimi. Verùm quid ſi Necromanticus non fuerit? [h] Baronius arbitratur *tam citam, támque inopinatam eius promotionem & continuatam proſperitatem magnis auctam progreſſibus, inſueta atque adeo miranda de eo opinandi atque ſcribendi occaſionem tribuiſſe. Ad ingerenda autem iſta, ſimplicium auribus additum eſt argumentum non leue, quòd in tam rudi ſeculo Mathematicæ ſcientiæ, præcipuè verò Aſtrologiæ hic ſcientiſſimus eſſet.* Non poſſum (inquit [i] Onuphrius) *non mirari, tantam fuiſſe hominum in huiuſmodi rebus perquirendis negligentiam, imò facilem credulitatem, vt viris optimis ac doctiſſimis, ab horum & ſequentium temporum parùm diligentibus ſcriptoribus, talia crimina impingi impunè non ſolùm permiſerint, verùm etiam inſcitiam quoque ipſorum ſequuti ſint.* Ita ex Necromantico, vir optimus & doctiſſimus repentè euaſit. Sed, qualis, qualis fuerit, ab Imperatore electus eſt, *poſtulante populo,* vt teſtatur [k] Aimonius. Quamobrem aut Silueſter in monſtris non eſt numerandus, aut huius monſtri electio non tam Imperatori, quàm Romanis, hunc ab Imperatore poſtulantibus, eſt tribuenda.

[l] Gen. l. 4. ſec. 10

PHIL. Quinquaginta inſuper monſtra, à Germanis Imperatoribus tyrannide intruſa, docet [l] Genebrardus.

[m] Rain. colloq. c. 7. ſect. 5. p. 189.

ORTH. Vt huic obiectioni reſpondeam, [m] Rainoldi clariſſimi viri veſtigijs, & verbis placet inſiſtere. *Genebrardus* (inquit) *abſque omni Dei & hominum reuerentia conuitiatur, ementitur, & hiſtorias adulterat, vt Cæſarum nomini obtrectet, perſtringátque ſcriptores Centuriarum. Ait enim ille, Cæſares, tanquam porcos feros, vineam Domini depaſtos eſſe: hiſtoriæ tradunt eos ipſam à porcis feris liberâſſe: hiſtoriæ monſtra Pontificum à Romanis ipſis fuiſſe deſignata, ille à Cæſaribus intruſa. Hiſtoria Cæſares illos, qui iſtas beſtias fugabant, pios fuiſſe legitimoſque*

Digitized by Google

móſque Principes, ille Tyrannos. Nec hos modò, ſed multos alios religioſos Imperatores, qui ſe in Pontificiam electionem interponebant. Denique hiſtoriæ aſſerunt, Cæſaribus poteſtatem iſtam datam fuiſſe à Pontificibus & Concilijs; ille rapuiſſe ſibi iure Herodis; qui tamen ipſe nihilominùs, etiam in his iiſdem Chronicis memorat, Hadrianum Pontificem cum Concilio, Leonem cum Concilio, Clementem cum Concilio hanc largitos eſſe potentiam Carolo, Othoni, & Henrico Cæſaribus. Non Imperatores, Philodoxe, non Imperatores; ſed ipſi Romani hæc nobis monſtra pepererunt. Quod licèt abundè ſuperius oſtenſum ſit, vlteriùs tamen in Benedicto 9. Siluestro 3. & Gregorio 6. quos Platina *tria teterrima monſtra* appellat, videre licet. Iſti enim omnes à Romanis ſuffecti ſunt. Cæſares autem tantùm abeſt, vt hæc monſtra intruderent, vt extruderent etiam, Otho Iohannem 12. & Henricus 2. Gregorium 6.

Henricus ſecundus in Italiam conceſſit, vt Eccleſiæ proſpiceret; quod ſubodoratus Gregorius 6. qui Papatum nundinatus erat, ei occurrit, & ad leniendum ipſius animum pretioſum [n] *diadema* obtulit. Verùm Henricus iuſtitiam ſibi, quaſi purpuram & coronam, induit, aureóq; Diademati longè antepoſuit. Frequens igitur aduocauit Epiſcoporũ Concilium; à quibus cùm de cooptatione Gregorij ſatis eſſet agitatum, & pecuniam interueniſſe ſatis certis argumentis probaretur, vitioſè factum Pontificem pronunciârunt. Ita ſe pontificatu abdicauit, vt ſcribit [o] Friſingenſis, vel potiùs (vt [p] alij) à Concilio eſt depoſitus. Imperator deinde hominem Germanũ, nomine Suidigerum, Epiſcopũ probitate & literis celebrem deſignauit, qui, ab omnibus approbatus, Pontifex electus eſt, & Clemens 2. appellatus. [q] *Henricus autem, acceptâ à Clemente Imperij coronâ, Romanos in verba ſua iurare coëgit, Pontificum electioni ſe nequaquam interfuturos, niſi iuſſu Imperatoris id facere cogerentur. Videbat enim Imperator eò licentiæ factioſum quemque & potentem, quamuis ignobilem, deueniſſe, vt corruptis ſuffragijs tantam dignitatem conſequeretur, quæ certè niſi ſanctitate & doctrinâ benemeritis, volente Deo, demandari cuipiam non deberet.* Nouus quoq; Pontifex, fatente [r] Genebrardo, eandem poteſtatem Henrico conceſſit, quæ antea Othoni conceſſa fuit. 4

PHIL. Clemens 2. non erat Papa, ſed Pſeudopapa, ex ſententiâ Genebrardi.

ORTH. Verus tamen Papa fuit, ex ſententiâ [s] Baronij, & [t] Binij, qui ambo Clementem in Catalogum retulerunt. Quamobrem hanc poteſtatem à vero Papa Henrico traditam fatearis oportet. Porrò quam conceſſit Papa, eandem exercuit Imperator. Siquidem quatuor ſequentes Pontifices, Damaſum ſecundum, Leonem 9. Victorem 2. & Stephanum 9. (quos viros ſanctiſſimos, optimos, & de Dei Eccleſiâ benemeritos appellat [u]) Imperatoris Henrici 3. authoritate creatos, ex horum temporum ſcriptoribus Hermanno Contracto, Lamberto Schafnaburgenſi, Othone Friſingenſi, & alijs probatis authoribus probat [x] Onuphrius. Quod in Leone

[n] *Oth. Friſingenſis, Chr. l. 6. c. 32.*
[o] *Vid. Elieſ. reſp. ad apol. c. 6. p. 144.*
[p] *Ibidem.*
[q] *Pla. in Clem. 2.*
[r] *L. 4. ſec. 10.*
[s] *An. 1047. n. 1.*
[t] *Tom. 3. p. 1094.*
[u] *Pla. in Clem. 2.*
[x] *Pla. in Leon. 9.*

Digitized by Google

Pla. in Leone 9. Leone eſt clariſſimum. Defuncto Damaſo, [a] *cùm Romani Legatos ad Imperatorem miſiſſent, oratum vt optimum Pontificem ſibi daret, is ſtatim Baunonem, Tullenſem Epiſcopum, virum bonum & ſimplicis ingenij legatis, & Eccleſiæ Romanæ obtulit.*

[b] *Bar. an. 1049. n. 1.* PHIL. [b] *Legationem à Cardinalibus fuiſſe miſſam, non vt ipſe Imperator Papam eligeret, ſed quem ſibi vtilem fore putaret, mitteret, vt ex more Romæ Concilio Cardinalium Papa eligeretur, ne Benno quidem aduerſarius negat.* Porrò à Romanis quidem ipſum electum fuiſſe [c] *L. 2. c. 81.* teſtatur [c] Leo Oſtienſis. Quod ergo alij dicunt, electum ab Imperatore; *ab ipſo delectum intelligas*, ſed electum à Cardinalibus. Nar- [d] *Vid. Bar. quo ſuprà.* rat [d] Otho Friſingenſis quomodo, cum aſſumptâ Purpurâ per Gallias iter faceret, Hildebrandus eum adiens, *conſtanter de incœpto redarguit, illicitum inquiens, per manum Laicam ſummum Pontificem ad* [e] *In Leon. 9.* *gubernationem totius Eccleſiæ violenter introire.* Vel, vt [e] Platina: *Abbas Cluniacenſis, & Hildebrandus monachus obuiam facti, perſuaſere, vt, depoſito Pontificali ornatu, Romam priuatus ingrederetur, quòd dicerent Henricum nullam creandi Pontificis poteſtatem à Deo habere, ſed ad Clerum populúmque Romanum id pertinere. Motus his verbis Leo, cùm etiam vocem è cœlo inter eundum audiuiſſet: Ego cogito pacis cogitationes, non afflictionis, depoſito Pontificio apparatu, priuatus vrbem ingreditur, ſe ipſum accuſans, quòd Imperatori maluerit, quàm Deo obtemperare. At verò Romanus clerus, ſuadente Hildebrando, eundem Baunonem in Pontificem eligunt, eo libentiùs, quòd omnem authoritatem eligendorum Pontificum ab Imperatore ad Clerum, vt par erat, tranſtuliſſet.*

ORTH. Quod Papa ab Imperatore tranſtulit, id ſanè olim Imperator habuit: quod vel ex Romanorum facto ſatis conſtat. Quorſum enim ad Imperatorem mitterent, ſi nulla hâc in re Imperatoris eſſet poteſtas? Nam, quòd Baronius ait, *ab Imperatore non electum, ſed delectum,* id plus ſubtilitatis, quàm ſoliditatis in ſe habet. Nónne iureiurando ſe obſtrinxerant Romani, ſe electionibus non interfuturos, niſi iuſſu Imperatoris? Ergo electio erat penes Imperatorem, cuius ſine authoritate ſi ſe interponerent, omnes periurij erant poſtulandi. Quid quòd tum Imperator, tum Pontifex eiuſdem eſſent ſententiæ? Nónne ab Imperatore Pontifex purpuram, & ornatum Pontificium accepit? Quorſum ſi nulla penes Imperatorem eligendi aut inueſtiendi poteſtas? Præterea quid [f] *L. 6. c. 33. Francof. 1585.* ſibi volunt [f] Othonis Friſingenſis hæc verba? *Hic ex nobili Francorum proſapiâ oriundus, authoritate Regalis excellentiæ ad ſedem beati Pe-* [g] *In Plat. in Clem. 2.* *tri deſtinatus fuerat.* Quid iſta [g] Onuphrij? *Quatuor ſequentes Ponti-* [h] *Hen. 3. appellat. Onuph. quem nos 2.* *fices* (in quibus Leo) *Imperatoris* [h] *Henrici 3. authoritate creatos ex horum temporum ſcriptoribus, Hermanno, Lamberto, Othone, alijs conſtat.*

Hæc Regalis excellentiæ authoritas in eligendo, ad Ro-
5 [i] *Plat. in Greg. 7.* manorum Imperatorem Henricum tertium, & Gregorium vſque ſeptimum durauit: de quo ſic Platina: *Multis legationibus*

Digitized by Google

ribus vltrò citróque miſſis, Imperator in gratiam cum Gregorio rediit, eundémque in Pontificatu confirmauit, vt tum Imperatorum mos, erat.

PHIL. Tandem aliquando ad virum digniſſimum & eminentiſſimum deuentum eſt, [k] *libertatis Eccleſiaſticæ fortiſſimum vindicem, qui non timuit veteres & ſanctas Eccleſiaſticas leges renouare & defendere,* ſcilicet, 8. Synodi generalis Canonem 22. In [l] Romano enim Concilio Anno 1050. habito, ſic decreuit: *Decernimus ac confirmamus, vt ſi quis deinceps Epiſcopatum vel Abbatiam de manu alicuius Laicæ perſonæ acceperit, nullatenus inter Epiſcopos & Abbates habeatur:* ſimiliter *etiam de inferioribus Eccleſiaſticis dignitatibus conſtituimus: Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Marchionum, Comitum, vel quilibet ſingularium poteſtatum aut perſonarum, inueſtituram Epiſcopatuum vel alicuius Eccleſiaſticæ dignitatis dare præſumpſerit, eiuſdem ſententiæ vinculo obſtrictum eſſe ſciat.* Hæc Gregorius, in quibus etiam promouendis, egregiam nauarunt operam nobiles eius ſucceſſores Vrbanus, & Victor.

[k] *Vid. Bell. in apol. c. 6. p. 88.*

[l] *Conc. Rom. 7. ſub Greg. 7. Bin. t. 3. p. 1287.*

ORTH. Hoc non erat *veteres & ſanctas leges renouare, ſed prophanas & ſuas innouare,* vt ſcitè [m] Elienſis. Veteres verò & ſanctas? Quaſnam illas? Vnicam duntaxat adducis, eámque ſuppoſititiam, veteri & ſanctæ conſuetudini repugnantem. Porrò vindex veſter fortiſſimus in eodem Romano Concilio, ſupremum Dominum ſuum (à quo ipſe in Pontificatu confirmatus) ab imperio depoſuit; hunc in modum fulminans & tonans; *Henricum, quem Regem dicunt, omnéſque fautores eius excommunicationi ſubiicio, & Anathematus vinculo alligo.* Et iterum: *Regum Teutonicorum & Italiæ, ex parte Dei omnipotentis & veſtrâ Petri & Pauli interdicens, ei omnem poteſtatem & dignitatem tollo, & vt nullus Chriſtianorum illi ſicut Regi obediat interdico, omnéſque qui ei iurauerunt, vel iurabunt de Regni dominatione, à iuramenti promiſſione abſoluo; ipſe autem Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, nullámque in ſuâ vitâ victoriam obtineat. Vt autem Rodulphus regnum Teutonicorum regat & defendat, quem Teutonici elegerunt ſibi in Regem, ad veſtram fidelitatem, ex parte veſtrâ dono, largior, & concedo omnibus ſibi fideliter adhærentibus, abſolutionem omnium peccatorum, veſtrámque benedictionem in hac vitâ, & in futurâ, veſtrâ fretus fiduciâ, largior, &c.* Nunquid hæc fecit ſecundùm veteres, et ſanctas Eccleſiaſticas leges? Porrò quid nobiles eius ſucceſſores? Cum Henricus Rodulphum (non obſtante benedictione Papali) in prælio fudiſſet, [n] filios (proh pudor!) in Patrem ſuum concitârunt, primò Conradum natu maximum, tum Henricum, qui patrem ſuum imperio ſpoliatum, in eam miſeriam adegit, vt ab Epiſcopo Spirenſi victum ſibi peteret in ſacrâ æde (quam ipſe conſtruxerat) pollicitus ſe Clerici officio defuncturum, quòd choro inſeruire poſſet; atque eo non impetrato, contabuit indies, doloréque confectus, è vitâ exceſſit. An hæc quoque

[m] *Reſp. ad Ap. p. 147.*

[n] *Vid. Sigon. de regn. Ital. l. 9. an. 1093.*

geſta ſunt ſecundùm veteres, & ſanctas Eccleſiaſticas leges? Neq; hîc ſe cohibuit odium Papale. Nobilis eorum ſucceſſor Paſchalis 2. defunctum * *humari noluit, humatum exhumari iuſſit: nec potuit conciliari Epiſcopus Leodienſis, niſi conditione hâc, vt effoderetur denuò cadauer Henrici. Exhumatum eſt cadauer, Spiram pheretro delatum; ibi in capella quadam Sanctæ Afræ deſertâ, ſiue in cellâ quadam eius ſtetit quinque annis inhumatum.* An hæc quoque facta ſunt ſecundùm veteres, & ſanctas Eccleſiaſticas Leges?

*Vid. Tort. Tort. pag. 240.

6 Nihilominùs poſt hæc omnia tam fortiter geſta, Paſchalis inueſtituras iterum conceſſit Henrico, Regum 5. Imperatorum verò eius nominis 4. Conceſſio autem Papæ eſt huiuſmodi. *Papa Paſchalis concedit Domino Imperatori Henrico, & Regno eius (quod priuilegio ſuo ſub Anathemate & confirmauit & corroborauit) Epiſcopo & Abbate liberè electo ſine Simoniâ, aſſenſu Imperatoris, quod Dominus Imperator eos annulo & virgâ inueſtiat. Epiſcopus autem vel Abbas, ab Imperatore inueſtitus, liberè accipiat conſecrationem ab Epiſcopo, ad quem pertinuerit. Siquis verò à Clero & populo eligatur, niſi ab Imperatore inueſtiatur, à nemine conſecretur, & Archiepiſcopi & Epiſcopi libertatem habeant conſecrandi ab Imperatore inueſtitos.*

Bar. an. 1111. n. 18. ex actis vita Paſchalis.

PHIL. Hoc priuilegium eſt prauilegium, quoniam p Henricus Pontificem dolo malò circumuentum in vinculis habuit, & ad hæc concedenda compulit. Quamprimùm verò libertati eſt reſtitutus, tam priuilegium quàm Imperatorem diris vouit, & in duobus Concilijs Romanis anathemate perculit.

p Bar. an. 1111. n. 29.

ORTH. Papam non ad quicquam nefandum, aut illicitum concedendum impulit Imperator. Id ſolùm poſtulauit, quod & antiquis Canonibus et conſuetudini tam Eccleſiæ, quàm Imperij erat apprimè conſonum, quódque concedere potuit Pontifex illæſâ conſcientiâ: Quid dixi? Potuit? Immò fecit, Philodoxe. Eius enim præcepto ſeptendecim Epiſcopi et Cardinales diuales (quorum nomina ex Petro Diacono expreſſit q Baronius) ſe iureiurando ad hoc pactum obſeruandum ſub Anathemate obſtrinxerunt. Quamprimùm tamen cuſtodiâ eſt ſolutus, fœdera iúſquejurandum violans, et priuilegium et Imperatorem damnauit, ac aperto periurio pactum, tot ſubſcriptionibus roboratum, reuocauit.

q An. 1111. n. 39.

PHIL. Henricus ipſe huic fœderi non admodum confidit; quod paulò pòſt ſuâ ſponte Calixto ſecundo relaxauit.

ORTH. Quid ageret? Hæc opinio iam vbique regnabat, inueſtituras ad Principes Laicos non pertinere; hoc quoque nouum dogma emicuit, & tanquam Articulus fidei vbique obtinuit, ſcilicet, Pontificem iure poſſe Reges, & Cæſares Regnis & Coronis exuere. Hunc nouum Articulum dum negat r Vecilo Archiepiſcopus Moguntinus, Concilium indictum

r Sigon. de Reg. Ital. lib. 9. an. 1085.

Digitized by Google

indictum eſt, in quo præſente Pontificis Legato, quòd ita ſentiret, *hæreſeos eſt notatus*. Præterea Henrici 3. Patris ſui exemplum recens, & adhuc cruorem emittens ob oculos verſabatur. Denique ne ipſe quoque regno eijceretur, ingens indies imminebat periculum: tantam flammam Pontificum diſploſa excitârunt fulmina. Deus bonê, vt in illum intonuit primò Paſchalis, dein Gelaſius, poſtremò Calixtus? His malis tandem defatigatus & fractus, pacem & tranquillitatē ſuam, licèt magno pretio, redimere coactus, Inueſtituris, quàm Imperio carere maluit. Ita inueſtiendi poteſtas, quam per multas annorum Centurias Imperatores Græci, Romani, Germani exercuerunt, quam Clemens 2. cum Concilio, & ante eum Leo 8. cum Concilio, & ante eum Hadrianus 1. cum Concilio, & ante hunc Vigilius Pontifex, & ante eum antiqua illa & meliora tempora approbauerunt, nunc periurio, Anathemate, & iſtiuſmodi technis Pontificijs Henrico erepta eſt & extorta.

Et vt iam, excluſo Imperatore, ad Clerum & populum res tota delata eſt; ita poſtea, excluſo populo, ad ſolum Clerum; & denique, excluſo Clero, ad ſolos Cardinales. Ex illo tamen tempore Romani Pontifices æquè extiterunt prodigioſi, ac vnquam antea. Quæris exempla? Primus ſit Bonifacius octauus, qui *aſcendit vt* [x] *Vulpes, regnauit vt Leo, mortuus eſt vt Canis*. Proximus ſit Iohannes viceſimus tertius, qui vulgò dictus eſt [y] *Diabolus incarnatus*. Hic tamen nihil, planè nihil ad Alexandrum ſextum. 7

[x] *Walſing. in Ed. 1. p. 89.*
[y] *Onuph. in Chron.*

At fortè ſchiſmata per has electiones ſunt ablata. Ne id quidem. In hæc enim incidebat tempora ſchiſma viceſimum nonum, *Omnium* (teſte Onuphrio) *peſſimum & diuturnius in Eccleſia Romana, quod quinquaginta annos perdurauit*, aliquando duobus, aliquando tribus ſimul dominantibus Papis: quod à Cardinalium ambitione profectum eſt, excluſo Imperatore, cuius authoritate erant coercendi. Porrò niſi Sigiſmundus Imperator (quo authore Concilium Conſtantienſe coactum eſt, illíque tres Papæ gradu deiecti) auxilio veniſſet, ante hunc profectò diem (vt viri [z] doctiſſimi verbis vtar) *non paucioribus ſimul Papis poterat aucta fuiſſe Eccleſia Romana, quàm eſt purpurata beſtia in Apocalypſi capitibus amplificata.* 8

[z] *Rainol. col. c. 7. ſec. 5. ex Sozom. l. 7. c. 8.*

PHIL. De antiqua Roma hactenus, nunc noua nobis ſalutanda.

Digitized by Google

Cap. X.

De electione Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum.

Imperatorum authoritas enicuit in eligendo
- *Nectario.* 1
- *Chryſoſtomo.* 2
- *Neſtorio.* 3
- *Proclo.* 4

Ortu.

Ex Sozom. l. 7. cap. 8.

CVm Gregorius Nazianzenus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ præſulatum declinâſſet, mandauit Imperator Theodoſius Epiſcopis, vt quos ad tantum Sacerdotium idoneos iudicarent, in album referrent, ſibi ipſi vnius ex omnibus electionem reſeruans. Eo tempore Nectarius quidam Tharſenſis, è Cilicia ſplendidiſſimo Senatorij ordinis gradu prognatus, Conſtantinopoli morabatur, & iam *accinctus ad iter; Diadorum Tharſi Epiſcopum conuenit, vt literas peteret, ſi quas ille ſcribere vellet. Diodorus Nectarium intuitus, dignum Epiſcopatu cenſuit, propter caniciem viri, vultum Sacerdote dignum, & propter morum egregiam ſuauitatem. Itaque velut aliud agens, eum ad Antiochia Epiſcopum adduxit, & vt illi ſtuderet, hortatus eſt. Hic in negotio ſerio (ad quod multi viri ſpectatiſſimi ſuffragijs expeterentur) riſit votum Diodori; cùm tamen albo quos voluit inſcripſiſſet, vltimo loco & Nectarium adiecit in gratiam Diodori, Imperator, perlecto inſcriptorum Catalogo, ſubſtitit in Nectario, eiúſque nomini digito impreſſit, rurſúſque ad caput regreſſus, cunctos ordine percurrit, ac Nectarium elegit; cúmque ſciſcitarentur omnes, quiſnam eſſet ille Nectarius, compertū eſt hominem nondum fuiſſe baptizatum.* Ignorabat id Imperator, ignorabat Præſul Antiochenus, ignorabat Diodorus. Imperator tamen in ſententia perſiſtit, multis Epiſcopis reluctantibus. Poſtquam autem omnes ceſſerunt, & in Imperatoris calculum conſenſerunt, Nectarius baptizatur, & baptiſmali habitu indutus, communi Synodi ſuffragio Epiſcopus Conſtantinopolitanus creatus eſt.

2 Mortuo Nectario, Iohannes [a] Chryſoſtomus *notis ob experientiam,*

[a] Ex. Sozom. l. 8. cap. 2.

rientiam, ignotis ob famam, tum eruditionis, tum virtutis per vniuerſum Romanum Imperium clarus, dignus viſus eſt, qui Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Epiſcopus conſtitueretur. Poſtquam igitur populus & Clerus ſuffragium ſuum contuliſſent, etiam Imperator aſtipulatus, & qui eum Antiochiâ adducerent, emiſit.

3 Similiter vbi Sicinius diem ſuum obierat, [b] *Licèt multi Philippum, complures Proclum deſignatum cuperent, viſum tamen eſt Imperatori, propter homines inanium rerum appetentes, neminem ex illa Eccleſia eligere, ſed Aduenam, Neſtorium nomine, Antiochiâ accerſere conſtituit.* [b] Ex Socr. l. 7. cap. 29.

4 Similiter defuncto Maximiano, dum adhuc eius corpus inſepultum iaceret, Imperator per Epiſcopos, qui aderant Proclum, in ſede Epiſcopali collocandum curauit; quam rem vt à Theodoſio prudenter tranſactam laudat [c] Socrates. [c] Socr. l. 7. c. 39.

Phil. Illud quoque adijciendum fuit, quod ſequitur apud Socratem; nempe huic negotio ſuffragatas eſſe Epiſtolas Cœleſtini, Romani Epiſcopi.

Orth. Neſtorio à ſede ſua deiecto, Proclus priores tuliſſet, Si non quidam multum authoritate valentes illi obſtetiſſent, docuiſſéntque, quòd Canones Eccleſiæ vetent Epiſcopum alicuius ciuitatis nominatum, in aliam transferri. Vnde factum eſt, vt reiecto Proclo, Maximianus in Cathedram Neſtorij deſignatus eſſet. Mortuo Maximiano, cùm Proclum in cathedra collocatum accepiſſet Cœleſtinus, ad Cyrillum & alios literas dedit, quibus ſignificabat Epiſcoporum tranſlationibus Canones minimè repugnare. Ita Cœleſtinus animi ſui ſententiam duntaxat protulit, poteſtatem hîc in electione ſibi nullam arrogauit, quæ iam authoritate Imperiali peracta erat. Hactenus de Imperatoribus in Eccleſiâ Conſtantinopolitanâ ſine omni contradictione eligentibus, Hæc autem quæ adduximus exempla, adeo ſunt antiqua, vt vel recentiſſimum pluſquam 300. annis priuilegium Adriani anteceſſerit. De Eccleſijs Imperialibus diximus; nunc Regna quædam nobis reſtant perluſtranda.

Phil. Ab Hiſpania, ſi placet, exordire.

Cap.

Digitized by Google

CAP. XI.

De Epiſcoporum Hiſpanorum electione.

Quam à Rege factam fuiſſe teſtatur
- *Concilium Toletanum*
  - 16um 1
  - 12 2
- *Regum Gothorum praxis.* 3

ORTH.

IN Concilio Toletano decimo ſexto ſic legimus: [a] *Quicunque antiſtes huiuſmodi nefas* (Idololatriam intelligunt, & ſuperſtitionem diabolicam) *agi permiſerit, vel peractum in ſua Diœceſi protinus abolere diſtulerit, à loci ſui officio pulſus, vnius anni excurſu ſub pœnitentiæ maneat religatus lamento, alio tamen principali electione ibidem inſtituto.* Hoc autem Concilium indictum eſt anno 693. annis ſcilicet ante inueſtituras Carolo ab Hadriano conceſſas octuaginta.

a Apud Bin. to. 3. p. 157.

PHIL. Verba allata Regis ſunt, non Concilij.

ORTH. A Concilio tamen ſunt approbata, ſanciente vt, vno pulſo Epiſcopo, [b] *alius ſpecialiter à Principe eligatur.* Præterea idem [c] Concilium, Fœlicem, Epiſcopum Hiſpalenſem, in ſedem Toletanam Regis Egicæ præelectione & authoritate traductum eſſe his verbis memorat: *Secundùm præelectionem atque authoritatem toties dicti Domini noſtri Regis, per quam in præteritis iuſſit venerabilem Patrem noſtrum Fœlicem, Hiſpalenſis ſedis Epiſcopum, de prædictâ ſede Toletanâ curam ferre, noſtro eum in poſtmodum reſeruans, ibidem decreto confirmandum; ob id nos, cum conſenſu Cleri & populi ad ſæpè dictam ſedem Toletanam pertinentis, prædictum venerabilem Fratrem noſtrum Fœlicem Epiſcopum de Hiſpalenſi ſede, quam vſque hactenus rexit, in Toletanam ſedem canonicè traducimus.*

b Ibid. pa. 160.
c Ibid. pa. 163.

2 Et ante hoc tempus, in Concilio Toletano 12°. ſic ſancitum eſt: [d] *Placuit omnibus Pontificibus Hiſpaniæ atque Gallicæ, vt ſaluo vniuſcuiuſque prouinciæ priuilegio, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici quoſcunque regalis poteſtas elegerit, & iam dicti Toletani Epiſcopi iudicio dignos eſſe probauerit, in quibuſlibet Prouincijs præcedentium ſedibus præficere præſules, & decedentibus eligere ſucceſſores, &c.* Hoc Concilium celebratum eſt anno 681, centum ferè annis ante priuilegium ab Hadriano conceſſum.

d Conc. Toll. 12. decr. 6. Bin. t. 3. pa. 104.

Hiſpaniarum

Digitized by Google

3

Hiſpaniarum tamen Reges vel ante hoc Concilium hoc iure potiti ſunt, teſte [a] Baronio: *Non ignorandum* (inquit) *Gothorum Reges in Hiſpaniâ nominationem ſibi vendicâſſe creandorum Epiſcoporum, quorum nominatio ferebatur ad Concilium, vt de perſonâ, qualis eſſet, inquireret, dignáne ſede haberetur Epiſcopali. Conſtant hæc veterum Scriptorum monumentis. Quoniam autem longa mora ſolerent intercedere in his omnibus curandis atque perficiendis, ob ídque contingere, vacantes ſedes diutiùs abſque Epiſcopo permanere, ideóque ſancitum eſt in hoc Concilio, vt quem Rex nominaret, vnus Toletanus Epiſcopus poſſit (de perſonâ habitâ inueſtigatione ſolitâ) ordinare, &c.* Ita Concilij authoritas ad Archiepiſcopũ tranſlata eſt, Regis verò eadem quæ tea permanſit.

[a] *An. 681. n. 60.*

PHIL. [b] *Studium & labor eligendi viros Epiſcopatibus præficiendos penes Reges tempore Gothorum erat, quod vſque Romanorum Pontificum indulgentiâ ad noſtra tempora penes Hiſpaniæ Reges reſedit. Conſtat id ex Epiſtola Braulionis ad Iſodorum Hiſpalenſem Epiſcopum.*

[b] *Ioh. Garſias in notis in Conc. Tol. 12.*

ORTH. Antiqui Gothorum in Hiſpaniâ Reges, Ariani erant & hoſtes Chriſti. Num & illi quoque Epiſcopos elegerunt indulgentiâ Pontificum?

PHIL. Imò per tyrannidem. An vos Arianos & Tyrannos imitandos proponitis?

ORTH. [c] Gothi Ariani, in Hiſpaniâ degentes, Anno 589. conuerſi ſunt, fidémque Orthodoxam in 3. Concilio Toletano profeſſi. Quam autem in eligendis Epiſcopis habuerunt authoritatem Reges Ariani, eandem ſubſequentes Orthodoxi Reges exercuerũt. Num ſibi Tyrãnos, aut Arianos imitandos propoſuerunt? Nõ ergo tenentur Principes Orthodoxi à ſuo iure diſcedere, quia eodem hæretici abutebantur. Hoc enim ius Regale eſt perantiquum, quod nec Papis, nec Arianis acceptum ferunt, ſed Regi Salomoni, qui Sadocum in locum Abiatharis euexit plus mille annis, antequam aut Arianus, aut Papiſta lucem conſpexiſſent. Verùm de Hiſpania hactenus.

[c] *Bar. an. 589. n. 9. Bin. t. 2. p. 706.*

PHIL. De Hiſpanis non adeo contendam; ſed in Gallicanis res longè videtur certior & exploratior.

Cap. XII.

De Epiſcoporum Gallicorum electione.

A	*Clodoueo ad Carolum Magnum.*	1
	Carolo Magno ad Carolum 7.	2
	Carolo 7. ad Franciſcum 1.	3

Orth.

ELectio Epiſcoporum apud Gallos erat penes Reges per trecentos totos annos, antequam imperio potirentur. Clodoueus, qui Regum Francorum primus Chriſto nomen dedit, Anno 449. [a] Dinifium in Epiſcopum Turonenſem elegit. Huic ſucceſſit Childebertus, qui fratres ſuos Clodomerum, Theodoricum, & Clotharium Regni ſui ſecum conſortes fecit. Poſt mortem Dinifij, Omaſius deſignatus eſt Epiſcopus Turonenſis, mandato [b] Clodomeri, & Quintianus mandato [c] Theodorici Epiſcopus Aruernenſis. [d] Cato Epiſcopatum ſibi oblatum primò auerſatus, poſtea ambiens à Principe, repulſam paſſus eſt, idémque honor [e] Omaſio eſt delatus. Mortuo Clothario, regnauit filius eius Cherbertus, qui Paſcentium ad Cathedram Pictauienſem euexit. Sed quid his commemorandis inſiſto? Infinita extant apud Gregorium Turonenſem exempla, à piæ memoriæ Epiſcopo [f] Thoma Wintonienſi in vnum quaſi faſciculum collecta, quæ omnia ante mille annos contigerunt.

[a] *Greg. Turonẽſ. l. 10. c. 31.*
[b] *Idem. l. 3. c. 17.*
[c] *Idem. l. 3. c. 2.*
[d] *Idem. l. 4. c. 15.*
[e] *Lib. 4. c. 18.*
[f] *Tho. Bilſon. Epiſc. Wint. de perp. guber. c. 15.*

Poſtea autem, imperio ad Francos deuoluto, Adrianus non ſo-
lùm definiuit Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas Prouincias
ab Imperatore inueſtituram accipere debere, ſed etiam tradidit
Carolo ius & poteſtatem eligendi Pontificem, & Apoſtolicam ſe-
dem ordinandi, vt antea dictum eſt. Ludouicus Pius, Caroli fi-
lius, ius eligendi Romanum Pontificem repudiâſſe quidem dici-
tur, [g] *ſemper tamen inueſtiturarum retinuit, in cuius locum poſtea ſuc-
ceſſerunt Regalia, & ius aliud, quo vtitur Rex, cum, vacante Epiſcopatu,
eligendi poteſtatem facit.* Neque Epiſcopatuum modò Collatio, ſed
beneficiorum etiam ad Reges Francorum ſpectabat. *Si ad priſ-
corum inſtitutorum normam* (inquit [h] Duarenus) *omnia exigere ve-
limus, nullum eſt in Gallia beneficium, nullum Eccleſiæ miniſterium, quod
abſque Regis conſenſu cuiquam deferri poſſit.* Nihilominùs proceſſu
temporis

[g] *Pariſ. Cur. defenſio pro libertate eccl. Gallic. f. 43. apud Duar. de ben. f. 107.*
[h] *Duar. de ſacr. Eccl. miniſt. l. 3. c. 11. fol. 43.*

temporis factum eſt vt Papa, per prouiſiones, reſeruationes, & gratias expectatiuas ius Regium inuadens, Eccleſiam Dei miſerè vaſtaret, & depopularetur. Pro cuius reformatione cùm Concilium [a] Baſilienſe egregia decreta promulgâſſet, Eugenius Pontifex eadem modis omnibus diſſoluere conabatur. [b] *Quare Gallorum Rex Carolus 7. Synodo per Oratores ſuos id ab ea contendente, non inuitus fecit, vt ea decreta in ſuo Regno tuenda ſuſciperet: ſed habito priùs in Biturigum ciuitate Procerum, Antiſtitum, aliorúmque eruditiſſimorum hominum atque grauiſſimorum conuentu, quorum authoritate & Conſilio adductus, ad eius Synodi decreta confirmanda nobilem illam conſtitutionem edidit, quæ ſanctio pragmatica vulgò appellatur. Nihil eâ conſtitutione populariùs in Gallia, nihil maiori bonorum omnium plauſu vnquam exceptum fuit.* [c] Scitè ac verè quidam, eruditionis nomine vbique terrarum notus ac nobilis, *Sanctionem hanc Palladium Franciæ vocare conſueuit. Vt enim Palladis illud ſimulachrum in vrbe Troianâ è cœlo quondam cecidiſſe fertur, ita & hæc ſacratiſſima conſtitutio ad fouendas Palladis artes, & viros eruditione inſignes honoribus & beneficijs ornandos, diuino quodam fauore Gallis videtur conceſſa. At ſicut prædictum fuit ab Apolline eius Ciuitatis futurum exitium, ſi illud ſimulachrum extra mœnia portaretur, ſic illa Sanctio ſine maximo incommodo è Republica Gallicana tolli non potuit. Ea tamen ipſa Conſtitutio Carolina adeo inuiſa fuit Romanis Pontificibus, vt conſtet eos nunquam quieſcere potuiſſe, donec ea, ſi non penitus conuulſa & abrogata, at certè mirum in modum labefactata imminutáque eſſet. Non enim obſcurum eſt, quibus machinis Pius ſecundus, Sixtus quartus, Innocentius Octauus, Alexander ſextus, Iulius ſecundus, Leo decimus eam oppugnauerint; ſed nemo acriùs Pio eam aggreſſus eſt, à quo tamen ipſo, quum adhuc priuatus eſſet, & Æneas Siluius vocaretur, Synodus Baſilienſis ſtrenuè contra Eugenium defenſa fuerat. Atque hinc facilè apparet ſimul cum nomine mutatum hominem, & velut quodam Circæo poculo in aliam naturam repentè conuerſum fuiſſe. Erant eo tempore, qui, aduerſus conuentum Baſilienſem Carolinámque Conſtitutionem differentes, ſimplicioribus hominibus, & diuini iuris humaníque peritiâ non ſatis inſtructis, facilè argutijs ſuis imponerent, vt Ludouico Regi fucum eos feciſſe mirum non ſit: quorum calumnias & ſophiſmata acutè refellit, edito hac de re libello, clari inter iuriſconſultos nominis Panormitanus Archiepiſcopus, qui & ipſe conuentui Baſilienſi interfuit.* Extat etiam pro libertate Eccleſiæ Gallicanæ aduerſus Romanam aulam, Curiæ Pariſienſis defenſio, Ludouico vndecimo Gallorum Regi oblata. In qua oſtenditur ex Sanctionis abrogatione, [d] *innumerabilia naſci incommoda, quæ ad quatuor genera poſſe referri videntur. Primum eſt totius ordinis Eccleſiaſtici confuſio: ſecundum eſt Patriæ deſolatio ac deſertio: tertium eſt pecuniarum Regni exinanitio: quartum eſt Eccleſiarum ruina & ſubuerſio.* Quarum rerum conſideratio tantùm apud Ludouicum valuit, vt Pius voto ſuo parum pio non potiretur.

PHIL. [e] *Quod Pius ſecundus Ludouici temporibus efficere non potuit,*

[a] Conc. Baſil. ſeſſ. 31. decr. de collat. Benef. Bin. t. 4. p. 72.

[b] Duar. l. 3. c. 18. fol. 72.

[c] Fol. 73.

[d] Sect. 18.

[e] Bel. apol. pro reſp. ad lib. reg. c. 6. p. 88.

Digitized by Google

potuit, effecit poſtea Leo decimus, Franciſco primo regnante. Ita in Concilio Lateranenſi Seſſione vndecimâ Pragmatica Sanctio publico decreto ſublata eſt.

[a] Duar. fol. 74.

ORTH. *Maluit Franciſcus Rex* (inquit [a] Duarenus) *ſtenæ & tempori ſeruire cum aliquo ſuo commodo (quod & ipſe fatetur) ac de iure publico aliquid remittere, quàm pro hac Helena toties cum Romanis Pontificibus dimicare: præſertim cùm ab illis nonnihil periculi imminere ſibi intelligeret.* Hæc tamen Sanctio penitus abrogata dici non poteſt. Etenim Scholaſticus Lutetiæ conuentus hoc Palladium ſibi ereptum ægrè ferens, à Pontificis decreto ad ſacrum Eccleſiæ conuentum [b] prouocauit. Quæ ſanè prouocatio æquitati erat conſentanea, idque tres ob cauſas. Primò, Franciſcum Regem Leo Pontifex in medio armorum ſtrepitu, conſenſum ei rei ſuum præbere coëgerat: ſecundò, Pariſienſes (quorum maximè intererat) nec vocati ſunt, nec auditi: tertiò, Baſilienſi Concilio, quod apud vos eſt generale, per Lateranenſe, quod ne Cardinalis quidem ipſe (Bellarm.) habet pro generali, derogari non debet. Porrò, ſi ponamus Lateranenſe non modò Sanctioni derogâſſe, verùm etiam eandem abrogâſſe, at ipſa Conſtitutio Leonina Epiſcoporum nominationem Regi his diſertis verbis ſartam tectam relinquit. [c] *Vacante Eccleſiâ Cathedrali vel Metropolitanâ, Epiſcopus à Collegio Canonicorum non eligatur, ſed Rex intra ſex menſes, virum grauem atque idoneum Romano Pontifici offerat, & nominet.* Ita conſtat, Gallorum Reges ius ſuum in creandis Epiſcopis, vel à primis apud eos iactis Chriſtianæ fidei fundamentis, ſemper aliqua ex parte retinuiſſe. Quid? An hoc indulgentiæ Pontificum acceptum ferent? Teſtis ſit Synodus Baſilienſis, teſtis Carolus ſeptimus, teſtis curia Pariſienſis, teſtis Franciſcus Rex; qui cùm de Sanctione vel maximè remitteret, ſe de publico iure remittere profeſſus eſt. Hactenus de Galliâ; nunc Angliam reduces ſalutemus.

[b] Vid. Elienſ. in reſp. ad Apol. Bel. c. 6. p. 148.

[c] Duar. c. 12. fol. 75.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XIII.

De Epiſcoporum Anglorum electione.

Partes duæ:

- Obiectio. *Hen. 1. inueſtituras exemplo patris & fratris vendicauit, quos tamen non conſtat eaſdem vel quoad* { *rem omninò* / *modũ legitimè* } *exercuiſſe.* 1
- Reſ. *has exercuerunt, quoad*
  - *Rem*
    - *ante Henr. 1. tempore*
      - *Normanorum*
        - *W. Rufus.* 2
        - *W. Conqueſtor.* 3
      - *Danorum. Edw. Confeſſor.* 4
      - *Saxonũ ſub*
        - *Monarchia Alfred.* 5
        - *Heptarchia Edelwalcus.* 6
    - *Henricus ipſe.* 7
    - *poſt Henricum: iuriſdictione Papali*
      - *nõdũ profligatâ*
        - *Edw. 3.* 8
        - *Rich. 2.* 9
      - *extirpatâ*
        - *Henr. 8.* 10
        - *Edou. 6.* 11
        - *Elizab.* / *Iacob.* 12
  - *modũ*
    - *legitimè, quod probatur ex parte*
      - *regũ ratione*
        - *principatus.* 13
        - *patronatus.* 14
      - *Epiſc. ratione Baronatus.* 15
    - *idq;*
      - *apertiſſimè.* 16
      - *gratiſſimè.* 17
      - *tutiſſimè.* 18
      - *ad normã ſanctorũ Imperatorũ & Canonũ.* 19

Phil.

H*Enricus* * *primus inueſtituras ſibi vendicauit, tanquã à patre & fratre ſuo iure vſurpatas, cuius tamen rei nulla in hiſtorijs noſtris occurrit diſerta probatio, ne exẽplũ quidẽ, quo omninò habuiſſe, multò minùs quo ijſdẽ iure cõceſſas eſſe, cõſtare poſſit.*

* *Catholicus Theologus in reſp. ad 5. partem rel.*

ORTH. Ego verò & habuiſſe, & iure habuiſſe euincam. Wilielmum Rufum hoc gauiſum eſſe priuilegio his verbis teſtatur [b] Malmesburienſis: *Tunc commodè ad circumſtantes ſermonem produxit ægrotus Rex de conſolatione Cantuarienſis Eccleſiæ, in Epiſcopos eius rei conſiderationem tranſmittens: plauſu acceptum eſt verbum, ibátque clamor in cœlum bona & ſalutem Regi optantium: transfunditur tamen in eum conſultationis dignatio, proníſque mentibus in aſſenſum Regium pendetur, vt quem ipſe dignum pronunciaret, cuncti profectò ſuſciperent. Ita ille cubito ſeſe attollens, hunc, ait, ſanctum virum Anſelmum eligo, ingenti ſubſecuto fragore fauentium.* Epiſcopatus autem illis temporibus per annuli & baculi Traditionem à Rege concedi ſolitos eſſe, Rodulphi Auſtralium Saxonum Epiſcopi docet exemplum; qui quum idem Rex illi parum propitius minas ingeminaret [c], *baculum protendit, annulum exuit, vt ſi vellet, acciperet.* Quid hoc erat aliud, quàm Epiſcopatum ſuum in Regis manus, à quo acceperat, reddere & reſignare? Hactenus de Henrici fratre, nunc de eiuſdem patre eſt agendum.

[b] Mal. de geſt. pont. Angl. l. 1. pag. 218.

[c] Mal. ib. p. 257.

3 Willielmum Conqueſtorem eodem quoque ornatum fuiſſe priuilegio, idem teſtatur Malmesburienſis. [d] *Nondum* (inquit) *ille* (Stigandus) *efflauerat, cùm à Willielmo Rege Lanfrancus, Cadomenſis Abbas ad Archiepiſcopatum electus eſt.*

[d] Malm. p. 205.

4 Quid quod eodem priuilegio Reges noſtri vel ante conqueſtum potiti ſunt? Cuius rei aliquot exempla, tanquam paucos racemos ex ingenti vindemia viſum eſt decerpere. Illud autem cum primis admonendum cenſeo: Nos cùm de inueſtituris agimus, non tam baculi & annuli ceremonias, quàm rem ipſam, id eſt, Principum in Epiſcopo eligendo vel nominando authoritatem, ſeu prærogatiuam intelligere. Primus ergo prodeat Edouardus Confeſſor; de quo ſic Malmesburienſis: [e] *Tunc Rex Robertum, quem ex Monacho Gemiticenſi Londoniæ fecerat Epiſcopum, Archiepiſcopum creauit.* Et Sanctus Wolſtanus Epiſcopus Wigornienſis ſancto Edwardo, à quo acceperat, baculum paſtoralem reſignauit, vt teſtatur Math. [f] Pariſienſis.

[e] Mal. de geſt. pont. l. 1. p. 204.

[f] In Wil. Ruſo.

5 Et ante Edouardum Alfredus Rex [g] Aſſerionem Shireburniæ fecit Epiſcopum, & [h] Deneuulfum Wintoniæ. Deneuulfus autem, ſi famæ creditur, ad multam ætatem non ſolùm literarum expers, ſed & ſubulcus fuit: quem Alfredus Rex, hoſtium violentia Regno cedens, & in ſylua profugus, caſu ſues paſcentem offendens, animi anceps ſe illi in ſeruum tradidit. Poſtea recuperato Regno, comperto eius ingenio, literis informandum curauit, nec deſciuit ab officio, donec profectiùs inſtitutum creauit Epiſcopum.

[g] Mal. de geſt. reg. l. 2. p. 45.

[h] Mal. de geſt. pont. l. 2. p. 242.

6 Similiter ſub Heptarchia pluſquam ducentis annis Alfre-

do

do antiquior [i] Edelwalcus, Auſtralium Saxonum Rex, Wilfridum in Epiſcopatus ſedem extulerat. Ita liquet inueſtituras antiquitùs, vt apud alias Gentes, ita apud Anglos ad Reges ſpectâſſe. [i] *Mal.lib.p.257.*

Quamobrem Henricus primus illas ſuo ſibi iure vendicare potuiſſet, non ſolùm vt à patre & fratre vſurpatas, verùm etiam vt antiquorum Regum ius & priuilegium. Cæterùm priſcis temporibus Reges hâc prærogatiuâ liberè & ſine moleſtia ſunt vſi; recentioribus tamen ſeculis Pontifices Romani, probè intelligentes hoc ipſum impedimento eſſe, quò minùs ad optatam poteſtatis plenitudinem aſcenderent, pro viribus obſtiterunt, & tam inueſtitos, quàm inueſtientes excommunicationis fulmine perculerunt. Hoc enim in duobus Concilijs Romanis, quinto ſcilicet & ſeptimo, ſub Gregorio ſeptimo celebratis, factum comperiò. Sed Vrbanus Papa vlteriùs progreſſus eſt. Nam coacto Romæ, cui ipſe præſidebat, Concilio, præſente Anſelmo, et ſuadente, [k] *Laicos Eccleſiarum inueſtituras more priſtino conferentes, & eas à Laicis accipientes, & taliter poſt adeptum honorem munus conſecrationis impendere præſumentes, à communione fidelium Synodalis authoritas decreuit exortes.* Poſtea, defuncto Willielmo Ruſo, Henricus primus, cùm nondum de hoc decreto quicquam accepiſſet (tantùm abeſt vt illud, ſuadente Anſelmo, ſancitum eſſe ſuſpicari potuiſſet) Anſelmum ab exilio reuocauit. Pro quo in eum collato beneficio, cedo quam illi Anſelmus rependit gratiam? [l] *Cùm Rex more Anteceſſorum ſuorum ab Archiepiſcopo hominium interrogaret, ille primò pro Excommunicatione Romæ factâ diſtulit.* O fidelem et officioſum ſubditum, qui in Papam, quàm in Principem erat propenſior? Nónne hic meritò in Sanctorum Album eſt relatus? Deinde illis, qui per baculum & annulum à Rege inueſtirentur, benedictionem impertire recuſauit. *Ita Rex paulò commotior Gerardo Eboracenſi Conſecrationis omnium munus iniunxit*: Vt [m] Malmesburienſis, [n] Pariſienſis, et [o] Houedenus teſtantur. 7 [k] *Mat. Pariſ. p. 18.* [l] *Malm. de geſt. Pont. l. 1. p. 225.* [m] *P. 226.* [n] *M. Pariſ. p. 58.* [o] *Hou. in H. 1. p. 470. fol. 269. Edit. Savil.*

P h i l. Quin, vt apud eoſdem ſequitur, [p] *Willielmus Giffardus Wintonienſis electus, qui conſecrari debuit, Gerardi ſpreuit conſecrationem. Quare Regis iudicio eliminatur à Regno. Reinelmus verò, Herefordenſis Antiſtes,* intelligens ſe Deum offendiſſe, *eò quòd à Rege inſtitutionem acceperat, ei ſuum reddidit præſulatum.* [q] Cæteri autem inconſecrati manſerunt. [p] *Pariſ. quo ſup.* [q] *Hou. quo ſuprà.*

O r t h. Cuius tandem hoc factum eſt vitio? Certè non Regis, qui nihil aliud poſtulauit, quàm quod tres Romani Epiſcopi cum tribus Romanis Concilijs in Imperatorem contuliſſent; quod omnes ferè Reges à primis Chriſtianæ Religionis incunabilis ſuo quiſque in Regno exercuiſſent; quod apud nos ſub Saxonum Imperio obtinuiſſet, quod recenti memoriâ

eius patri et fratri conceſſum erat; neque vllis vnquam Anglorum Regibus denegatum fuiſſet, ante dogma hoc Hildebrandicum, ab Anſelmo Româ in Angliam tranſuectum.

[l] Pariſ. quo ſuprà in Hen. 1. ad an. Dom. 1103.

PHIL. Cùm hæc cauſa Romæ ageretur, [l] *Willielmus de Warenaſt, Clericus & procurator Regis Anglorum, cauſam ipſius in medium tulit, ac inter alia conſtanter allegauit, quòd nec ipſe pro regni amiſſione Eccleſiarum inueſtituras amittere vellet; & hoc verbis minacibus affirmauit.* Ad hæc Papa Paſchalis, *Si, quemadmodum dicis, Rex tuus nec pro regni amiſſione donationes Eccleſiarum amittere pateretur, ſcias præciſè (coram Deo dico) quia nec pro mei capitis redemptione, eas impunè illi permitterem obtinere. In his ergo Regis negotium terminatum.*

ORTH. Nec mirum. Siquidem Papa in propria cauſa Iudex fuit; talis profectò Papa, qui poſt octo aut circiter annos ſe periurio polluit; in tali autem cauſa, quæ ad augendum Romanæ aulæ faſtum et opulentiam non parùm conduceret. Rex tamen (ſententiâ Pontificis non obſtante) ſic ſe deluſum indignè tulit.

[m] Mat. Pariſ. p. 57.

Itaque [m] *Anſelmus Roma rediens cum Lugduno appropinquâſſet, Willielmus de Warenaſt, Regis Anglorum procurator, ei interdixit ex parte Domini ſui, ne redieret in Angliam, niſi omnes Patris & fratris ipſius conſuetudines, ſe ei fideliter promitteret ſeruaturum. Rex autem vt comperit tam Papam quàm Archiepiſcopum in ſua perſtare ſententia, mox Archiepiſcopatum in Dominium ſuum redegit, & Anſelmum bonis omnibus ſpoliauit: ita trium annorum ſpatio exulauit.*

[n] Apud. Bell. in apol. pro reſp. c. 6

PHIL. Verùm exacto triennio ab exilio rediens, illuſtrem reportauit victoriam. Sic enim ſcribit [n] Edinerus: *Rex, anteceſſorum ſuorum vſu relicto, nec perſonas, quæ in regimen Eccleſiæ ſumebantur, per ſe elegit, nec eas per dationem virgæ paſtoralis, Eccleſijs (quibus præficiebantur) inueſtiuit.*

ORTH. Inueſtituras ad Regem ſpectare, liquidò his verbis fatetur Edinerus. Nam ſi Eccleſiæ rectores non eligere, nec inueſtire, ſit anteceſſorum ſuorum vſum relinquere; luce clarius eſt hæc anteceſſoribus ſuis in vſu fuiſſe. Tanto tamen impetu dicam, an furore, et Papa et Archiepiſcopus, torrentis inſtar, ferebantur, vt Regi viſum ſit, (quo pacem redimeret) de antiquo ſuo iure remittere.

[o] De geſt. Pont. p. 227.

PHIL. Rectè tu quidem. Si quid iuris habuit, id omne Anſelmò remiſit, ſic enim [o] Malmesburienſis: *Venit Rex ſublimi Trophæo ſplendidus, & triumphali gloria Angliam inuectus, inueſtiturâſque Eccleſiarum Anſelmo in perpetuum in manum remiſit.*

ORTH. Verum eſt Anſelmo. Hìc omnium controuerſiarum, quæ Regi cum Anſelmo interceſſerunt, finis et terminus. Nec ſe vnquam Rex huic ſe negotio immiſcuit, viuente Anſelmo.

[p] Math. Pariſ. p. 62.

Sed, eo mortuo, Rex [p] *Anno Domini* 1113. *dedit Archiepiſcopatum Cantuarienſem Rodulpho, Londinenſi Epiſcopo, & illum per annulum & baculum paſtoralem inueſtiuit.* Anno 1123. dedit Rex eundem

eundem Archiepiſcopatum Willielmo De [a] Corbul, Epiſcopatum Lincolniæ Alexandro, & Epiſcopatum Bathæ Gotfrido. Poſtea dedit Epiſcopatum Wigorniæ Simoni, & Sifrido Epiſcopatum Ciceſtriæ. Hactenus de Henrico 1.

[a] Huntingd. l. 7. p. 382.

Quo defuncto, Romani Epiſcopi, vt Reges Anglorum hoc 8
priuarent priuilegio, nihil intactum reliquerunt, præſertim ſi quando diſcordiæ gliſcerent, vel Reges bellis euocati extra Regnum exiſterent. Reges tamen hoc ſibi ius & prærogatiuam Regiam eripi non ferentes, ſubinde vbi res tulit ad praxin reuocabant, & coronæ ſuæ priuilegia tuebantur. Nota & illuſtris eſt Edouardi tertij ad Clementem Quintum Epiſtola, in qua ſic ſcribitur; [b] *In publicam non ambigimus notitiam perueniſſe, qualiter ab exordio naſcentis Eccleſia in Regno noſtro Angliæ, progenitorum noſtrorum Regum Angliæ, & Procerum, ac fidelium dicti Regni dignè recolenda prioritas, propter diuini cultus augmentum conſtruxit Eccleſias, & ipſas amplis dotauit poſſeſſionibus & priuilegijs communiuit, ponens in eis miniſtros idoneos, qui fidem Catholicam in ſubiectis ſibi linguis & populis fæliciter peregerunt, per quorum curam & ſolicitudinem, vinea Domini Sabaoth in cultu & fructu ibidem mirificè fæcundauit; Sed quod dolendum eſt, ipſius vineæ propagines degenerant in labruſcas, & exterminant eam apri de ſylua, ſingulareſque feræ depaſcunt eam, dum per impoſitiones & prouiſiones ſedis Apoſtolicæ (quæ ſolito grauius inſoleſcunt) ipſius peculium (contra piam voluntatem & ordinationem donatorum) manus occupant indignorum, & præſertim exterorum, & eius dignitates & beneficia conferuntur pinguia perſonis alienigenis, plærunque nobis ſuſpectis, qui non reſident in dictis beneficijs, & vultus commiſſorum eis pecorum non agnoſcunt, ſed, animarum curâ neglectâ, velut mercenarij, ſolummodò temporalia lucra quærunt.* Et poſtea. *Quas Eccleſias dicti Progenitores noſtri dudum, ſingulis vacationibus earundem, perſonis idoneis iure ſuo Regio liberè conferebant.* Aduerte, Philodoxe; non dicit permiſſione Pontificis, ſed *iure ſuo Regio.* Ergo collatio Epiſcopatuum eſt ius Regium, quo Anglorum Reges ab exordio naſcentis Eccleſiæ in ſuis Regnis ſunt potiti. Et rurſum. *Poſtmodum ad rogatum & inſtantiam dictæ ſedis, ſub certis modis & conditionibus conceſſerunt Reges Angliæ, quòd electiones fierent in dictis Eccleſiis per Capitula earundem, quæ conceſſio fuit per ſedem Apoſtolicam ex certa ſcientia confirmata,* &c. Non dicit conceſſiſſe Pontificem ad rogatum & inſtantiam Regum, ſed conceſſiſſe Reges ad rogatum & inſtantiam Pontificis. His adamuſſim concordat nobile illud Statutum eiuſdem Regis, Anno viceſimo quinto, ſancitum in hæc verba: *Supremus Dominus noſter Rex, & hæredes eius habebunt & fruentur collationibus ad Epiſcopatus, & alias dignitates electiuas, quæ ſunt ex Patronatus ſui iure, cuiuſmodi ius progenitores eius habuerunt,*

[b] Walſingh. in Ed. 3. p. 161.

Digitized by Google

priuſquam libera electio conceſſa fuit ; quippe cùm electiones ſub certa forma & conditione à Regis progenitoribus conceſſæ fuerint, videlicèt, vt eligendi venia à Rege peteretur, & poſt electionem aſſenſus Regius adhiberetur, & non alio quouis modo. Quæ conditiones cum neutiquam ſint obſeruatæ, res certè ad primam inſtitutionem redire debet.

9 Regnante Richardo ſecundo, *ſtatutum eſt* (inquit Thomas [a] Walſinghamus) *in eodem inſuper Parliamento* (nempe quod factum eſt Londonijs poſt feſtum Sancti Hilarij Anno Domini 1390. & Regis Richardi. 13.) *vt de cætero nullus transfretaret ad obtinendum prouiſiones in Eccleſiis vel Eccleſiam; & ſi quis contrarium faceret, ſi poſſet apprehendi, caperetur vt Regi rebellis, & incarceraretur.* Et rurſus: *Anno proximo conſenſu Regis, Regiſque Conſilij,* [b] *proclamatio facta fuit Londonijs, vt omnes beneficiati exiſtentes in Romana curia, redirent in Angliam citra feſtum Sancti Nicolai, ſub pœna perditionis omnium beneficiorum ſuorum, & nondum beneficiati redirent per idem tempus ſub pœna forisfacturæ. Anglici, audito tanto tonitruo in remotis, metuentes ictum, deſertâ curiâ Romanâ, fugiunt ad natale ſolum.* Tum Pontifex Bonifacius 9. ita tonante & fulgurante Rege, planè attonitus, [c] *miſit nuncium, qui cauſas harum rerum omnium exploraret; quo apud Regem multùm conquerente, iubet Rex vt expectaret Parliamentum futurum, in quo de communi Conſilio reſponſum de ſingulis ſibi daretur.* [d] *Milites autem Parliamentales nullo modo conſentire voluerunt, vt liceret Ramipetis impunè acquirere ibi beneficia, ſicut priùs. Sed ne viderentur nullum honorem Papæ, vel Regi detuliſſe, hoc tolerauerunt, vt per Regis gratiam liceret eis acquirere vſque ad Parliamentum futurum.* Quid nunc porrò dicendum? An Reges Angliæ ex mera Pontificum indulgentia Epiſcopatus contulerunt? Teſtis ſit Henricus primus; teſtis conuentus Parliamentarius ſub Edouardo tertio; teſtis ſimilis conuentus ſub Richardo ſecundo, qui omnes Religionem profeſſi ſunt Pontificiam, collationem tamen Epiſcopatuum ad Regem, non ad Pontificem ſpectare ſtrenuè tuebantur.

[a] In Rich. 2. p. 343.
[b] Idem p. 344.
[c] Idem p. 345.
[d] P. 346.

10 Hactenus de Regibus, qui ante poteſtatem Pontificiam eliminatam in Anglia floruerunt; nunc ad Henricum Octauum, & Edouardum ſextum, ſacri duo fulmina belli, accedimus; quorum primus Iouis Vaticani tonitrua non moratus, vniuerſam poteſtatem & tyrannidem Papalem ex Anglia ſua profligauit, ſibique & ſucceſſoribus ſuis antiquam conferendi Epiſcopatus prærogatiuam, ex omnium ordinum [e] conſenſu vindicauit. Cuius inhæſit veſtigijs diuinæ indolis Edouardus ſextus, qui reliquas corruptelas Pontificias extirpauit.

[e] 25. H. 8. c. 20.

11 Phil. Nec Patris modò preſſit veſtigia, ſed longè altiùs progreſſus. Electionem Canonicam (quam Henricus ſi non integram reliquit & intactam, eiuſdem tamen aliquam ſaltem vmbram ſupereſſe voluit) funditùs at radicitùs euulſit. Nam

Decano

Digitized by Google

Decano & Capitulo antiſtitem ſuum eligendi cõſuetudinem (quæ per multa ſecula altas egerat radices) promulgato [a] ſtatuto penitus extorſit. O quales tum facti ſunt Epiſcopi! Sed talibus vos parentibus eſtis oriundi.

[a] *An.1. Ed.6.*

ORTH. Robertus Ferrarius [b] primus iuxta hoc ſtatutum creatus eſt Epiſcopus, Meneuenſis ſcilicet. Qualis autem? Certè vir bonus & doctus; addo etiam, et Martyrij gloriâ coruſcans. Huic proximus (quantùm aſſequor) Iohannes Hooperus, Wigornienſis, vir ſummâ eloquentiâ et omni literarum genere clariſſimus; qui non abſimili Martyrij coronâ eſt redimitus. His Ridleium non adiungo, quia ante editum hoc ſtatutum eſt ſacratus: neque plures hîc recenſere opus eſt. Nam, vt à perſonis ad rem ipſam veniam, primò eligendi poteſtatem omnes Regni Ordines in Eduardum contulerunt. Parliamentum enim totum Angliæ corpus repræſentat, ac proinde [c] Pananglium à quodam meritò appellatur. Vnde fit, vt etiam cuiuſque Decani ac Capituli conſenſus, ſi non explicitè, implicitè tamen, in hoc celeberrimo conuentu includitur. Non igitur Decano & Capitulo eligendi poteſtatem eripuit, aut extorſit Edouardus, ſed priuilegium ſiue ius ab iiſdem, et totâ præterea Angliâ oblatum, amplexus eſt. Ita in Epiſcoporum nominatione Regiâ, totius Angliæ ſuffragia continebantur. Secundò, hæc ipſa electio Canonica (quam reſtituit Maria Regina) licèt hodie in Anglia (ſi vſpiam terrarum) religioſè obſeruetur, et priſtino ſplendore eniteſcat, licèt nobis perpetuò ſit in vſu, et ſummis ornata laudibus, quippe quæ fructus habeat ſingulares; non tamen opinor, vel te Iudice, ſimpliciter et abſolutè eſt neceſſaria: vel ſi fortè ſit, de multis Epiſcopis Romano-Catholicis actum erit. Quot enim vbique terrarum contra electionem Canonicam in Eccleſias Cathedrales intruſit Romanus Pontifex? Immò, obtinente conſtitutione Leoninâ, vniuerſi Epiſcopi Gallicani electione Canonicâ ſunt deſtituti. Sic enim decreuit Leo Decimus: [d] *Vacante Eccleſiâ Cathedrali vel Metropolitanâ, Epiſcopus à Collegio Canonicorum non eligatur, ſed Rex intra ſex menſes virum grauem atque idoneum Romano Pontifici offerat, ac nominet.* Quinetiam in Anglia Epiſcopatuum collationes antiquitùs ante liberas electiones conceſſas ad Reges ſpectabant, à quorum gratia et indulgentia hæc ipſa electionum libertas dimanauit, ídque rogante et inſtante Romano Pontifice, vt paulò [e] antea oſtendimus. Denique in Iſraele [f] Salomon, non expectato Sacerdotum conſenſu, Sadocum ad ſummum euexit Pontificatum. Conſtat igitur hanc Canonicam electionem, quamuis inprimis vtilem, et omni laude digniſſimam, non tamen ſimpliciter eſſe neceſſariam.

[b] *Reg. Cranmer. fol. 327.*
[c] *Cambd. in Brit. pag. 128.*
[d] *Duaren. de ſacr. eccl. miniſt. l.5.c.12.p.75.*
[e] *Huius cap. n. 8.*
[f] *1. Reg. c.2.*

Nunc accedo ad nobile par Principum, Elizabetham, et Iacobum, Anglorum gemmas, et Chriſtiani orbis delicias. 12
Florente Elizabetha, eadem prorſus extitit Epiſcopatus conferendi Ratio, quæ iam viget et obtinet ſub Sereniſſimo Iacobo; de qua

Digitized by Google

a Lib. 3. c. 7. n. 2. qua a ſuperiùs diximus. Ita nominatio Regi, electio Clericis, confirmatio Metropolitano tribuitur; & ſuus cuique honor aſſeritur.

PHIL. De Regibus eligentibus, & Epiſcopatus conferentibus dicere inſtituiſti; nunc verò electionem non Regibus, ſed Clericis; Regibus autem nominationem tantùm vendicas.

ORTH. Regia apud nos nominatio, eſt illuſtris quædam electionis inchoatio. Dum igitur nominat, eligit, & primum, vt ita dicam, fert ſuffragium; ita Clericis electuris præfulget, & tanquam lampas quædam cœleſtis viam ſignat.

PHIL. Quales ſunt iſtæ Decani & Capituli electiones? Profectò liberæ dici non poſſunt, cùm nihil fiat ſine præeunte authoritate Regia.

ORTH. Electionum libertas, ſacroſanctam Principum authoritatem non excludit; ſed vim duntaxat & tyrannidem. Si quis indignus inuitis obtruderetur; Clerique vi & minis ad conſenſum præbendum adigerentur, iſtiuſmodi electio libera dici non poſſet. Verùm ſi Rex ſecundùm leges virum idoneum deſignet, vt ſolent noſtri, illiſque eundem eligendi poteſtatem faciat, nihil obſtat, quin hæc electio libera ſit vocanda. Nihil enim hîc violentum, nihil coactum.

PHIL. Cæterùm, ſi fortè Rex, fictis deceptus laudibus, hominem indoctum, multis coopertum vitijs, & tanto munere planè indignum Clero proponat, quid hîc agendum?

ORTH. Noſtri Reges (Philodoxe) his in cauſis lentè & cautè, id eſt, ſumma cum ſolicitudine ac prudentia ſolent progredi; inde fit vt Eccleſia Anglicana hodierno die ſit florentiſſima.

PHIL. Cùm homines ſint, nihil humanum ab illis alienum puto. Hoc ergo ſi fortè aliquando contigerit, quid tum demum fieri oportet?

ORTH. Si electores has criminationes luculentis teſtimonijs probare valeant, expedit, opinor, vt eaſdem quàm poſſint, humiliter modeſtè, & officioſè Regiæ Maieſtati ſignificent, ſuppliciter rogantes, vt viduatæ Eccleſiæ pro ſua clementia conſulere dignaretur. Nec dubitamus (tantâ Reges noſtri ſunt pietate & ſerenitate) quin Rex pio eorum voto ſit ſatisfacturus, aliúmque omni exceptione maiorem nominaturus, in quem omnium ſuffragia poſſint confluere. Sic amor inter Epiſcopum & Eccleſiam, tanquam inter ſponſum & ſponſam conciliabitur.

13 Hactenus Reges noſtros ſingularem habuiſſe in eligendis Epiſcopis prærogatiuam oſtendimus; ſupereſt, vt iure habuiſſe doceamus. Quod ipſum ſatis erit manifeſtum, ſiue Reges ipſos ſpectemus, ſiue Epiſcopos. Ad Reges pertinet hoc Priuilegium ratione duplici; nimirum, iure ſuprematus, & iure Patronatus. Iure ſuprematus, multis de cauſis. Primò, ſi vetus teſtamentum inſpiciamus,

a 1 Reg. c. 2. occurrit Salomon, qui in locum Abiatharis a Sadocum ſurrogauit:

Quâ

Quâ authoritate? Eadem ſanè, quâ Abiatharem exautorauit. Hoc autem legitimâ & ordinariâ Principis poteſtate factum eſſe, ſuo loco probauimus. Si hoc exemplum ſit pro regula perpetua, Eccleſiaſticarum dignitatum collationem Rex Chriſtianus ex Scripturarum authoritate iure ſuo Regio vendicare poteſt: ſi vim præcepti non habeat, at erit inſtar ſpeculi, in quo quid Regi per Verbum Dei liceat, intueri poſſumus. 2. Prædixit [a] Eſaias Propheta, Reges in nouo Teſtamento Eccleſiæ ſuæ *fore nutricios*. Quare pars erit ſolicitudinis Regiæ, curare vt ſint Epiſcopi & Paſtores, qui, tanquam nutrices, vbera Euangelij lacte diſtenta filijs ſuis porrigant. 3. In nouo Teſtamento nec præceptum reperitur, nec iſtiuſmodi aliquod exemplum, quod pro Lege inuiolabili proponi queat. Si verò ad ſubſequentium ſeculorum praxin oculos conuertamus, conſtabit non vnam ſemper & eandem extitiſſe eligendi rationem, ſed aliam ſubinde atque aliam, prout variæ erant conſuetudines, & leges poſitiuæ, ex circumſtantiarum & occaſionum varietate naſcentes & prodeuntes. Videtur igitur Dominus hanc rem, vt adiaphoram, in medio reliquiſſe, nempe Eccleſiæ iudicio, hoc vel illo modo, pro locorum & temporum ratione, diſponendam. Quamobrem cùm Princeps non modò ſit præcipuum Eccleſiæ membrum, ſed eiuſdem etiam ſupremus iuxta Chriſtum Gubernator; poteſtatem profectò præ reliquis omnibus adeo habet præcellentem & tranſcendentem, vt etiamſi fortè non eſſet Patronus, huius tamen totius rei ſuprema directio & moderatio, ad eundem, vt ad ſupremum Eccleſiæ Gubernatorem, ſpectaret. Hoc enim ius eſſe Regium, etiam graſſante Papiſmo, in confeſſo erat; quod illorum temporum leges & praxis luculenter oſtendunt. Nam Incumbente alicuius Eccleſiæ cum cura diem ſuum obeunte, ſi Patronus intra ſex menſes non præſentaret, Epiſcopus diocœſeos in aliquem idoneum illam curam conferre debuit, ne Eccleſia eſſet deſtituta. Si ille per ſex menſes negligeret, collatio ſpectabat ad Metropolitanum; ſi hic quoque per ſex menſes Eccleſiam ſolatio ſuo viduari pateretur, lex Regni municipalis idoneum paſtorem prouidendi poteſtatem ad Regem pertinere ſtatuit, tanquam ad ſupremum in Regno ſuo, & non ad Romanum Pontificem. Neque vllo vnquam temporis interuallo hic honor à Rege ad Pontificem delabitur. Quamobrem licèt ſingulis Eccleſijs ſui eſſent Patroni, quorum erat Idoneos Epiſcopo Paſtores ſiſtere iuxta leges; licèt non deeſſent Epiſcopi aut Archiepiſcopi, quorum erat curare, ne quid Eccleſia detrimenti caperet; attamen ſi iſtos ſuum officium negligere contingeret, huius totius rei curam & ſolicitudinem in Regem, tanquam in ſupremum intra ſuas ditiones Gubernatorem, reijci & deuolui eſt luce clarius. Si hoc indulgentiæ Papali tribuas, toto cœlo erras. In Nobili illo Sta-

[a] *Eſa.49.23.*

tuto de prouiſoribus, quod anno Edouardi tertij viceſimo quinto eſt emiſſum, Romanus Pontifex huiuſmodi poſſeſſionum & Beneficiorum dominia *vſurpâſſe* dicitur. Papam igitur hoc ius ſibi arrogantem & rapientem, pro vſurpatore habuerunt. Quamobrem antiquæ huius Regni leges & conſuetudines, vniuerſali clariſſimorum Principum praxi (quam totus laudauit & approbauit Chriſtianus orbis) conſentaneæ Regum noſtrorum hac in cauſa ius & priuilegium ſatis loquuntur; præſertim cùm (vt rectè olim dixit [a] Willielmus Rufus) *Rex Angliæ omnes libertates habeat in Regno ſuo, quas Imperator vendicabat in imperio.* De iure Principum, quatenus ſunt ſupremi Gubernatores, hæc dicta ſunto; nunc de eorundem iure quatenus ſunt Patroni.

[a] *Apud Mat. Pariſ. p. 17.*

14 In iure patronatus duo ſunt ſpectanda; cauſæ, & effectus. Cauſæ, quibus Eccleſia Dei ad patronatus admittendos antiquitùs eſt adducta, tres numerari ſolent. Prima eſt, quia Principes, & fundorum Domini, ex charitate et piâ mente, aliquot ex fundis ſuis ad ſacros vſus deſtinârunt, totúmque ius ſuum priſtinum in manus Epiſcopi reſignantes, Domino in perpetuum poſſidendos dicauerunt. Secunda, quia in his ipſis fundis ſacras ædes ad diuina officia peragenda, & habitacula ad Legatos Iehouæ recipiendos proprijs ſumptibus extruxerunt. Tertia, quia ad Eccleſias reſtaurandas, et Miniſtros Dei alendos, annuos reditus et dotes contulerunt. Quæ omnia hoc Verſiculo exprimi ſolent:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

Gloſſ. in cauſam 16. q. 7. piæ mentis.

Effecta patronatus tria ſunt; [b] honos, onus, et vtilitas. Honos præſentationis, ſeſſionis, et quibuſdam in locis proceſſionis; exempli gratia, [c] Venetijs, in Eccleſia Sancti Marci. Onus in defendenda Eccleſia, *Ne quis* [d] *dilapidet eam.* Vtilitas, quia ſi ipſe vergat ad inopiam, prouidebit ei Eccleſia; *vt accidit Peruſij in Nobili ciue de familia Guidolatorum, cui, ad extremam inopiam redacto, ſubuentum fuit à Magna Sapientia noua, in qua habebat præſentationem quorundam ſcholarium, & quæ fundata fuit à quodam Epiſcopo illius familiæ.* Iſta vniuerſa Patronorum priuilegia, iure tam ciuili quàm Canonico antiquitùs rata habebantur; Ego tamen, omiſſis reliquis, in ſola præſentandi prærogatiua inſiſtam. In [e] Concilio Toletano nono, quod Anno Domini 655. celebratum eſt, ſic decretum legimus: *Piâ compaſſione decernimus, vt quamdiu earundem fundatores Eccleſiarum in hac vita ſuperſtites extiterint, pro ijſdem locis curam permittantur habere ſolicitam, & ſolicitudinem ferre præcipuam, atque rectores idoneos in ijſdem Baſilicis ijdem ipſi offerant Epiſcopo ordinandos. Quòd ſi tales forſitan non inueniantur ab eis, tunc quos Epiſcopus loci probauerit Deo placitos, ſacris cultibus inſtituat cum eorum*

[b] *ibid.*

[c] *Lancel. inſtit. Iur. Can. l. 1. p. 204. in Gloſſa.*

[d] *Gloſſa ibid.*

[e] *Conc. Tol. 9. c. 2. Bin. t. 2. pag. 1263.*

Digitized by Google

eorum conniuentia ſeruituros. Quòd ſi, ſuperſtitibus ijſdem fundatoribus, rectores ibidem præſumpſerit Epiſcopus ordinare, & ordinationem ſuam irritam nouerit eſſe, & ad verecundiam ſuam alios in eorum loco, quos ijdem ipſi fundatores condignos elegerint, ordinari. Et ante hoc Concilium [a], Iuſtinianus Anno Domini 541. hanc conſtitutionem emiſit: *Si quis Oratorium extruxerit, volueritque in eo promoueri Clericos, vel ipſe, vel hæredes eius, ſi ſumptus ipſi Clericis ſubminiſtrent, & dignos nominauerint, nominati ordinentur.* Iam verò vt hæc omnia ad præſens inſtitutum accommodentur, in Parliamento [b] Carleoli habito declaratum eſt, quòd *ſacroſancta Eccleſia Anglicana in ſtatu Præſulum intra Regnum Angliæ, per Angliæ Regem & eius progenitores, ad populum in Lege Dei inſtituendum, hoſpitalitatem colendam, eleemoſynam erogandam, & ad alia charitatis opera exercenda fundata fuiſſet.* Præterea ex Epiſtola Eduardi tertij [c] ſuperiùs citata, ſatis conſtat, Principes noſtros, Eccleſias Cathedrales, & Epiſcopatus primùm fundâſſe, & locupletâſſe; ac proindè eorundem tempore Vacationis cuſtodiam, (vt teſtatur Magna [d] Charta) & habuiſſe, & habere debuiſſe; ac præſentationes etiam & collationes, vt in Parliamento apud [e] Carleolum affirmatur, quippe qui eorundem fundatores eſſent & Patroni. Ex his quæ diximus, Epiſcopos nominandi poteſtatem, Regibus noſtris iure Canonico, Ciuili, & huius Regni iure municipali, competere ſatis liquet.

a *Nou. Conſt.* 123

b *An.* 25. *Ed.* 1. *citatur* 25. *Ed.* 3. *in Stat. de prouiſoribus.*

c *Num.* 8.

d *Mag. Chart. c.* 5

e 25. *Ed.* 1.

Porrò, vt ex parte Regum, ratione Suprematus & Patronatus, ita ex parte Epiſcoporum hoc priuilegium ad Principem pertinet, ratione Baronatus. Epiſcopi enim noſtri, ex Principum gratia & indulgentia, ſunt Barones; ac proinde inter Regni Proceres locum habent honorarium in comitijs Parliamentarijs. *Iniquè autem comparatum eſſet, ſi* (vt prudenter [f] Elienſis) *qui inter Regni Proceres numerandi ſunt, Regi obtruderentur per vim, cuius intereſt exploratam eorum fidem habere, qui eo in numero cenſeantur.* Hactenus de iure Regio. 15

f *Elienſ. in reſp. ad Apol. Bell. c.* 6. *p.* 151.

Et vt Epiſcopatuum collationem æquiſſimo iure vendicant Reges, ita apertiſſimè, gratiſſimè, tutiſſimè conferunt. Apertiſſimè, quia Maieſtatis Regiæ ad viros doctrinâ & pietate inſignes eligendos campus amplior, ad explorandos ratio melior, ad euocandos authoritas illuſtrior, ad aſſiſtendos poteſtas maior ſuppetit quam cuiquam alterius conditionis homini. 16

Gratiſſimè; quia Principes à turpis lucri ſuſpicione magis ſunt alieni, quàm vel populus vel Prælati. Etenim, vt reuerendi [g] Epiſcopi verbis vtar, *Vtcunque ambitioſa capita & auara manus fœdus nonnunquàm ineat, & ſub ſpecie commendationis Principum auribus abutantur, & imponant, Ratio tamen & officium à me, ac ſimiliter ab alijs omnibus exigunt, vt credamus, ac etiam affirmemus, Principes ipſos longiſſimè omnium ab hac turpi & nefaria pecuniæ* 17

g *Bilſ. de perp. Eccl. Chr. gub. c.* 15.

Digitized by Google

tractatione abhorrere: neque verò timenda adeò corruptela eſt in Principibus, ac in inferioribus perſonis: ij enim, vt ex alijs omnibus, minimâ premuntur neceſſitate, ſic minimum habent cauſa cur Eccleſias venales proponant. Affluentia, magnificentia, conſcientia eorum ſponſionem pro integritate in electionibus ſeruanda interponunt. Hæc reuerendi Epiſcopi ſunt dicta: quibus ex [a] Gregorio Turonenſi Gunt, Gallorum Regis memorabile intertexit reſponſum, qui, mortuo Remigio Epiſcopo, quoſdam locum eius magnis largitionibus ambientes, his verbis repulit; *Non eſt Principatus noſtri conſuetudo, Sacerdotium venundare ſub pretio, ſed nec veſtrûm, eum* (Epiſcopatum) *præmijs comparare, ne vt nos turpis lucri infamia notemur, & vos Simoni Mago comparemini.* Quod emblema ſanè Principe dignum eſt, & aureis literis exarandum.

a L. 6. c. 39.

18 Denique tutiſſimè. Quàm enim ſit periculoſum iſtiuſmodi negotia popularibus electionibus permittere, Eccleſia primitiua (proh dolor!) ſatis ſupérque experta eſt. Quot autem excitati ſint tumultus, cum ſoli Clerici hoc ſibi arrogarent, ſchiſma in Eccleſia Romana maximè diuturnum, luculenter demonſtrat. Ad Papales verò prouiſiones quod attinet, quibus in iura Regum graſſati ſunt, iſtiuſmodi fuerunt quæ Regibus, Proceribus, Clericis, & populis cauſam querelarum iuſtiſſimam præbuerunt. Verùm ex quo tempore tota res penes Principem fuit, omnes tumultus, querelæ, & grauamina (benedictus ſit Dominus) penitùs ſedata ſunt, & extincta.

19 Nunc Reges noſtri his in cauſis quàm clementer & moderatè ſe gerant, verbo vno aut altero expediam. Priſcis temporibus, ante liberas electiones conceſſas, vt ex Epiſtola & Statuto Eduardi tertij docuimus, ad Reges ſpectabat Epiſcopatuum collatio; vnde liquet, eoſdem plenariâ tum eligendi poteſtate fuiſſe inſtructos. Quamuis autem hoc tantum priuilegium priorum ſeculorum exemplum non caruit, tamen vt Carolus Magnus, eâdem ornatus prærogatiuâ, de iure ſuo ceſſit, & [b] liberas eſſe electiones permiſit, ita Reges noſtri, (quâ erant clementia) de iure ſuo remiſerunt, & electionum libertatem etiam latis legibus confirmârunt. Secundùm quas, mitiſſimè & sereniſſimè agentes, omnia ad clariſſimorum Principum exempla, & laudatiſſimorum Canonum normam exegerunt. Apud nos Rex Epiſcopos nominat; ita olim Nectariũ Patriarcham [c] Theodoſius: apud nos Decanus & Capitulum Epiſcopum eligunt; ita olim, teſte [d] Hieronymo, Eccleſiæ Alexandrinæ Presbyteri, ídque more maiorum, qui à Sancto Marco Euangeliſta ſemper obtinuit. Apud nos Decanus & Capitulum eundem eligunt quem Rex nominauit; ita olim Clerus Conſtantinopolitanus cum tota Synodo, quem nominauerat Theodoſius, Nectarium elegerunt. Apud nos electores Maieſtatem Regiam de peractâ

b Carol. in cap. l. 1. c. 84.

c Sozom. l. 7. c. 8

d Ad Euagr. Ep. 85.

e Soz. quo ſuprà.

electione

electione certiorem faciunt, aſſenſum eius Regium ſuppliciter petentes; ita olim ante annos mille, Romani factam electionem [a] Imperatori ſignificârunt, humiliter rogantes, vt authoritate ſuâ Imperiali ratam faceret. Quoniam verò antiqui [b] Canones Epiſcopos confirmandi poteſtatem Metropolitano tribuunt; ideo apud nos Rex ſereniſſimus, Metropolitano electionem ſecundùm Canones confirmandi, diplomate ſuo Regio concedit facultatem. Denique apud nos nemo conſecrari poteſt, niſi cui Rex literis ſuis patentibus licentiam indulſerit; ita olim electus Romanus Pontifex, [c] *Non ante conſecrari potuit, quàm Imperator literis ſuis patentibus licentiam electo Pontifici concederet, vt ordinari & conſecrari poſſet.* Non tamen diffiteor, quin ingens intercedat diſcrimen & interuallum. Nam Papa *certam pecuniæ quantitatem* (teſte [d] Onuphrio) *pro hac licentia conſequenda Imperatori tranſmittere ſolebat.* At noſtris Regibus Epiſcopi non item.

[a] *Onuph. in Pſal. in Pelag. 2.*
[b] *Conc. Nic. 1. c. 4.*
[c] *Onuph. quo ſup.*
[d] *Ibid.*

Digitized by Google

Cap. XIIII.

Quàm miſerâ conditione fuerit Anglia, quando Epiſcopatus & beneficia per Papales prouiſiones concedebantur.

Eccleſia Anglicana à Pontifice Romano expilata tempore

Canuti	1
Henrici primi.	2
Richardi primi.	3
Iohannis.	4
Henrici tertij.	5
Edw. ſecundi.	6
Edw. tertij.	7
Richardi ſecundi.	8
Henrici quarti.	9
Henrici quinti.	10
Henrici ſexti.	11
Henrici ſeptimi.	12
Henrici octaui.	13

Phil.

a Defenſ. Cathol. p. 156.

VT a alia ſilentio tranſeam quàmplurima, nos hoc inprimìs de Epiſcoporum, Abbatum, aliorúmq; Prælatorum nominatione & electione, omnibus hominibus librandum & ponderandum proponimus, annon tam præclarè cum rebus ageretur humanis, quandò hac electione Canonica, vel prouiſionibus Papalibus tranſigi ſolebant, ac vnquam ab eo tempore actum eſt, vel poſthac vnquam actum iri ſit veriſimile.*

Orth.

Digitized by Google

ORTH. De prouiſionibus Papalibus, hoc mihi veriſſimè dicturus eſſe videor; Papam ſcilicet, quomodocunque Eccleſiæ Dei conſuleret, ſibi ſanè ipſi, ſuiſque abundè ſatis ſupérque conſuluiſſe. Quod vt demonſtrem, à Rege Canuto exordiar, qui Anno Domini 1031. Roma rediens, direxit literas ad Archiepiſcopos, & vniuerſum populum Angliæ ſub iſtis verbis, [a] *Conqueſtus ſum iterum coram Domino Papa, & mihi valdè diſplicere dixi, quòd mei Archiepiſcopi in tantum angariebantur immenſitate pecuniarum quæ ab eis expetebantur, dum pro pallio accipiendo ſecundùm morem ſedem Apoſtolicam expetunt, decretúmque ne id deinceps fiat.*

[a] *Ingulph. p. 893. Malmeſ. in geſtis Reg. l. 2. p. 74.*

Henrico primo regnante, [b] *Anſelmus Archiepiſcopus pro Epiſcopis & Abbatibus degradatis, multa precum inſtantia Dominum Papam rogare cæpit, vt cum illis misericorditer diſpenſaret, vt poſſint amiſſas recipere dignitates. Tunc ſedes clementiſſima quæ nulli deeſſe conſueuit (dummodo albi aliquid, vel rubei intercedat) præſcriptos Pontifices & Abbates ad priſtinas dignitates miſericorditer reuocauit, & cum gaudio ad proprias ſedes remiſit.* 2

[b] *Mat. Parſ. in Hen. 1. p. 56.*

Regnante Richardo primo, Hugo de Puſaz, Dunelmenſis Epiſcopus, vir pompoſus, ſibi & Eccleſiæ ſuæ, Northumbriæ comitatum emerat, [c] *quo gladio comitatus accincto, Rex cum cachinno aſtantibus dixit, Iuuenem feci comitem ex Epiſcopo veterano.* Hic, [d] *data pecunia infinita, à ſede Apoſtolica (quæ nulli deeſt pecuniam largienti) licentiam impetrauit remanendi, qui tamen prius votum ſpontaneus fecerat* (ad terram Sanctam) *peregrinandi.* Idem [e] Rex, ad terram Sanctam profecturus, *venit ad portum qui Porteſweer vocatur, qui media via eſt inter Maſſiliam & Meſſanam, ſicque, loca pertranſiens diuerſa, intrauit Tiberim, ad cuius introitum turris pulcherrima ſita eſt. Et ibi venit ad Regem Octauianus, Hoſtienſis Epiſcopus, rogans eum ex parte Domini Papæ, vt illum viſitaret. Quod facere renuens, Rex improperauit illi turpia de Simonia, & concupiſcentia Romana, & alia conuitia multa, dicens quod acceperat ſepties centum marcas pro conſecratione Epiſcopi Cæmomaniæ, & pro legatione Willielmi Elienſis Epiſcopi, mille & quingentas marcas argenti, necnon ab Archiepiſcopo Burdegalenſi (qui à Clericis ſuis accuſabatur de crimine) pecuniam infinitam.* 3

[c] *Mat. Pariſ. in R. 1. p. 149.*
[d] *Ibid.*
[e] *P. 153.*

4. Regnante Iohanne Innocentius tertius, totam Angliam & Hiberniam vno hiatu deglutire voluit. Nam mortuo [f] Huberto, Archiepiſcopo Cantuarienſi, Monachi 1. Reginaldum ſubpriorem ſuum elegerunt: Poſtea (rogatu Regis) Iohannem Graium Epiſcopum Noruicenſem. Papa verò, ex hac gemina electione occaſionem captans, vtramque caſſauit, Monachíſque ſub Anathemate mandauit vt Stephanum Langton, Eccleſiæ Romanæ Cardinalem, in Archiepiſcopum eligerent: [g] *Monachi iuratam fidem ante dederant Regi, ſe nunquam in quenquam præterquam in Iohannem Graium conſenſuros. Sed quid agerent, inſtante, flagitante, adeóque minante Papa?* Itáque pſallentes Te Deum, Stephanum ad 4

[f] *Ex M. Pariſ. in Ioh. p. 213. Antiq. Brit. in Stephano Langton.*
[g] *Antiq. Brit. pag. 154.*

Altare duxerunt, qui poſteà Viterbij ab ipſo Papa conſecrationem accepit. [a] *Sed Rex Pontificijs his dolis iuſtóque dolore turbatus atque percitus, Monachos qui Romæ eſſent, & hanc in ſuum contemptum atque præiudicium electionem celebráſſent, læſæ maieſtatis reos publicauit: cæteros qui Cantuariæ in Monaſterio latuiſſent, proſcripſit, & tam ſuis Clauſtris, quàm Regni finibus in exilium eiecit; omnia tam Archiepiſcopatus, quàm Eccleſiæ Cantuarienſis bona atque prædia fiſco atque ærario ſuo adiudicauit; & Stephano Langton ingreſſum in Angliam ſub læſæ Maieſtatis pœnâ interdixit.* Mox, *ad* [b] *Papam Nuncios cum literis direxit, in quibus expreſsè, & quaſi comminando ipſum arguebat, quòd, electione Norwicenſis Epiſcopi turpiter repulſâ, Stephanum quendam de Langetunâ, ſibi penitus ignotum, & in Regno Francorum inter hoſtes ſuos publicos diutiſſimè conuerſatum, fecerat in Cantuarienſem Archiepiſcopum conſecrari: & quod magis in præiudicium & ſubuerſionem libertatum ad coronam ſuam ſpectantium redundat, ipſius conſenſu à Monachis, qui illum poſtuláſſe debuerant, nec ritè requiſito, eundem Stephanum temerè promouere præſumpſit. Vnde aſſerebat ſe ſufficiènter admirari non poſſe, quod tam ipſe Papa, quàm vniuerſa curia Romana ad memoriam non reducunt, in quantum eius dilectio Romanæ ſedi fuerit hactenus neceſſaria, in hoc rationis oculum non figentes, quòd vberiores ſibi fructus perueniant de Regno ſuo Angliæ, quàm de omnibus Regionibus citra Alpes conſtitutis.* Addit inſuper, *quòd pro libertatibus coronæ ſuæ ſtabit (ſi neceſſe fuerit) vſque ad mortem.* Poſthac Willielmus Lond. Euſtachius Elienſis, Malgerus Wigornienſis, ex Papæ mandato Regem conueniunt, eundémque vel blanditijs vel minis flectere tentabant. Tunc [c] *Rex iurauit, quòd ſi ipſi vel alij quicunque auſu temerario terras ſuas ſupponerent interdicto, ipſe vniuerſos Angliæ Prælatos ad Papam mitteret, & bona eorum omnia confiſcaret. Addit etiam, quòd Romanos quoſcunque, ſiue in quibuſcunque ſuis terris reperiri potuiſſent, erutis oculis, naribúſque præciſis, Romam deſtinaret, vt his interſignijs à cæteris poſſint nationibus ibidem diſcerni.* Epiſcopi tamen interdicti, cenſuram, ex mandato Papæ, per totum Regnũ denuntiârunt. [d] *Ceſſauerunt itaque in Anglia omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, præter ſolummodò confeſſionem, & viaticum in vltimâ neceſſitate, & baptiſma paruulorum. Corpora quoque defunctorum de ciuitatibus & villis efferebantur, & more canum in biuijs & foſſatis ſine orationibus & Sacerdotum miniſterio ſepeliebantur.* Rex autem ob cauſam interdicti, bona Clericorum præcepit confiſcari; nec vnquam hac in cauſa langueſcere, vel animum deſpondere viſus eſt, antequam [e] *Papa inauditam à ſeculis tulit de Rege Regno abdicando ſententiam, cuius impij decreti executionem Philippo Francorum Regi, Iohanni, totique Regno Angliæ inimiciſſimo, in remiſſionem omnium ante actorum ſuorum ſcelerum atque criminum commiſit, ac mandauit.* Ita Rex hâc arte Pontificiâ ſubditorum beneuolentiâ priuatus, à Proceribus deſertus, Clericis inuiſus, ab amicis derelictus, Gallo, tanquam altero Hannibale, ad portus inſtante, vndique in diſcrimen & anguſtias adductus;

[a] Ibid. pag. 155.
[b] M. Pariſ. 215.
[c] M. Pariſ. p. 217
[d] Ibid.
[e] Antiq. Brit. p. 157.

Digitized by Google

ductus; Ecce, à Papa Sanctiſſimo Eccleſiæ patre aliquid expectauit ſolatij; ſed nihil inde affulſit, niſi grandi pretio, vtriuſque ſcilicet Regni, Angliæ & Hiberniæ, paciſci cum eo vellet. Regna igitur ſua (proh pudor!) quoad ipſe potuit, Innocentio Papæ (ô innocentiam Papalem!) reſignare, eadémque mille marcis annuis redimere coactus eſt. Ita offam ſatis dulcem degluriuit Papa, quam tamen (præ calore credo) ſtatim [a] euomüit. Dum hæc gerebantur, [b] *in Angliam venit Iohannes quidam Florentinus cum Papali legatione, huc miſſus, humilis quidem, duobus tantùm equis, tertióque claudo, ſine equite, ſed ductore ac tribus famulis Regnum intrauit, ſed totam perluſtrans Regionem, congeſſit grandem & copioſam pecuniam. Deinde ne coaceruandis tantùm copijs, non dandis huic Regno ſanis conſilijs operam dediſſe videretur, Cleri Concilium Radingham conuocauit; quo congregato, & aliquandiu celebrato, onuſtis illis ſuis ſarcinulis, ſecurè cautéque diſpoſitis, feſtinans repentè ad mare properat, & tranſuectus, Angliam ſalutauit à tergo.* Pandulphus quoque in Angliam miſſus, vt in eius manus Rex Sceptrum & Diadema Regium concederet: [c] *rebus ad Papæ voluntatem in Anglia perductis, 8. librarum millibus onuſtus, lætus reuerſus eſt.* Circa hoc tempus Papa generale Concilium Romæ celebrandum indixit, [d] *Quòd, more Papali, grandia primâ fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcommata (quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archidiacanos, omnéſque ad id Concilium accedentes, artificioſè ludificatus eſt) deſijt. Illi enim, cùm iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi veniam ſigillatim petierunt; quibus Papa non conceſſit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent, quam à mercatoribus Romanis priùs accipere mutuò, Papæque ſoluere coacti ſunt, antequam diſcedere Româ potuiſſent.* Ita Papa filios ſuos emunxit.

Sub Regno Henrici 3. Anno 1226. Romanus Helluo Legatum, cui nomen Otto, in Angliam cum literis miſit, quas apertè coram omnibus recitauit: [e] *in quibus idem Papa allegauit ſcandalum Sanctæ Rom. Eccleſiæ & opprobrium vetuſtiſsimum, notam, ſcilicet, concupiſcentiæ, quæ radix dicitur omnium malorum, & in hoc præcipuè, quòd nullus poteſt aliquod negotium in Romanâ curiâ expedire, niſi cum magna effuſione pecuniæ, & donorum exhibitione. Sed quoniam* (inquit) *ſcandali huius & infamiæ Romanæ paupertas cauſa eſt, debent matris inopiam ſubleuare, vt filij naturales, quia, niſi à vobis & alijs viris bonis & honeſtis dona reciperemus, deficerent nobis neceſſaria vitæ; quod eſſet omninò Romanæ incongruum dignitati. Ad iſtud itaque ſcandalum penitùs eradicandum, per Conſilium fratrum noſtrorum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, quandam prouidimus formam, cui ſi volueritis conſentire, à ſcandalo matrem veſtram poteritis liberare, & in curiâ Romana, ſine donorum obſequio, exhibitionem iuſtitiæ obtinere. Forma autem prouiſa hæc eſt: Petimus inprimis ab omnibus Eccleſijs Cathedralibus, Secundas nobis prabendas exhiberi, vnam de portione Epiſcopi, & alteram de Capitulo. Et ſimiliter de cænobijs, vbi diuerſæ ſunt portiones Abbatis & Conuentus;*

a Vid.Tort.Tort. pag. 215.
b Ant.Brit.p.155
c Ibid. 158.
d Ibid.
e M.Par.p.316.

Conuentus; à Conuentibus quantum pertinet ad vnum Monachum, æquali factâ diſtributione bonorum ſuorum, & ab Abbate tantundem. Hæ literæ in Concilio recitatæ ſunt; ſed Angli Coruum hiantem pulchrè deluſerunt. [a] *Rex ipſe ſimulatâ valetudine Concilio deceſſit: Epiſcopi muti & ſilentes, ne noui tumultus orirentur, ad Diœceſes & Ciuitates ſuas diſcedere iuſſi ſunt. Ottoni pro Papâ totis ingenij ac rationis ſuæ neruis inſtanti, à quodam Iohanne, Archidiacono Bedfordienſi, reſponſum eſt, Quia hæc res quæ Regem valetudinis cauſâ iam abſentem maximè tangit, & Epiſcopos ad ſua loca abire iuſſos, necnon quoſcunque Eccleſiarum Patronos, his abſentibus non eſſe reliquis tutum, ſi in abſentium præiudicium quicquam præſumerent reſpondere. Nec dum Bedfordienſis perorauit, quin Iohannes Mareſcalcus, Regis nuncius, in Ottonis præſentiâ præcipit Prælatis, ne Laicum ſuum feudum obligarent Papæ. Itaque Otto penè ſtupefactus, his qui aderant alium deliberandi diem ſtatuit; nempe mediam Quadrageſimam, ac in ſe ſuſcepit Regis, abſentiúmque Prælatorum aduentum procurare; ſed illi Rege non iubente, ne diem illum admittere voluerunt. Itaque ſinguli, ſine Legati veniâ, ad ſua receſſerunt.* Interea, [b] *alius Papæ Legatus hanc cauſam à Gallicanis Epiſcopis ſolicitauit, eâdem ad verbum vſus oratione; cui Archiepiſcopus Lugdunenſis procurator reſpondit, fieri non poſſe, vt hâc conceſſione ille gurges atque fons Romanæ cupiditatis expleatur. Diuitiarum enim copiam redegiſſe ſemper Romanos ad inſaniam.* Quo perorante, à reliquo Gallicano Concilio his verbis reſponſum atque concluſum eſt: [c] *Domine, moueat vos zelus vniuerſæ Eccleſiæ, & ſanctæ ſedis Romanæ; quia ſi omnium eſſet vniuerſalis oppreſſio, timeri poſſet, ne immineret generalis deceſſio; quod Deus auertat.* Anno 1231. Papa in Epiſcopos & perſonas Eccleſiaſticas, [d] *ſuſpenſionis ſententias fulminauit, ne alicui de Regno beneficia conferrent, donec quinque Romanis, nec dum proprio nomine nominatis, imò nato Rumfredi, & nato talis & talis* (quod ideò factum, quia ſi vnus fortè fato functus eſſet, alter doloſè poſſit ſupponi) *in ſingulis Eccleſijs per totam Diœceſin prouiſum eſſet, vnicuique eorum in reditu centum librarum.* Hoc tempore Romani tot in Anglia potiti ſunt beneficijs, & tam inſolenter ſe geſſerunt, vt vniuerſi Regni Ordines in literarum ſuarum ſubſcriptionibus tali ſe titulo inſignirent, [e] *Tali Epiſcopo & tali Capitulo Vniuerſitas eorum qui magis volunt mori, quàm à Romanis confundi ſalutem.* Eodem anno 1231. [f] religioſis & alijs qui habuerunt Eccleſias Romanorum, ad firmam Vniuerſitas prædicta mandauit, *diſtrictè iniungentes quatenus de firmis Eccleſiarum, ſiue de reditibus Camerarum quas de Romanis habebant, vel deberent eis, de cæterò non reſponderent.* Anno 1232. [g] *Diſtracta ſunt horrea de Wingham cuiuſdam Romani ditiſſimâ, per prædictam Vniuerſitatem (vt creditur) à paucis armatis ſeruientibus, & Capitibus velatis, qui bladum bonis conditionibus, & ad commodum totius Prouinciæ vendiderant, ſed & pauperibus charitatiuè petentibus ex animo conferebant. Cùm hæc violentia ad notitiam Rogeri Epiſcopi Londinenſis peruenisset, conuocatis 10. Epiſcopis, omnes huius violentiæ*

[a] Ant. Brit. p. 160
[b] Ant. Brit. p. 161
[c] Quo ſup. & M. Par. p. 318.
[d] M. Par. p. 358.
[e] Ibid.
[f] Ibid.
[g] M. Par. p. 359.

lentiæ authores Anathematis ſententiâ percuſſit. [a] *Eodem tamen anno diſtracta ſunt horrea Romana, per totam ferè Angliam à viris quibuſdam armatis, & adhuc ignotis, & factâ inquiſitione, inuenti ſunt multi tranſgreſſores, quidam de facto, quidam de conſenſu, quorum nonnulli Epiſcopi erant & Clerici Regis, cum quibuſdam Archidiaconis & Decanis, militibus etiam & Laicis multis: Quidam verò Vice-comites, & eorum præpoſiti & Miniſtri pro eodem exceſſu, Rege iubente, capti ſunt & incarcerati, principalis autem Domini Regis Iuſticiarius, Hubertus de Burgo, ex hoc arguitur eſſe tranſgreſſor, quòd prædonibus illis tam literas Regis patentes, quàm proprias exhibuerat, ne quis eos de præfatâ violentiâ præpediret. Venit præterea ad Regem inter cæteros, Robertus de Thinge, Iuuenis elegans, & miles ſtrenuus, ex partibus Angliæ Aquilonaribus originem præclaram ducens, qui alijs conſentientibus, fruges Romanorum vendiderat, proteſtans manifeſtè, quòd in odium Romanorum & cauſâ iuſtæ vltionis tranſgreſſus fuerat, qui per ſententiam Romani Pontificis, & fraude manifeſtâ nitebantur eum ab vnicâ quam habuit Eccleſiâ ſpoliare. Tum Rex & executores dederunt Conſilium, vt Romam abſoluendus properaret, & ius ſuum coram Domino Papâ proteſtaretur. Dedit etiam ei Rex literas ad Papam teſtimoniales de iure ſuo, deprecans obnixè vt militem illius intuitu exaudiret.* [a] Pag. 362.

Anno 1234. Dominus Papa, [b] *argumentoſas extortiones, præcipuè in Angliâ, excogitans & multiplicans, Legatos ſub ſpecie ſimplicium nunciorum, poteſtatem tamen habentes Legatorum, vndique deſtinauit. Qui multifariam exegerunt pecuniam, nunc prædicando, nunc ſupplicando, nunc præcipiendo, nunc comminando, nunc excommunicando, nunc procurationes exigendo per Regnum Angliæ infinitos extorres reddiderunt, & mendicantes pecuniam, quaſi ad ſuccurſum terræ Sanctæ, vndique collegerunt.* Nec ſciri poterat in quam Abyſſum tanta pecunia, quæ per Papales procuratores colligebatur, abſorpta fuerat. [b] Pag. 384.

Anno 1237. [c] *Viliſſimæ perſonæ & illiteratæ bullis Romanis armatæ, in minas ſtatim erumpentes, reditus à pijs patribus in victus religioſorum, & ſuſtentationem pauperum, & hoſpitalitatem peregrinorum collatos, ſpretis priuilegijs à Sanctis noſtris anteceſſoribus indultis, diripere non formidarunt. Fulgurantibus enim ſententijs, ſine dilatione raptim poſtulata receperunt. Quòd ſi ad refugium appellationis vel priuilegij recurrerent iniuriam patientes, & ſpoliati, ſtatim ſuſpendentes per aliquem alium Prælatum, authentico Papæ compellente, fecerunt excommunicari; & ſic non prece, non Canonicè, ſed imperioſâ exactione ſimplices ſpoliârunt: iuxta illud Poeticum. Armato ſupplicat enſe potens. Vnde factum eſt, quòd vbi ſolebant nobiles & dapſiles Clerici, Eccleſiarum cuſtodes & Patroni, circumiacentis patriæ latitudinem ſuâ opulentiâ Nobilitare, tranſeuntes ſuſcipere, pauperes recreare, ibidem abiectæ perſonæ, moribus vacui, verſutiâ pleni, procuratores & firmarij Romanorum, quicquid pretioſum in terrâ fuit & vtili abradentes, Dominis ſuis in remotas terras deliciosè ex patrimonio crucifixi viuentibus, & ex alieno ſuperbientibus tranſmitterent. Erat igitur videre dolorem præcordialem genas* [c] Pag. 423.

ſanctorum irrigare, querelas irrumpere, ſuſpiria multiplicare, dicentibus multis cum ſingultu cruentato, melius eſt nobis mori, quàm videre mala gentis noſtræ: & væ Angliæ, quæ quondam Princeps Prouinciarum, Domina gentium, ſpeculum Eccleſiæ, Religionis exemplum, nunc facta eſt ſub tributo, &c.

[a] Pag. 495. Anno 1239. [a] *Comites & Barones, & alij Magnates Angliæ, ad quos ab antiquo ius Patronatus Eccleſiarum ſpectare dignoſcitur, dolentes ſe priuari ſuâ libertate, & per cupiditatem Romanæ Eccleſiæ, iure conferendi Eccleſias enormiter priuari, & alienigenas præcepto Papali illis ditari, quorum perſonas & conditiones penitus ignorabant, licèt ſerò Domino Papæ ſcripſerunt, & ipſam Epiſtolam per dictum Robertum de Tuinge, militem, qui per eandem violentiam priuatus iure ſuo ſuper Patronatu Eccleſiæ de Luhun in Diocæſi Eboracenſi, conqueſtus eſt grauiter Nobilibus Regni, quòd Archiepiſcopus ſe aſſerüit nihil poſſe, vel contra Eccleſiam Romanam velle recalcitare. Ipſe igitur Robertus Romanam curiam non ſegniter adijt, Epiſtolam ex parte Magnatum Angliæ præſentans, in quâ* leguntur hæc verba: [b] *Cùm igitur, ſanctiſſime pater, à primâ Chriſtianitatis fundatione in Angliâ, tali fuerint hactenus progenitores noſtri gauiſi libertate, quòd decedentibus Eccleſiarum rectoribus Patroni, perſonas idoneas eligentes, ad eaſdem Diocæſanis præſentauerunt, ab ijſdem Eccleſiarum regimini præficiendas: verùm veſtris temporibus, de conniuentiâ veſtrâ vel voluntate neſcimus, talis contra nos inualüit aduerſitas, quòd decedentibus Eccleſiarum Rectoribus, quidam executores veſtri ad hoc dati, baſilicas de Patronatu noſtro paſſim conferunt, in noſtra præiudicium libertatis, & in eminens periculum iuris Patronalis, licèt ſuper hoc pridem cautione literarum Apoſtolicarum nobis proſpexeritis, continentium, quòd decedentibus Eccleſiarum* [c] *Rectoribus Italicis vel Romanis, authoritate prouiſionis veſtræ in Eccleſiis promotis, licitè poſſemus perſonas idoneas præſentare; cuius oppoſitum videmus quotidiè demandari, de quo plurimùm miramur, cùm non debeat ab vno & eodem fonte aqua dulcis & amara defluere. Sanè licèt hæc contra nos ſit communis peſtis introducta, pro quâ contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, necnon & cædes hominum poterunt fortaſſis exoriri, vnius tamen comparium noſtrorum afflictionem exempli gratiâ producere decreuimus in medium, &c.* Ita cauſam Roberti de Tuinge proponunt. His lectis, Papa conceſſionem priorem authoritate Apoſtolicâ reuocauit, idémque tum Legato, tum Archiepiſcopo Eboracenſi ſignificauit, prætexens ignorâſſe ſe, quòd præſentatio ad Laicum pertineret.

[b] Mat. Pariſ. ib.

[c] Aliter Perſonis.

[d] M. Par. p. 506. Anno 1240. Otto Legatus Papæ, [d] nummos & reditus non ſegniter ſibi rapuit, procurationéſque ſibi dari compellens, mittebat Epiſcopis & Archidiaconis diſtricta mandata in hæc verba: *Mandamus & quæſumus, vt procurationes nobis debitas, in Epiſcopatu & Archidiaconatu veſtro colligi facias noſtro nomine diligenter, eas quàm citiùs poteritis nobis tranſmiſſuri, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcendo: prouiſo, quòd qualibet procuratio ſummam 4. mar-*

carum

Digitized by Google

carum aliquatenus non excedat. Et vbi vna Eccleſia non ſufficiet ad procurationem huiuſmodi habendam, duæ pariter vnam ſoluant.[a] *Eodem tempore dignum cenſuit Dominus Papa extorquere quintam partem bonorum in reditibus vltra marinorum Clericorum, beneficiatorum in Anglia. Dicebant etiam Regi ſuo fideles; Domine Princeps nominatiſsime, quare permittis Angliam fieri in prædam & deſolationem tranſeuntium, quaſi Vineam ſine maceria omni communem viatori, ab apris exterminandam, cùm habeas efficax priuilegium vt non fiant tales in Regno iſto exactiones, nec ſit dignus priuilegio qui eo conceſſo abutatur? Quibus tale perſuadentibus, ait; Nec volo, nec audeo Domino Papæ in aliquibus contradicere. Et facta eſt in populis deſperatio nimis deploranda.*[b] *Eiuſdem anni ſpacio, conuenerunt apud Radingum omnes Angliæ Archiepiſcopi, Epiſcopi & maiores Abbates, & quidam Magnates Regni, Papale mandatum à Domino Legato explicandum audituri. Exigebat igitur ex parte ipſius Papæ quintam partem bonorum ſuorum. Cui reſponderunt Epiſcopi, quòd nullo modo tam importabile onus, quod vniuerſalem tangebat Eccleſiam, ſubirent ſine prolixi conſilij diligenti deliberatione. Huic exactioni Archiepiſcopus*[c] *Cantuarienſis, licèt inuitus, conſenſit, & ipſis papalibus exactoribus, antequam violenter extorquerentur, 800. marcas numerauit. Quod videntes alij Prælati Angliæ, in ſimilem ruinam ſunt prolapſi.* Eodē anno miſit[d] *Dominus Papa Greg. 9. ſacra præcepta ſua Domino Cantuarienſi Archiepiſcopo Edmundo, & Lincolnienſi & Sarisburienſi Epiſcopis, vt trecentis Romanis in primis beneficijs vacantibus prouiderent, ſcientes ſe ſuſpenſos à beneficiorum collatione, donec tot competenter prouiderentur.*

Anno 1241. miſſum eſt[e] *Abbati & Conuentui de Burgo mandatum Apoſtolicum cum precibus armatis, & monitis terrificis, vt reditū alicuius Eccleſiæ, cuius patronatus ad eos ſpectabat, quæ annuatim centum ad minus valeret marcas, Papæ conferret. Et ſi in duplo plus valeret, benè ei complaceret; concederet autem Dominus Papa ipſis illam Eccleſiam tenendam ab eo ad firmam annuam, ita ſcilicet vt pro eâ annuatim centum marcas ſoluerent Domino Papæ, omne reſiduum in proprios vſus conuertentes. Abbas, per quendam fidelem & prudentem Clericum ſuum, Regem & eius ſuper hac re conſilium eſt affatus. Rex autem, Romanæ curiæ deteſtans auaritiam, prohibuit diſtrictiùs, ne tam enorme factum, ampliùs etiam aërem macularet.*[f] *Nec adhuc ceſſauit auaritia Romanorū inſatiabilis, quia poſt receſſum Legati, remanſerunt in Angliâ duo Papales Clerici, quaſi vices Legati ſupplentes, exactores indeſeſſi, ſcilicet, Petrus cognomento Rubeus, & Petrus de Supino, authenticum Papæ retinentes, procurationes exigendi, interdicendi, excommunicandi, & pecuniam varijs modis à miſerâ Eccleſiâ Anglicanâ extorquendi. Scripſit igitur imperioſè prædictus Petrus Rubeus (qui ſe alteri præferebat, habens ſe per modum Legati) Epiſtolas ſuas & literas authenticas illi Abbati vel illi Priori, cuius titulus talis præponebatur: Magiſter Petrus Rubeus, Domini Papæ familiaris & conſanguineus, ſalutem. Prætereà ſocius ſuus Petrus de Supino ab Hyberniâ venit, & Romam tendens, mille & 500. marcas ſecum clitellis refertis aſportauit.*[g] *Audierant antè per curſores ſuos expeditiſſimos, quòd Dominus Papa irremediabiliter*

[a] Pag. 507.
[b] Pag. 508.
[c] P. 509.
[d] P. 514.
[e] P. 536.
[f] P. 547.
[g] P. 555.

Digitized by Google

ægrotauit, ita vt iam vel obiret, vel foret in proximo moriturus. Repentinam igitur & clandeſtinam cum præda ſua fugam, tam per mare, quàm per terram inierunt. Qui tamen poſtea ab Imperatore capti ſunt.

[a] P. 594. & p. 825 ſecũdùm edit. Lond.

Anno 1244. *Miſit* [a] *Dominus nouus Papa* (Innocentius quartus) *quendã nouum in Angliã pecuniæ extortorem, Magiſtrũ videlicet Martinũ, authenticum Papale deferentem, & habentem poteſtatem excõmunicandi, ſuſpendendi, & multipliciter voluntati ſuæ reſiſtentes puniendi; quâ roboratus poteſtate, ſuſpendit Prælatos Angliæ à collatione beneficiorum, donec voluntati Papali ſatisfactum fuiſſet, reditus ad opus Clericorum ſuorum & conſanguineorum poſtulanti. Indignum tamen iudicabat aliquem reditum ſuſcipere niſi 30. marcas, aut ſupra valentẽ, ne quiſquilias colligere tantus vir videretur. Capit igitur dictus M^r. Martinus munera, præcipuè palefridos concupiſcibiles, imperioſè exigere & extorquere à Prælatis, maximè à religioſis, præcipiens per literas diſtrictè illi Abbati, vel illi Priori, vt ei equos, quales decebat ſpecialem Domini Papæ Clericũ inſidere, tranſmitterent. Contradicentes autem, & excuſationes, & cauſas negationis protendentes etiam rationabiles, vtpote Abbatem de Malmesburiâ, & Priorem de Mertonâ ſuſpendendo, vſq; ad plenam ſatisfactionem grauiter puniuit. Sedulus etiam explorator Eccleſias vacantes & præbendas conſiderauit, vt ipſas patenti ſinui Papalis indigentiæ præſentaret. Inter quas dum præbenda opima Sarisburienſis Eccleſiæ, ſpectans ad præcentorem, vacaret, inuito Epiſcopo & nimis dolente, cum toto capitulo, manus rapidas eidem præbendæ ſtatim adiecit, & iuſſu Papæ cuidam puero nepoti ſuo, non ſine multorum cordium amaritudine & ſtupore, contulit.* Sic [b] *Romana curia, rubore depoſito, tempore noui Papæ noſtri Innocentij 4. non deſinebat per prouiſiones quotidianas, reditus impudenter extorquere.* [c] *Rex igitur his ſupradictis prouocatus iniurijs, & Romanorum multiplici laceſſitus auaritiâ, Domino Papæ ſcribit.* Qui tamen remedium non adhibuit. Nam [d] *miſit à latere ſuo quendam Clericum ſuum, Magiſtrum Martinum (quem propter improbam rapacitatem ſuam multi Mattinum appellârunt) habentem nouam & inauditam poteſtatem. Manus enim extendit ad contributionem exigendam, & prouiſiones ſecundùm mentis ſuæ impetum, ratione relegatâ, ad opus Ignotorum faciendas; reditus violenter extortos conſanguineis Domini Papæ conferendos authoritate Papali truculenter armatus, cuius nouas chartas, ſecundùm deſiderium ſuum, & ſecundùm repentini caſus emergentis negotium, ſingulis diebus oſtendit; vnde fuerunt qui dicerent, ipſum habere multas ſchedulas non ſcriptas, tamen bullatas, vt in eis quicquid ei placeret ſcriberet: quod abſit. Miſſus eſt igitur Legatus iſte Sophiſticus ad Regem, 1°. ſupplicans ei vt & ipſe, vicem reddens Domino Papæ, diligenter inſudaret vt Prælati Angliæ ad contributionem Domino Papæ faciendam generaliter conſentirent, ad minùs ad compromiſſionem, & feſtinam ſolutionem decem millium marcarum. Cui reſpondit Rex, quòd Magnates ſui tam Prælati & Clerici, & tam Comites, quàm Barones & milites tam frequenter bonis ſuis varijs argumentis ſpoliantur, quòd iam ſibi vix ſufficiant, nec mihi Regi ſuo, nec Papæ volunt, nec valent contribuere.* Prætereà, [e] *factæ ſunt inauditæ extorſiones pecuniæ, & redituum*

[b] P. 603.

[c] P. 604.

[d] P. 622. & p. 865. ſecũdùm edit. Lond.

[e] P. 626.

redituum per Magiſtrum Martinum, Londini commorantem apud nouum Templum. Per modum enim Legati ſe gerens, licèt Legati veſtibus (pro priuilegio Regis ſophiſticè ſaluando) non inſignitus, paſſim ſignificauit imperiosè illi Abbati, vel illi Priori, vt ſibi darent & mitterent munera pretioſa, Palfridos deſiderabiles, & in eſculentis & poculentis ſumptuoſa xenia, & veſtimenta adornatiua; quod cum feciſſent, ipſe Martinus remiſit eis quæ ei miſſa ſunt, aſſerens, ea eſſe inſufficientia, & præcepit etiam vt meliora ſibi, ſub pœna ſuſpenſionis, & Anathematis, tranſmitterent. Suſpendit autem omnes à collatione beneficiorum 30. marcas valentium & ſupra, donec ſuæ ſatisfactum foret cupiditati. Vndè miſeri Anglici acerbiorem quàm olim ſubierunt filij Iſrael, ſe doluerunt in Ægypto Britannicâ tolerare ſeruitutem.

Anno 1245. vniuerſi proceres & populus Angliæ querelas per procuratorē ſuum coram Innocentio 4to. in Concilio Lugdunenſi propoſuerunt, his verbis: [a] *Iam ditantur in Angliâ Italici (quorum eſt iam numerus infinitus) Eccleſiis ad ipſorum religioſorum ſpectantibus patronatum, nullam curam animarum gerentes, ſed lupos rapaciſſimos gregē diſpergere & oues rapere permittentes. Vndè verè dicere poſſumus, quòd non ſunt boni Paſtores, quoniam oues ſuas non cognoſcunt, nec paſtorum notitiam oues habent, Hoſpitalitati, Eleemoſynarúmq; largitioni, ſicut ſtatutum eſt in Eccleſia, non inſiſtunt, ſed fructus tantùm percipiunt, extra Regna aſportantes, Regnum non mediocriter depauperando, & reditus occupando, quibus reditibus fratres, nepotes, conſanguinei noſtri & cæteri benemeriti de Regno Angliæ prædicto beneficiari tenerentur, qui poſſent & vellent dicta charitatis opera, & etiam plura alia miſericorditer & piè exercere, & Eccleſiis ipſis perſonaliter deſeruire, vt qui altari deſeruiunt, viuant etiam de altari, ſecundùm dictum Pauli. Ipſi verò, nunc neceſſitate compulſi, Laici & exules ſunt effecti. Vt autem vobis veritas pleniùs innoteſcat, Italici percipientes in Anglia ſexaginta millia marcarum & eo ampliùs annuatim, alijs perceptionibus diuerſis exceptis, plus emolumenti meri reditus de Regno portant, quàm Rex ipſe, qui eſt tutor Eccleſiæ & Regni gubernacula moderatur. Porrò poſt creationem veſtram firmiter ſperabamus, & adhuc ſperamus, eam de vobis fiduciam reportantes, quòd veſtræ paternitatis miſericordiâ mediante, gaudebimus Eleemoſynas noſtras prædictas tempore veſtro fore ſtatui debito & priſtino reformandas. Sed tacere non poſſumus grauamen noſtrum, quo non ſolùm grauamur, ſed etiam opprimimur vltra modū; videlicet quòd M^r^. Martinus præfatum Regnum, ſine Domini Regis licentiâ, cum maiori poteſtate quàm vnquam vidimus habere Legatum à Domino Rege poſtulatum, nuper ingreſſus, licèt non vtens Legationis inſignijs, multiplicato tamen Legationis officio, nouas quotidiè proferens poteſtates inauditas, excedens excedit. Quædam beneficia iam vacantia perſonis Italicis conferendo, quibus decedentibus & patronis ignorantibus, alij ſupponuntur, & ſic Patroni ſuis collationibus defraudantur. Adhuc etiam M^r^. Martinus beneficia conſimilia, cum ea vacare contigerit, perſonis nititur aſſignare, quorundam beneficiorum collationem ſedi Apoſtolicæ reſeruando, & à viris religioſis penſiones immoderatas*

[a] P. 647.

moderatas inſuper extorquendo, contradictores & reſiſtentes excommunicationis & interdicti ſententijs paſſim, non abſque magno diſcrimine, & animarum periculo ſupponendo, &c. Papa Legato Angliæ 1°. reſpondere diſtulit. Poſteà anno 1246. *ortus eſt rumor, & ex rumore* [a] *ſuſpicio non modica, quòd Dominus Papa rancorem in corde retinuit, cùm tamen non ſubfuiſſet cauſa rationabilis. Iratus eſt valdè, & multiformiter ampullosè cæpit comminari Anglorum Regi & Regno, vt ſi poſſet Fredericum edomare, & per conſequens recalcitrantium Anglorum (qui de oppreſſionibus Romanæ curiæ, & maximè de tributo in Concilio conqueſti ſunt) inſolentem ſuperbiam conculcabit. Non enim, vt ei videbatur, licuit miſeris Anglis, pro multiformi etiam iniuriâ flagellatis, lachrymare, vel mutire, &c.* Hæc tamen inter alia ab Innocentio à Concilio Lugdunenſi impetrata ſunt priuilegia. [b] *Si dilectus filius M^r. Martinus, cameræ noſtræ Clericus, de mandato noſtro aliquos veſtrûm à collatione beneficiorum ſeu præſentatione ſuſpenderit, ſuſpenſionem huiuſmodi, niſi ſpecialiter pro certis perſonis, quas duodenario tamen numero comprehendi volumus, facta fuerit, duximus relaxandam.* [c] *Nos enim parati ſumus Clericis Angliæ benemeritis, prouiſionis Eccleſiaſticæ dextram liberaliter aperire, & etiam cum illis, quos, velut Nobiliores & probiores, ampliori gratiâ nouerimus eſſe dignos, ſuper beneficiorum pluralitate honorificè diſpenſare. Et nos, veſtris ſupplicationibus inclinati, volentes iura veſtra illæſa ſeruari, vniuerſitatem veſtram monemus, rogamus & hortamur, mandantes authoritate Apoſtolicâ, vt beneficia Eccleſiaſtica ad collationem veſtram ſpectantia perſonis idoneis conferre, quæ velint & poſſint in ijs vtiliter deſeruire, abſque cuiuſlibet contradictionis obſtaculo, liberè, prout ad vos pertinet, authoritate prædictâ indulgemus.*

[d] *Præterea, vnum priuilegium, ne ſcilicet Italicus Italico immediatè ſuccedat, & hoc impetratum eſt, propter fraudes eorum, qui mortuis beneficiatis alios furtim ſupponebant. Sed omnia hæc & alia per hoc repagulum (non obſtante) infirmantur. Vbi ergo fides? Vbi iura, quæ ſcriptis ſolebant ſolidari? Exularunt. Dominus Rex poſt indulgentias memoratas, dictáq; promiſſa, magis ſenſit Papam, prout communiter audiuit, & verè poſteà didicit, manum aggrauare, & quaſi per contemptum plus ſolito in Regnũ proteruire, Eccleſiam opprimendo. Oſtendit eis* (Regni Ordinibus in Parlamento congregatis) *articulos ſuper grauaminibus & oppreſſionibus Eccleſiæ & Regni ſui*; Etiam in his ipſis rebus quarum reformationẽ promiſit Papa. Nam Italici Italicis ſuccedebant; plura quàm duodecim beneficia à Legato Pontificio ſunt collata; nec Patroni idoneos præſentare permiſſi ſunt. [e] *Hæc attendentes vniuerſi & ſinguli, vnanimiter conſenſerunt, vt adhuc ob reuerentiam ſedis Apoſtolicæ, Domino Papæ humiliter ac deuotè, tam per Epiſtolas, quàm per ſolennes nuncios ſupplicarent, vt tam intolerabilia grauamina, & iugum ſubtraheret importabile, &c.* Scripſerunt igitur Domino Papæ ſuper Anglorum oppreſſionibus; Primò Archiepiſcopi, & Epiſcopi; ſecundò, Abbates, Priores, & Conuentus; 3°. Magnates, cum toto Clero, & po-

[a] p. 669.
[b] p. 674.
[c] p. 675.
[d] Ibid.
p. 677.
[e] Ibidem.

& populo; 4°. Ipſe Rex; quarum omnium Epiſtolarum & querelarum exemplaria extant apud Matthæum Pariſienſem in Henr.3. Nouæ tamen indies querelæ ad Regem delatæ ſunt, & grauamina grauaminibus addita.

[a] *Nuper etiam ab Apoſtolicâ ſede emanârunt literæ, non modicum Regis & Regni præiudicium continentes; videlicet, quòd aliqui Prælati decem milites ſtrenuos, alij quinque, alij quindecim inuenirent Domino Papæ, qui in ſeruitio Eccleſiæ Romanæ ſtarent per annum integrum, & Prælatorum ſtipendijs militarent cum equis & armis ſufficienter instructi, vbi Dominus Papa duxerit prouidendum.* Præterea, [b] *Dominus Papa videns in aliquorum Anglicorum ornamentis Eccleſiaſticis, vtpote in capis choralibus & infulis aurifriſia concupiſcibilia, interrogauit vbinam facta fuiſſent? Cui reſponſum eſt, In Angliâ. At ipſe, verè hortus noſter deliciarum eſt Anglia, verè puteus inexhauſtus, & vbi multa abundant, de multis multa poſſunt extorqueri. Vndè idem Dominus Papa, concupiſcentiâ illectus oculorum, literas ſuas bullatas ſacras miſit ad omnes ferè Ciſterciẽnſis ordinis Abbates in Anglia commorantes, quorum orationibus ſe nuper in Capitulo Ciſtercienſi commendauerat, vt ipſi aurifriſia, ac ſi pro nihilo ipſi poſſent acquirere, mittere non deferrent prælecta ad planetas & capas ſuas chorales adornandas. Quod mercinarijs Londinenſibus qui ea venalia habebant, non diſplicuit, ad placitum vendentibus; vndè multi manifeſtam auaritiam Romanæ Eccleſiæ deteſtabantur.* Hoc tamen ipſo anno [c] *induſtriâ procuratorum Domini Regis elaboratum eſt in curia Romana, quòd quanquam pro ſua voluntatis arbitrio ad intolerabile Regni Angliæ grauamen paſſim & indifferenter prouiſiones fecerit in Anglia, de beneficijs Eccleſiaſticis ad opus Italicorum, nunc gratiâ Dei in ipſâ parte ita ſedata eſt tempeſtas illa, quòd quandò Papa alicui vel aliquibus ex nepotibus eius vel Cardinalium* (prouidere voluerit) *ipſe, vel ipſi Cardinales rogabunt Regem cum inſtantiâ, quòd placeat Regi vt ſic tali prouideatur.* Eodem tempore [d] *cùm audiſſet Dominus Papa qualiter quidam in Angliâ opulenti Clerici, videlicet, M^r. Rob. de Hailes, Archidiaconus Lincolnienſis, qui paucis elapſis annis obierat inteſtatus, plura millia marcarum cum vaſis multis argenteis ſeculo & ſecularibus infœliciter dimiſerat; Archidiaconúſque Bedfordiæ Almaricus, quòd pecuniâ abundans maximâ poſt ſe indecenter relictâ obierat; nuper quoque Magiſter Iohannes de Hotoſp, Archidiaconus Northamptonienſis, morbo repentino correptus, circiter 5. millia marcarum, cum 30. cuppis argenteis vel aureis, & infinitis iocalibus indecenter & improuiſè obijſſet inteſtatus, ſtatutum ſuper hoc nouum & inauditum, non ſine notâ manifeſtæ cupiditatis, ſuſcitauit in Anglia promulgandum, vt ſi Clericus ex tunc decederet inteſtatus, eiuſdem bona in vſus Domini Papæ conuerterentur. Quod negotium fratribus prædicatoribus & minoribus præcepit diligenter exequendum. Quod cùm audiſſet Dominus Rex, deteſtans Romanæ Curiæ augmentoſam, ac multiplicem, & multiformem auaritiam, hoc fieri prohibuit, comperiens illud in damnum Regni, & ſuum redundare præiudicium.*

[a] P. 680.
[b] P. 683.
[c] P. 684.
[d] P. 685.

[a] Pag. 686. Eodem anno 6. [a] *millium marcarum Subſidium ab Eccleſiis Anglicanis pro Apoſtolicâ ſede fuerat poſtulatum.* Epiſcopus Noruicenſis, Papæ procurator, ab Abbate & Conuentu Sancti Albani pro ſuâ [b] P. 685. & 686 portione [b] 80. marcas exegit; Sed *Rex hoc tallagium Papæ ſolui* [c] *prohibuit*; [c] Ibidem. [d] P. 687. [d] *diſtrictiùs inhibens, ne ad exactionem prædicti tallagij vel auxilij faciendam aliquatenus procederent, ſicut gaudere deſiderant Baronijs & poſſeſſionibus ſuis quas in Regno tenebant.* [e] Ibid. [e] *In binto igitur anguſtiarum conſtituta Eccleſia Anglicana, quaſi inter duas molas è contrario circumuoluentes, miſerabiliter conterebatur. Hinc Scylla; indè Charybdis timebatur. Rex de hac parte ad Regni ſaluationem & inſtaurationem, Concilio fretus & roboratus generali, nitebatur: Papa ad eiuſdem depauperationem anhelabat.* [f] Ibid. Dixerat enim Papa; [f] *Rex Angliæ qui recalcitrat, & frederiſat, ſuum habet Concilium: ego verò meum quod & ſequar; & ex tunc vix aliquis Anglicus in (Curiâ Romanâ) negotium aliquod poterat expedire. Nam velut ſchiſmatici repellebantur omnes, probris laceſſiti. Hæc cùm audiſſet Rex, cum Magnatibus ſuis commotus eſt vehementer, & meritò, præcepitque voce præconiâ in omnibus Comitatibus, per omnes villas, & fora, & congregationes publicè acclamari, ne quis per Regnum Papali contributioni conſentiret, vel aliquid pecuniæ in auxilium eius tranſmitteret: quod factum eſt. Illud autem cùm audîſſet Papa, in vehementem iram excanduit, & iteratò aſperiùs Prælatis ſcripſit Anglicanis, vt ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis, infra feſtum Aſſumptionis, nuntio ſuo apud nouum Templum Londini commoranti, de prædicto auxilio ſatisfacerent. Et cùm conſtanter pararetur Dominus Rex ſtare pro Regni & Eccleſiæ liberatione, comminationibus Comitis Richardi fratris ſui, & quorundam Epiſcoporum, quorum principalis erat Wigornienſis, cui à Domino Papâ conceſſa fuit poteſtas, terram etiam vt perhibebatur interdicendi, fractus ſuccubuit, & deterritus. Vnde totus conatus tam Magnatum quàm Epiſcoporum (& ſpes de Regnì & Eccleſiæ Anglicanæ liberatione) miſerabiliter, & non ſine multorum cordium cruento dolore emarcuit annihilatus, & impunè hiatibus Romanæ auaritiæ de memorata contributione eſt ſatisfactum.*

[g] M. Pariſ. p. 694 [g] *Aſſumens igitur ex præteritis audaciam Dominus Papa, miſeros Anglos conculcandi & conculcatos apporriandi imperiosè, & ſolito imperioſiùs Prælatis Angliæ demandauit, vt omnes beneficiati in ſuis beneficijs reſidentiam facientes, tertiam partem bonorum ſuorum Domino Papæ conferrent: non facientes reſidentiam, dimidiam partem, &c. Sed ſuperuenerunt miſſi ex parte Domini Regis, diſtrictè prohibentes ne illi contributioni, in totius Regni deſolationem demandatæ, aliquo modo conſentirent.* Clerici autem irrationabilem hanc eſſe exactionem multas reddiderunt rationes.

An. 1247. Parliamentũ Londini eſt habitũ, in quo querelæ que-[h] P. 698. relis cumulabantur ſuper exactionibus Papalibus: [h] *tandem de communi conſilio prouiſum eſt, vt grauamina terræ Domino Papæ ſeriatim monſtraturi ad Curiam Romanam nuntij diſcreti deſtinarentur, Epiſtolas Domino Papæ & Cardinalibus ex parte Communitatis totius, Cleri, & populi Regni Anglicani eminùs oſtenſuri.* Hoc autem vmbratile priuilegium

gium eſt impetratum,quòd [a] *ſi quandò Papa prouideret alicui,* vel ali- [a] P.699.
quibus ex nepotibus ſuis,vel Cardinalium,*ipſe vel ipſi Cardinales ro-
gabunt Dominum Regem cum inſtantiâ magnâ,quod placeat Domino Re-
gi vt prouideatur ſic.*

Eodem anno [b] *duo fratres de ordine minorum,Iohannes & Alexan-* [b] P.700.
*der,natione Anglici,poteſtatem à Domino Papa obtinentes extorquendi pe-
cuniam ad opus Domini Papæ, in Angliam ab ipſo Papa deſtinantur: qui
multis bullatis literis Papalibus armati,& ſub ouino vellere lupinam rapa-
citatem palliantes,ab Epiſcopo Lincolnienſi ſex marcarum millia,ab Ab-
bate Sancti Albani* 40. *exigebant.*

[c] *Dominus Papa non credens ſufficere ad pecuniã argumentosè vindemi-* [c] P.701.
andam iam miſſos,diuerſos numiſmatis Collectores in Angliam,M[r] *Mari-
num,alterum Martinum Capellanũ ſuum (qui ex nominis ſui impoſitione,
in hoc mundano mari piſcaturam non hominum,ſed eorũ poſſeſſionum pru-
denter elegerat) deſtinauit, vt alijs venantibus, iſte piſcando miſeros Ang-
los,vel puniendo eminùs ineſcaret,vel fallendo cautiùs irretiret.Hic igitur,
quamuis inſignijs Legati non polleret,poteſtate tamen Legati (vt ſic Domi-
ni Regis priuilegio illuderetur) fortiùs armabatur.*

Iiſdem diebus miſſus eſt in Hyberniam M[r]. Iohannes Rufus, ad
pecuniam ibidem colligendam, qui [d] *tam vigilanter mandato Papali* [d] Ibid.
*& ſuæ indulſit vtilitati & lucro,vt ſex millia marcarũ ab Hybernia extor-
ſerit.* [e] *Dominus Rex comperiens Regnum ſuũ enormiter periclitari,iuſſit* [e] P.707.
*omnem totius Regni Nobilitatem conuocari Oxonia. Prælatos autem max-
imè ad hoc Parliamentum vocauit arctiùs, quia videbat eos tam frequen-
ter depauperari per Papales extorſiones: ſperabatur autem certiſſimè ali-
quod ſalubre Eccleſiæ & Regno ibidem ſtatuendum,quod tamen omnes hoc
ſperantes feſellit. Nam cùm anteà aliqui Prælatorum præfactæ contributi-
oni propoſuiſſent contradicere,ibidem omnes in contributionem* 11. *millium
marcarum conſenſerunt,exceptis exemptis, & tribus Clericis.*

Anno 1248.& Henr.3.32. [f] *Multiplicata ſunt cum augmento grauа-* [f] P.729.
*mina multipliciter excogitata, quæ à Romana Curia in Regnum diatim
Angliæ miſera profluxerunt, præter anguſtiam & ſeruitutem inſolitam,eò
quòd ſuſpendebantur Prælati à collatione beneficiorum, donec Romanæ a-
uaritiæ ſatisfactum eſſet.*

An.1252. qui erat Henr.3. triceſimus quintus, *in tantum permiſſa* P.832.
*eſt Romana auaritia,& in tantum adeo aſcendiſſe, quòd Epiſcopus Robertus
Lincolnienſis, ſuper hoc ſtupefactus, fecit à ſuis Clericis diligenter compu-
tari & conſiderari alienorum prouentus in Anglia,& inuentum eſt,& ve-
raciter compertum,quòd iſte Papa præſens, videlicet, Innocentius* 4. *plus
Eccleſiam vniuerſalem depauperauerat, quàm omnes prædeceſſores à tem-
pore Papatus primitiui, reditúſq; Clericorum per ipſum in Anglia alieno-
rum,quos Eccleſia Romana ditauerat,ad plus quàm* 70. *millia marcarum
aſcendit. Reditus Regis merus non ad eius partem tertiam computatur,* in-
quit [g] Pariſienſis. Anno 1253. Robertus Lincolnienſis reſcripſit [g] P.832.
Papæ in hæc verba: [h] *Nouerit diſcretio veſtra,quòd mandatis Apoſtoli-* [h] P.843.
cis affectione filiali deuotè & reuerenter obedio. His quoq; quæ mandatis

Apoſtolicis aduerſantur, paternum zelans honorem, aduerſor & obſto. Ad vtrunque enim teneor ex diuino mandato. Apoſtolica enim mandata non ſunt, nec eſſe poſſunt alia quàm Apoſtolorum doctrinæ, & ipſius Domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolorũ Magiſtri & Domini, (cuius typũ & perſonam maximè gerit in Hierarchia Eccleſia Dominus Papa) conſona & conformia. Ait enim Dominus ipſe noſter Ieſus Chriſtus, Qui non eſt mecũ, cõtra me eſt; contra ipſum autem nec eſt, nec eſſe poteſt Apoſtolicæ ſedis ſanctitas diuiniſſima. Non eſt igitur prædictæ literæ tenor Apoſtolicæ ſanctitati conſonus, ſed abſonus plurimùm & diſcors. Primò, quia de illius literæ & ei conſimilium longè latéq; diſperſarum ſuper-accumulato non obſtante, nec ex legis naturalis obſeruandæ neceſſitate inductâ ſcatet Catachyſmus inconſtantiæ, audaciæ, & procacitatis, inuerecundiæ, mentiendi, fallendi, diffidenter alicui credendi, vel fidem adhibendi, & ex his conſequentium vitiorum, quorum non eſt numerus, Chriſtianæ religionis puritatem, & ſocialis conuerſationis hominum tranquillitatem commouens & perturbans. Præterea, poſt peccatum Luciferi, quod idem erit in fine temporum ipſius filij perditionis Antichriſti, quem interficiet Dominus Spiritu oris ſui; non eſt, nec eſſe poteſt alterum genus peccati tam aduerſum, & contrarium Apoſtolorum doctrinæ & Euangelicæ, & ipſi Domino Ieſu Chriſto tam odibile, deteſtabile, & abominabile, quàm animas curæ paſtoralis officij & Miniſterij defraudatione mortificare & perdere. Quod peccatum euidentiſſimis Scripturæ ſacræ teſtimonijs committere dignoſcuntur, qui in poteſtate curæ paſtoralis conſtituti, de lacte & lana ouium Chriſti viuificandarum & ſaluandarum paſtoralis officij & Miniſterij ſalarium comparant, debita non adminiſtrant. Ipſa enim Miniſteriorum Paſtoralium non adminiſtratio eſt, Scripturæ teſtimonio, ouium occiſio & perditio, &c. Et vt reliqua prætercam, quoniam ſunt prolixa, concluſionem ipſam placet annectere. [a] *Breuiter autem recolligens, dico, Apoſtolicæ ſedis ſanctitas non poteſt, niſi quæ in ædificationem ſunt, & non in deſtructionem. Hæc enim eſt poteſtatis plenitudo, omnia poſſe in ædificationem. Hæ autem, quas vocant prouiſiones, non ſunt in ædificationem, ſed in manifeſtiſſimam deſtructionem. Non igitur eas poteſt beata ſedes Apoſtolica acceptare, quia caro & ſanguis, quæ Regnum Dei non poſſidebunt, eas reuelauit, & non Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti qui eſt in cœlis. Hæc cùm ad Domini Papæ audientiam peruenisſent, non ſe capiens præ ira & indignatione, toruo aſpectu & ſuperbo animo ait; Quis eſt iſte ſenex delirus, ſurdus, & abſurdus, qui facta audax, immo temerarius iudicat? Per Petrum & Paulum, niſi moueret nos innata ingenuitas, ipſum in tantam confuſionem præcipitarem, vt toti mundo fabula foret, ſtupor, exemplum, & prodigium. Nonne Rex Angliæ noſter eſt* [b] *vaſallus, &, vt plus dicam, mancipium, qui eum poteſt nutu noſtro incarcerare, & ignominiæ mancipare? Cùm hæc inter fratres Cardinales recitarentur, vix compeſcentes impetum Papæ, dixerunt ei. Non expediret, Domine, vt aliquid durum contra ipſum Epiſcopum ſtatueremus. Vt enim vera fateamur, vera ſunt quæ dicit. Non poſſumus eum condemnare. Catholicus eſt, immò & ſanct-*

[a] P. 844.

[b] O arrogantiam & impudentiam Antichriſto dignam.

Digitized by Google

& ſanctiſſimus, nobis religioſior, nobis & ſanctior, excellentior, & excellentioris vitæ, ita vt non credatur inter omnes Prælatos maiorem, imò nec parem habere. Nouit hoc Gallicani & Anglicani Cleri Vniuerſitas, noſtra non præualeret contradictio. Huiuſmodi Epiſtolæ veritas, quæ iam fortè multis innotuit, multos contra nos poterit commouere. Magnus enim habetur Philoſophus, Latinis & Græcis literis ad plenum eruditus, zelator iuſtitiæ, lector in Theologiæ ſcholis, Prædicator in populo, caſtitatis amator, perſecutor Simonialium. Hæc dixerunt Dominus Ægidius Hiſpanus Cardinalis, & alij quos propria tangebat conſcientia: conſilium dederunt Domino Papæ, vt omnia hæc conniuentibus oculis, ſub diſſimulatione tranſire permitteret, ne ſuper hoc tumultus excitaretur, maximè propter hoc, quòd ſcitur, quòd quandoque deceſſio eſt ventura.

Idem Lincolnienſis [a] *Lethali tædio & infirmitate prægrauatus, acerſiri præcepit aliquos de Clericis ſuis, quibus ſuſpirans ait; Chriſtus venit in mundum vt animas lucraretur: ergo ſi quis animas perdere non formidat, nónne Antichriſtus meritò eſt dicendus? Dominus ſex diebus mundum condidit vniuerſum, ſed vt hominem repararet, pluſquam 30. annis laborauit. Nónne ergo animarum deſtructor, inimicus Dei, & Antichriſtus cenſetur? Priuilegia ſanctorum Pontificum Romanorum prædeceſſorum ſuorum Papa impudenter annullare per hoc repagulum (non obſtante) non erubeſcit. Quod non fit ſine eorum præiudicio & iniuriâ manifeſtâ; ſic enim reprobat & diruit, quod tanti & tot Sancti ædificârunt. Eccè Sanctorum contemptus. Meritò igitur contemptor contemnetur; ſecundùm illud Iſaiæ, Væ tibi qui ſpernis, nónne contemnéris? Quis eius priuilegia conſeruabit? Errorem ſuum, ad hoc reſpondens Papa, ſic tuetur; par in parem non habet imperium; ergo Papa me Papam minimè præualet obligare.* [a] P. 847.

Prætereà, & ſi multi alij viri Apoſtolici Eccleſiam afflixerunt, iſte grauiùs alijs coëgit ancillari, & inconuenientia multiplicauit. Caurſini enim manifeſti vſurarij, quos Sancti Patres & Doctores noſtri quos vidimus & audiuimus, prædicando à partibus Franciæ eiecerunt, quia anteà hâc peſte Anglia non laborabat, iſte Papa ſuſcitauit, & protegit ſuſcitatos. Et ſi quis obloquatur, damnis & laboribus (teſte Epiſcopo Londinenſi Rogero) fatigatur. Nouit mundus, quòd vſura deteſtabilis habetur, in vtroque Teſtamento, & à Deo prohibetur. Nunc Domini Papæ mercatores vel ſcambiatores, obmurmurantibus Iudæis, palam Londini fœnerantur, viris Eccleſiaſticis, & maximè religioſis, diuerſa machinantur grauamina, cogentes quos grauat egeſtas mentiri, & ſigna ſua ſcriptis mendacibus appendere, quod eſt idololatrare, & Veritati quæ Deus eſt, abrenuntiare. Verbi gratiâ, mutuò accipio marcas per annum pro centum libris, cogor conficere ſcriptum & ſignare, in quo confiteor me centum libras mutuò, in fine anni ſoluendas, recepiſſe. Et ſi fortè ſortem pecuniæ, tibi infra menſem vel dies pauciores acquiſitæ, vſurario Papali ſoluere volüeris, non recipiet niſi integraliter 100. *libras. Quæ conditio grauior eſt quàm Iudæorum; quia quandocunque ſortem Iudæo attuleris, recipiet benignè*

nignè cum tanto lucro, quod tempore tanto ſe commenſurat. Inſpeximúſque literam Papalem, in qua inſertum reperimus quòd teſtamenta condentes, vel crucem ſuſcipientes, & ſubſidium terræ Sanctæ impendentes, tantundem recipient indulgentiæ quantum pecuniæ largientur. Item ſcimus Dominum Papam ſcripſiſſe Abbati de Sancto Albano, vt prouideret cuidam Iohanni de Cameſana, quem nunquam viderat, in beneficio competenti; & infra breue tempus prouiſum eſt ei in Eccleſia, quæ annuatim 40. marcas, & ampliùs valebat. Sed ipſe non contentus conqueſtus eſt Papæ. Scripſit igitur Papa Abbati memorato, vt dicto Clerico vberiùs prouideretur, nihilominùs tamen reſeruatâ eidem Domino Papæ prioris Eccleſiæ donatione. Prætereà, *Concedit Papa ob fauorem ſecularem, vt aliquis obtineat Epiſcopatum, nec tamen Epiſcopus exiſtat, ſed electus ſempiternus, quod tantundem ſignificat, vt lac & lanam ouium habeat, lupos tamen non abigendo, priſtinos etiam reditus retinendo. Et cum hæc & alia enormia, videlicet, omne genus auaritiæ, vſuram, ſimoniam, & rapinam, omne genus luxuriæ, libidinem, gulam, & ornatum quæ in curia illa regnant deteſtaretur vt verè de ipſa iudicatur:*

Eius auaritiæ totus non ſufficit orbis.
Eius Luxuriæ meretrix non ſufficit omnis.

nitebatur proſequi, quomodò confiſa Curia illa, vt Iordanis influat in os eius, patulo hiatu aſpirabat; vt etiam bona inteſtatorum, & diſtinctè Legatorum ſibi vſurparent, &, vt licentiùs hoc facerent, Regem in rapinis ſuis conſortem facerent, & participem. Nec liberabitur Eccleſia ab Ægyptiaca ſeruitute niſi in ore gladij cruentandi. Sed hæc profectò leuia; ſed in breui ſcilicet hoc triennio ventura ſunt grauiora. In calce verò huiuſmodi Propheticæ locutionis quam, prærumpentibus ſingultibus, lachrymis, & ſuſpirijs, vix pronuntiáſſet, abbreuiata eſt lingua eius, & deficiente halitu, organum vocis ſiluit mutilatum.

[a] P. 889. Mat. Pariſ. annum 1255. concluſione obſignans, ſic ait: [a] *Tranſijt igitur annus ille, Romanæ Eccleſiæ & Papali curiæ, ſi deuotionem populi reputes, virulentiſſimus. Expirauit enim quæ conſueuit haberi deuotio habita à prælatis, & populo, penes matrem noſtram, & Patrem, & Paſtorem noſtrum, Dominum videlicet Papam: & ſi illa Curia fideles Chriſti multoties vſq; ad amaritudinem Spiritus cruentauerit, nunquam tamen ſicut hoc & ſequenti anno tam lethaliter vniuerſos Chriſti ſeruos, & ſingulos ſauciauit.*

[b] P. 891. Anno 1246. [b] *Noluit Magiſter Ruſtandus* (Papæ Nuntius & Regis Procurator) *mutare vnum iota vnius ſcripti quod ſcripſerat, in quo inſertum fuit, vt affirmarent Prælati ſe recepiſſe mutuò à mercatoribus tranſalpinis pecuniæ quantitatem non minimam, & ipſam fuiſſe conuerſam in ſuarum commodum Eccleſiarum: quod profectò manifeſtò eſſe falſum conſtitit vniuerſis. Vnde affirmabant (nec ſine ratione) quod mori in hac cauſa via fuiſſet Martyrij manifeſtior, quàm fuerat in cauſa beati Thomæ Martyris.*

Anno

Anno eodem Alexander 4. Ruſtando per [a] bullam nefariã ſignificauit, ſe pro negotio Regni Siciliæ procurando duo millia vnciarum auri ſolui mandâſſe, & propter hoc quædam Monaſteria in Anglia in duobus millibus marcarũ ſterlingorum obligata fuiſſe; Eidem igitur mandauit, vt dictã pecuniam colligendã, & Romam tranſmittendã curaret. [b] *Prior & Conuentus Dunelmenſis in* 500. *marcis, Bathonienſis in* 400. *marcis, Abbas & Conuentus de Thorniâ in* 400. *marcis, Abbas & Conuentus de Croilandia in* 400. *marcis, Prior & Conuentus de Giſburnia, ordinis S. Auguſtini, in* 300. *marcis fuerunt authoritate ſedis Apoſtolicæ obligati. Cùm autem audiſſent Prælati, quòd Papa & Rex confœderarentur in ſubuerſionẽ Anglicanæ Eccleſiæ, adeò in ambiguũ rotabantur, & quaſi inter duas molas conterebantur, vt cæci neſcirent penitùs quid agendum. Veruntamen Prior & Conuentus Dunelmenſis, neque Prior & Conuentus de Giſburnia aliquo modo voluerunt flecti, vt conſentirent illi virulentæ obligationi, vt ipſi ſuas Eccleſias tam enormi ſeruituti inclinarent, licèt omnes ferè alij genua Baali incuruarent.* [a] Vide p. 904. [b] P. 905.

[c] *Per idem tempus venerunt quidam ignoti in Eccleſiam Eboracenſem in hora dum diſcũberent homines, ſoli menſæ intrudentes, clanculò intrantes, inquiſiuerunt à quodam ibidem orante quodnam eſſet ſtallum Decani; & reſponſum eſt hoc, demonſtrato ſtallo decanali. Duo igitur tertio, quem inſtallârunt, dixerunt, Frater, nos te authoritate Papali inſtallamus. Quod cùm cognouiſſet Archiepiſcopus Sewalus, nouiter creatus, & quandóq; illius Eccleſiæ Decanus, doluit inconſolabiliter de tali fraude perpetrata, & factum illud ſubdolum, quantùm in ſe potuit, irritauit; fraudulenti tandem Romanam Curiam, de qua venerant, adeuntes, illum bonum virum & modeſtum Archiepiſcopum interdici fecerunt, & damnis & laboribus immenſis fatigârunt. Quæ omnia Sanctus Præſul ſuſtinuit in patientia.* [c] Ibid.

[d] *Hic Sanctus Archiepiſcopus, cùm mortem ſuam indubitanter, vt tranſiret ab hoc mundo, præſenſiſſet, erigens ſe manibus iunctis, & in cœlũ vultum intendens, lachrymans ait, Domine Ieſu Chriſte, Iudicũ iuſtiſſime nouit infallibile examen tuum, quàm Papa (quem ſuper Eccleſiam tuam conſtitui permiſiſti gubernandam) meam multipliciter fatigauit innocentiã pro eo, vt Deus ſcit, & mundus non ignorat, quòd indignos prorſus & ignotos nolüi admittere ad regimen Eccleſiarũ, mihi, licèt indigno, à te commiſſarũ. Veruntamen, ne ex contemptu, Papalis ſententia quamuis iniuſta, fiat iuſta, humiliter poſtulo abſolui talibus vinculis irretitus; ſed ante ſummum incorruptibilem Iudicem ipſum Papam appello, & erunt mihi teſtes cœlum, & terra, quàm iniuſtè impetiuit me, laceſſiuit, & multipliciter ſcandalizauit. In amaritudine igitur animæ ſcripſit Papæ, exemplo Roberti Lincolnienſis Epiſcopi prouocatus, dolens inconſolabiliter. Humiliter igitur in ſcripto ſuo & inſtanter petijt, vt conſuetas tyrannides temperaret, humilitatem Sanctorum Prædeceſſorum ſuorum ſequendo. Dixit enim Dominus Petro, Paſce oues meas, non tonde, non excoria, non euiſcera, vel deuorando conſume. Sed Dominus Papa ſubſannans & contemnens, indignationem concepit non minimam, eò quòd in tantam temeritatem & præſumptionem proruperint, vt Dominum Papam auderent quomodolibet ſollicitare,* [d] P. 939.

Digitized by Google

ſollicitare, & tam Archiepiſcopi Sewali, quàm Roberti Lincolnienſis ſalubribus monitis renuit inclinare.

[a] Guilliel. Riſhanger in continuat. Mat. Pariſ. p. 959.

[b] Ibidem.

Anno 1260. [a] *Magnates miſerunt quatuor milites ſatis facundos, qui Epiſtolam ſigillis ſuis firmatam Papæ & Cardinalibus exhiberent; in qua continebantur facinora, quæ perpetrauerant Himerus, electus Wintonienſis, & fratres eius, de homicidijs, rapinis, & oppreſſionibus, iniuriiſq; quibus afflixerant populum, & attriuerant Regiones. Eo* [b] *tempore Simon de monte forti Comes Leiceſtriæ, Richardus de clara Comes Glouerniæ, Nicolaus filius Iohannis, Iohannes filius Galfridi, multique Nobiles conuenerunt Oxonijs, equis & armis ſufficienter inſtructi, finaliter ſtatuentes in animo aut mori pro pace patriæ, aut pacis eliminare à patria turbatores. Mandauerunt viris religioſis qui tenebant ad firmam Eccleſias Romanas, ne de firmis eorum eis reſponderent, ſed dictas firmas & reditus darent ſuis procuratoribus die & loco per Barones aſſignatis. Quòd ſi aliter facerent, ſua incendio ſubiacerent. Idem mandatum Epiſcopis. Hâc prouiſione Baronum quieuit Anglia ab exactoribus ferè triennium.*

6 Anno 1316. Papa rogantibus Anglorum & Gallorum Regibus, quendam Ludouicum de Bello-monte, Gallum, Dunelmenſem creauit Epiſcopum, linguæ Latinæ oppidò ignarum. [c] *Vnde cùm in conſecratione ſua profiteri debuit, quamuis per multos dies artè inſtructorem habuiſſet, legere tamen neſciuit. Et cùm auriculantibus alijs cum difficultate ad illud verbum (Metropoliticæ) perueniſſet, diúque anhelans pronunciare non poſſet, dixit in Gallico idiomate,* Soit pur dit, *id eſt, dictum puta. Et cùm ſemel celebraret ordines, nec pronunciare poſſet (in ænigmate) dixit circumſtantibus,* Per Saint Lowys il n' eſt pas courtoys qui ceſte parolle yci eſcrit: *id eſt, Per Sanctum Ludouicum parum humanus fuit, qui hoc verbum hîc ſcripſit.* Verùm licèt ab eius lingua Latina non flueret oratio, auro tamen ſtillabant digiti. Quem Papa [d] *Chirographis ad tantam Romanæ curiæ ſoluendam pecuniam obligauit, quantam quatuordecim annis non diſſoluit.*

[c] Ant. Brit. p. 240.

[d] Ibid.

7 An. 1343. [e] *Clemens Papa iterum fecit in Anglia prouiſiones duobus Cardinalibus de beneficijs proximè vacantibus, præter Epiſcopatus & Abbatias, ad extentam duorum millium marcarum. Quod Rex & tota Regni Nobilitas pati noluit, ſed procuratores dictorum Cardinalium ſub pœna Carceris Anglia exire coëgit. Et citò poſt Rex direxit famoſam illam Epiſtolam pro libertate Eccleſiæ Anglicanæ continenda.*

[e] Walſing. in Ed. 3. p. 151.

Anno 1345. *Obijt Richardus de Bury, Epiſcopus Dunelmenſis, cui ſucceſſit Thomas de Hatfeild, Regis Secretarius, mediantibus Regis literis apud Papam, in magnum Regis opprobrium. Reuerà cùm antè Rex & Nobilitas inſtitiſſet pro electionibus liberè faciendis & confirmandis, iam Rex directè contra tenorem ſuarum literarum, & vota Procerum, hunc Pontificem fieri efflagitauit. Papa verò non inuitus hanc petitionem Regi conceſſit. Sed Cardinalibus quibuſdam calumniantibus dictum Thomam fore leuem & Laicum, ſic reſpondit, Verè ait, ſi Rex hâc vice ſupplicâſſet pro aſino, obtinuiſſet.* Eduardus 3. [f] *Bello finito, & victorijs vndiq; partis, anno Regni ſui 38. cùm Papales minas non ampliùs pertimeſceret, edidit ea Statuta,*

[f] Ant. Brit. in Simone Iſlip. p. 247.

Digitized by Google

ſtatuta, quæ communiter ſtatuta de prouiſionibus & præmunire appellantur, quibus Romanæ Curiæ potentia coërcita in Anglia, tanta licentia & impunitate nunquam præualuit.

Anno 1367. [a] *Compertum fuit, nonnullos 20. Eccleſias & dignitates ipſius Papæ authoritate poſſidere, illiſque inſuper ijſdem priuilegijs indultum eſſe, vt ſine modo atque numero quaſcunque alias, quocunque modo nactas, licitè retinere poſſint.*

[a] *Ant. Brit. in Simon. Langham. p.249.*

Anno 1390. qui erat Richardi ſecundi decimus tertius, [b] *Sta-* 8
tutum eſt in Parliamento, vt de cætero nullus transfretaret ad obtinendas prouiſiones in Eccleſiis, vel Eccleſiam: & ſi quis contrarium faceret, (ſi poſſet apprehendi) caperetur vt Regi rebellis, & incarceraretur.

[b] *Walſing. in Ric. 2. p.343.*

Anno ſubſequente, [c] *conſenſu Regis, Regiſq; Conſilij Proclamatio facta fuit Londonijs, vt omnes beneficiati exiſtentes in Romana Curia, redirent in Angliam citra feſtum Sancti Nicolai, ſub pœna perditionis omnium beneficiorum ſuorum: & nondum beneficiati, redirent per idem tempus ſub pœna forisfacturæ. Anglici audito tanto tonitruo in remotis, metuentes ictum, deſertâ Romanâ Curiâ, fugiunt ad natale ſolum.*

[c] *Ibid. p.344.*

Anno 1399. qui inciderat in primum Regis Henrici quarti, 9
Thomas Arundel, Archiepiſcopus Cantuarienſis, Cleri nomine Regem ſuppliciter rogauit, *vt* [d] *authoritate ſuâ Regiâ Papales prouiſiones & præuentiones tolleret, quibus effectum eſt vt viri docti in Academijs ſtudentes (cùm præmia indignis & ambitioſis ea Romæ quærentibus darentur) ſtudia deſererent, & inſcitia doctrinam expelleret.*

[d] *Antiq. Brit. in Tho. Arundel. p.273.*

Anno 1419. & 1420. id eſt, Henrici Quinti Septimo & Octauo, 10
Martinus Quintus, Pontifex Maximus ([e] *qui in Conſtantienſi Concilio Papatum ingreſſus, omnium Eccleſiarũ vacationes, interpoſito decreto, ſibi reſeruauit*) *duobus his proximis annis tredecim Epiſcopatus in Cantuarienſi Prouincia* (dum Rex bellis à Regno eſſet euocatus) *transferendo atq; promouendo contulit.*

[e] *Antiq. Brit. in Henrico Chichley p.278.*

Idem Papa anno 1421. [f] *ſimulátq; Eboracenſem Epiſcopatum fuiſſe vacuum accepiſſet, Richardum Epiſcopum Lincolnienſem eò temerè tranſtulit. Verùm cum Decanus & Capitulum Eboracenſe authoritate legum, contra Papales prouiſiones ſancitarum ei reſtitiſſent, neque Richardum Lincolnienſem, inani Papæ titulo prouiſum, Archiepiſcopatus & Eccleſiæ Eboracenſis poſſeſſionem ingredi permiſiſſent, coactus eſt Papa contrariâ bullâ eum, quem ad Archiepiſcopatum promouere voluit, ad Epiſcopatum Lincolnienſem, tanquam à calce ad carceres, iterum reuocare: quo Eboracenſium exemplo, Papalis in Epiſcopatibus prouidendis authoritas, contra quam nec leges Regni, nec edicta Regia, nec Procerum populíque minæ valebant, primùm fracta & debellata fuit.*

[f] *Ibid.*

Anno Domini 1424. id eſt, Henrici ſexti ſecundo, Henricus 11
Chichley, Archiepiſcopus Cantuarienſis, à [g] *Papa Martino Quinto Romanus Cardinalis, titulo Presbyteri Sancti Euſebij, & eiuſdem in Angliâ Legatus creatus eſt. Verùm ſimul atq; compertum eſt, Archiepiſcopum Legatinam poteſtatẽ (irrequiſito Rege) ſuſcepiſſe, & Legati inſignia tuliſſe, Rich. Caudra Procurator Regis, Regijs Conſiliarijs præſentibus, appellationẽ*

[g] *Ibid. p.284.*

Digitized by Google

ab eo atq; Papâ ad Conciliũ generale proximũ inſcriptis interpoſuit. Factâ appellatione, Archiepiſcopus proteſtatus eſt quòd non fuit, nec eſt, neque erit ſuæ intentionis per ingreſſũ ſuũ in Angliã, neq; per aliqua per eum facta, ſeu facienda, dicta, ſeu dicenda, legatinam poteſtatem, quam ſuſceperat, ſine permiſſu Regio exercere, nec iuribus, moribus, priuilegÿs, libertatibus, aut conſuetudinibus Regis atq; regni in aliquo derogare aut contrauenire, ſed eadẽ omnia & ſingula conſeruare, defendere, manu tenere, atque roberare.

12 Anno Chriſti 1497. & Hen. Septimi duodecimo, Papa Alexander, qui Iohannem de Eigles [a] *quæſtorem atq; corraſorem pecuniarũ in Anglia conſtituit, aut inſatiabilis fuit, aut profuſus, celeriter egere cæpit, aut quod veriſimilius ab Anglis, toties Papali fraude expilatis, nihil percepit. Itaq; Rob. Caſtellenſem, notariũ ſuum, cum nouis mandatis, atq; ſimili poteſtate miſit in Angliam, vt à ſingulis Curatis aureum Anglicum exigeret.*

[a] *Ant. Brit. in Ioh. Murton. p. 300.*

Anno 1499. aut circiter, Papa Thomam [b] Merchium, Epiſcopum Carliolenſem ad Samoenſem in Græcia Epiſcopatum vmbratilem & fictitium tranſtulit.

[b] *Fran. Hereford de præſul. Angliæ.*

Anno 1500. Alexander Papa annum Iubilæum Romæ celebrauit, quo cœli portas omnibus Chriſtianis regnum Dei ingreſſuris, à ſe *reſeratas & patefactas edicit; & fecit omnibus poteſtatem vota, aut hanc curioſam profectionem pecuniâ redimendi:* tum, vt *ad ſoluendum acriùs vrgeret, ſuſcipiendum illico in Turcam atrox bellum, ſéque cum exercitu id ſtrenuè geſturum prædicat. Hoc negotium in Anglia procurauit Gaſpar quidam Pows, Hiſpanus. Is paucis menſibus ingentem conflauit pecuniam; quam ſimul atq; hic (magnanimus ſcilicet Imperator Alexander Papa) accepiſſet, abſtinuit à bello, & reliquo vitæ tempore, more Papali lætus & locupletatus indulſit genio. Atque hic quidem annus Iubilæus omnium Papalium exactionum atque expilationum in Anglia, toties vexatâ, tandem finem attulit. Modica quædam ex fumis vectigalia adhuc reliqua fuere, dignum ſanè ſuis mercibus pretium, vt quia tot ſeculis fumum vendidit Romana Curia, alatur ipſa interim fumo.*

[c] *Ant. Brit. in H. Den. p. 302.*

13 Anno 1532. regnante Henrico octauo [d], *quibus ſolutionum generibus Anglicana Eccleſia à Papis expilata ſit inquiſitum, compertúmq; fuit centum & ſexaginta librarum millia quadraginta, proximis annis pro ſolis Epiſcoporum inueſtituris Romanæ Curiæ fuiſſe perſoluta. Præterea, indulgentiarum, diſpenſationum, ſimiliúmque fraudum immenſa copia, infinitis pecunÿs Anglos emunxerant.*

[d] *Ant. Brit. in Tho. Cranmero p. 326.*

Anno 1533. Thomas Cranmerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis Clementi 7°. [e] *Papæ pro abſoletis illis putidiſque iam bullis 900. aureos ducatos ſoluit.*

[e] *Ibid. p. 327.*

Anno 1534. Hen. 8. 26°. 3°. die Nouembris tota Papalis iuriſdictio penitus ab Anglia ſublata & profligata fuit.

Hactenùs prouiſionum Papalium fructus aliquot decerpſimus; nunc verò quàm præclarè, dominante Papâ, cum rebus humanis, & præſertim cum noſtra Anglia ageretur, cuiuſquam iudicio permittimus. Sed de Epiſcopis eligendis hactenùs.

CAP.

Cap. XV.

Vtrùm ſit Pontificis Romani, omnes totius orbis terrarum Metropolitanos, & inter reliquos, Metropolitanos Angliæ confirmare?

Partes 2:

- *Probatur Anglorum*
  - *Epiſcopos à ſuis Metropolitanis canonicè confirmari.* 1
  - *Metropolitanos, Papali confirmatione non indigere.* 2
- *Confutatur obiectio ab*
  - *exemplo*
    - *Nectarij, à Damaſo (vt aiunt) confirmati.* 3
    - *Aliorum, qui ad Papam literas miſerunt Synodicas.* 4
  - *decreto Pelagij, de fide ante receptum pallium exponendâ.* 5
  - *titulo Vniuerſitatis, qui*
    - *à Pelagio improbatus.* 6
    - *à Conc. Chalc. Leoni oblatus.* 7
    - *à Leone ipſo acceptatus.* 8
    - *ſed Iohanni Conſtantinopolitano in Conc. Conſt. delatus.* 9

Phil.

AD Epiſcopos conſtituendos tria iure Diuino & Canonico concurrunt, electio, confirmatio, & conſecratio. Vt de cæteris non contendam, certè confirmatio à Pontifice Romano eſt petenda, vel ſaltem ab aliquo Metropolitano, qui à Sancti Petri ſucceſſore ſuum lumen & authoritatē, tanquam ſtella à Sole, mutuatur. Ab hoc capite qui authoritatem ſuam non arceſſunt, omni careant iuriſdictione neceſſe eſt.

Orth. Epiſcoporum confirmatio ad Schiſmata euitanda piè admodùm antiquitus erat inſtituta, de qua Patres Niceni ſic ſanciunt. [a] *Poteſtas* ſanè vel confirmatio per ſingulas Prouincias pertinebit ad Metropolitanum. Animaduerte, non dicit Canon ad Papam, ſed ad Metropolitanum. Sed vniuerſi Anglorum Epiſcopi à

[a] *Conc. Nicen. Can.4. Bin. t.1. p.306.*

Yy 2 Metropo-

Digitized by Google

Metropolitanis ſuis confirmantur, ergo, Canonicè. Decanus enim & Capitulum (venia ad hoc ipſum præſtandum à Rege primitus conceſſa) electionem peractam, & communi electorum ſigillo munitam, Regiæ Maieſtati ſignificant, cui cùm Rex aſſenſum ſuum Regium adhibere dignatus fuerit, tum demum, accepto diplomate Regio, Metropolitanus, cum alijs ei aſſiſtentibus Epiſcopis, electionem, & ipſum electum Canonicè confirmant. Hinc nobis duo clariſſima euaduht; primum, omnium & ſingulorum Angliæ Epiſcoporum confirmationem eſſe Canonicam; ſecundum, Pontificem Romanum hoc ſibi iuris arrogantem, Canones antiquos violare, ac munus alienum, nempe Metropolitani, iniuſtè inuolare.

Vid. ſupr. l. 3. c. 4. ſ. 2.

2 Phil. Metropolitani veſtri alios confirmandi facultatem non habent, quandoquidem ipſi à Papa confirmati non ſunt.

Orth. Non eſſe fateor; neq; enim neceſſe. Ecquam ab Epiſcopo Romano Flauianus Patriarcha Antiochenus confirmationē nactus erat, cui tres Romani Pontifices, Damaſus, Siricius, & Anaſtaſius ſe oppoſuerant? Huic tamen ipſe Imperator hoc luculentum perhibuit teſtimonium; ſcilicet, [a] *Cunctas Orientales Eccleſias Flauiani præſulatum defendere, prætérque has, habere etiam coniunctas communicantéſque omnes Aſiaticas & Ponticas, atque etiam Thracicas, quinetiam toti Illyrico perſuaſum eſſe vniuerſo Orienti præſidere Flauianum.* Ecquam ab eo Epiſcopi Cyprij, quorum Prouinciam cùm primas Antiochenus iuriſdictioni ſuæ ſubijcere conaretur, Concilium generale Epheſinum illius Inſulæ illæſa & illibata, reſeruanda decreuit priuilegia. Zeno Epiſcopus dixit; [b] *A ſanctis Apoſtolis nunquam poſſunt oſtendere, quòd affuerit Antiochenus, & ordinauerit, vel communicauerit vnquam Inſulæ ordinationis gratiam: neque quiſquam alius.* Et paulò pòſt: *Synodus noſtræ Prouinciæ congregata conſtituebat Metropolitanum.*

[a] Theod. l. 5. c. 23

[b] Conc. Epheſ. 1. Bin. t. 1. p. 768.

3 Phil. Quotquot vſpiam terrarum ſunt Epiſcopi, à Pontifice Romano confirmationem ſuam petere tenentur, ne Patriarchis quidem ipſis exceptis. Cuius rei illuſtre habemus exemplum in Nectario, [c] *ab vniuerſo Concilio, electo, à Damaſo tamen confirmando,* vt ex [d] Sozomeno & [e] Theodoreto conſtat.

[c] Stapl. Princ. doctr. l. 4. c. 20.
[d] Sozom. l. 7. c. 8.
[e] Theod. l. 5. c. 9.

Orth. Antiſtites ſecundi Concilij Conſtantinopolitani, Romam Theodoſij Imperatoris literis ad Concilium vocati, Damaſo, Ambroſio, aliiſque Occidentalis Eccleſiæ Epiſcopis per literas ſignificârunt, ſe non poſſe ſatis commodè eorum Concilio intereſſe: licèt enim Eccleſias ſuas ab Hæreticis nuper occupatas modò recuperâſſent, lupi tamen illis adhuc permultum fecerunt moleſtiæ, qui, ab ouilibus abacti, in ſyluis greges diripere, conuentus contrarios audacter opponere, populi ſeditiones conciliare nondum ceſſârunt. Cùm igitur Eccleſias ſuas tanto in periculo poſitas, Paſtoribus nudare non poſſent, rogarunt tres reuerendiſſimos Collegas, Syriacum, Euſebium, & Priſcianum, vti laborem Romam proficiſcendi ſuſcipere non

Digitized by Google

non grauarentur. Per hos Concilij Romani Patres doctrinæ & diſciplinæ ſuæ certiores faciunt. Ad doctrinam quod attinet, de Diuinæ eſſentiæ vnitate, perſonarum Trinitate, de Chriſti naturis quæ eorum ſit ſententia, exponunt. Porrò in rebus ad diſciplinam ſpectantibus, ſe Epiſcopos & Patriarchas ſecundùm Niceni Concilij Canones eligere oſtendunt, quòd in electione Nectarij Patriarchæ Conſtantinopolitani, Flauiani Patriarchæ Antiocheni, Cyrilli Patriarchæ Hieroſolymitani illuſtrant. Nectarium virum eſſe dicunt reuerendiſſimum, ſanctiſſimúmque in Concilio generali, communi omnium conſenſu, præſente Theodoſio Imperatore, electum, totiúſque Cleri & ciuitatis ſuffragijs Epiſcopum conſtitutum. Neque hoc ad ſolum Damaſum ſcribunt, quaſi penes eum eſſet electionem peractam, vel ratam, vel irritam reddere; nil tale cogitabant; ſed ad Ambroſium quoque, & reliquos, vt eorum pietatem delectarent, dum tantum Eccleſiæ Orientalis cum Occidentali in fide & charitate concentum audirent. Nec ſolius Damaſi in Nectario confirmando, ſed reliquorum perinde omnium conſenſum petunt, vt hoc modo conſtitutâ doctrinâ, fide, & corroboratâ Chriſtianâ Charitate, corpus Eccleſiæ indiſcerptum conſeruarent. Quamuis autem primum, vt par erat, nominent, locíque primatum illi deferant: poteſtatem tamen ampliorem non tribuunt Epiſcopo Romano quàm Mediolananenſi.

4 PHIL. Quid ergo tibi videtur de [a] Proterio, Patriarcha Alexandrino, [b] Sophrino Patriarcha Hieroſolymitano, [c] Anatolio, [d] Nicephoro, Petro, Patriarchis Conſtantinopolitanis? quorum ſinguli ad Romanum Pontificem literas ſuas Synodicas miſerunt, vt fidem quam amplexi ſunt exponerent, ſéque vnà cum Romana Eccleſia conſentire oſtenderent. Quod ſi non feciſſent, Romanus eos pro legitimis Patriarchis non habuiſſet: Nonne hæc ſingularem & ſupremam Papæ poteſtatem in reliquis confirmandis planè loquuntur?

[a] *Leo Ep.68.*
[b] *Baron.an.633. n.9.*
[c] *Leo.Ep.40.*
[d] *Bar.an.811.n.18.ex Theoph. Anaſt. in vita Eug.1. Bin.t.2. p.1149.*

ORTH. Nequaquam. Etenim vt Romanus Patriarcha reliquos pro legitimis non agnouit, donec eos in fide ſanos per literas Synodicas comperiſſet, ita reliqui Romanum Patriarcham pro legitimo non habebant, priuſquàm de eius quoque fide eodem planè modo facti eſſent certiores. Ipſe igitur Romanus Pontifex conſimiles mittere ſolebat Synodicas. V. g. [e] Gregorius Magnus ad Iohannem Patriarcham Conſtantinopolitanum, Iohannem Patriarcham Hieroſolymitanum, Eulogium Patriarcham Alexandrinum, Gregorium & Anaſtaſium Patriarchas Antiochenos. Quod ipſum Gregorius (teſte Iohanne [f] Diacono) ſecundùm priſcum Prædeceſſorum ſuorum morem præſtitit. Porrò, vt Romanus ad reliquos, reliqui ad Romanum iſtiuſmodi literas mittere ſolebant, ita reliqui ad ſe inuicem. Verbi gratiâ. Tharaſius, Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad An-

[e] *Ep.l.1. Ep.24.*
[f] *Ioh.Diac.in vita Greg.l.2.c.3.*

Digitized by Google

tiochenum, Alexandrinum, Hieroſolymitanum, in hæc verba: [a] *Quandoquidem antiqua quædam obſeruantia, imò verò Apoſtolica Traditio in Eccleſijs diu obtinuit, vt illi, qui recens aſſumpti fuiſſent ad ſummi alicuius Sacerdotij gradum, illis qui & ante eos & multis temporibus ſummi Sacerdotij gradum obtinuiſſent, fidem ſuam exponerent; viſum eſt igitur mihi, hæc ſequuto, & me ſubmittere vobis, & manifeſtè fidei meæ confeßionem apud vos exponere. Quemadmodum à Spiritus Sancti tubis, quarum ſonus egreſſus eſt in omnem terram, & verba eorum in fines orbis terræ, didici, Credo in vnum Deum, &c.* Quocirca hæc conſuetudo vnũ Patriarchã præ reliquis non attollit, ſed omnes pariter exæquat. Quare non maior erat Romani in reliquorum Patriarcharum Metropolitanos poteſtas, quàm reliquorum in eos qui Romano ſubdebantur.

[a] In Conc. Nicen. 2. Act. 3. Bin. t. 3. p. 318. Bar. An. 785. n. 5.

5 Phil. Immò contrarium planè elucet ex hoc Pelagij decreto: [b] *Placuit vt quiſque Metropolitanus intra tres menſes conſecrationis ſuæ, ad fidem ſuam exponendam, palliúmque ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam ſedem non miſerit, commiſſâ ſibi dignitate careat.* Quamobrem omnes Metropolitani hoc officium Romano Pontifici præſtare tenebantur; omnes, inquam, per totam terrarum orbem. Nam qui dicit (quiſque Metropolitanus) neminem excipit, ſed vniuerſos complectitur.

[b] Diſt. 100. quoniam.

Orth. Pelagius vniuerſos quidem intelligit, non ſimpliciter & abſolutè, ſed iuriſdictioni ſuæ ſubditos.

Phil. Per totum terrarum orbem ſe porrexit eius iuriſdictio.

6 Orth. Ain' tu? An Pelagius viſus eſt tibi Patriarcha vniuerſalis? At hoc ipſe nomen auerſatur vel maximè. [c] *Nullus* (inquit) *Patriarcharum vniuerſalitatis vocabulo vnquã vtatur: quòd ſi ſummus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed abſit hoc à fidelibus hoc ſibi velle quempiam arripere, vnde honorem fratrum ſuorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas veſtra neminem vnquam etiam ſuis in Epiſtolis vniuerſalem nominet, ne ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem infert indebitum.*

[c] Diſt. 99. nullus.

7 Phil. Certè ante Pelagij Pontificatum, hic titulus Leoni à Concilio Chalcedonenſi delatus eſt, teſte [d] Gregorio.

[d] Epiſt. l. 4. ind. 13. Epiſt. 32. 38.

Orth. Integrum extat Concilium, nec quicquam iſtiuſmodi illic reperitur.

Phil. In tertiâ actione quatuor ſunt Epiſtolæ, in quarum inſcriptionibus Leo [e] *vniuerſalis Patriarcha* indigitatur.

[e] Conc. Chalc. act. 3. Bin. Tom. 2. p. 68, 69, 70.

Orth. Quid ſi pauculi eſurientes Græculi in ſuis ſupplicationibus eius gratiam hoc titulo ſint aucupati? Túnc à Concilio delatum eſſe inde concludes? Ex his Græculis vnus erat Presbyter, duo Diaconi, quartus verò Laicus; ne vnus quidem inter Epiſcopos numerandus, qui tamen ſoli in Concilijs ſuffragia ferre ſolent.

Phil.

Digitized by Google

Phil. [a] Paſchaſinus Papæ Legatus, in eius ſubſcriptione, Leonem *vniuerſalis Eccleſiæ Papam* appellat. [a] *Conc. chalc. Act.3. Bin. t.2. p.80.*

Orth. 1°. Hic titulus iſti de quo agitur non æquipollet: 2°. Non eſt Leoni à Concilio tributus, ſed à Paſchaſino, Leonis paraſito.

Phil. *Leo vniuerſalis Eccleſiæ Papa pronunciatur, audiente & probante vniuerſali Synodo:* Vt rectè [b] Binius. [b] *Bin. ibid. in nota marginali.*

Orth. Hoc Binium dicentem audio, probantem non audio.

Phil. [c] *Etſi Concilium nihil hac de re decreuit, tamen ſatis conſtat, nomen hoc tribui Romano Pontifici, Concilio non diſplicuiſſe, cùm ſæpiſſimè actione tertiâ hoc nomine appelletur Leo Pontifex, & nemo in Concilio talem appellationem reprehenderit.* [c] *Bell. de Rom. Pontif. l.2. c.31. tertium.*

Orth. De actione tertia diximus. Quod verò addis de hac appellatione non reprehenſa, quàm eſt dilutum? Quid enim ſi non reprehenderent? Num laudârunt igitur? In [d] Concilio Lateranenſi, Pontifici dictum eſt, ídque in concione, *In illo eſſe poteſtatem ſupra omnes poteſtates, tam cœli, quàm terræ.* Quid ais? Nunquid Papa & Synodus has approbârunt blaſphemias? Non enim reprehenderunt. Si horum ſilentium approbationem non arguat, profectò nec Chalcedonenſium. Immo certum eſt eos hunc titulum nec detuliſſe, nec ab alijs delatum approbâſſe. Nam actione decimâ ſextâ Epiſtolam Synodalem ad Leonem ſcribunt, quo tempore, ſi vnquam alias, hoc eum exornare encomio oportunum fuiſſet. Quod tamen non adhibent, ſed [e] *ſanctiſſimum & beatiſſimum Romanum Archiepiſcopum* vocant. Neque ab alijs delatum approbare poterant eo ſenſu quem tu defendis, niſi fortè ſibijpſis contradicerent. Tu enim hoc nomine Pontificem reliquis omnibus ſupereminere contendis. Concilium autem decreuit, [f] *Nouam Romam æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma priuilegijs frui debere.* Denique vt Concilium hunc illi titulum nunquam exhibuit; ita Leo eodem nunquam eſt vſus.

[d] *Conc. Lateran. ſub Leon. 10. Seſſ.10. in concione Stephani Archiepiſ. Patracenſ.*

[e] *Apud Bin. t.2. pag. 139.*

[f] *Conc. Chalc. act.15. can.28. Bin. t.2. p.133.*

Phil. Immo in Epiſtola ad Martianum Imperatorem aduerſus Anatolium, eodem vtitur.

Orth. Non eodem, Philodoxe, ſed hunc in modum loquitur: [g] *Leo Epiſcopus Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ.* Ita hanc vocem non ſibi, ſed Eccleſiæ accommodat. [g] *Leo Epiſt. 54.*

Phil. Si vniuerſalis Eccleſiæ ſit Epiſcopus, eſt Epiſcopus vniuerſalis.

Orth. Non ſequitur. Concilium [h] Sardicenſe in Synodali Epiſtolâ ad vniuerſi orbis Epiſcopos conſcriptâ, eos omnes appellat Epiſcopos, & Collegas Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ. Nam Catholicum idem penitùs ſonat, quod vniuerſale: nec id tamen voluerunt, vt vniuerſales eſſent Epiſcopi. [h] *Apud Theodoretum. l.2. c.8.*

Nec ipſe Leo hunc titulum (ſi quis ei detuliſſet) æquo

Digitized by Google

[a] Greg. Ep. l. 4. Ep. 36.

tuliſſet animo, ſi [a] Gregorio fidem adhibeamus, qui aſſerit, *Nullum vnquam prædeceſſorum ſuorum hoc tam prophano vocabulo vti conſenſiſſe.*

[b] Ex Bar. an. 451. n. 151.

PHIL. *Ita* [b] *quidem intelligendum eſt, vt nemo Romanorum Pontificum eo titulo ex ſolenni ritu ſemper, & in omnibus vſus ſit inſcriptionibus. Cæterùm eo interdum eorum aliquis vſus eſt.*

ORTH. Ergo eorum aliquis interdum prophano vocabulo vſus eſt.

[c] Ex Bel. de Rom. Pont. l. 2. c. 31. reſpondeo.

PHIL. [c] *Reſpondeo duobus modis intelligi poſſe nomen vniuerſalis Epiſcopi. Vno modo, vt ille qui dicitur vniuerſalis, intelligatur eſſe ſolus Epiſcopus omnium vrbium Chriſtianarum, ita vt cæteri non ſint Epiſcopi, ſed Vicarij tantùm illius qui dicitur Epiſcopus vniuerſalis: & hoc modo nomen hoc eſt verè prophanum, ſacrilegum, & Antichriſtianum; & de hac ſignificatione loquitur Gregorius, vt patet ex ratione quam reddit; ſic enim ait:* [d] *Triſte valdè eſt, vt patienter feratur quatenus, deſpectis omnibus, prædictus frater & Coepiſcopus meus ſolus conetur appellari Epiſcopus.* Et alibi; [e] *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur.* Et alibi; [f] *Si vnus vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis. Alio modo dici poteſt Epiſcopus vniuerſalis, qui habet curam totius Eccleſiæ, ſed generalem, ita vt non excludat particulares Epiſcopos. Et hoc modo tribui poteſt Romano Pontifici ex mente Gregorij.*

[d] L. 4. Ep. 34.
[e] Ep. 36.
[f] L. 7. Ep. 69.

[g] Ep. l. 4. Ep. 36.

ORTH. Ad primum modum quod attinet, [g] Gregorius, cùm dixiſſet nomen vniuerſalis Epiſcopi à Concilio Chalcedonenſi oblatum, immediatè ſubiungit; *At nullus vnquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo vti conſenſit.* Vndè liquet Gregorium illud ipſum vocabulum, quòd à Concilio oblatum aſſerit, prophanum appellare; quod reſponſionem meam ſuperiorem corroborat. Nam niſi huius prophanitatis ipſum Concilium (quod abſit) ſit poſtulandum, neceſſe eſt vt dicamus, Gregorium impropriè loquutum eſſe, dum illud à Concilio oblatum narrat, quod in Concilio à paucis duntaxat Græculis in ſuis ſupplicationibus eſt oblatum. Præterea, ſi hoc prophanum vocabulum, quod reliquos ab officio Epiſcopali excludit, à Concilio ſit oblatum, ſequitur 630. Epiſcopos in hoc Concilio congregatos, ſe ipſos ab officio Epiſcopali excluſiſſe; quod eſt à ratione alienum, quandoquidem ſe in ſuis ſubſcriptionibus Epiſcoporum titulis decorabant. Verùm vt ad ſecundam huius vocis ſignificationem veniamus, ſi vniuerſalis Epiſcopus ſit dicendus qui curam habet totius Eccleſiæ, Sanctus [h] Paulus erat vniuerſalis Epiſcopus, perindè ac Petrus: etiam Athanaſius vniuerſalis erat Epiſcopus, quem Sanctus Baſilius ait, *omnium Eccleſiarum curam geſſiſſe.*

2. Cor. 11. 28.
[h] Epiſt. 52. ad Athanaſ.

PHIL. Omnium ſcilicet intra Patriarchatum Alexandrinum.

ORTH. Nec earum duntaxat, ſed aliarum etiam. Nam Baſilius Athanaſium ſic alloquitur: [i] *Tantam geris omnium Eccleſiarum curam, quantam eius quæ tibi peculiariter à Domino noſtro concredita eſt.* Quod

[i] *Ep. 48. Eccleſia Antiochena ſtatus manifeſtò à pietate tua pendet, vt alios ædifices, alios compeſcas & quietos reddas, atq; Eccleſiæ vires per vnanimem conſenſum reſtituas.*

Quod alibi in Eccleſia Antiochena illuſtrat. Quocirca licèt eius iuriſdictio Patriarchatus ſui limites non exceſſit, totius tamen Chriſtianæ Eccleſiæ curam impenſè gerebat. Hoc igitur ſenſu nomen vniuerſalis æquè ſpectat ad Patriarcham Alexandrinum, ac ad Romanum.

Prætereà, hoc ipſum nomen vniuerſalis Patriarchæ datum eſt, ídq; à Concilio, Iohanni Patriarchæ Conſtantinopolitano. Quo tandem ſenſu? Num priori, quo reliqui omnes ab officio Epiſcopali ſacrilegè excluduntur? Non eſt veriſimile. Nam hoc modo ſeipſos veros eſſe Epiſcopos negâſſent, qui tamen in ſubſcriptionibus ſuis ſe Epiſcopos profitentur: Si poſteriori ſenſu, erit illi cum Epiſcopo Romano titulus communis: Ex quo iuriſdictionem Monarchicam aſtruere non licet, ſed potiùs Patriarchicã. Cæterùm, de ſenſu vocis vniuerſalis commentitio, quem affingit Bellarminus, ſatis ſupérque. Quis autem illius vocabuli genuinus ſit ſenſus, eruditè & copioſè explicauit doctiſſimus Epiſcopus. [b] *Voluit enim Iohannes praeeſſe, praponere ſe, dignior illis eſſe, pater generalis vocari, reliquos autem Epiſcopos non abdicare, ſed premere ſub ſe, ſupponere, ſubiugare, imminuere, non ad nihilum redigere, vt eſſet inter Epiſcopos quaſi Lucifer inter Angelos*, vt reliquis Patriarcharum nomen *derogetur, non abrogetur*; vt eorum honor *imminuatur, non totùm tollatur*; vt reliquos ſui comparatione calcet; *vt ſint quidem Epiſcopi, ſed illius comparatione non ſint. Et ille ſolus, non abſolutè, ſed comparatione aliorum*; vt illi *excidant iure priſtino Epiſcoporum, quo omnes eiuſdem meriti, eiuſdem Sacerdotij*; *vt priuentur hoc honore debito, ac proinde eius quod ante fuerant comparatione, ne Epiſcopi quidem ſint dicendi*, ſed ille *ſolus, quia ſingularis*. 9

[b] *Vid. Tort. Torti p. 333, 334, 335.*

Phil. Vndè conſtat hunc titulum Iohanni à Concilio tributum?

Orth. [c] Binius in notis in Concilium Conſtantinopolitanum ſub Menna; *Quoties* (inquit) *in actis Concilij Conſtantinopolitani ſub Hormiſdà Iohannes Epiſcopus Conſtantinopolitanus nominatur, toties illi titulus Patriarchæ Oecumenici additus eſſe reperitur.*

[c] *T. 2. p. 471.*

Phil. Binius eodem loco *poſteriorum Græcorum impoſturæ* hoc tribuit. Quod indè probat, quia cùm duo Pontifices Pelagius & Gregorius allegatum titulum damnârant, *nemo tamen huius Concilij authoritatem illis obiecerat.* Quod tamen argumentum maximè fuiſſet momenti, quandoquidem huius Concilij acta à Romano Pontifice magnâ ex parte recepta ſunt, vndè manifeſtum euadit hoc ab initio in actis Concilij non repertum, ſed poſtea Græcorum fraude inſertum.

Orth. Hadrianus primus ſuam ad Tharaſium Epiſtolam, quæ habetur in Concilio [d] Niceno ſecundo, ſic inſcribit: *Dilecto fratri Tharaſio, generali Patriarchæ.*

Phil. Hoc quoque *videtur* [e] *Græculus quiſpiam appoſuiſſe.*

[d] *Conc. Nic. 2. Act. 2. Bin. t. 3. p. 312.*
[e] *Bin. ibid. in margine.*

Orth.

[a] Nouel. conſtit. 42.

ORTH. At Iuſtinianus in [a] authenticis Mennam *Oecumenici Patriarchæ* encomio inſignit.

[b] Bin. t. 2. p. 471.

PHIL. [b] *Idem titulus hic quoque ſurrepſiſſe affirmari debet, niſi dicamus Conſtantinopolitanum, habito reſpectu ad ſubiectos ſibi in Oriente Epiſcopos ac Sacerdotes, vniuerſalem appellari.*

ORTH. Ita Holoandro viſum eſt. Sic enim Latinè reddit: *Vniuerſi eius tractus Patriarcha.* Sed quid audio? An hoc iam tandē cogitanti tibi occurrit? An dici poteſt Oecumenicus, vel vniuerſalis Patriarcha, interim vt totius mundi Patriarcha non ſit, ſed orbis duntaxat Orientalis? Fatearis ergo oportet eodem titulo inſigniri potuiſſe Romanum Pontificem, interim tamen vt eius iuriſdictio ad totum orbem ſe non porrigat, ſed duntaxat ad orbem Occidentalem. Quamobrem non potes euincere hoc Pelagij decretum ad Orientales Metropolitanos ſpectare, ſed tantùm ad Occidentales.

PHIL. Si totus orbis eius ſit diocœſis, tum ad totius orbis Metropolitanos hoc ſpectare fatendum eſt: at primum; Ergo ſecundum.

ORTH. At primum negat Iohannes Diaconus in vita Gregorij, dum refert Gregorium vacantes Epiſcopos in ſuæ diocœſeos Epiſcopatus inuitare: verbi gratiâ Smyrnenſem Epiſcopum ad quendam Siciliæ Epiſcopatum: erat enim Smyrna vrbs Aſiæ, in Diocœſi Patriarchæ Conſtantinopolitani.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XVI.

An Papa in Angliæ Epiſcopos iuriſdictionem habeat vt Patriarcha Occidentalis?

Epiſcopi Romani in Anglia poteſtas:

- *Patriarchalis*
  - *inchoata licentiâ Regis Ethelberti.* 1
  - *continuata*
    - *indulgentiâ Principum.* 2
    - *conſuetudine.* 3
  - *extincta deſuetudine.* 4
- *Papalis*
  - *paulatim vſurpata in*
    - *cauſis ad ſe trahendis.* 5
    - *beneficijs conferendis.* 6
    - *cenſuris diſplodendis.* 7
  - *tyrãnicè graſſata in*
    - *Republica*
      - *Reges deponendo.* } 8
      - *ſubditos abſoluendo.* } 8
    - *Eccleſia*
      - *iuramentum exigendo.* 9
      - *nouam fidem cudendo.* 10
      - *papaliter diſpenſando.* 11
  - *Iuſtè profligata.* 12

Phil.

Occidentis tamen eſſe Patriarcham vltrò concedis; quod ad concluſionem meam inferendam abundè ſatis eſt. Nam Patriarchæ Occidentali Occidentales ſubijci Metropolitanos nullus negabit. Quamobrem cum liquidum ſit Britanniam noſtram ad Occidentem ſpectare, certè in Britanniæ Metropolitanos Occidentis Patriarchæ iuriſdictionem habet. Non opus eſt vt hîc antiquam Prouinciarum diſtributionem altiùs repetam, nec vt quicquam de Sancto Petro, vel

Digitized by Google

vel Eleutherio adducam. Illud ſatis eſt illuſtre, nec quenquam niſi volentem latere poteſt, Sanctum Auguſtinum huc à Sancto Gregorio eſſe tranſmiſſum, à quo pallium accepit, cuius etiam iuriſdictioni ſe ſuóſque vltrò ſubmiſit. Similiter fecerunt Auguſtini in ſede Cantuarienſi per annos mille ſucceſſores. Quamobrem cùm Pontificem Romanum hanc poteſtatem & iuriſdictionem legitimè & pacificè olim exercüiſſe conſtet, vobis reddenda eſt ratio cur nunc tandem, poſt tot ſecula, ſuâ exutum dignitate repudietis.

ORTH. Quo iure hanc ſibi in Angliam iuriſdictionem vendicat? An diuino? At hîc veſtræ languent & deficiunt probationes. Humano igitur contentos eſſe oportet. Sed quò tandem? An iure conuerſionis? At Petrum huc pedem vnquam tuliſſe ex idoneis authoribus probare non poteſtis. An ab Eleutherio argumentum ducetis? Miſit ille quidem huc Verbi Miniſtros, ſed Rege rogante, nec ſibi in hanc inſulam quicquam iuriſdictionis arrogauit. An ab Auguſtino? At multis tum argumentis nullam ei obedientiam ſe debere manifeſtum fecerunt [a] Britones. Apud Anglo-Saxones autem quantâcunque polleret authoritate, illa vniuerſa à Rege Ethelberto tanquam à fonte, profluxit. Sic enim [b] Beda: *In hâc* (Sancti Martini Eccleſiâ propè Cantuariam) *& ipſi primò conuenire, pſallere, orare, miſſas facere, prædicare, & baptizare cæperunt, donec Rege ad fidem conuerſo, maiorem prædicandi per omnia, & Eccleſias fabricandi vel reſtaurandi licentiam acciperent.* Hactenùs Beda. Vndè liquet, nihil hîc quicquam ab Auguſtino ſine licentia Regis tentatum. Verum eſt, Auguſtino operarios in ſubſidium miſiſſe Gregorium, & in Epiſcopatibus exigendis quid fieri vellet indicâſſe; quos tamen non ſine Regis licentia fundatos eſſe ex ſuperioribus Bedæ verbis licet colligere.

[a] Galfrid. Mon. l. 11. c. 12.

[b] Hiſt. l. 1. c. 27.

2 Reges autem ſubſequentes, vt de Gregorio, ita diu poſt defunctum Gregorium, opinionem de Romanis Epiſcopis honorificam Gregorij cauſâ aluerunt; nec honoris modò, ſed & poteſtatis etiam quandam illis eminentiam detulerunt: quæ tamen non erat Monarchica, ſed Patriarchica, quæque non iure Diuino, ſed Principum fauore & indulgentiâ nitebatur.

3 Ab his initijs profecta apud nos Pontificum poteſtas paulatim, aliquot labentibus ſeculis, in conſuetudinem abijt. Conſuetudo autem quò ſerpit longiùs, eò ſe iactat arrogantiùs, tandémq; longo tempore confirmata, pro lege ſe venditat. Ita vſu venit, vt Metropolitani Angliæ Romano Patriarchæ ſubijcerentur.

4 Cæterùm, quod ſibi ex gratiâ Principum, & conſuetudine acquiſiuit, illud deſuetudine amiſit. Nam totis ſexcentis annis proximè elapſis, dum ſibi non debitũ arrogauit, quod iam aliquo modo debitum erat, ſuperciliosè contempſit; id eſt, dum Papatum ambiuit, Patriarchatum faſtidiuit. Etenim qui iure humano niti non vult, næ is Patriarcha eſſe non poteſt, cum Patriarchatus ſit iuris humani. At Epiſcopus Romanus, iam per aliquot ſecula, ſuam ſibi

Digitized by Google

ſibi in Angliam reliquáſque Prouincias poteſtatem, non ex gratiâ Principum, non ex conſuetudine; id eſt, non iure humano, ſed Diuino vendicauit; & per conſequens Patriarchatui renuntiauit; quippe qui ex Patriarchâ euaſit in Papam; ita quod vſu acceſſit, illud deſuetudine deceſſit, & Pontifex proprio ſuo facto priorem ſibi titulum penitus extinxit.

Hæc autem Papæ poteſtas ſenſim ſe extulit, & in orbis Chri- 5
ſtiani perniciem paulatim obtinuit, cauſis Anglicanis ſe immiſcendo, beneficia largiendo, cenſuras tanquam fulmina eiaculando. O quàm prudenter à [a] Cypriano, & Synodo Affricanâ ſtatutum eſt, vt vniuſcuiuſque cauſa audiretur vbi eſt crimen admiſſum, vbi & accuſatores habere, & teſtes ſui criminis poſſint! Sed vt Cypriani temporibus non deerant homines perditi, qui dictæ ſententiæ, licèt iuſtiſſimæ, acquieſcere noluerunt, ſed circumcurſare, & Epiſcoporum concordiam collidere maluerunt, ita regnante Henrico ſecundo, quò quiſque erat opulentior & proteruior, eò ad Iudices ſuos reijciendos erat procliuior. Vndè nihil erat vſitatius, quàm huius Regni iudicia tranſilire, & ad tribunalia tranſmarina conuolare. Ad quam procacitatem retundendam, facta eſt coram Rege & magnatibus recognitio, ſeu recordatio conſuetudinum & libertatum, quæ obſeruari debebant in Regno, & ab omnibus teneri, ex quibus hanc vnam placet attexere: [b] *De appellationibus ſi emerſerint, ab Archidiacono debet procedi ad Epiſcopum; ab Epiſcopo ad Archiepiſcopum; & ſi Archiepiſcopus defecerit in iuſtitiâ exhibendâ, ad Dominum Regem perueniendum eſt poſtremò.* (Non dicitur ad Dominum Papam, ſed ad Dominum Regem, ídque poſtremò) *vt precepto ipſius in curiâ Archiepiſcopi controuerſia terminetur, ita quòd non debeat vltrà procedi, abſque aſſenſu Domini Regis.* Hæc admodum vtilis & Reipublicæ ſalutaris erat ſanctio ad Romipetas compeſcendos, & Epiſcopum Romanum intra ſuas ripas concludendum. Nam vt Oceanus in vaſtum & immenſum ſuum ſinum omnes recipit fluuios, ita Epiſcopi Romani forum omnes cauſas.

[a] *Epiſt.55.*

[b] *Mat. Pariſ. in H.2. an.1164. pag.96.*

Sed, miſſis cauſis, ad beneficia veniamus. O quàm hîc, do- 6
minante Papâ, miſeranda facies Eccleſiæ Anglicanæ! O quanta deſolationis abominatio! [c] Clemens quintus duobus Cardinalibus tot reſeruauit beneficia, quot duobus marcarum millibus annuatim valerent. Ita ſi probabili coniecturâ res agatur, ſingulos Cardinales quinquaginta aut circiter beneficijs locupletari voluit. Sed Edouardus tertius, Rempublicam ſimul & Eccleſiam his technis exhauriri ſentiens, prohibuit ne concederentur. Nec multis modò beneficijs, ſed & Epiſcopatibus etiam, atque alijs opimis reditibus ornabantur. Cardinalis [d] Hippolitus ſex ſimul Epiſcopatibus auctus eſt & amplificatus. Et in Angliâ noſtrâ Wolſæus vnâ cum Archiepiſcopatu Eboracenſi, & Abbatiâ Albanenſi, primò Epiſcopatum Bathenſem & Wellenſem, de-

[c] *Walſing. hiſt. Angl. in E. 3.*

[d] *Onuph. citante Raimoldo colloq. p.221.*

 indè,

indè, hoc relicto, Dunelmenſem, denique,& hoc reſignato, Wintonienſem poſſedit. Sed, miſſâ Cardinalium pompa, quàm miſerè hæc Eccleſia à Romanis & Italis, viliſſimis perſonis, immò quàm prodigioſè eſt expilata? Pontifex vnico mandato præcepit Epiſcopo Cantuarienſi, Lincolnienſi, & Sarisburienſi, vt in beneficijs proximè vacantibus [a] trecentis Romanis prouiderent. Romanis (inquam) qui linguam Anglorum ne callebant quidem. Hoc non erat paſcere, ſed deglubere. Anno 1245. ſumma redituum, quos ex beneficijs Anglicanis annuatim colligebant Itali, erat ſexaginta millia marcarum: quæ tamen ſumma intra ſeptennium ad ſeptuaginta millia excreuerat. Quid quòd vni quandóque Italo, eidémque indocto & illiterato, [b] viginti beneficia Anglicana à Pontifice ſint collata; cui tamen adhuc plura, quotquot quouis artificio inuadere poterat, poſſidendi facultatem conceſſit? Quid hoc eſt aliud quàm ex ouium Chriſti Sanguine pingueſcere? Verùm Pontifici beneficia, Abbatias, Epiſcopatus pro ſuâ libidine largienti, omnes Regni Ordines (qui tum Religionem Pontificiam ſunt amplexi) ſe oppoſuerunt, eiúſque procacitatem promulgatis legibus compeſcuerunt, & in publicis Regni comitijs Parliamentarijs tempore Edouardi 3. celebratis [c], vſurpatorem appellauerunt.

[a] *Mat.Pariſ.in H.3.an.1240.*

[b] *Ant.Brit.p.149*

[c] *25.Ed.3.ſtat. de Prouiſ.*

Quæ Baſiliſci oua dum quis frangere vel comprimere conatus
7 eſt, ſtatim erupit vipera. Deus bone, quot huius viperæ veneno ſunt aſperſi? Si Papæ Legatis, vel fraterculis, eius authoritate armatis, omnia ex voto non ſuccederent, ſtatim omnes obuios citant, ſuſpendunt, excommunicant, nec vnquam deſiſtunt priuſquàm voto potiantur. Ipſe autem Iupiter Capitolinus vt tonat, & fulgurat? Adeò vt Cedri montis Libani contremiſcant, ne hoc, fortè conflagrent incendio. Hæc fulmina ſatis ſupérque experta eſt Anglia; ſed nullum horribiliùs, vel quod plus terroris incuſſit, quàm interdictum, quo Anglia noſtra tempore Iohannis Regis tacta eſt,& ambuſta. Hoc ſanè [d] nouum eſt fulmen ante annos circiter quingentos apud inferos fabricatum.

[d] *Vide tractat. de interdicto à doct. Venetiis compoſitum.*

Aliud huic non abſimile ab arce Babylonicâ vibrat & eiacula-
8 tur Pontifex, quo Reges deponuntur, Regna ſpoliantur, ſubditi à iuramento fidelitatis abſoluuntur. Hoc fulmen, Tartareum & Acheronticum, rarò emittitur ſine ingenti incendio.

9 Nec nouis tantùm cenſuris vtitur, ad terrorem compoſitis, ſed recentes etiam habet technas, vafrè admodum & ſubdolè excogitatas. Nam vt omnia liberiùs pro arbitratu ſuo gerat, Metropolitanos ad Papatum defendendum, non ſine ſumma Principum iniuria, iureiurando obſtringit.

Phil. Hoc vetus eſt inſtitutum. Nam adhuc extat cuiuſdam Epiſcopi Epiſtola, iuramentum Sancto Gregorio præſtantis, in hæc verba: *Vnde iurans dico per Deum Omnipotentem, & per hæc quatuor Euangelia, quæ in manibus teneo, & per ſalutem gentium, atque illuſtrium*

Greg.l.10.Ep. 30.

illuſtrium Dominorum noſtrorum Rempublicam gubernantium, me in vnitate, ſicut dixi, Eccleſiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis ſemper, & ſine dubio permanere.

ORTH. Probare conaris, debere Metropolitanos ſe Romano Pontifici iureiurando aſtringere, antequam confirmari poſſint, aut pallium recipere. At hoc quod profers exemplum, ad hunc ſcopum non collineat. Nam primò, iſte Epiſcopus erat, non Metropolitanus; deindè, hoc iuramentum ſpontaneum erat, non lege coactum; tertiò, non eò ſpectabat vt confirmaretur, aut pallium reciperet, ſed vt ſe hæreſi ex animo abrenuntiâſſe fidem faceret. Ita hoc totum nihil prorſus ad id de quo agitur: Nec vllo alio idoneo argumento conſtare poteſt, iuramentum obedientiæ Pontifici præſtandæ Gregorij temporibus exigi ſolitum.

PHIL. Non deſunt qui hoc ad Pelagium ſecundum Gregorij anteceſſorem referunt; in quo numero eſt Franciſcus Vargas.

ORTH. Hîc ſe prodit Pontificiorum inſignis fraus, & nobilis impoſtura: Nam vbi Pelagius quoſdam perſtringeret Metropolitanos, propterea quòd fidem ſuam exponere diſtuliſſent, & hanc ipſam ob cauſam [a] decerneret, *Quicunque Metropolitanus intra tres conſecrationis ſuæ menſes ad exponendam fidem ſuam, & pallium accipiendum non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate*, [b] Remundus Rufus, iuriſconſultus Pariſienſis, vt honorem Domini ſui Papæ promoueret, mutauit hanc clauſulam (*ad exponendam fidem*) in iſtam (*dandæ fidei cauſa.*) Ita profeſſio fidei Domini noſtri Ieſu Chriſti in iuramentũ de ſuprematu Papali defendendo, nouâ quâdam Metamorphoſi, eſt tranſmutata. Iam verò, ne fortè Hiſpani in zelo pro Papatu euehendo Gallicanis cederent, Franciſcus Vargas, Philippi Regis à Conſilijs, eiúſq; apud Pium Quartum orator, ſententiam ſuam in Concilio Tridentino rogatus, [c] reſpondit, Pelagium Maieſtatem Romanorum Pontificum hoc decreto ſignificanter exprimere, quòd omnes Metropolitanos fidei ſacramento ſibi obligari voluerit. Attende quòd dicit (ſacramento obligari) ſiue à Rufo deceptus ſit, ſiue ipſe in gratiã ſanctiſſimi ſui patris mendaciũ officioſum excudere voluit. Vtcunq; autem ſe res habeat, hoc iuramentum Pelagium 2. authorem agnoſcere non poteſt; magis ſapit Paſchalem 2. qui Archiepiſcopum Panormitanum ad idem ſuſcipiendũ adigere conatus eſt. Quod cùm recuſâſſet, editũ eſt à Paſchali decretalis Epiſtola, quã in ius [d] Canonicũ retulit Gregorius 9. quæ hunc præ ſe fert titulũ: *Electo in Archiepiſcopũ ſedes Apoſtolica palliũ non tradit, niſi priùs præſtet fidelitatis & obedientiæ iuramentũ.*

[a] *Diſt. 100. quoniam.*

[b] *Rem. Rufus def. in Molin. per Pont. Max. p. 20*

[c] *Fra. Varg. de Epiſc. iuriſd. & Pont. auth. prop. 5. p. 151.*

[d] *Decrett. c. 4. ſignificaſti.*

PHIL. Quamuis hoc decreuerit Paſchalis, non tamen inde ſequitur eundem huius iuramenti extitiſſe authorem. Nam fieri poteſt vt fuerit antiquiùs, quamuis ab eo renouatum.

ORTH. Ex ipſo decreto conſtat, ipſum Paſchalem fuiſſe authorem. Nam primò oſtendit Paſchalis illi ſignificâſſe Panormitanũ, Reges & Regni maiores admiratione perculſos, quòd pallium tali

Digitized by Google

conditione oblatum fuerit, ſcilicet,ſi Sacramentum, quod à Paſchali eius Apochryſarij detulerant,exhiberet. Deinde idem Pontifex,eadem de cauſa,iiſdem verbis ad Archiepiſcopum quendam [a] Polonum vſus eſt,qui conſimilem Regum & Procerum admirationem illi ſignificauerat. Hæc iuramenti detrectatio, & Regum procerúmq; admiratio nouitatem arguit. Secundò,vbi quidam regeſſiſſent, in Concilijs hoc iuramentum Statutum non inueniri, Paſchalis omnia Concilia cum faſtu & ſupercilio repudiauit, inquiens, [b] *Aiunt in Concilijs Statutum non inueniri; quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint, cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ authoritatem & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas, &c.* Ita hoc iuramentum non pontificibus aut Concilijs antecedentibus acceptum refert (quod hîc fieri oportuit, ſi fieri potuiſſet) ſed omni omninò Concilio,vel anteceſſorum decreto aut exemplo deſtitutus, ſua duntaxat hac in cauſa authoritate nititur. Ita hoc infœlix lolium, vndecimo demum poſt Chriſtum ſeculo, in ingentem Eccleſiæ perniciem enatum eſt. Neque in Metropolitanis ſiſtebat ſe Tyrannis Pontificia, verùm Innocentius tertius vltra progreſſus, non diſſimile fidelitatis & obedientiæ iuramentum quatuor Patriarchis in Concilio [c] Lateranenſi imperauit: immò omnes ſolenni Sacramento aſtrinxit [d] Epiſcopos,vt ſpondeant obedientiam ſuam & fidem Sancto Petro, Romanæ Eccleſiæ, & Domino ſuo Papæ. Et prætereà,vt [e] Papatũ(hoc enim horũ obedientiæ eſt eſſentiale) defenderẽt. Prætereà,ab Epiſcopis,ad omnes qui dignitates recipiunt,deuenerunt,quos eodẽ Sacramento premunt:& (quod cætera omnia facilè vincit) vbi formula iuriſiurandi,in iure Canonico deſcripta, obliget eorum fidem,vt defendant *regulas Sanctorum Patrum*, Papa (vt vir [f] doctiſſimus obſeruauit) & antea, hodiéque in illum locum ſubdidit, *regalia Sancti Petri.* Qua machinatione Pontificia factum eſt, vt Reges ſuis ſubditis ſpoliarentur, & Cynosbatus Cedris Libani ſuperemineret.

10 Præterea,vbi Pelagius & Gregorius fidei tantùm profeſſionem à Metropolitanis exegerunt, eámq; ſecundùm Scripturas & ſacra Concilia Oecumenica; Pius [g] Quartus nouam nobis fidei formulam excuſit,& obtruſit, extra quam nemo [h] ſaluus eſſe poteſt; cui traditiones,trãſubſtantiationẽ,merita,reliquias,& iſtiuſmodi quiſquilias intexüit,quos fidei Nicenæ, tanquam mendici panniculos veſti aureæ,vel ardenti purpuræ aſſuere, atq; in vnũ corpus cõpingere non erubuit. Hæc eſt illa fidei Catholicæ formula,quam omnes in Eccleſia Romana [i] Epiſcopi deſignati profiteri coguntur. Quid quòd idem Pius Quartus ſuperius iuramentum in hanc ipſam fidei formulam ab omnibus Epiſcopis ſuſcipiendam fraudulenter ingeſſit,his verbis; [k] *Romano Pontifici,beati Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſori,ac Ieſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac iuro.*

11 Denique etiam,de diſpenſationibus pauca ſunt dicenda, quibus Papa

[a] *Baron.an.1102. n.8. ex codice Vaticano.*

[b] *Bar.ib.n.10. extr.de electio. ſignificâſti.*

[c] *Conc.Later.4. c.5.Bin.t.3. p.1452.*

[d] *Decretal. de iureiurando ego.*

[e] *Papatum Romanæ Eccleſiæ, & Regulas ſanctorum Patrum adiutor ero,ad defendendum & retinendũ ſaluo ordine meo contra omnes homines.*

[f] *Rainold.collat.*

[g] *Onuph. in vita Pÿ.4.*

[h] *Hanc veram Catholicã fidem, extra quam nemo ſaluus eſſe poteſt. ibid.*

[i] *Hanc fidei formulam quam Epiſcopi deſignati profiterentur, inſtituit. ibid.*

[k] *Ibidem.*

Digitized by Google

Papa diſpenſauit nimiùm papaliter. Nam vota, iuramenta, & ipſius Dei viuentis mandata ſempiterna, tanquam fumos ſuo Spiritu difflauit & diſſipauit. Quid hoc eſt aliud quàm ſedere in Templo Dei perinde ac ſi eſſet Deus? Quin, vt [a] quidam ſcitè admonuit, *Si ad ſoluenda peccata claues Regni cœlorum, ad ſoluendas leges & legum præcepta claues inferorum datas oportuit.* [a] Tort. Tort. p. 55

Ita qui in Anglia Regum licentiâ & indulgentiâ primitùs eſt receptus, & poſtea conſuetudine confirmatus, id eſt, iure humano, vt Patriarcha Occidentalis, idem deinceps, honore Patriarchali non contentus, tranſcendens ſibi dominium, tanquam Papa vel Epiſcopus vniuerſalis, idque iure Diuino vendicauit. Sed, Deus bone, quàm enormiter hâc poteſtate, & prodigioſè eſt abuſus? Omnes cauſas ad ſe trahendo, beneficia largiendo, fulmina diſplodendo, Regnis interdicendo, Reges deponendo, ſubditos abſoluendo, Epiſcopos ſibi iuramento obſtringendo, fidem Ieſu Chriſti adulterando, & Papaliter diſpenſando. Quamobrem ius, ratio, æquitas, lex humana & diuina omnem eius poteſtatem, ſiue Patriarchalem, ſiue Papalem ab Anglia profligandam & exterminandam clamabant. Vnde factum eſt, vt, regnante Henrico Octauo, præceps ab Angliæ habenis, tanquam Phaeton à Solis curru, ſit deturbatus. Totum hoc argumentum dicto doctiſſimi [b] Præſulis, tanquàm gemma, obſignabo: *Quod ad Patriarchatum eius attinet, iure Diuino nullum habet. In hoc Regno, per ſexcentos à Chriſto nato annos, nullum habuit: per alios ſexcentos iam proximè elapſos, ad maiora aſpirans, nullum habere voluit: ſupra vel contra gladium quem inſtituit Dominus, nullum habere poteſt: ad fidem ſubuertendam, vel fratres ſuos opprimendos (ſic enim ratio, ius, & æquitas ſuadent) nullum habere debet: ſubiectio igitur ad eius tribunal aliundè eſt quærenda; nam noſtra Anglia nullam illi debet.* 12

[b] Bilſon. in vera differ. p. 2.

Digitized by Google

LIBER QVINTVS.

Cap. I.

De ſecundæ Controuerſiæ quæſtione 1.

De
- *controuerſia generali ſecunda quæ*
  - *proponitur.* 1
  - *diſtribuitur.* 2
- *eius quæſt. 1. hîc*
  - *ſtatus quæſtionis. viz. quo ſenſu Miniſtri Euangelici Sacerdotes*
    - *ſint.* 3
    - *non ſint.* 4
  - *tractatus in capitibus ſequentibus.*

Phil.

QVæ hactenus à te allata ſunt, ea omnia vt inania diffluunt, & in fumum abeunt, ídque hâc ipſâ de cauſâ, quia [a] *Epiſcopatus includit in ſua ratione & eſſentia Sacerdotum*, quo Eccleſia Anglicana deſtituitur.

a Bell. de ſacr. ord. c. 5.

Nam Sacerdotij duæ ſunt præcipuè functiones; altera in ſacrificando verſatur, in abſoluendo altera; quarum neutra (vt deinceps ordine oſtendam) in Eccleſia veſtra reperitur. Prior enim (vt indè exordiar) quæ in Sancta Romana Eccleſia his verbis traditur, [b] *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, miſſáſque celebrare, tam pro viuis quàm pro defunctis in nomine Domini*, à vobis penitùs eliminatur. Etenim Eccleſia Anglicana in ſuis Presbyteris conſtituendis, neque hæc verba, neque his æquipollentia adhibet, vt ex veſtro ordinali conſtat. Quamobrem Miniſtri Anglicani Sacerdotes eſſe non poſſunt. 2

b Pontificale in ordin. Presb.

Orth. 1°. Si Sacerdotis vocabulo nihil aliud ſignificâſſes, quàm Miniſtrum Euangelicum, cui Verbi & Sacramentorum commiſſa eſt diſpenſatio; hoc ſenſu nos omnes eſſe Sacerdotes palam profiteremur. Etenim in ordinatione noſtra Presbyterali, poſt exhortationes, examinationes, ſacrarum Scripturarum lectiones, & ardentes precationes, candidatis, [c] *in genua humiliter procumbentibus, Epiſcopus & Presbyteri præſentes ſingulorum capitibus ſigillatim* 3

c In forma conſecr.

manus imponunt, Epiſcopo dicente, Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeris, remiſſa ſunt, & quorum retinueris, retenta ſunt. Tu autem eſto Verbi Dei, et eius ſanctorum Sacramentorum fidelis diſpenſator, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Amen. Tunc Epiſcopus, *ſacra Biblia ſingulis in manus tradens, dicit; Accipe authoritatem prædicandi Verbum Dei, & adminiſtrandi ſancta Sacramenta in illa Eccleſia quæ tibi erit commendata.*

PHIL. *Notanda eſt inſulſa poteſtatis miniſtrandi Sacramenta, prioribus verbis collata, repetitio*, vt rectè animaduertit [a] Champnæus.

[a] Champ. p. 401.

ORTH. In verbis iſtis poſterioribus non eſt poteſtatis in prioribus datæ noua & repetita collatio, ſed loci duntaxat, in qua poteſtas illa eſt exercenda, deſignatio. In ſuperioribus enim data eſt ordinis poteſtas, in his non poteſtas ordinis, ſed iuriſdictio quædam vel facultas, per quam poteſtas ordinis ad vſum & praxin reducitur. Nihil igitur hîc inſulſè facit Eccleſia Anglicana, ſed tu inſulſus es, Champnæe, qui in verba, quæ non intelligis, vi et armis inuolas: quod à quoquam fieri demiror, qui habet ſalem quod in te eſt. Iam, hâc calumniâ obtritâ, ego reliqua quæ dicturus eram (nam tu filum orationis meæ abruperas) attexam. 2°. Igitur ſi Sacerdotem intelligas ſacrificantem, cuius ſacrificia ſunt duntaxat ſpiritualia, qualia ſunt orationes, gratiarum actiones, & id genus alia, non abnuimus quin hic titulus, prout omnibus Chriſtianis in genere, ita Miniſtro Euangelico præ cæteris accommodari poſſet. 3°. Non diffitemur, quin Euangelij præcones, Sacerdotes analogicè dici queant; ſcilicet, alludendo ad Sacerdotium Leuiticum. Siquidem vt Diaconi, qui non ſunt ex tribu Leui, Leuitæ tamen ab antiquis patribus paſſim per analogiam vocantur, quia in Leuitarum locum ſuccedunt; ita Miniſtri Euangelici, licèt propriè ſacrifici non ſint, ſacrifici tamen per analogiam dici poſſunt, quia in locum filiorum Aaronis qui erant propriè ſacrifici, ſucceſſerunt. 4°. Qui Verbum vitæ annunciant, non inconcinnè Sacerdotes dici poſſunt, quia ſpirituali gladio homines mactant, & immolant Deo. Sic [b] Paulus *Euangelio operatus eſt, vt oblatio gentium fieret accepta.* Quem in locum eleganter Chryſoſtomus, *Ipſum mihi Sacerdotium eſt prædicare & Euangelizare; hanc offero hoſtiam.* 5°. [c] Bellarminus affirmat, Chriſtum *conſecrando & conſumendo* (id eſt, comedendo) *ſacrificâſſe.* Quod ſi verum ſit, nos quoq; ſacrificamus; quippe qui eodem modo conſecramus & comedimus. 6°. Quoties Euchariſtiam celebramus, toties Chriſtum in myſterio offerimus, eundémq; per modum commemorationis, ſeu repræſentationis immolamus. Nonne hęc ſacrificãdi genera ſufficiũt? Sin minùs, aliud mihi deſigna quod in nouo Teſtamẽto requiritur.

[b] Rom. 15. 16.

[c] De miſſ. l. 1. c. 27.

4 PHIL. Requiritur ſacrificium propriè dictum, id eſt, [d] *oblatio externa, facta ſoli Deo, quâ ad agnitionem humanæ infirmitatis, & profeſſionem diuinæ maieſtatis, à legitimo miniſtro res aliqua ſenſibilis & permanens, ritu myſtico conſecratur & tranſmutatur.*

[d] Bell. de miſſ. l. 1. c. 2.

ORTH.

Digitized by Google

Orth. Quænam eſt res illa ſenſibilis, & permanens?

Phil. Eſt ipſummet corpus, & ſanguis Chriſti. Docet enim Concilium [a] Tridentinum in miſſa, *offerri Deo verum & proprium ſacrificium*, Chriſtúmque [b] *inſtituiſſe, vt Sacerdotes offerrent corpus & ſanguinem ſuum:* Et præterea hoc [c] ſacrificium, *non eſſe nudam commemorationem ſacrificij in cruce peracti, ſed propitiatorium, nec ſumenti tantùm prodeſſe, ſed offerri debere pro viuis & defunctis*, omnéſq; contra ſentientes Anathemate percellit.

[a] Seſſ.22.Can.1.
[b] can.2.
[c] can.3.

Orth. Eccleſia Anglicana longè rectiùs docet, [d] *Oblationem Chriſti ſemel factam, illam eſſe perfectam redemptionem, propitiationem, & ſatisfactionem pro omnibus totius mundi peccatis, tam originalibus, quàm actualibus, nullámque aliam exiſtere pro peccato ſatisfactionem, præter illam ſolam:* & ex conſequente, miſſas pro viuis & defunctis *blaſphemas eſſe fabulas, & periculoſas impoſturas.* Huiuſmodi igitur ſacrificium miſſaticum, ad Miniſtros Euangelicos ſpectare non agnoſcimus.

[d] Art.31.

Phil. Hîc igitur, ſi placet, manus conſeramus.

Cap.

Digitized by Google

Cap. II.

Non eſſe in Euchariſtia ſacrificium propriè dictum, probatur ex Epiſt. ad Hebr.

Quod in

- *Genere*
  - *Probatur quia ex hac Epiſtola*
    - *nihil pro miſſa præter ſilentium.* 1
    - *multa quæ militant contra miſſã.* 1
  - *Defenditur cõtra Champneũ, qui*
    - *falſa ponens fundamenta de*
      - *perſonis ad quos ſcripta.* 2
      - *ipſius Epiſtolæ ſcopo.* 3
    - *errores ſuperſtruit de*
      - *ſilentio Apoſtolico.* 4
      - *inualiditate rationũ ex hac Ep. cõtra miſſam.* 5
- *Specie probatur, Argumento ducto à*
  - *ſacrificij vnitate.* 6
  - *cauſis*
    - *efficiente.* 7, 8, 9
    - *materiâ.* 10, 11
    - *formâ.* 12
    - *fine.* 13, 14, 15, 16, 17

Orth.

Non ſpectare ad Miniſtros Euangelicos, vt externum et propriè dictum offerant ſacrificium, ex Epiſtola ad Hebræos euincam. Hic enim de fructu ſacrificij crucis, ex quo miſſæ ſacrificium, ſi quod ſit, neceſſariò dependet, ex inſtituto agitur. Quomodò igitur Apoſtolus, ſi miſſam cognouiſſet, eandem tacuiſſet?

Phil.

Digitized by Google

PHIL. Inepta planè interrogatio. [a] *Nónne quæſo eâdem ratione quærere poſſes, cur Apoſtolus de Euchariſtia, vt eſt Sacramentum, & de cæteris omnibus Chriſtianæ fidei myſterijs, quæ à paſſione Chriſti dependent, loqui omiſerit?* [a] *Champ. p. 692.*

ORTH. Apoſtolus dum docet nos vnica Chriſti oblatione in æternum ſanctificari, conſecrari, conſummari; nihil de baptiſmo, aut de Euchariſtia, vt eſt Sacramentum, ne ad ſpeciem quidem derogat; at hæc contra miſſam truculentum quid & exitiale ſonant. Quare ſi illam nouiſſet Apoſtolus, operæ pretium fuiſſet de eâdem aliquid adijcere, ne, tam rigidè loquẽdo, aliquid de eius gloria delibâſſe videretur?

2

PHIL. Si quid hîc occurrat quod ſonat contra miſſam; ergo vel [b] diſertis verbis, vel per modum conſequentiæ. [b] *Vide Champ. p. 688.*

ORTH. Per modum conſequentiæ.

PHIL. Iſtiuſmodi argumentatio non eſt ſolida, niſi authoris menti ſit conformis. Vt hanc igitur aſſequamur, inueſtigemus ad quos ſcripta hæc Epiſtola, & quis eius ſcopus. Scriptam ad Iudæos probat [c] Champnæus authoritate [d] Hieronymi, dicentis; *Hebræus, id eſt, Iudæis perſuadebat, non iam fidelibus*; ac proinde [e] Fulcum veſtrum, qui ad Iudæos Chriſtianos hanc Epiſtolam miſſam eſſe contendit, acriter perſtringit. [c] *P. 690.* [d] *Epiſt. 126.* [e] *Contra Anglo-Rhem. ad Heb. c. 7. ſ. 5. & 10. ſ. 4.*

ORTH. Sed immeritò; quoniam ad Chriſtianos exaratam eſſe eſt veriſſimum. Poſſem equidem complures botros ex hac ipſa Epiſtola vindemiare, ex quibus hoc vinum exprimitur; ſed vnicum duntaxat racemum, qui eſt inſtar omnium, viſum eſt decerpere. Apoſtolus enim ipſos, ad quos ſcripſit, appellat [f] *fratres ſanctos cæleſtis vocationis participes*: quod perindè eſt ac ſi appellâſſet Chriſtianos. Nihil clarius, nihil ſplendidius. De perſonis hæc ſufficiant; nunc de fine & ſcopo videamus. [f] *Heb. 3. 1.*

3

PHIL. [g] *Præcipuus Apoſtoli ſcopus eſt, dignitatem & excellentiam Sacerdotij Chriſti, & neceſſitatem atque efficaciam ſacrificij & oblationis eius in cruce demonſtrare; contra incredulos Iudæos, qui Sacerdotium & ſacrificium legis Moſaicæ æterna, immutabilia, atque ex ſe ad remiſſionem omnium peccatorum ſufficientia eſſe credebant, abſq; omni relatione, dependentia, vel reſpectu ad quodcunq; aliud Sacerdotium, & ſacrificium de nouo inſtituendum.* [g] *Champ. p. 688. & 689.*

ORTH. Immò Apoſtoli ſcopus eſt, hortari Hebræos, vt conſtanter in cognita Euangelij veritate [h] perſiſtant, nec ſe ad Iudaiſmum reduci patiantur. Hanc ſibi figit metam; ac proindè de Chriſti perſona & officio, præſertim Sacerdotali, copioſè diſſerit, eiúſq; dignitatem & excellentiam, quinetiam & neceſſitatem & efficaciam prædicat; quippe cuius ſolius ſacrificium peccata aufert, conſcientias mundat, & credentes in perpetuum ſanctificat; quod vmbræ legales præſtare non poterant. [h] *Vide c. 2. 1. 3. c. 3. 1. 6. 12. 13. c. 4. 1. 11. c. 6. 11. 12.*

PHIL. *Quod illi, ad quos, vel contra quos Apoſtolus ſcribebat, in illo fuerint errore, quòd ſacrificia Aaronica ex ſe ad deſtructionem peccati,* *Champ. p. 690.*

peccati, abſque omni reſpectu, vel dependentia ab alio quouis ſacrificio, crediderint, clariùs ex hoc, quem Fulcus tractat, loco conſtat, quàm vt illum latere poßit. Iſta ſunt Apoſtoli verba : [a] Heb.7.11. *Si ergo conſummatio per ſacerdotium Leuiticum erat (populus enim ſub ipſo legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundùm ordinem Melchiſedech, alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundùm ordinem Aaron dici ?* Et iterum : [b] Heb.10.4. *Impoßibile eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Nonne hinc clarè conſtat eos, contra quos diſputat Apoſtolus, ſacrificia vetera ad delenda peccata, & redemptionem noſtram conſummandam ſufficere exiſtimâſſe ?*

ORTH. Quoſdam ex incredulis Iudæis tam ſtupidos fuiſſe, vt ita ſentirent, non eſt impoſſibile; fieri igitur poteſt, vt Apoſtolus (ne fortè venenum latiùs ſerperet, & in ipſos etiam credentes ſe transfunderet) hunc ſibi errorem hîc confutandum proponeret. Eſto igitur : ſit iſta quorundam ſententia, quos hîc Apoſtolus voluit perſtringere : at credentes, ad quos ſcribit, ita ſenſiſſe, vt rectè ait [c] In Epiſt. ad Hebr. c.10. Fulcus noſter, nunquam probaueris. Non eſt igitur iſte præcipuus Epiſtolæ ſcopus, ſed alter quem dixi. Audi Aquinatem veſtrum, qui ſic ait, *Scripſit Epiſtolam iſtam contra errores quorundam, qui, ex Iudaiſmo ad fidem conuerſi, volebant ſeruare legalia cum Euangelio, quaſi non ſufficeret gratia Chriſti ad ſalutem.* Hæc opinio Scripturis eſt valdè conſentanea, quæ docent[d] Act.21.20. *multa Iudaeorum millia credidiſſe, eóſq; omnes accenſos zelo legis.* Hactenùs fundamenta quædam, ſed infirma, ponere voluiſti; nunc expecto quid ſuperſtruas.

4 PH. 1°. Hinc redditur ratio ſilētij Apoſtolici, cui tantoperè inſiſtit Fulcus. Nam, vt verbis vtar [e] P.692. Champnæi, *Si non magis in impugnanda quàm inueſtiganda veritate, perſpicax fuiſſet luſcus iſte hæreticus, rationem, cur Apoſtolus miſſæ ſacrificium hîc tacuerit, facilè vidiſſet. Iudæos enim, ad quos iſtam ſcripſit Epiſtolam, paßionis Chriſti fructum & neceßitatem non credentes, importunum atq; omninò præpoſterum fuiſſet, de ſublimi hoc myſterio, quod de paßione Chriſti fidem neceſſariò præſupponit, inſtruere.*

ORTH. Hæc, quum arenoſo nitantur fundamento, ſua ſponte decidunt. Nam Apoſtolum ad credentes ſcripſiſſe adeò eſt illuſtre, ac ſi non calamo, ſed radio ſolari fuiſſet deſcriptum. Fulcus autem noſter, quem Lynceus iſte luſcum appellat, vir ſummo ingenio & lectione planè admirabili, in veritate Dei aſſerenda, & præſtigijs veſtris diſcutiendis valdè fuit oculatus : hanc tamen quam aſſignas rationem, etiamſi aquilinis fuiſſet oculis, perſpicere non potuiſſet.

5 PHIL. 2°. Quum Apoſtolus ad hunc, quem dixi, ſcopum collimârit, nempè, vt eorum refelleret errorem qui ſacrificia Iudaica ex ſe, ſine vlla relatione ad ſacrificium crucis, ad remiſſionem peccatorum ſufficere putabant, [f] Champ.p.703. *contra tale ſacrificium diſcurſus eius eſt planè inuincibilis, & non minùs contra ſacrificium miſſæ, ſi abſolutè ex ſe, & abſque vllo reſpectu ad ſacrificium crucis, diceretur propitiatio pro peccatis :*

peccatis: ſed quum nemo noſtrum hoc dicat, Apoſtoli verba contra nos non militant.

ORTH. Hæc inania ſunt & friuola. Nam Scripturæ nullum admittunt noui Teſtamenti ſacrificium propriè dictum, quouis reſpectu offerendum, præter illud vnum quod Chriſtus in propriâ perſonâ, ſemel duntaxat, in cruce obtulit, vt ſtatim videbimus.

PHIL. [a] *Sacrificium crucis, ſacrificio Euchariſtiæ non magis repugnat, quàm exiſtentia, vel concurſus cauſæ primæ cum exiſtentia & cooperatione cauſæ ſecundæ; quia cauſa prima alterius eſt ordinis à cauſa ſecunda, ac proinde illius cöoperationem ab effectus ſui productione non excludit, ſed naturaliter illam comitatur, corroborat, & perficit:* ita & ſacrificium crucis. [a] Vide Champ. p. 707.

ORTH. De cauſis ſecundis inſignis eſt locus apud [b] Hoſeam Prophetam: *Erit etiam die illo, vt exaudiam dictum Iehouæ, exaudiam cœlos, & ipſi exaudiant terram, & terra exaudiat frumentum, muſtum, & oleum, & iſta exaudiant Iſraëlem.* Vndè conſtat, cauſas ſecundas naturales habere Deum authorem, à quo concatenantur, & cuius virtute ſuos ſortiuntur effectus. Quod de miſſa veſtra verè aſſeri non poteſt. [b] Hoſ. 2. 21.

PHIL. [c] *Deinde non maiorem, neque aliam omninò repugnantiam habet ſacrificium conſummatiuum crucis cum Sacroſancto Euchariſtiæ ſacrificio, quàm habet vel habuit in Sacrificijs veteribus vtriuſque Legis, naturæ ſcilicet, & Moſaica.* [c] Champ. p. 708.

ORTH. Immò habet. Illa à Deo inſtituta erant, vt ſacrificium crucis præmonſtrarent, & præfigurarent. Quapropter inter ſignum & ſignatum nulla diſcrepantia: at ſacrificium miſſæ non modò eſt humanum commentum, ſed iſtiuſmodi commentum, quod ſacrificio Crucis planè aduerſatur: quod hinc ducto exordio, ex hac ipſa Epiſtola ſum demonſtraturus.

Si miſſæ ſacrificium ſit admittendum, tum Chriſtus eſt ſæpè offerendus; conſequentia eſt clariſſima: At hoc repugnat Epiſtolæ ad Hebræos, [d] *Per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in Sanctuarium, æternam redemptionem nactus:* [e] *Neque vt ſæpè offerat ſeipſum, ſed nunc ſemel in conſummationem ſeculorum, ad peccatum per immolationem ſuîpſius abolendum patefactus eſt. Et ſicut illud, Statutum eſt hominibus vt ſemel moriantur, poſtea verò Iudicium, ita & Chriſtus ſemel oblatus.* [f] *Sanctificati ſumus per oblationem corporis Ieſu Chriſti ſemel factam.* [g] *Hic, vnâ oblatâ pro peccatis victimâ, conſedit ad dextram Dei in perpetuum.* [h] *Vnicâ oblatione conſecrauit in perpetuum eos qui ſanctificantur.* 6 [d] Heb. 9. 12. [e] V. 25. V. 26. [f] Heb. 10. 10. [g] V. 12. [h] V. 14.

PHIL. Semel ſe immolauit per ſeipſum in cruce, ſæpiùs tamen in Sacroſancta Euchariſtia, per manus Sacerdotum.

ORTH. Nullam eſſe in Euchariſtia immolationem, ſeu Sacrificium propriè dictum, multis rationibus oſtendam. Prima, ab efficiente, id eſt, à Sacerdote ducta, ſic poteſt inſtitui. Si 7

Digitized by Google

in Euchariſtia ſit Sacrificium propriè dictum, plures erunt Sacerdotes propriè dicti in nouo Teſtamento. Patet conſequentia, quia offerre Sacrificium propriè dictum, non ſpectat niſi ad Sacerdotem propriè dictum, ex omnium conſenſu. Sed non ſunt plures Sacerdotes propriè dicti in nouo Teſtamento. Nam ſi plures, vel erunt ſecundùm ordinem Aaronis, vel ſecundùm ordinem Melchiſedechi: plures enim ordines in Scripturis non occurrunt. At non poſſunt eſſe plures ſecundùm ordinem Aaronis, quia hunc ordinem iamdudum antiquatum eſſe, vniuerſi fatentur Chriſtiani. Nec ſecundùm ordinem Melchiſedechi, quia Chriſtus ſolus eſt Sacerdos ſecundùm hunc ordinem. Quod ſic probatur: Apoſtolus, cùm dixiſſet, *Chriſtum* [a] *factum eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedechi*, ſtatim explicat, quibus in rebus ſitus ſit hic ordo, vel quid ſit eſſe Sacerdotem ſecundùm ordinem Melchiſedechi. [b] *Nam hic Melchiſedech, &c.* Docet igitur Melchiſedechum fuiſſe Regem & Sacerdotem, *Regem pacis & iuſtitiæ, ſine patre, ſine matre, eundémque nec initium dierum habuiſſe, nec finem vitæ:* quæ omnia ſine controuerſia ſoli Chriſto competunt. Sacerdotes igitur Papiſtici, ſi volunt eſſe Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedechi, oſtendant nobis ſe eſſe Reges pacis, & iuſtitiæ; oſtendant nobis ſe eſſe ſine patre, ſine matre; oſtendant nobis ſe eſſe ab æterno in æternum. Si hæc nec oſtendant, nec poſſint oſtendere; quare ſe in Chriſti locum ingerere non erubeſcunt? Qui hæc ſibi vendicat, nónne ſe prodit eſſe illius ſatellitem, qui ſedet in Templo Dei, tanquam eſſet Deus?

[a] Heb.6.20.

[b] Cap.7.1.

8 Secunda ratio, à comparatione Sacerdotij Aaronici cum Sacerdotio Melchiſedechi, fundatur in verbis Apoſtoli, [c] *Illi quidem plures facti ſunt Sacerdotes, quòd mors prohiberet eos permanere: at iſte, propterea quòd in æternum manet, perpetuum habet Sacerdotium.* Vbi Apoſtolus multitudinem Sacerdotum ſecundùm ordinem Melchiſedechi planè excludit.

[c] Heb.7.23,24.

P h i l. Sacerdos Euangelicus duplex eſt; primarius, & ſecundarius. Solus Chriſtus eſt primarius, cui nemo ſuccedit; hoc tamen non impedit quin ſint plures ſecundarij, & adminiſtri. Nam, vt rectè [d] Bellarminus, Apoſtolus *excludit abſolutè multiplicationem Sacerdotum in eadem dignitate & poteſtate, non autem inferiorum.*

[d] De miſſ. l.2. c.25.

O r t h. Quod obtendis de ſecundarijs Sacerdotibus, eſt inane effugium. In Chriſto ſacrificando diſtinctio Sacerdotis primarij & ſecundarij locum non habet. Hoc ſpectat ad ſolum Chriſtum, qui eſt vnicus Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedechi. Apoſtolus hîc oppoſitionem facit inter ordinem Aaronis, & Melchiſedechi; quaſi dicat, In ordine Aaronis multi erant Sacerdotes, quia erant mortales; at Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedechi, vnicus eſt, quia viuit in æternum.

Digitized by Google

Tertia ratio ad probandam Sacerdotij Euangelici vnitatem, 9
ſumitur à typo ſummi Pontificis. [a] *In ſecundum Sacrarium ſemel quotannis ſolus Pontifex* (ingreſſus eſt) *non ſine ſanguine:* [b] *adueniens autem Chriſtus per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in Sacrarium.* Hæc oblatio ſolius Pontificis, ſine vllis adminiſtris, ſignificabat ſacrificium illud perfectiſſimum, quo cœli Sacrariũ panditur à ſolo Chriſto, nec quoquam alio eſſe offerendum. Hactenùs diſputauimus à cauſa efficiente.

[a] Hebr.9.7.
[b] v.11.

Secundum Argumentorum genus ducetur, à materia, id 10
eſt, à victima; hunc in modum. Si Chriſtus ſit in Euchariſtia ſacrificandus, vel eadem erit victima, quæ olim in cruce, vel diuerſa. Si diuerſa, Chriſtus ipſe non ſacrificatur, ſed aliquid à Chriſto diuerſum: ſin eadem, Chriſti humana natura iam eſt in terris; quod repugnat Articulo fidei, *Aſcendit in cœlum:* erit etiam paſſibilis; quod fieri non poteſt, cùm ſit glorificata.

Deinde omnis victima eſt res quædam ſenſibilis, teſte [c] Bel- 11
larmino, id eſt, quæ externis ſenſibus ſentiri & percipi poteſt. At corpus Chriſti in Euchariſtia à nullo ſenſu eſt perceptibile. A quo enim? Conſule vnumquemque ſenſuum, & ſinguli hoc negabunt. Dices, opinor, ſub benedicti panis & vini accidentibus (quæ ipſa ſunt ſenſibus perceptibilia) deliteſcere ipſiſſimum Corpus & Sanguinem Chriſti. Age; ſi lateant, quomodò igitur ſenſibus percipiuntur? Si dicas, panem & vinum eſſe hanc victimam, tum panis & vinum offerentur pro peccatis mundi, quo nihil dici poteſt deteſtabilius.

[c] De miſſ.l.1.c.2.

Tertio loco argumentabor à forma. Etenim Chriſtus (quan- 12
doquidem eſt viuus) propriè ſacrificari non poteſt, niſi per modum paſſionis & mortis, teſte Scripturâ: [d] *Neque vt ſæpè offerat ſeipſum, ſicut Pontifex, ingreditur in Sacrariũ quotannis cum ſanguine alieno,* [e] *alioqui enim oportuit eum ſæpè paſſum à iactu mundi fundamentis.* Cui veritati ſuffragatur [f] Bellarminus, his verbis, *Omnia omninò quæ in Scriptura dicuntur ſacrificia, neceſſariò deſtruenda erant, ſi viuentia, per occiſionem, &c.* At Chriſtus, iam [g] *excitatus à mortuis, iterum non moritur:* ergo nec ſacrificatur.

[d] Heb.9.25.
[e] V.26.
[f] De miſſ.l.1.c.2.
[g] Rom.6.9.

PHIL. Chriſtus in Euchariſtia moritur in myſterio.

ORTH. Si in myſterio tantùm, ergo non verè & propriè. Nam ſacrificatio rei viuentis propriè dicta, exigit mortem propriè dictam.

Denique à fine ſic licet arguere: Si Chriſtus ſit hodiè in Eu- 13
chariſtia immolandus, hoc fiet vel ad Deum pro peccatis placandum & propitiandum, vel ſaltem ad ſacrificium crucis explicandum. Sed neque hoc, neque illud dici poteſt. Non primum: nam ſi ſit propitiatorium, vel pro iiſdem peccatis pro quibus oblatum eſt ſacrificium crucis, vel pro alijs.

PHIL. [h] Pro iiſdem.

[h] Champ.p.722.

Orth. Nónne ſacrificium crucis ad illa expianda fuit ſufficiens? Hoc certè ſine blaſphemia negari non poteſt.

a P.724. Phil. Fuit [a] ſufficientiſſimum.

Orth. Quorſum igitur ſacrificium miſſæ pro illis expiandis adhiberetur? Nónne hoc eſſet planè otioſum & ſuperfluum? Nónne crucis ſacrificio ſufficientiſſimo, tanquam parum ſufficienti, inſigniter derogaret?

Phil. Nequaquam. Non eſt ſuperfluum, aut otioſum, ſed
b P.722. [b] *neceſſarium ad delenda noſtra peccata; non abſolutè, & ſimpliciter, & ex ſua natura (ſic enim neque ſacrificium crucis fuit neceſſarium, vt omnes fatentur) ſed ſecundùm quid, ſeu ad melius eſſe, vt dici ſolet, & ex diuina ordinatione vel inſtitutione:* & hac ipſa de cauſa à ſacrificio crucis nihil derogat. Age enim; nónne fides, pœnitentia, & charitas ad ſalutem ſunt neceſſaria?

Orth. Sunt quidem, vt media à Deo inſtituta.

Phil. Ecquid à ſatisfactionis Chriſti gloria derogant?

Orth. Minimè, ſed illuſtrant potiùs.

Phil. Idem tibi prorſus de miſſa reſpondeo.

Orth. Non eſt par ratio. Nam 1°. hæc media Deum ipſum habent authorem, vt ex ſacris Oraculis eſt liquidiſſimum, quod de miſſa veſtra verè affirmari non poteſt. 2°. hæc non ſunt inſtituta ad expiandum, merendum, aut ſatisfaciendum, vt veſtra miſſa; ſed ſunt quædam conditiones à Domino inſtitutæ, ſine quibus Chriſti paſſio nobis applicari non poteſt.

c P.730. Phil. Cùm ſatis conſtet [c] *paſsionis Chriſti ſuperabundantem ſatisfactionem, & meritum nullam habere repugnantiam cum baptiſmo, charitate, fide, ac pœnitentia, quò minùs illa ad ſalutem noſtram ſint neceſſaria, atque adeò ad eam ſuo modo cöoperentur; nulla poteſt affingi repugnantia inter eandem paſsionem Chriſti, & ſacrificium miſſæ, ex eo quod illud ſit propitiatorium.*

Orth. Toto cœlo erras. Supponis enim Deum ordinâſſe vel inſtituiſſe miſſam, tanquam aliquod medium, ad propitianda peccata hominum, non obſtante copioſâ illâ Chriſti Domini ſatisfactione: quod nihil eſt aliud præter humani ingenij figmentum. Quare cùm Scripturæ nullam doceant oblationem pro peccato, præter illam vnicam in cruce peractam, tota profectò propitiandi gloria ſoli ſacrificio crucis eſt tribuenda. Quiſquis igitur hanc gloriam ſacrificio miſſatico tranſcribit, næ is à crucis Chriſti gloria manifeſtò derogat. At fides & charitas hanc ſibi palmam non vendicant, nihil ſibi ex hac gloria delibant, ſed quanta quanta eſt (quæ certè eſt maxima) eam totam eſſe Chriſti in cruce immolati ingenuè fatentur.

14 Præterea, ſi Deus exigat à peccatoribus aliam ſatisfactionem præter illam quam exhibuit Chriſtus per mortem ſuam in cruce, videtur (quod abſit) iniuſtus; vtpote ſatisfactionem pro peccato iam expiato, & ſolutionem pro debito iam ſoluto exigens.

Phil.

PHIL. [a] *Iſta difficultas leuis eſt, & facilè ſuperabilis. Nam poſito quòd neque Chriſtus mortem ſuam obtulit, neq; æternus Pater eam acceptauit abſolutè pro omnium peccatorum ſatisfactione, ſed ſub certis quibuſdam conditionibus, quibus impletis, ſuum ſortiretur ſalutarem effectum, illis tamen non impletis, nulli eſſet ſalutaris, faciliimè intelligitur, quomodò ſacrificium propitiatorium Euchariſtia cum iuſtitia diuina rectè cohæreat, non obſtante copioſiſsimâ per Chriſtum factâ ſatisfactione. Non enim contra iuſtitiam agit, qui conditiones vtrinque pactas ad redemptionem captiui exigit, etiamſi pretium abſque talibus conditionibus ſufficientiſſimum pro tali captiuo ſolutum eſſet.* [a *Champ. p. 736.*]

ORTH. Proba ex Scripturis, ſacrificium miſſaticum eſſe conditionem, ſine qua ſacrificium crucis non eſt cuiquam ſalutare, & laureâ triumphali caput tuum cinge. Quòd ſi præſtare nequeas, reſponſio tua nimis eſt frigida & friuola.

Porrò, ſi ſacrificium miſſæ ſit propitiatorium, erit cruentum. Nam [b] *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſsio.* At [c] Papiſtæ negant, ſacrificium miſſaticum eſſe cruentum: ergo non erit propitiatorium. [b *Heb. 9.*] [c *Con. Trid. ſeſſ. 22. cap. 2.*]

PHIL. Reſpondeo cum [d] Bellarmino; Apoſtolum loqui *de ſacrificijs Legis veteris, in qua nullum erat ſacrificium pro peccato ſine ſanguinis effuſione.* [d *De miſſ. l. 1. c. 25. ad illud.*]

ORTH. Sacrificia vetera, etiam hac ex parte, erant figuræ veri ſacrificij in nouo Teſtamento. Ergo vel in nouo non eſt remiſſio ſine ſanguinis effuſione. Quare propoſitio Apoſtoli abſolutè & generatim ſumi poteſt.

PHIL. [e] *Poteſt. Non quòd quotieſcunque fit remiſsio, tum ſanguinem fundi oporteat, ſed quia remiſsio nunquam fit, niſi in virtute effuſionis ſanguinis.* [e *Ibid. Præterea.*]

ORTH. [f] *Pacificabit per ſanguinem crucis omnia ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlo ſunt:* neque poſt effuſionem in cruce factam, requiritur vlla alia pro peccatis oblatio, quæ propitiandi vim à cruce hauriat. Nam Chriſtus Chirographum noſtrum *deleuit & cruci affixit.* Si antiquatum ſit Chirographum, ſi cruci affixum: ídque vnica illâ oblatione in cruce factâ; non opus eſt aliâ oblatione, quæ vi prioris Chirographum deleat. [f *Col. 1. 20.*] [*Col. 2. 14.*]

PHIL. [g] *In ſacrificio miſſæ rectiſsimè poteſt dici ſanguis Chriſti effundi, vt ipſe Dominus loquitur, cùm ait; Hic eſt ſanguis meus, qui pro multis funditur: ſiue conſideremus myſticam ſanguinis effuſionem, ſiue realem, id eſt, libationem, ſeu oblationem Sanguinis Domini.* [g *Bell. ibid. Denique.*]

ORTH. Myſticè in Euchariſtia fundi ſanguinem, id eſt, Sacramentaliter, concedo; ſed non realiter. Vel ſi ibi ſit realis ſanguinis effuſio, erit etiam realis occiſio, & omnes ſacrifici erunt Chriſticidæ.

PHIL. [h] *Vt vſitatè ſecundùm Scripturas dicitur panis frangi, cùm diſtribuitur, etiamſi integri panes dentur; ſic etiam vinum fundi dici* [h *Bell. ibid.*]

Digitized by Google

poteſt, cùm diſtribuitur, licèt plenæ amphoræ donentur. Et eodem modo corpus ſub ſpecie panis frangitur, & ſanguis ſub ſpecie vini funditur, dum offertur & donatur Deo in ſacrificium.

ORTH. Hoc dilutè nimis dictum eſt. Nam hæc (quam dicis) fractio, corporis Chriſti crucifixionem non exprimit; neque huiuſmodi fictitia effuſio, realem ſanguinis effuſionem nobis poteſt depingere. Ad placandum Dei Patris iram, requiritur iſtiuſmodi ſanguinis effuſio, quæ cum morte coniuncta eſt. Non igitur ſatis eſt, vt detur quatenus eſt in venis, ſed aperiendæ erant venæ vt poſſit effluere. Hic ſanguis, quatenus effluxit è corpore & manauit, & hîc ſolus eſt verè expiatorius.

16 Præterea dic ſodes; nunquid peccatorum propitiatio eſt huius, quod ſomnias, ſacrificij miſſatici propria efficientia?

PHIL. Non eſt, ſed impetratio; [a] *quia Chriſtus, nunc immortalis, nec mereri nec ſatisfacere poteſt*, cùm autem dicitur propitiatorium vel ſatisfactorium, id eſt, intelligendum ratione rei, quæ impetratur. Dicitur enim *ſacrificium miſſæ propitiatorium, quia impetrat remiſſionem culpæ, ſatisfactorium, quia impetrat gratiam benefaciendi, & merita acquirendi.*

[a] *De miſſ. l. 2. c. 4 Tertia propoſitio.*

ORTH. Si tantùm impetrando & non efficiendo, non eſt propriè propitiatorium.

PHIL. Eſt tamen ſuo modo. Nam offerendo ſacrificium miſſę [b] applicatur ſacrificium crucis, & ſic impetratur propitiatio.

[b] *Conc. Trid. Seſſ. 22.*

ORTH. Hæc, quam narras, oblatio, repugnat Apoſtolo dicenti: [c] *Vbi eſt horum* (peccatorum) *remiſſio, non eſt ampliùs oblatio pro peccato.*

[c] *Heb. 10. 18.*

PHIL. [d] *Sicut Apoſtolus dicit, Vbi eſt horum remiſſio, iam non eſt oblatio pro peccato, ita nos è contrario dicere poſſumus, Vbi nondum facta eſt remiſſio, adhuc relinquitur hoſtia pro peccato. At remiſſio perfecta nondum facta eſt, ſed quotidiè fit, & fiet vſque ad mundi conſummationem; ergo manet adhuc, & manebit vſque ad mundi conſummationem hoſtia pro peccato.*

[d] *Bel. de miſſ. l. 2. c. 2.*

ORTH. Si adhuc ſit hoſtia pro peccato; per oblationem crucis non facta eſt remiſſio: Nam ſi ſit remiſſio, teſte Apoſtolo, non relinquitur hoſtia pro peccato: at per oblationem crucis facta eſt remiſſio: [e] *Habemus enim redemptionem per ſanguinem eius, nempe remiſſionem peccatorum.* Vnde [f] Bellarminus; *Sacrificium crucis remiſit omnia peccata, præſentia, præterita, & futura: ſiquidem pretium acquiſiuit ſufficientiſſimum pro peccatis totius mundi, & ideo, illo ſacrificio peracto & peccatis remiſſis, non reſtat vlla ſimilis oblatio pro peccato, id eſt, pro acquirendo pretio ad remiſſionem peccatorum.*

[e] *Epheſ. 1. 7.*
[f] *De miſſ. l. 1. c. 25.*

17 PHIL. Rectè pro pretio acquirendo: at alia reſtant pro hoc pretio applicando.

ORTH. Ea duntaxat applicandi ſacrificium crucis ratio eſt tenenda, quam docuit Spiritus Sanctus: hoc ſacrificium per aliud denuò ſacrificium eſſe applicandum, nuſquam docuit Spiritus

Sanctus.

Digitized by Google

Sanctus. Cæterùm, docent Scripturæ, idem prorſus eſſe [a] *credere in Chriſtum*, & *recipere Chriſtum*. Docent præterea Chriſtum [b] *per fidem habitare in cordibus noſtris:* & adhuc nos [c] *promiſsionem Spiritus per fidem accipere:* vndè colligitur Chriſtum, cùm omnibus ſuis beneficijs, nobis per fidem applicari. Nec tamen negamus quin Sacramenta etiam, ſuo modo & gradu, huic inſtituto inſeruiant: ſed non inde ſequitur eſſe ſacrificia propriè dicta. Namque per baptiſmum nobis applicatur ſacrificium crucis, perinde ac per Euchariſtiam, & tamen Baptiſmus non eſt ſacrificium. Hactenùs ex omnibus cauſarum generibus ſacrificium veſtrum miſſaticum refutauimus, quo ruente, Sacerdotium veſtrum ſacrificans, vnà corruat neceſſe eſt. Ita Antichriſtus à ſacrificandi munere, tanquam Phaeton à Solis curru, eſt excutiendus.

[a] Ioh.1.12.
[b] Eph.3.17.
[c] Gal.3.14.

Cap.

Digitized by Google

Cap. III.

De Papiſtarum argumentis in genere; &, in ſpecie, de argumento à Melchiſedech deducto.

Obiectiones
- *In genere proponuntur ſuccinctè, per modum Synopſis.* 1
- *in ſpecie de Melch. ex*
  - *Scripturis, hic*
    - *refutatur ratio*
      - *1°. à typo, quæ*
        - *proponitur, viz. quia Melch. ſacrificauit panem & vinum in typum Euchariſtiæ.* 2
        - *repellitur*
          - *1°. negando hoc ex ſcript. probari poſſe, hîc de*
            - *Prolatione.* 3
            - *coniunctione.* 4
            - *accentu Hebraico.* 5
          - *2°. quia nihil facit pro miſſa.* 6
      - *2°. ab æternitate, quæ*
        - *proponitur ex Bellarmino.* 7
        - *refellitur, oſtenſâ verâ ratione, quâ Chriſtus eſt Sacerdos in æternum.* 8
    - *explicatur typus, ipſo Apoſtolo interprete.* 9
  - *antiquis Patribus, de quibus agitur in*
    - *genere.* 10
    - *ſpecie de*
      - *Cypriano.* 11
      - *Auguſtino.* 12
      - *Ambroſio.* 13
      - *Clem. Alex.* 14
      - *Theodoreto.* 15
      - *Hieronymo.* 16

Phil.

ILlud Eccleſiæ Miniſterium, quod in veteri Teſtamento typicè erat adumbratum, & Prophetarũ oraculis præmonſtratum, quod porrò in nouo fœdere à Chriſto eſt inſtitutum, ab Apoſtolis & ſanctis Patribus ſuſceptum, agnitum, & approbatum; eſt ſine dubio veriſſimum noui Teſtamenti Miniſterium: at Sacerdotium noſtrum, quod in Chriſto ſacrificando verſatur, eſt huiuſmodi: Ergo, Sacerdotium noſtrum

ſtrum eſt veriſſimum noui Teſtamenti Miniſterium. Propoſitio eſt luce clarior. Reſtant igitur aſſumptionis membra, ſuo quæque ordine demonſtranda.

ORTH. Age igitur; atque inprimis vbi Sacerdotium veſtrum ſit adumbratum doce.

PHIL. Melchiſedechi ſacrificium typus erat illius, quod Chriſtus in vltima cæna proprijs manibus obtulit, quódque manibus Sacerdotum oblaturus eſt vſque ad finem ſeculi. Cuius rei intelligendæ gratiâ diligenter obſeruandum, quòd Melchiſedechus longè præcellentiùs geſſerit typum Chriſti quàm Aaron; vſque adeò vt Chriſtus dicatur Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedechi, & non ſecundùm ordinem Aaronis. [a] *Porrò inter illa duo Sacerdotia duæ ſunt differentiæ, ex quibus duo argumenta peti poſſunt. Prima & potiſsima differentia poſita eſt in externa ſpecie ſacrificij. Nam etiamſi omnia ſacrificia veterum conueniebant in re ſignificata, cùm eundem Chriſtum crucifixum ſignificarent, tamen in ſignis diuerſa erant. Sacrificia enim Aaronica cruenta erant, & ſub ſpecie animantium occiſorum, Chriſti mortem repræſentabant: Melchiſedechi ſacrificium incruentum fuit, &, ſub ſpecie panis & vini, eiuſdem Chriſti corpus & ſanguinem figurabat.* Ex qua proprietate ſic argumentari licet: Si Chriſtus ſit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedechi, cuius proprium fuit offerre incruentum ſacrificium ſub ſpecie panis & vini, tum Chriſtus ſacrificium offerre debuit incruentum, ídque ſub ſpecie panis & vini. At ſacrificium crucis non fuit huiuſmodi; ergo Chriſtus aliud obtulit ſacrificium præter ſacrificium crucis. Hoc autem quódnam aliud eſſe poteſt præter ſacrificium miſſæ? *Vel ſi hoc ex vi Sacerdotij non colligeretur, tamen* (vt rectè Bellarminus) *colligeretur ex vi typi & figuræ. Fuit enim Melchiſedech in illa cæremonia panis & vini, figura manifeſtiſsima Chriſti, Sacramentum Euchariſtiæ inſtituentis in pane & vino.* Mandauit autem Chriſtus Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, Miniſtris Euangelicis, vt hoc facerent quod ipſe fecit, in eius recordationem. Mandauit igitur Chriſtus Miniſtris Euangelicis, vt Corpus & Sanguinem ſuum modo incruento, ſub ſpecie panis & vini, ſacrificarent, ac proinde Miniſtri Euangelici ſunt Sacerdotes propriè dicti, ex Chriſti ipſius inſtituto. 2

[a] *Bel. de miſſ. l.1. c.6. Porrò.*

ORTH. 1°. Melchiſedechum fuiſſe typum Chriſti agnoſcimus, quia Scriptura dicit, [b] *aſsimulatum fuiſſe Filio Dei.* 2°. Fatemur Chriſtum fuiſſe Sacerdotem, non ſecundùm ordinem Aaronis, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedechi; quia hoc Deus ipſe non modò locutus eſt, ſed etiam iureiurando confirmauit: [c] *Iurauit Dominus, & non pœnitebit illum, Tu es Sacerdos in æternũ, ſecundùm ordinem Melchiſedechi:* at Melchiſedechum panem & vinum ſacrificâſſe, ex Scripturis euinci poſſe negamus. Negamus inſuper Chriſtum vllum vnquam huiuſmodi (id eſt, in ſpecie panis & vini) ſacrificium obtuliſſe, vel Apoſtolis vt offerrent in mandatis dediſſe. 3

[b] *Heb. 7.3.*

[c] *Pſal. 110.*

Digitized by Google

diſſe. Quocirca hæc Melchiſedechi Hiſtoria Sacerdotium veſtrum non aſtruit, ſed deſtruit.

PHIL. Melchiſedechum panem & vinum obtuliſſe teſtatur liber Geneſeos.

ORTH. Liber Geneſeos? Quid ita? Sic ſe habent verba: [a] *Melchiſedechus Rex Salem, proferens panem & vinum:* quo in loco veſtra vulgata verſio legit, proferens, non offerens.

[a] Gen. 14. 18.

PHIL. Rectè, protulit; ſed quem in finem? Nempe vt Deo offerret.

ORTH. Non potes hoc ex Sacroſancto contextu neceſſariò elicere. [b] Ioſephus ait, *Melchiſedechum milites Abrahami hoſpitaliter habuiſſe, nihil eis ad victum deeſſe paſſum.* Tertullianus ait [c], *Abrahamo obtuliſſe panem & vinum.* Ambroſius ait, [d] *Occurrit illi Melchiſedech Sacerdos, & obtulit ei panem & vinum.* Et Andradius veſter, [e] *Ego cum illis ſentiam, qui laſſos Abraha milites, & diuturnâ pugnâ fractos, Melchiſedechum pane vinóque refeciſſe aiunt.* Et Caietanus Cardinalis, [f] *Nihil hîc ſcribitur de ſacrificio, ſed de prolatione, ſeu extractione, quam Ioſephus dicit factam ad reficiendos victores.* His & [g] Sigonius veſter addi poteſt, quem [h] Poſſeuinus Ieſuita corrigendum monet, quòd, *Eraſmum imitatus, dicat Melchiſedech non ſacrificâſſe, ſicuti tenet Eccleſia, ſed panem & vinum protuliſſe.*

[b] Ant. l. 1. c. 11.
[c] Tertul. adu. Iudæos.
[d] L. 4. de ſacramentis c. 3
[e] Def. l. 4. p. 636.
[f] In Gen. c. 14.
[g] Comment. in l. 1 ſacr. hiſt.
[h] Poſſeu. bibliotb. ſel. l. 4. c. 13.

PHIL. [i] *Ioſephus ipſe ſatis indicat conuiuium, quo Melchiſedech Abrahamum eiúſque exercitum excepit, fuiſſe ſanctum & religioſum, & non tantùm profanum vel ciuile. Dicit enim pro proſperitate Abrahami benedixiſſe Deum.*

[i] Champ. p. 610.

ORTH. Benedictio non arguit externum ſacrificium. Dauid in ſingulis ferè Pſalmis benedicit, ſed non toties ſacrificauit, quoties benedixit.

PHIL. [k] *Quia teſtimonium incertum Iudæi, in re ad cultum & religionem ſpectante, contra illuſtriſſimorum Chriſtianitatis profeſſorum clariſſimam authoritatem vrgere non erubeſcis, ad Philonis Iudæi (qui & Ioſepho antiquior fuit, & tam doctrinâ, quàm religionis ſuæ zelo & ſinceritate multum ei præluxit) teſtimonium te remitto, qui, de occurſu Melchiſedechi Abrahamo de prælio redeunti loquens, dicit expreſſè eum ſacrificâſſe, & conuiuio exercitum eius recepiſſe.*

[k] Ibid.

ORTH. Miror ſi non erubuit Champnæus, dum hæc ſcriberet. Quæritur enim an Melchiſedech ſacrificârit panem & vinum. Ad hoc probandum adducit Philonem. Sed quid tandem ille? Sacrificâſſe quidem dicit; non nego. Sed hoc ſacrificium interpretatur de mactatis victimis. Quid hoc ad panem & vinum? Philonem igitur ſi ſequamur, Papiſtarum argumentum à Melchiſedecho ductum, in fumum euanuit.

PHIL. [l] *Præterea, valdè deprauatè Authores tuos refers. Sanctus enim Ambroſius, & Andradius, in illis ipſis locis à te citatis, expreſſam ſacrificij Melchiſedechi (quod tu impudenter negas) mentionem faciunt.* Melchiſedech (inquit Sanctus Ambroſius) *panem & vinum*

[l] Champ. p. 611.

Digitized by Google

vinum obtulit; & non loquitur de oblatione facta Abrahamo, ſed Deo, vt contextum legenti apparebit.

ORTH. Duo hîc mihi (Champnæe) atrocia ſatis intentas crimina; alterum de Melchiſedechi ſacrificio, de authoribus deprauatis alterum. Quòad primum, me hoc ſacrificium *impudenter negare* aſſeris; ſed attende (mi homo.) Hæc quæſtio non eſt tranſigenda clamando, & vociferando, ſed diſputando. Aliud eſt negare, quod ego aliquandò, vbi res poſtulat, facio; aliud impudenter negare, quod tu plærunque ſoles. Tuum erat hoc ipſum ſacrificium ex claris Scripturæ teſtimonijs nobis liquidò oſtendere, & tum demum contra fulgentem veritatem oculos claudentibus impudentiam obijcere. Sed videamus porrò, quàm tu hîc modeſtè & verecundè te geras! Vt igitur ad ſecundam criminationem accedam, me Sanctum Ambroſium & Andradium deprauâſſe conquereris. Ambroſius enim (ſi modeſtiæ tuæ credimus) illo ipſo in loco à me citato expreſſam ſacrificij Melchiſedechi mentionem facit. Itáne verò? Huius ſacrificij? Illo ipſo in loco? Idque expreſſè? Ego ſanè totum illud caput lego, & relego, nec vſpiam mihi occurrit vox ſacrificij: & tamen Champnæus Ambroſium hoc ipſo in loco à me citato, huius ſacrificij expreſſam mentionem facere, aſſerere non erubeſcit, & hoc à me impudenter negari, ipſe impudentiſſimè affirmat. 2°. Quid ſi Ambroſius alibi huius ſacrificij meminerit? An ego vſpiam negaui? Minimè gentium; id tantùm ex Ambroſio aſtruere volui, nempe Abrahamo oblata eſſe panem & vinum: quod eſt veriſſimum, ac ad inſtitutum meum ſufficit. 3°. Champnæus dum me Ambroſium deprauâſſe inſimulat, ipſe miſerè deprauat; ſic ſcribens, *Melchiſedech (inquit Ambroſius) panem & vinum obtulit.* At pace tua (Champnæe) non ſic Ambroſius; ſed hoc modo, de Abrahamo loquens; *Tunc* (inquit) *victor venit, occurrit illi Melchiſedech Sacerdos, & obtulit ei panem & vinum.* Melchiſedech occurrit *illi*, nempè Abrahamo, & obtulit *ei*, id eſt, Abrahamo, panem & vinum. Champnæus tamen has voces, *illi* & *ei*, quæ ſolùm Abrahamum nec quenquam alium demonſtrant, pro ſolita ſua modeſtia eraſit, & expunxit. 4°. Champnæus non ſolùm deprauatè locum citat, ſed & falſâ interpretatione ſenſum Ambroſianum corrumpit. Nam ſtatim addit, non *loqui Ambroſium de oblatione facta Abrahamo, vt textum legenti apparebit*, quo nihil impudentius à quoquam dici potuit. De Ambroſio hactenus, nunc de Andradio.

PHIL. [a] *Andradius etiam, dum vulgarem Bibliorum editionem contra Chemnitium defendit, indéque veritatem Catholicam de Euchariſtiæ ſacrificio eruditè probat, expreſſam ſacrificij Melchiſedechi mentionem facit. Illum vide, lector, ſi libeat,* & huius hominis *malam fidem, in qua à fratribus ſuis non degenerat, deteſtare.* [a] *Champ. p. 612.*

ORTH. Operæ pretium erit, rem totam, quo geſta eſt ordine, breuiter proponere. Chemnitius igitur in examine ſuo ita ſcripſit.

Digitized by Google

ſit: *Sacrificium miſſæ probant* (Papiſtæ) *ex eo quòd vetus tranſlatio habet, Melchiſedech obtulit panem & vinum: erat enim Sacerdos: cùm Hebræus nec verbum oblationis, nec coniunctionem rationalem habeat.* Sic ille. Quid ad hæc Andradius? [a] *De offerendi* (inquit) *vocabulo non eſt, Kemnici, quòd digladiemur, cùm & in correctioribus Latinis exemplaribus, & Sanctis Patribus, qui locum hunc Euchariſtiæ accomodant, extet proferens; & ego cum illis ſentiam, qui laſſos Abrahæ milites, & diuturna pugna fractos, Melchiſedechum pane vinóque refeciſſe aiunt.* Quod perindè eſt, ac ſi dixiſſet, nolle ſe pro ſacrificio, ratione à vocabulo ſiue offerendi, ſiue proferendi petitâ, digladiari. Non vrgebit vocem offerendi, quia correctiores codices legu[illegible]oferens; nec vocem proferendi, quia illis ſuffragatur, qui hanc prolationem factam eſſe volunt ad alendum exercitum.

[a] Quo ſuprà.

PHIL. Nónne expreſſam huius ſacrificij mentionem facit?

ORTH. Non facit quidem hoc in loco, id eſt, dum primam veſtram tangit probationem à Chemnicio propoſitam; neque vi huius vocis, ſiue legamus proferens, ſiue offerens, id probare contendit, ſed paulò pòſt, quum accedit ad ſecundam veſtram probationem quem memorat Chemnicius, crebrò fateor eiuſdem ſacrificij meminit, idémque ex coniunctione cauſali aſtruere conatur. Quamobrem, cùm ego adhuc in examinatione vocis proferendi verſarer, neque ad coniunctionem cauſalem deuentum eſſet, nihil erat vt ego in recitandis Andradij verbis de ſacrificio præponerè verba facerem, de quo nec ipſe quidem hîc meminit, nec vi huius vocis dimicare aut digladiari voluit. Hîc igitur Champnæus ſacrificij mentionem ab Andradio factam, nimis importunè, & intempeſtiuè inculcat, nec quicquam erat vt in me tam furenter inuolaret. Sed antiquum obtinet: nunc, ſi placet, pergamus.

PHIL. Quæ produxiſti teſtimonia, eò tendunt omnia, vt probes panem & vinum ad refocillandum exercitum eſſe prolata. Hoc nos cóncedimus; ſed quid tum poſtea? Ergo non ſunt prolata ad ſacrificium? At hæc ſubordinata ſunt, & ſibijpſis pulchrè cohærent. Vtrunq; enim fieri potuit. *Non negamus* (inquit [b] Bellarminus) *data illa in cibum Abrahæ & ſocijs, ſed dicimus, priùs fuiſſe oblata & conſecrata, & tum data hominibus, vt de ſacrificio participarent.* Itaque hoc non ciuile, ſed ſacrum fuit conuiuium.

[b] Bel. de miſſ. l.1.c.6.

ORTH. Non quæritur quid fieri potuerit, ſed quid factum ſit: neque hoc ex hominum coniecturis, ſed ex diuinis oraculis rimari oportet. Vos enim ex hoc loco noui Teſtamenti, nouum Sacerdotium extruere vultis; par eſt igitur, vt audiamus, non ſic dicunt homines, ſed ſic dicit Dominus.

PHIL. [c] *Nulla erat cauſa cur corporalem refectionem præberet Melchiſedech Abrahæ. Nam, vt Scriptura ibidem habet, redijt Abraham ex prælio cum ingenti præda, in qua etiam erant ea quæ ad cibum pertinent, vt illic dicitur: Immò in fine Capitis additur, Milites Abrahæ cibum ſumpſiſſe, antequam eis occurreret Melchiſedech. Quid igitur opus erat*

[c] Bell. ibid.

Digitized by Google

erat pane & vino ijs qui ſpolijs abundabant, & paulò antè comederant & biberant?

Orth. Illud (paulò antè) eſt fraus Ieſuitica, ad ſuadendum lectori iamiam pranſos eſſe; quod ex contextu non liquet. Nam Abraham, habitans in quercubus [a] Mambre, cùm Lot in captiuitatem abductum eſſe accepiſſet, inſequutus eſt quatuor Reges vſque ad [b] Dan, interuallo milliarium Anglicorum circiter 124. Tum diuiſit ſe ſuper eos nocte ipſe & ſerui eius, & percuſſit eos, & perſequutus eſt vſque ad [c] Hobah, interuallo milliarium circiter 80. Inde reuerſus, vt videtur, [d] Sodomam per milliaria 160. Nam reduxit omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum, qui Sodomæ habitabat. Inde ad vallem [e] Schauæ, non procul à Ieruſalem, vbi illi obuiam factus eſt Melchiſedech milliaribus quaſi 24. Quamobrē verba textus non impediunt, quin putemus iuuenes de ſpolijs comediſſe per aliquot dies, antequam illis occurreret Melchiſedech. Verùm, ſi paulò ante de ſpolijs pranſi eſſent, quid inde? An hoc Melchiſedecho compertum fuit? Vel ſi hoc quoque demus, an tibi conſtat quamdiu apud exercitum ſit commoratus, vel quantum illis cibi potúſque ſupereſſet? Vel ſi amplo ſatis cibariorum pænu inſtructi fuiſſent, ídque probè cognouiſſet Melchiſedech, nónne licet Regi eos conuiuio excipere, quos domi apud ſe ſatis lautam habere ciborum copiam intelligit? Denique ipſa verba Spiritus Sancti nobis fauent. Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum; non dicit Moſes, Melchiſedech Sacerdos, ſed Melchiſedech Rex innüendo hoc conuiuium Regium fuiſſe, non Sacerdotale. Hactenus ciuiles epulas, ſed languidè admodum & ieiunè oppugnâſti; videamus porrò quàm ſolidè ſacras ex ipſo contextu poſſis elicere?

[a] Gen. 14. 13.
[b] v. 14.
[c] v. 15.
[d] v. 17.
[e] Ibidem.

Phil. Panem & vinum ſacrificandi cauſa eſſe prolata, ex ipſa connexione liquet. Siquidem poſt hæc verba, *proferens panem & vinum,* ſubiungit Spiritus Sanctus, *Erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* Quare protulit panem & vinum? Quia erat Sacerdos Dei altiſſimi. Non igitur quatenus erat Rex, ſed quatenus erat Sacerdos. Quis autem neſcit Sacerdotis eſſe ſacrificium offerre? Quocirca ipſum narrationis filum & clauſularum connexio ſatis indicant, ideò prolata eſſe, vt offerri poſſint. 4

Orth. Vt Sacerdotis erat ſacrificare, ita etiam benedicere. Sic ait Dominus, [f] *Alloquere Aaronē & filios eius, dicendo, Sic benedicetote filijs Iſraelis, &c.* Quamobrem cùm Spiritus Sanctus dixiſſet fuiſſe Sacerdotem, ſtatim explicat quânam ratione munere Sacerdotali hic defunctus ſit, ſcilicet, non ſacrificando, ſed benedicendo.

[f] Num. 6. 23.

Phil. Coniunctio cauſalis (enim) mutuam clauſularum dependentiam demonſtrat.

Orth. Vulgata veſtra editio, cui inniteris, errore non caret. In Hebræo contextu non eſt ad verbum, *Erat enim Sacerdos,*

Digitized by Google

[a] Bell. de miſſ. l.1.c.6.
[b] In Bibl. interl.

fatente [a] Bellarmino, ſed, *& erat Sacerdos*, interpretante [b] Aria Montano. Quapropter hæc membra, ſeu inciſa, non ſunt connectenda coniunctione cauſali, ſed copulatiuâ, ac proinde argumentum à coniunctione cauſali ductum euaneſcit.

[c] Bel. quo ſuprà.

PHIL. [c] *Illa particula coniunctiua apud Hebræos frequentiſſimè locum obtinet cauſalis, & verti debet per enim, ſi ſententia eleganter Latinâ phraſi exprimenda ſit: quod Sanctus Hieronymus facere ſolet. Exempla ſunt ad manus, Gen. 20. En, morieris propter mulierem quam tuliſti, habet enim virum: in Hebræo erat, & ipſa habet virum, Gen. 30. Experimento didici, quia benedixerit mihi Dominus; in Hebræo eſt, copulatiua. Eſ. 64. Tu iratus es, & peccauimus, id eſt, quia peccauimus. Vbi apertiſſimè ponitur copulatiua pro cauſali.* Eadem eſt ratio Græcæ particulæ quæ Hebraicæ reſpondet; exempli gratia, verba Angeli iuxta Græcum codicem ſic ſe habent; *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui*; quem locum ſic vertit Beza, *Quia benedictus fructus ventris tui*; quam enallagen, Theophylacti authoritate confirmat.

ORTH. Non id agitur vtrùm hæc particula aliquando ſit rationalis, ſed vtrùm hoc in loco: ſi primariam eius ſignificationem ſpectemus, eſt propriè copulatiua; non negamus tamen quin interdum figuratè ſit rationalis. Cæterum, ſi quis, relictâ propriâ & genuinâ vocis ſignificatione, quæ optimè cohæret, ad figuratam, nullâ vrgente neceſſitate, confugiat, hoc interpretandi genus errore non caret.

[d] Champ. p.614.

PHIL. [d] *In iſto loco à doctiſſimis & antiquiſſimis patribus ſemper ita verſa fuit, vt conſtat ex proprijs eorum teſtimonijs.*

[e] Cyp. Ep.63.
[f] Hier. quæſt. in Gen.

ORTH. Non ſemper Champnæe. [e] Cyprianus hunc locum ſic citat; *Fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit ei.* [f] Hieronymus autem ſic; *Et ipſe Sacerdos Dei excelſi, & benedixit ei.*

[g] Vid. Champ. quo ſuprà.

PHIL. Conſtat etiam [g] *ex vulgari editione, quæ antiquiſſima atque etiam æquiſſima eſt, vtpote multis ſeculis ante exortam aliquam hac de re controuerſiam edita.*

ORTH. Immò, illa, quam ſecutus eſt Cyprianus, fuit antiquior. Sed quorſum ita inſiſtis verſioni Latinæ? Græca 70. Interpretum eſt veſtrâ vulgari longè antiquior, quæ tamen non legit γὰρ, enim, ſed δὲ autem. Græci igitur Patres, quotquot hanc editionem ſecuti ſunt, noſtri ſunt hac in cauſa ad vnum omnes.

[h] Bel. quo ſuprà.

5 PHIL. [h] *In Hebræo codice poſt illa verba, Et erat Sacerdos Dei altiſſimi, inuenitur accentus, quem Hebræi vocant Soph-paſuch, qui indicat, ibi terminari periodum. Quare non poteſt illud (& erat Sacerdos) coniungi cum ſequentibus (& benedixit) ſed debet ſuperioribus illis annecti, (protulit panem & vinum:) Eandem quoque diſtinctionem inuenimus in Chaldæo, & Græco, & Latino textu. Poſitâ autem hâc verâ & communi interpretatione, & diſtinctione orationis, etiamſi nulla adeſſet cauſalis particula, per ſe clamaret oratio panem & vinum prolata*

Digitized by Google

prolata fuiſſe ad ſacrificium. Quorſum enim cum illis verbis (protulit panem & vinum) coniungerent illa (& erat Sacerdos Dei) niſi vt intelligeremus panem & vinum à Melchiſedech Sacerdote prolatum, vt offerretur Deo?

ORTH. Qui ſacræ Scripturæ capitula in verſus diſtribuerunt, rationem ſibi habendam eſſe putârunt tum Muſicæ harmoniæ, tum cuiuſdam etiam paritatis ſeu æqualitatis, ne ſcilicet verſiculus alter alterum longitudine nimis excederet. [a] Vnde vſu venire ſolet, vt prolixior periodus per varios aliquandò verſiculos fluat & continuetur, antequam plenus ſenſus & ſententia abſoluatur. Soph-paſuch autem eſt terminus non ſolùm periodi, ſed etiam verſiculi. Non enim deſunt verſiculi qui ſuum habent Soph-paſuch, licèt, ſenſu adhuc pendente, non ſit abſoluta periodus. Exempli gratia; Gen. 23. poſt verſum 17. idem reperitur Soph-paſuch, quod tamen in vulgatis veſtris Biblijs a Sixto Quinto, & Clemente Octauo editis, non periodo, ſed commate duntaxat exprimitur. Quod minimè tamen mirum videri debet, cùm aliquandò duo capitula ſolo commate diſtinguantur: vt Actorum Capita 19. & 20. tam in Græco, quàm in Latino codice. Iam ad hunc locum Geneſeos quod attinet, in verſione Pagnini à Vatablo edita, apud Delrionem, & in authenticis veſtris Biblijs Sixti Quinti, & Clementis Octaui, Soph-paſuch, cui tantoperè inſiſtis, ſolo commate exprimitur. Addo etiam in quibuſdam vulgaribus ne comma quidem intercedere. Quamobrem interpunctio, hæc verba (& erat Sacerdos) non tam ad antecedentia (proferens panem & vinum) quàm ad conſequentia (& benedixit ei) trahere videtur. Quod ita ſe habere ex Epiſtola ad Hebræos luculenter apparet: in qua Melchiſedechi typus fuſè explicatur; vbi benedictionis meminit Apoſtolus, ſacrificij verò nulla fit mentio. Verùm ſi Hebræam particulam per cauſalem reddendam eſſe, & hæc verba ad antecedentia ſpectare largirer tibi, quid indè lucri tibi accreſceret?

[a] *Buxtorf. theſ. Gram. l.2.c.23.*

PHIL. Id ipſum de quo dimicamus. Sic enim membrum poſterius reddit rationem prioris; quaſi diceretur, Num Melchiſedech panem & vinum protulit? Quid ita? Ratio redditur, quia ſcilicet Sacerdos erat Dei altiſſimi.

ORTH. Si hoc quoque largirer, quid indè efficeres?

PHIL. Ergo hæc prolatio erat actio Sacerdotalis.

ORTH. Aliquo ſenſu; ſed quid poſtea?

PHIL. Ergo ad ſacrificium eſt relata.

ORTH. Non ſequitur. Dici enim poteſt Sacerdotalis, quia Sacerdotem vel maximè decebat. Nam hoſpitio excepit Abrahamum, ratione officij inductus; nempe, quia non ſolùm erat veræ religionis Profeſſor, ſed etiam Sacerdos, quem maximè decet eſſe Hoſpitalem. Vt omnes veram profitentes Religionem, ſe

Digitized by Google

ſe mutuò deligere, beneficijs proſequi, & alterum de alterius fœlicitate gaudere decet, ita Sacerdotem inprimis. Quod Andradium non latuit, qui arctiſſimum religionis vinculum hinc obſeruauit. * *Quis*, inquit, *non miratur hominem, nullis neceſsitudinis vinculis cum Abrahamo conſtrictum, illis verò quos Abrahamus profligauerat vicinitatis, propinquitatis etiam fortaſsè iure finitimum, (Chananæum enim Melchiſedechum fuiſſe multò veriſimilius duco) muneribus Abrahamum, atque officijs fuiſſe proſequutum, & de victoria contra ſuos parta non ſine magna ſuorum inuidia gratulatum? Sed cùm nulla ſint vincula cum religionis vinculis conferenda, illum, inquit Moſes, Abrahamo hac officia præstitiſſe, quia Sacerdos erat Dei altiſsimi; vt omnes intelligerent multò arctioribus fuiſſe cum Abrahamo (qui ſingulari pietatis & religionis laude excellebat) charitatis vinculis copulatum, quàm cum illis, quibus natura & gentilitatis iure erat deuinctus.* Hucvſque Andradius. Quamobrem nulla cogit neceſſitas, vt fateamur panem & vinum à Melchiſedecho fuiſſe ſacrificata. Verba Moſis & lecta, & interſtincta, & ad antecedentia relata, vt vobis placet, ſenſum præ ſe ferunt egregium, interim vt de ſacrificio altum ſit ſilentium.

* Andr. def. de vulg. ed. p. 636.

6 Sed ponamus Melchiſedechum partem panis & vini litâſſe Deo; quid hoc ad veſtrum Sacerdotium?

PHIL. Noſtrum indè Sacerdotium directè & validè confirmatur: veritas enim typo reſpondeat oportet.

ORTH. Vos typum in hoc ſitum eſſe putatis, quòd Melchiſedech panem & vinum ſacrificauerit. Verùm ſiſte parumper; num Chriſtus panem & vinum ſacrificauit vnquam? Vbi hoc in Scripturis legemus? Vbi quæſo hoc te edocuit Spiritus Sanctus?

PHIL. Anima typi eſt repræſentatio, quæ ſita eſt non in interna rei ſubſtantia, ſed in externa ſpecie & accidentibus. Quare licèt Melchiſedech in pane & vino ſacrificauerit, typus tamen non ſpectat panis & vini eſſentiam, ſed externam duntaxat ſpeciem. Quocirca in hoc impletus eſt typus, quòd Chriſtus in cæna vltima Sacroſanctum ſuum corpus & ſanguinem in ſpecie panis & vini obtulerit.

ORTH. Hoc ex Scripturis oſtendi non poteſt, vt ſuo loco infra liquebit. Interim, ſi diſputandi gratiâ fingamus Chriſtum in cæna ſe propriè ſacrificâſſe, quid hoc ad typum? Quid enim obſecro obtulit Melchiſedech? Num panem & vinum quoad ſubſtanſtiam? Ergo Eccleſiæ Anglicanæ communio (ſic enim appellamus cænam Dominicam) hac ex parte màgis refert ſacrificium Melchiſedechi, quàm miſſa veſtra, & per conſequens Miniſterium noſtrum, eiuſdem munus magis exprimit, quàm Sacerdotium veſtrum. Quin ſi ipſius Chriſti corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini à Melchiſedecho oblata eſſe dixeris, hoc

ſanè

ſanè ad inſtitutum veſtrum apertiſſimè quadraret, verùm adeò eſt abſonum, & à ratione alienum, vt ne fingi quidem poſſit. Nam indè ſequeretur, Chriſti corpus & ſanguinem actu & ſubſtantialiter extitiſſe, priuſquam in vtero Virginis conciperetur. Ita quicquid attigeris, vlcus eſt.

PHIL. Si Melchiſedech panem & vinum ſacrificauit, eius ſacrificium fuit incruentum: Chriſtus autem, cùm ſit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedechi, vniuerſa, quæ illi ordini ſunt eſſentialia, habere debet. Chriſtus igitur ſacrificium obtulit incruentum.

ORTH. Immò ſic: Cùm Chriſtus ſit Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedechi, vniuerſa illi ordini propria in illum quadrant. At Chriſti ſacrificium cruentum fuit, non incruentum. Nam [a] *per ſanguinem proprium ingreſſus eſt ſemel in Sanctuarium, æternam redemptionem nactus.* Quocirca incruenti oblatio ſacrificij non eſt ordini Melchiſedechi propria: Et per conſequens, ſi concederemus Melchiſedechum, incruentum obtuliſſe ſacrificium, non indè colligeretur, Chriſto quoque incruentum eſſe offerendum. [a] *Heb.9.12.*

PHIL. Chriſti ſacrificium fuit & cruentum & incruentum: cruentum in cruce, incruentum in Euchariſtia.

ORTH. Synodus veſtra Tridentina affirmat, Chriſtum in Euchariſtia verum ſuum ſanguinem [b] *ſubſtantialiter* obtuliſſe: quomodò igitur erit ſacrificium incruentum? [b] *Seſſ.13.c.1.*

PHIL. Incruentum vocatur, non quòd in eo non verè ſit cruor, ſed vt diſtinguatur ab eodem Chriſti ſacrificio, quod in cruce conficiebatur, non ſine fuſo cruore.

ORTH. Ergo hoc in Euchariſtia, quod dicis ſacrificium, videtur confectum ſine fuſo cruore, ac proindè non erit propitiatoriũ. Nam, ſecundùm Scripturas, [c] *Abſq; ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Et Sanctus [d] Auguſtinus ait, *Chriſti ſanguinem pro nobis effuſum ſingulari & ſolo vero ſacrificio.* Quapropter hoc miſſæ ſacrificiũ, in quo cruor non effunditur, non eſt Auguſtino verum ſacrificium. [c] *Heb.9.* [d] *Aug. contra adverſ. leg. & Proph. l.1.c.18.*

PHIL. Immò in miſſæ quoque ſacrificio cruor effunditur. Non enim dicitur incruentum quoad rem, ſed quoad modum: quoad rem verè cruentum, quia ibi eſt verus Chriſti ſanguis, íſque effuſus, ſed modo quodam incruento.

ORTH. Si per modum incruentum intelligas modum myſticum & Sacramentalem, non abnuo: quia effuſio ſanguinis Chriſti in cruce erat realis, in cæna myſtica duntaxat, & Sacramentalis.

PHIL. Immò realiter & ſubſtantialiter effunditur in cæna, licèt incruentè, nempè, ſub ſpecie panis & vini.

ORTH. [e] Scriptura dicit, Chriſtum *vnicâ oblatione conſecraſſe in perpetuum eos qui ſanctificantur.* Vnicâ (inquam) oblatione, nempè ſanguinis ſui, quem Scriptura appellat [f] *ſanguinem crucis*; non ſanguinem Euchariſtiæ, ſed ſanguinem crucis. [e] *Heb.10.14.* [f] *Col.1.20.*

PHIL. An negaturus es ſanguinem & ſacrificium in Euchariſtia exiſtere?

ORTH. Non nego: ſed Chriſtum adhibeo Interpretem, qui dixit, *Hoc facite in mei recordationem*: ergo in Euchariſtia eſt Chriſti (id eſt, corporis & ſanguinis eius, pro nobis ſemel in cruce effuſi, & Deo Patri pro ſacrificio oblati & ſacrificati) memoriale. Ergo in cruce erat vera, realis, propria, & ſubſtantialis ſanguinis effuſio, in Euchariſtia impropria, myſtica, memorialis, & repræſentatiua, vt ſuo loco infrà luculentiùs patebit.

7 PHIL. [a] *Eſt etiam alia differentia inter Sacerdotium Melchiſedechi & Aaronis, quòd illud fuit vnius tantùm hominis, qui non ſucceſſit alteri, & cui non ſucceſſit alter: iſtud autem fuit multorum, qui per mortem ſibi inuicem ſuccedebant.*

[a] Bell. de miſſ. l. 1. c. 6.

ORTH. Rectè tu quidem. Nam [b] *alij plures facti ſunt Sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur permanere, hic autem in eò quòd manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis.* Hinc Sacerdotij Melchiſedech duæ naſcuntur proprietates, vnitas & æternitas; quarum vtraque in Chriſtum aptiſſimè quadrat. 1ª. Quia vnus & ſolus ſe Patri ſacrificium grati odoris pro nobis exhibuit. Hæc veſtris Sacerdotibus non competit, quippe qui multi ſunt, & per mortem ſibi inuicem ſuccedunt. Si multi eſſent noui Teſtamenti Sacerdotes ſecundùm ordinem Melchiſedech, vnitas non eſſet huius Sacerdotij propria; vel ſi ſit propria, veſtros funditùs euertit Sacerdotes, qui, cùm ſint multi, non poſſunt eſſe ſecundùm ordinem Melchiſedech. Hæc obiter de vnitate, quam Bellarminus cautè admodum ſilentio obuoluit: nunc de æternitate.

[b] Ad Hebr. 7. 23. 24.

PHIL. Si Chriſti Sacerdotium ſit æternum, eiuſdem ſacrificium erit æternum. Omnem enim Sacerdotem ſacrificium habere oportet, niſi fortè otioſum habeat Sacerdotium. At ſacrificium crucis non eſt æternum; nam ſemel tantùm eſt oblatum, nec ampliùs repeti poteſt, cùm Chriſtus, iam iterum mori nequeat: Ergo aliud ſacrificium eſſe oportet noui Teſtamenti, quod iugiter offeratur. Nullum autem eſſe poteſt præter ſacrificium miſſæ: illud igitur iugiter eſt offerendum, vt Chriſti ſacrificium ſit æternum. En tibi Sacerdotium noſtrum clariſſimè probatur.

8 ORTH. Probatur? Quî tandem? Scriptura dicit Chriſtum, [c] *eò quòd manet in æternum, ſempiternum habere Sacerdotium.* Manet in æternum? Quiſnam ille? Chriſtus ipſe; Chriſtus in propria perſona; is manet in æternum. Et quia manet in æternum, ideò ſempiternum habet Sacerdotium. Quare veſtris non opus habet Sacerdotibus, per quos eius ſacrificium maneat in æternum. Chriſtus ipſe eſt Sacerdos in æternum; primò, ratione ſacrificij, ſecundò, ratione interceſſionis. Ratione ſacrificij, quod, ſemel tantùm oblatum, manet in æternum, non quidem quoad actum tranſeuntem,

[c] Hebr. 7. 24.

Digitized by Google

tem, ſed quoad virtutem ſempiternam, & per omnia ſecula efficacem. Nam vt Chriſtus eſt [a] *Agnus occiſus ab origine mundi*, ita eſt [b] *Ieſus Chriſtus heri, & hodiè, ipſe, & in ſecula.* [c] Neque per ſanguinem *hircorum, & vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in Sancta, æterna redemptione inuenta.*

[a] Apoc.13.8.
[b] Heb.13.8.
[c] Heb.9.12.

Phil. Quatenus eſt Sacerdos in æternum, neceſſe eſt vt habeat ſacrificium quod in æternum offerat: at nullum reſtat ſacrificium in propria perſona offerendum, ergo per alios offerat oportet.

Orth. [d] Anglo-Rhemenſes veſtri affirmant, Chriſtum vel *à primo conceptionis momento* Sacerdotem fuiſſe. Contra quod fingamus quempiam ſic diſputare. Si fuit Sacerdos, certè & ſacrificium obtulit, quia otioſum non habuit Sacerdotium: at in vtero Virginis ſacrificium non obtulit, ergo tunc non erat Sacerdos. Vel ſic. Ante annum ætatis triceſimum quartum, ſacrificium non obtulit, ergo antè illud tempus non fuit Sacerdos. Quid hîc reſponderes?

[d] Angl.in Heb. 5.6.

Phil. Reſponderem iam tum verè fuiſſe Sacerdotem, ratione ſacrificij corporis & ſanguinis ſuo tempore offerendi.

Orth. Si vel in vtero Sacerdos dici potuit, ratione futuri in cruce ſacrificij; cur non pari ratione vſque ad mundi conſummationem, hoc titulo ornari poterit ratione eiuſdem ſacrificij iam in cruce peracti? Porrò, vt eſt Sacerdos in æternum propter æternæ virtutis ſacrificium; ita propter perpetuam interceſſionem. Etenim officij Sacerdotalis duæ ſunt partes; redemptio, & interceſſio. A ſummo enim noſtro Pontifice duo requirebantur; primum, vt nobis redemptionem ſuo ſanguine acquireret; ſecundum, vt pretioſa eius merita ſuâ nobis interceſſione applicaret; Quæ ambo à Sancto Iohanne pulchrè inter ſe aptata ſunt & connexa. [e] *Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem, Ieſum Chriſtū iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.* Quis eſt Aduocatus noſter? Is ſcilicet, cuius ſanguis in cruce oblatus eſt, propitiatio pro peccatis noſtris; ipſe eſt Aduocatus noſter, qui & cœli ſacrarium eſt ingreſſus, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis. *Quis nunc intentabit crimina aduerſus electos Dei?* [f] *Chriſtus eſt qui mortuus eſt, immò verò qui etiam excitatus eſt, qui eſt ad dextram Dei, qui poſtulat pro nobis.* Cùm igitur talem habeamus Pontificem, ſublimiorem cœlis factum, qui ſemper viuit, vt ſemper interpellet pro nobis, hoc reſpectu verè dici poteſt Sacerdos in æternum, nec veſtris indiget miſſificantibus ſacrificulis, ad eius continuandum ſacrificium. Ex his manifeſtò conſtat, veſtrum ſacrificans Sacerdotium in typo Melchiſedechi fundari non poſſe.

[e] 1.Ioh.2.1,2.
[f] Rom.8.33.

Quod adhuc clariùs & illuſtriùs redditur ex Epiſtola ad [g] Hebræos; in qua Apoſtolus hunc Melchiſedechi typum ſigillatim & copioſè enucleat, vllius tamen ab eo oblati ſacrificij ne meminit quidem: ſed rem totam his membris explicat. 1°. Melchiſedech,

[g] Cap.7. 9

dech, ſi interpreteris, eſt Rex iuſtitiæ; & in hoc geſſit typum Ieſu Chriſti, qui eſt [a] Iehoua iuſtitia noſtra. 2°. Melchiſedech erat *Rex Salem*, id eſt, *pacis:* Ita Ieſus Chriſtus eſt [b] *Princeps pacis*, & [c] *pax noſtra, &c.* 3°. Melchiſedech erat tum Rex, tum Sacerdos; ita & Chriſtus. 4°. Melchiſedech benedixit Abrahæ; & benedictio Dei per Ieſum Chriſtum in Abraham & omnes filios Abrahæ, id eſt, in omnes credentes deſuper defluxit, adeò vt ad vnum omnes cum Apoſtolo in hæc verba erumpere debeamus; [d] *Benedictus Deus Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nobis in omni benedictione ſpirituali, in cœleſtibus, in Chriſto.* 5°. Melchiſedech ab Abrahamo, & per conſequens ab ipſo Leui, qui adhuc in Abrahami lumbis fuit, accepit decimas; quo ſignificatum fuit, Chriſti Sacerdotium ſecundùm ordinem Melchiſedech, Sacerdotio Aaronico longè præcellere. 6°. Melchiſedech erat ſine patre, ſine matre, ſine cognatione; non ſimpliciter, ſed ratione ſilentij Scripturarum, quæ eundem ſubitò ac derepentè, tanquam è machina, introducunt, nec, vt in cæteris plærunque hominibus, aut patris aut matris, aut cognationis eius meminerunt, ſed hâc ipſâ reticentia Chriſtum typicè repræſentant, qui, quatenus erat homo, fuit ſine patre, quatenùs Deus, ſine matre, aut cognatione. 7°. Melchiſedech neq; initium dierum, neque finem vitæ habuit, ſcilicet, in Scripturis expreſſum. Nam Spiritui Sancto hæc reticere viſum eſt, vt, vel hac ex parte, typus eſſet Ieſu Chriſti, qui Deus eſt ab æternitate in æternitatem. Ita Sacra Scriptura hunc typum dilucidè & ſigillatim euoluit, de Melchiſedechi tamen ſacrificio ne vnum verbum quidem attexit, quod ſanè illuſtre eſt documentum, merum eſſe ſomnium, & humani cerebri figmentum.

[a] Ier. 23. 6.
[b] Iſa. 9. 6.
[c] Eph. 2. 14.
[d] Eph. 1. 3.

Phil. Apoſtoli ſilentium rationem ſatis ſolidam ad hoc euertendum non ſuppeditat. Nam cauſam exponit, cur multa de Melchiſedecho explicatu difficilia omittere ſit coactus. [e] *De quo nobis grandis ſermo & ininterpretabilis ad dicendum, quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum. In his multis* (vt rectè obſeruant noſtri [f] Anglo-Rhemenſes) *ſine dubio Sacramenti & ſacrificij Altaris myſterium, quod miſſa nuncupatur, erat palmarium, & ad inſtitutum pertinens.*

[e] Heb. 5. 11.
[f] Anglo-Rhem. in illum locum.

Orth. 1°. Apoſtolus ſe hæc difficilia omittere non dicit, neque enim omiſit; ſed capitibus ſequentibus, præſertim autem capite ſeptimo, enodauit, & enucleauit: Verùm de difficultate, eiuſque cauſa, nempe ipſorum ſegnitie, præmonere voluit, vt, ſocordiâ penitùs excuſſâ, ad audiendum alacriores reddantur. 2°. In his myſterijs abſtruſioribus, quæ innuit Apoſtolus, miſſam eſſe numerandam, gratis dicitur; id enim neque ex hoc, neque ex vllo alio ſacræ Scripturæ loco aſtrui poteſt.

Phil. [g] *Non erat rationi conſentaneum, vt Apoſtolus multis verbis de illo ſacrificio quod Chriſti mortem repræſentabat, apud eos ageret, qui de ipſa Chriſti morte non rectè ſentiebant.*

[g] Anglo-Rhem. ibid.

Orth.

Digitized by Google

ORTH. Hebræos, ad quos ſcribit Paulus, de Chriſti morte non rectè ſenſiſſe quî conſtat? Nam licèt ob audiendi ſegnitiem eos meritò obiurget, non deſunt tamen præclara elogia quibus eos ornandos cenſuit. Appellat enim [a] *ſanctos fratres, cæleſtis vocationis participes*. Et alibi teſtatur, eos [b] *miniſtrâſſe Sanctis, & adhuc miniſtrare*, ídque *in nomine Ieſu Chriſti*. Cæterùm, ſi fortè Hebræi de Chriſti morte malè ſentirent, at, vt alios omittam, Romani & Epheſij Orthodoxam de hoc myſterio tuebantur ſententiam; Si igitur Hebræi huius doctrinæ, tam altæ & ſublimis, capaces non erant, mirum tamen quòd Romanos hanc doctrinam, tam arcanam & neceſſariam, cælare voluiſſet. Vel ſi Paulus tacuiſſet, ſtupendum tamen, quòd nec Petrus, nec quiſquam Apoſtolorum illam literis conſignaret. Nos enim non modò Pauli Apoſtoli, ſed omnium Apoſtolorum & Prophetarum ſilentio nitimur. Nullum extat in toto volumine Biblico verbulum, quo euinci poſſit Melchiſedechum, incruentum panis & vini ſacrificium offerendo, typum Ieſu Chriſti geſſiſſe. Quod ſanè ſilentium in re tanti ponderis & momenti, eſt inſtar ſonantis tubæ, vel canori litui, toti terrarum orbi promulgantis hoc papale & miſſificans Sacerdotium purum putum eſſe humani ingenij commentum, quod in ipſa radice vndè exortum eſt, flacceſcet. Nam *omnis planta quam Pater cæleſtis non plantauit, eradicabitur*.

[a] Heb. 3. 1.
[b] Heb. 6.

PHIL. [c] Champnæus hanc tuam petulantiam ſatis animoſè coercet & contundit.

[c] Champ. p. 613.

ORTH. Iraſcitur & tumultuatur, atque excurrit ad locum communem de hæreticorum cæcitate; ſed quid hoc ad propoſitum?

PHIL. Immò Sacerdotium noſtrum probat ex hoc ipſo loco Pauli, qui Sacerdotium Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedechi inculcat; & tu ipſe fateris Melchiſedechum in hoc præfigurâſſe Chriſtum, quòd eſſet Sacerdos. Quis igitur, [d] *niſi vel ignorantiâ ſtupidus, vel peruicaciâ penitùs occæcatus, Scripturam nihil de ſacrificio Melchiſedechi loqui affirmaret; quandoquidem Sacerdotium & ſacrificium non minùs, vt omnes norunt, ſe mutuò inferunt quàm paternitas & generatio?*

[d] P. 612.

ORTH. Huc redit vis argumenti: Sacerdotium, & ſacrificium ſunt relata: Ergo poſito Sacerdotio, ponitur ſacrificium: ſed Scriptura teſtatur, Melchiſedechum habuiſſe Sacerdotium; Ergo ex Scriptura conſtat habuiſſe ſacrificium. Eſto: ſed tota hæc argumentatio aberrat à ſcopo. Non enim quæritur, an Melchiſedech habuerit ſacrificium, ſed an conſtet ex Scripturis, eum ſacrificâſſe panem & vinum? Quid? An ſic diſputabit Champnæus? Melchiſedech obtulit ſacrificium, ergo panem & vinum. At ſic à genere ad ſpeciem non ſequitur argumentum. Ita Champnæus ſudat quidem, ſed nihil proficit.

PHIL. [e] *Oſtendite ergo nobis ex ſacra Scriptura rem aliquam vel actionem*

[e] Champ. p. 612.

Digitized by Google

actionem, in qua ſingulare hoc Melchiſedechi Sacerdotium, vel eius exercitium conſiſtere potuit; quod, cùm ſacrificium eius in pane & vino reijciatis, non magis vobis eſt poſſibile, quàm ſolem digitis veſtris è cœlo euellere.

ORTH. Oportet nos ſapere ad ſobrietatem. Quare cùm Spiritus Sanctus hunc typum nobis explicare dignatus ſit, in eius ſententia acquieſcimus.

[a] Champ. ibid.

PHIL. [a] *Tria, quæ ad Sacerdotale munus ſpectare videntur, Melchiſedechum geſſiſſe teſtatur Scriptura. 1. Panem & vinum protulit. 2. Abrahamo benedixit. 3. Decimas ab eo accepit. Duo verò poſteriora Aaronis Sacerdotio communia ſunt*; vt conſtat, Num. 6. & Heb. 7. ergo ſolùm primum Melchiſedechi ſacrificio peculiare fuit.

ORTH. Quæ hæc demum eſt inſania? Quod reticuit Spiritus Sanctus in explicatione huius typi, nec vnquam prodidit, id cupidè arripitis: quod ſacris Literis conſignauit, id ſuperciliosè reijcitis. Sed ita eſt Papiſtarum genius. Apoſtolus, dum Melchiſedechi Abrahamo occurrentis typum enucleat, panis & vini ne meminit quidem; horum tamen oblationem, tanquam ritum huius ordinis peculiarem pleno ore decantatis: benedictionem verò, ac decimarum acceptionem clarè, diſertè, expreſſè commemorat; vtrunque tamen ab hoc honore excluditis.

PHIL. Hæc duo Aaronis Sacerdotio ſunt communia.

ORTH. Sacerdotes Leuitici benedixerunt quidem; ſed quibus tandem? Filijs Iſraelis. Melchiſedech verò benedixit quoque; ſed quibus demum? Non ramis modò, ſed radici etiam; ipſi (inquam) Abrahamo, ac filijs eius, & in his ipſi Aaroni, qui adhuc erat in lumbis Abrahami: hæc benedictio erat Sacerdotij Melchiſedechiani; de decimarum acceptione idem planè eſt dicendum. Hæc igitur, hoc modo intellecta, ſunt ordini Melchiſedechiano propria & peculiaria: at illud primùm, ſi Scripturas conſulamus, nullo modo.

[b] Champ. p. 630.

PHIL. [b] *Ex ſacra Scriptura habemus. 1°. Melchiſedechi Sacerdotium. 2°. Peculiarem Sacerdotij eius ordinem, diſtinctum ab ordine Aaronis. 3°. Habemus ex ſacra Scriptura, à Sanctis patribus interpretata, Melchiſedechi ſacrificium in pane & vino, tanquam proprium peculiaris Sacerdotij ſui actum & ritum. 4°. Habemus ex Scriptura, quòd Chriſtus Dominus fuerit Sacerdos ſecundùm peculiarem ordinem Melchiſedechi. 5°. Habemus quòd Apoſtolis ſuis (& eorum ſucceſſoribus) & mandatum & poteſtatem dederit illud idem faciendi, quod ipſe (dum iuxta ritum ordinis Melchiſedechi obtulerit) fecit. Similem iam ex ſacra Scriptura, per antiquos Patres interpretata, deductam probationem pro inani Proteſtantium Miniſterio libens viderem.*

ORTH. Muneris noſtri Miniſterialis finis eſt, vt homines Deo reconcilientur, & remiſſionem peccatorum conſequantur. Media, quibus ad hunc finem adipiſcendum vtimur, ſunt verbi prædicatio, ac baptiſmi, & ſacræ cœnæ adminiſtratio; quæ omnia

ex

Digitized by Google

ex ſacris Scripturis clariſſimè probantur. Nónne noui Teſtamenti Miniſteriū appellatur [a] *Miniſterium reconciliationis?* Nónne [b] Chriſtus dixit, *Quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt?* Nónne idem dixit, [c] *Docete, baptizantes: &* [d] *Hoc facite in mei recordationem?* At Sacerdotium veſtrum miſſificans, omni Scripturarum authoritate destituitur. Tu tamen, vt nobis fucum facias, Scripturas ad pompam magis, quàm ad pugnam producis. Ex quinque illis, à te iam iactis fundamentis, tertium eſt planè putridum. Sed quorſum alia haberi ex ſacra Scriptura, hoc tertium haberi *ex ſacra Scriptura à Sanctis Patribus interpretatâ* affirmas? An quia illa alia, ex ſola Scripturarum luce ſatis ſunt illuſtria, hoc autem, niſi hominum accedat authoritas, à Scripturis omninò colligi non poteſt? Seponantur igitur opiniones humanæ, & actum erit de veſtro Sacerdotio.

[a] 2.Cor.5.18. [b] Ioh.20.23. [c] Mat.28.19. [d] Luc.22.19.

Phil. Siccíne vos Patrum authoritatem eleuare? 10

Orth. Non eleuamus, ſed quo decet honore proſequimur. Patres enim legimus, vt ſe legi volunt, id eſt, factâ perpetuâ collatione cum ſacris literis. Cum his quicquid in eorum ſcriptis congruit, cum eorum laude amplectimur, quicquid non congruit, cum eorum pace relinquimus. Sed noli tibi nimiùm de Patribus polliceri. Vt vobis hac in cauſa aduerſantur Scripturæ, ita Patres, ſi rectè intelligantur.

Phil. Nónne patres Melchiſedechi panem & vinum, Euchariſtiæ typum conſtituunt? Quâ tandem in re, ſi tollatur ſacrificium?

Orth. 1°. Quidam Patres non dicunt, quòd Melchiſedech panem & vinum Deo obtulerit, ſed Abrahamo. 2°. Qui dicunt hæc eſſe ſacrificium Deo oblatum, intelligi poſſunt de ſacrificio Euchariſtico, & non de Ilaſtico.

Phil. [e] *Sit ita: hoc nobis abunde ſufficit ad ſtabiliendum verum ac proprium in nouo Teſtamento ſacrificium.*

[e] Champ.p.626.

Orth. Itáne verò? An quia Melchiſedech ſemel obtulit Sacrificium Euchariſticum, idcirco erit in nouo Teſtamento ſacrificium Ilaſticum, quod iugiter ſit offerendum? Quale eſt hoc argumentum? 3°. Si Patrum antiquorum aliqui dicant ipſum obtuliſſe ſacrificium propitiatorium, non tamen inde ſequitur, in Euchariſtia eſſe ſacrificium propriè propitiatorium. Nam ſi qui ita loquantur, illi duplicem panis & vini oblationem poſſunt ſtatuere; alteram Deo factam, per modum ſacrificij; alteram Abrahamo & exercitui, per modum conuiuij. Prior Chriſtum in cruce oblatum reſpicere potuit, poſterior Euchariſtiam.

Phil. [f] *De propitiatorio etiam, Patres intelligi debere, ipſe negare non audes.* Id enim [g] *Patres aliquos docuiſſe ingenuè agnoſcis.*

[f] Ibid. [g] Ibid. paulò pòſt.

Orth. Egóne verò? Immò contrarium planè affirmo: ſacrificium panis & vini propitiatorium eſſe non poteſt, quoniam [h] *ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio.* Sed quâ ratione ductus me hoc agnoſcere aſſerit Champnæus? An quia dixi, ſi aliqui Patres dicant ipſum

[h] Heb.9.22.

Digitized by Google

ipſum propitiatorium ſacrificium obtuliſſe? O nobilem dialecticum! cuius arte mirabili quod à me dicitur hypotheticè, ſtatim arripitur tanquam diceretur categoricè. 4°. Veſtrum Papiſticum & miſſaticum ſacrificium Tranſubſtantiationem præſupponit, quę Chriſti inſtituto de celebranda Euchariſtia planè repugnat, vt ſuo loco patebit. Quamobrem antiqui Patres, qui Euchariſtiam ſecundùm Chriſti inſtitutum intelligunt ac interpretantur, de Tranſubſtantiationis autem vel re, vel nomine nihil vnquam audiuerant, hunc Melchiſedechi typum ad ſacrificium Tranſubſtantiatum, quod vos facitis, referre non poſſunt.

[a] Champ. p. 628. PHIL. [a] *Fugis Maſone, fugis quæſtionem. Quid tibi rei eſt impræſentiarùm cum Tranſubſtantiatione? Diſputatio noſtra eſt vtrum, iuxta Sanctorum Patrum doctrinam, Scriptura ſacra de panis & vini ſacrificio à Melchiſedecho oblato, mentionem aliquam faciat nécne; quare igitur fugis tu ad Tranſubſtantiationem?*

ORTH. Diſputatio noſtra eſt de Miniſterio Anglicano; quod tu eo nomine oppugnas, quia non verſatur in ſacrificando. Hoc autem neceſſarium eſſe contendis, ratione à Melchiſedechi typo deductâ, quem tu ſacrificâſſe panem & vinum ex Patribus probare conaris, idque in figuram Chriſti Euchariſtiam celebrantis, vt inde euincas Chriſtum in cæna ſacrificâſſe; & per conſequens, Miniſtris Euangelicis hoc munus impoſuiſſe, quia Chriſtus mandauit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, vt idem facerent quod ipſe fecit. Hîc ego reſpondeo, Patres, licèt Melchiſedechum ſacrificâſſe putent, veſtras tamen partes non agere. Sacrificium enim, pro quo vos dimicatis, eſt Tranſubſtantiatum; quod omnes Patres latuit. Quare cùm Patres Euchariſtiam intelligerent, ſecundùm Chriſti inſtitutum, (id eſt, Sacramentaliter, non Tranſubſtantialiter; & de ſacrificij recordatione, repræſentatione, ſeu commemoratione, non de propriè dicto ſacrificio vt ſuo loco liquebit) certè veſtrum ſacrificium nullo modo propugnant, ſed oppugnant potiùs. Nónne hoc eſt directè reſpondere, & vobis in faciem reſiſtere? Tu tamen Champnæe, hanc reſponſionem tergiuerſationem & fugam interpretaris. At, mi homo, hoc non eſt fugere, ſed te tuóſque fugare, & fugientium dorſis acuta ſpicula infigere.

11 PHIL. Tu de Patribus in genere tantùm agis. At [b] Champnæus ad ſingulos deſcendit, ex quibus hæc clariſſima producit teſtimonia. Sanctus [c] Cyprianus, Epiſcopus & Martyr, qui ante annos 1300. vixit, ita ſcribit: *In Sacerdote Melchiſedech ſacrificij Dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundùm quod Scriptura diuina teſtatur, & dicit: & Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum: fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus Sanctus, ex perſona Patris ad Filium dicens: Ante Luciferum genui te; Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech. Qui ordo vtique hîc eſt de ſacrificio illo veniens, & inde deſcendens, quòd*

[b] P. 604.
[c] Cypr. Ep. 63.

Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quòd panem & vinum obtulit, quòd Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus? Qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem? Et addit; *Vt ergo in Geneſi per Melchiſedech Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſit ritè celebrari, præcedit antè Imago ſacrificij Chriſti, in pane & vino ſcilicet conſtituta, quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit.* Hucuſque Cyprianus. Vndè ſic [a] Champnæus: *Quid ad iſta reſpondebunt noui noſtri Magiſtri? Nihil aliud, niſi quòd Sanctus Cyprianus ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini (in quibus etiam Melchiſedech, iuxta cuius ordinem Chriſtus dicitur Sacerdos, ſacrificium obtulit) adeò expreſsè docens, Papiſmo plurimum ſaueat, & parum abeſt, quin Papiſtam eum dicant.* [a] P. 605.

ORTH. Ne metuas. Hæc verba Proteſtantibus magis fauent quàm Papiſtis. Nam primò, licèt ſacra cæna à Cypriano vocetur ſacrificium, perindè ac à reliquis Patribus, non tamen ità appellatur propriè, ſed quia eſt vnici illius Sacrificij, in ara crucis facti, memoriale & repræſentatio; vt ſuo [b] loco ex ipſis Patribus demonſtrabitur. Id quod Cyprianus ipſe in verbis à te citatis videtur agnoſcere, dum ſacram cænam indigitat *Sacrificij Dominici Sacramentum*, id eſt, ſacrum Symbolum: ac proindè, cùm dicit, Chriſtum obtuliſſe Deo Patri panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem, nihil aliud intelligit, quàm Chriſtum, in panis & vini Symbolis, corporis & ſanguinis ſui Sacramentum inſtituiſſe. 2°. Hæc verba, ſi propriè ſumantur, veſtræ doctrinæ repugnant, quæ ſtatuit, poſt verba conſecrationis nullum ſupereſſe panem, nullum vinum; idcirco, iuxta veſtram doctrinam, Chriſtus non obtulit panem & vinum, ſed ipſiſſimum ſuum corpus & ſanguinem, in ſpeciebus panis & vini: At Cyprianus affirmat obtuliſſe *idem quod Melchiſedech*, id eſt, panem & vinum. 3°. Cyprianus, dum panem & vinum Chriſti corpus & ſanguinem appellat, noſtras planè agit partes, & vobis aduerſatur. Neque enim fieri poteſt, vt iſtæ propoſitiones, *panis eſt corpus Chriſti, vinum eſt ſanguis Chriſti*, ſint veræ, niſi tropicè ſumantur, fatente [c] Bellarmino. Denique quòd affirmat Champnæus ſacrificium corporis & ſanguinis Chriſti, ſub ſpeciebus panis & vini hîc à Cypriano expreſsè doceri, eſt non leuiter adumbratum, ſed viuis ſuis coloribus expreſſum mendacium.

[b] Huius libri cap. 8.

[c] De Euch. l. 1. c. 1.

PHIL. Nónne Cyprianus his verbis Melchiſedechi ſacrificium agnoſcit, atque in eo ipſum typum conſtituit?

ORTH. Duo hîc perpendere oportet; ſacrificium, & typum. Sacrificaſſe Melchiſedechum, multæ rationes Patribus ſuadere poterant. 1°. Melchiſedechi, addo etiam & Abrahami, pietas & religio.

Digitized by Google

religio. 2ª. Munus Sacerdotale. 3ª. Mos antiquorum, quibus, poſt partam victoriam, ſacrificare erat in vſu poſitum. Denique, ne conuiuia quidem egregia ſine ſacrificio iniri ſolebant. Quare ſi hæc opinio proponatur tantùm vt coniectura humana, hunc honorem Patribus delatum eſſe volumus, vt eandem, tanquam non improbabilem, amplectamur: verum ſi obtrudatur, vt dogma Theologicum neceſſariò credendum, penitùs repudiamus, quia fundatur tantùm in humanis duntaxat coniecturis, non in diuinis Scripturis. Iam accedo ad typum; per quam vocem ſi intelligatur allegorica Hiſtoriæ accommodatio, humano ingenio appoſitè excogitata, agnoſco hîc huiuſmodi typum exiſtere poſſe non inconcinnum: Nam vt Melchiſedech ſanctificatum panem dedit Abrahamo & ſocijs eius, in nutrimentum corporale: ita Chriſtus in Euchariſtia dat benedictum panem & vinum omnibus Abrahami filijs, in nutrimentum ſpirituale. Verùm ſi ita intelligatur typus, quaſi hæc accommodatio ad Euchariſtiam eſſet genuinus Spiritus Sancti ſenſus, hoc admitti non poteſt; quoniam Apoſtolus, hunc typum ex inſtituto copioſè applicans, nihil habet huiuſmodi. Quod verò ex hoc typo colligunt Papiſtæ, nempè, vt Melchiſedech panem & vinum ſacrificauit; ita Chriſtus in Euchariſtia corpus ſuum & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini, Deo Patri ſacrificium obtulit, id tam Scripturis quàm Patribus repugnat. Nam Euchariſtiam ſacrificium appellant, non propriè, ſed quia veri illius Sacrificij, in ara crucis facti, eſt memoriale. De Cypriano diximus.

12 PHIL. [a] *Sanctus etiam* [b] *Auguſtinus, aliud Eccleſiæ Africanæ lumen idem, docet: Iurauit Dominus* (inquit) *& non pænitebit eum; quibus verbis immutabile futurum eſſe ſignificat quod adiungit; Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech, ex eo quòd iam nuſquam eſt Sacerdotium & ſacrificium ſecundùm ordinem Aaron; & vbiq; offertur* (aduerte iſta verba, vbique offertur) *ſub Sacerdote Chriſto, quod protulit Melchiſedech, quandò benedixit Abraham. Quis ambigere permittitur de quo iſta dicantur?*

[a] Champ. p. 605.
[b] De ciu. Dei. l. 17. c. 17.

ORTH. Id quod protulit Melchiſedech, *vbique offerri* dicitur; non quaſi panis & vinum ſint propriè oblata pro peccatis mundi (id enim nemo ſatis ſanus eſt dicturus) ſed 1°. quia panis & vinum à populo ad vſum Sacramentalem vbiq; offerebantur; 2°. quia ipſum Sacramentum quod in pane & vino benedicendis, conſecrandis, diſtribuendis vbique celebratur, oblatio à Patribus dici ſolet.

13 PHIL. [c] *Sanctus quoque Ambroſius Mediolanenſis, Sancto Auguſtino aliquantulum antiquior (ſi tamen illorum Commentariorum ille fuit author) non minùs eſt in hac quæſtione clarus, dicens,* [d] *Huius ordinem Sacrificij, per myſticam ſimilitudinē, Melchiſedech iuſtiſſimus Rex inſtituit, quandò Domino panis & vini fructus obtulit. Conſtat enim pecudū victimas perijſſe, quæ fuerunt ordinis Aaron, non Melchiſedech: ſed hoc manere potiùs inſtitutum, quòd toto orbe in Sacramentorum erogatione celebratur.*

[c] Champ. p. 606.
[d] In c. 5. ad Heb.

ORTH.

Orth. Hæc eſt genuina huius loci ſententia. Vt Melchiſedech obtulit, vel ſacrificauit panem & vinum; ita oblatio, vel ſacificium (intelligit autem ſacram cœnam, tropicè loquendo, vt alij patres) per totum orbem celebratur in pane & vino.

Phil. [a] *Clemens Alexandrinus, qui vixit ante annos* 1400. *eandem habet doctrinam, in his, paucis quidem, ſed ſatis claris verbis:* [b] *Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei altiſſimi, qui panem & vinum ſanctificatum dedit nutrimentum in typum Euchariſtiæ.*

[a] Champ. ibid.
[b] L. 4. Strom. ad finem.

Orth. Tria dicit. 1°. panem & vinum fuiſſe ſanctificata. 2°. hæc ipſa data eſſe in nutrimentum Abrahamo & militibus eius. 3°. hoc conuiuium fuiſſe typum Euchariſtiæ. Quorum tertium, ſenſu quem paulò antè diximus, ſatis concinnè quadrare poteſt. Secundum omni caret controuerſiâ. Primum autem?

Phil. Immò primum pro nobis facit. Clemens enim elementa ſanctificata eſſe dicit, id eſt, vt ego interpretor, ſacrificata.

Orth. 1°. Pace tua, hæc non ſunt æquipollentia; multa ſunt ſanctificata, quæ ſacrificia dici non poſſunt. Omnes cibi, per Verbū Dei & precationem, ſanctificantur: & nos panem & vinum, in vſu Sacræ cænæ, ſanctificari concedimus, ſacrificari nunquam dabimus. 2°. Si tibi largiamur, Clementem de ſacrificio eſſe intelligendum; moneo hoc admitti poſſe vt coniecturam probabilem, non vt dogma Theologicum. 3°. Hoc nihil facit pro ſacrificio miſſatico. Neq; enim dicit Clemens, panem ſanctificatum eſſe in typum ſacrificij, ſed ſanctificatum dari nutrimentum in typum Euchariſtiæ.

Champ. p. 607.
Theod. in Pſ. 149

Phil. *Theodoretus, Græcus Doctor, qui ante annos* 1200. *floruit, idem adhuc clariùs docet, his verbis: Exorditur Chriſtus Sacerdotium in nocte qua crucem ſubiuit, cùm accepit panem, & gratias egit, fregit, & dixit, Accipite & comedite ex ipſo, Hoc eſt corpus meum: ſimiliter & calicem cùm temperâſſet, dedit Diſcipulis ſuis, dicens, Bibite ex hoc omnes, hic eſt enim ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Inuenimus autem Melchiſedech Sacerdotem & Regem eſſe; figura igitur erat veri Sacerdotis & Regis; & offerentem Deo non ſacrificia ratione carentia, ſed panem & vinum.* 15

Orth. Duo hinc (ni fallor) ad inſtitutum tuum rapies; alterum, quòd afferat Melchiſedechum obtuliſſe panem & vinum; quod cuiuſmodi ſit, ſæpè iam diximus. Alterum, quòd dicat Chriſtum Sacerdotium ſuum exorſum eſſe, cum accepit panem. Sed quid hinc elicies? Non dicit Chriſtum tunc munus ſuum Sacerdotale auſpicatum eſſe, cùm ſe ſacrificauit ſub ſpeciebus panis & vini, ſed cùm accepit panem, id eſt, cùm ſacram cænam inſtituit. Rectè. Nam Sacramenta inſtituere, ſpectat ad ſummum noui Teſtamenti Sacerdotem, nec ad quenquam præterea alium: Cuius eſt ſe Deo Patri gratum offerre ſacrificium, & peccata mundi pretioſo ſanguine delere, eiuſdem profectò ſolius eſt, huius ſacrificij Sacra Symbola ſtatuere.

a Vide champ. ibid.

b Epiſt. 126.

PHIL. [a] Sancti Hieronymi teſtimonium, qui non ſuam ſolùm, ſed etiam eorum qui illo antiquiores erant doctrinam recenſens, nimirum, Sancti Hippoliti Martyris, Sancti Irenæi etiam Martyris, vtriuſque Euſebij, & Euſtachij, adhuc maioris eſt ponderis. Ita verò ille ſcribit, [b] *Neque ille Melchiſedech carnis & ſanguinis victimas immolauerit & brutorum animalium ſanguinem dextera ſuſceperit, ſed pane & vino, ſimplici puróque ſacrificio Chriſti, dedicauerit Sacramentum.*

ORTH. Panem & vinum, à Melchiſedecho prolata, appellat ſacrificium. Eſto; quamuis hoc à ſacro contextu non poteſt erui; tamen, ſi concedatur, noſtræ cauſæ non officit. Neque enim dicit, Melchiſedechum hoc ſimplici & puro ſacrificio Chriſti dedicâſſe ſacrificium, ſed Sacramentum. Innuit igitur Melchiſedechum, dum panem & vinum ſacrificâret, Chriſti Sacramentum, id eſt, Euchariſtiam, dedicâſſe; id eſt, à Chriſto, poſt multa ſecula aliquandò dedicandum, ſolenniter præfigurâſſe. Hæc igitur eſt Hieronymi, & ſanctorum (quos ſequitur) Patrum ſententia. Vt Melchiſedech obtulit purum & ſimplex ſacrificium, id eſt, panem & vinum: ita Chriſtus, in pane & vino, puro & ſimplice, ſuum inſtituit Sacramentum. Sed de Melchiſedecho hactenus dictum eſto.

CAP.

Digitized by Google

Cap. IIII.

De Argumento ab Agno Paſchali.

Obiectio in
- *genere, ab Agno, quatenùs erat figura Euchariſtiæ.* 1
- *Specie à 4. Circumſtantijs, quia immolandus erat*
  - *1°. Die 14. ad veſperum.* 2
  - *2°. In memoriam tranſitus.* 3
  - *3°. A Peregrinantibus.* 4
  - *4°. A mundis.* 5

PHIL.

SAcrificium miſſę, ac proinde munus noſtrum Sacerdotale, ratione ab Agno Paſchali deducta euinci poteſt. Et 1°. Agnum hunc pro ſacrificio immolatum eſſe ex Scripturis liquet: [a] *Accipite vobis pecus ad ſingulas familias veſtras, & immolate Phaſe.* Et rurſus, [b] *Victima tranſitus Domini eſt.* Et alibi; [c] *Ecce, quidam immundi ſuper anima hominis, qui non potuerunt facere Phaſe in die illo, accedentes ad Moſem & Aaronem dixerunt, Immundi ſumus ſuper anima hominis, quare fraudamur, vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore ſuo inter filios Iſraelis.* Et rurſus: [d] *Si quis immundus eſt, & in itinere non ſit, & tamen non fecit Phaſe, exterminabitur anima illa de populis ſuis; quia ſacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* Ex his habemus agnum Paſchalem verè & propriè ſacrificium fuiſſe, cùm victima & ſacrificium in Scripturis toties abſolutè dicatur; & præterea offerri Domino per immolationem debuit, quod eſt veri ſacrificij proprium. Et eodem planè modo loquitur Euangelium: [e] *Primo die azymorum, quando Paſcha immolabant.* Denique verba Pauli ſunt clariſſima: [f] *Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus.*

[a] Exod.12.21. [b] V.27. [c] Num.9.6. [d] V.13. [e] Marc.14.12. [f] 1.Cor.5.7.

ORTH. Ponamus eſſe ſacrificium; quid inde ſequitur?

PHIL. [g] *Celebratio agni Paſchalis figura erat expreſſa celebrationis Euchariſtiæ: ſed illa immolatio quædam erat victima Deo oblata: Ergo Euchariſtiæ celebratio, immolatio victimæ Deo oblata eſſe debet, vt figura figurato reſpondeat.*

[g] Bel. de miſſ. l.1.c.7.

ORTH. Si propriè loqui velimus, vt cæteræ ceremoniæ legales, ita & Agnus, non tam Euchariſtiæ, quàm ipſius Chriſti crucifixi

cifixi typus eſt. Non nego tamen quin Euchariſtiam figurâſſe, ſatis concinnè dici poſſit, perinde ac Manna, & aqua, quæ ex Petra manauit. Sed quid hinc concludes? Ergóne, vt figura figurato reſpondeat, ſi agnus erat ſacrificium, & Euchariſtia quoq; erit? Non ſequitur. Figura enim figurato reſpondet, ſed non ſemper per omnia. Vel ſi per omnia; ergo quia Euchariſtia ex tua ſententia eſt ſacrificium, inde ſequitur, Manna quoq; & aquam fuiſſe ſacrificia. Vel quia hæc non ſunt, ergo vt figura figurato reſpondeat, nec Euchariſtia quidem erit.

[a] Ibid. dicens.

PHIL. [a] *Nos ex Euangelio probabimus figuram illam agni immolati, propriè impletã fuiſſe in inſtitutione & celebratione Euchariſtiæ. Nam inprimis ex Euangelio conſtat Apoſtolos, antè Chriſti paſſionẽ, manducâſſe carnem Chriſti in nouiſſima cæna, & proinde manducâſſe verum agnum Paſchalem, cùm nondum Chriſtus in cruce eſſet immolatus.*

ORTH. Apoſtoli, & antè, & poſt Chriſti paſſionem, manducârunt verum agnum Paſchalem, pro nobis immolatum, in cæna Dominica, ſpiritualiter, & ſacramentaliter.

[b] Bel. ibid. [c] 1.Cor.5.7.

PHIL. [b] *Epulum ſequitur immolationem. Priùs enim agnus immolatur, poſtea comeditur; non è contrario.* Ideóque [c] Paulus primò Chriſtum, Paſcha noſtrum, immolatum eſſe docet; poſtea ad epulum celebrandum nos inuitat. Manducationem igitur Sacramentalem, vel in prima illa cæna Dominica, præceſſit immolatio: at nondum fuit immolatio crucis; alia igitur præceſſit, nempè conſecratio.

ORTH. Vt Chriſtus eſt agnus occiſus, ità etiam immolatus ab origine mundi, tum ratione æternæ virtutis illius ſacrificij, quæ ab exordio mundi ad finem vſq; ſe porrigit, tum quia hæc immolatio ſuo tempore ex deſtinato Dei conſilio erat peragenda: Quocirca apud Deum fixa & rata fuit, perinde ac ſi iam fuiſſet peracta. Ergo Apoſtoli iam tum in cæna ſpiritualiter & ſacramentaliter carnem Chriſti, quaſi immolatam, comedebant. Nam quamuis re ipſâ nondum fuit immolatio, fidei tamen præſens fuit. Nam vt Abraham [d] *vidit diem* Chriſti naſcentis, Chriſti morientis, Chriſti reſurgentis & aſcendentis: Vidit (inquam) oculis non corporis, ſed mentis, ſic & Apoſtoli. Ita hæc immolatio illam Euchariſtiæ comeſtionem præceſſit, quoad Conſilium Dei, quoad æternam ſacrificij virtutem, & vim fidei.

[d] Ioh.8.56.

2 PHIL. [e] *Si conſideremus circumſtantias vtriuſque celebrationis, videbimus nullam figuram à Chriſto manifeſtiùs impletam.* Nam primò, *agnus Paſchalis* 14. *die primi menſis ad veſperam immolari debuit, Exod.* 12. *& fuit hac circumſtantia ſummè neceſſaria, vt ex multis locis Scripturæ probari poſſet:* Et Euchariſtiam Chriſtus inſtituit hoc ipſo tempore, vt notum eſt. At paſſio in diem ſequentem eſt dilata. Neque [f] incidit in diem 14. nec in veſperam, ſed in meridiem diei 15.

[e] Bel. ib. deinde. [f] Ibid. illud.

ORTH. Huius dilationis erat cauſa perquàm neceſſaria. Euchariſtia

chariſtia in locum Paſchatis erat ſucceſſura; ideo diuinæ ſapientiæ viſum eſt, vt immediatè poſt eſum agni, ipſis adhuc diſcumbentibus, inſtitueretur: non tamen indè probatur agnum Paſchalem Euchariſtiam potiùs retuliſſe, quàm Chriſti paſſionem. Nam quid dicit Scriptura? [a] *Ecce, Agnus Dei qui tollit peccata mundi.* Quomodò tollit peccata? Nónne per mortem, & paſſionem? Nam ſcriptum eſt; [b] *Habemus redemptionem per ſanguinem eius, id eſt, remiſſionem peccatorum ſecundùm gratiam eius diuitem.* Ergo vita & anima huius typi in hoc ſita eſt, quòd Chriſtus ſuum pro nobis ſanguinem effuderit, quod in cruce factum eſt, non in Euchariſtia, vt luculentiſſimè expreſſit Sanctus Iohannes Euangeliſta, rationem reddens quare eius oſſa non fuerint comminuta & fracta; ſcilicet, quia ſcriptum erat (de agno Paſchali) [c] *Os ex illo non comminuent.*

[a] Ioh.1.29. [b] Eph.1.7. [c] Ioh.19.36.

PHIL. 2°. [d] *Agnus immolabatur in memoriam tranſitus Domini, & liberationis populi de Ægypto: & Euchariſtia celebratur in memoriam tranſitus Domini per paſſionem ex hoc mundo ad Patrem, & noſtræ liberationis de poteſtate Satanæ, quæ per ipſam Chriſti mortem facta eſt.*

[d] Bel. ib. deinde.

ORTH. Si vtrunque ſit liberationis noſtræ per Chriſtum memoriale, certè vnum non eſt complementum alterius, ſed vtriuſq; ſubſtantia eſt Chriſtus.

PHIL. [e] *Tertiò, agnus immolabatur vt manducaretur, & eſſet quaſi victima peregrinorum; & Euchariſtia, quid eſt aliud, niſi refectio & viaticum peregrinantium ad veram ac cæleſtem patriam? At* [f] *Chriſtus non crucifigebatur, vt manducaretur, neque fuit vllus tunc, qui eum ſic immolatum manducauerit.*

[e] Bel. ib. deinde. [f] Bel. ibid. illud autem.

ORTH. Si agnus propriè ſit immolatus, tum paſſionis potiùs erat typus, quàm Euchariſtiæ. Nam Chriſtum in cruce immolatum eſſe teſtatur Scriptura, in Euchariſtia non item. Illud tantùm occurrit, Hoc facite in recordationem mei. Vnde ediſcimus, Euchariſtiam ſacrificium non eſſe, ſed Chriſti ſacrificati memoriale. Porrò, vbi aſſeris Chriſtum non ideò oblatum vt manducaretur, vereor vt hoc tibi poſſim concedere. Nam ipſe Chriſtus ait: [g] *Amen, Amen, dico vobis, niſi manducaueritis carnem, vel biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* Et paulò antè; *Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita.* Caro autem, quam pro mundi vita dedit, erat eius caro crucifixa.

[g] Ioh.6.53.

PHIL. Hic locus de carne Chriſti in Euchariſtia intelligi debet.

ORTH. Sanctus Auguſtinus tibi aduerſatur his verbis: [h] *De menſa Dominica ſumitur quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium; res verò ipſa cuius Sacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium, quicunq; eius particeps fuerit.* Et talis eſt caro de qua locutus eſt

[h] In Ioh. tract. 26

Digitized by Google

Chriſtus, id eſt, caro Chriſti crucifixa, viaticum ſanè non corpori, ſed animæ alendæ deſtinatum, non dente, ſed corde comedendum per viuam fidem, ſiue in Euchariſtia, ſiue extra.

[a] Bell. l. 1. de miſſ. c. 7. Deinde.
[b] Ibid. illud.

PHIL. 4°. *Agnus non poterat manducari, niſi à circumciſis, & mundis, & in Ieruſalem; ita Euchariſtia non poteſt ſumi, niſi à baptizatis, & mundis, & intra Eccleſiam Catholicam exiſtentibus:* [b] *ſed etiam alij poſſunt*, ac debent Chriſtum, vt in cruce immolatum, fide manducare.

[c] Act. 15. 9.
[d] Ioh. 3. 16.

ORTH. Quid audio? An alij præter mundos, & corde circumciſos, poſſunt Chriſtum fide manducare? At [c] Scriptura dicit, *Deum fide purificare corda*. Ergo omnes verè fideles ſunt mundi corde. Præterea, nihil immundum introibit in Regnum cœlorum: at omnis verè [d] fidelis introibit in Regnum cœlorum: ergo nullus verè fidelis eſt immundus.

PHIL. Fides præcedit baptiſmum & iuſtificationem: ergo poteſt quis eſſe fidelis, interim vt non ſit mundus.

ORTH. Fides præcedit iuſtificationem ordine naturæ, non temporis; baptiſmum tamen aliquando etiam ordine temporis; vt in Eunucho videre licet, qui credidit antequam baptiſmo tingeretur. Vbicunque autem reperitur fides vera & viua, certè purificat cor, & reddit hominem mundum. Quocirca, non obſtantibus his Bellarmini argutijs, agnum Paſchalem paſſionis Chriſti typum fuiſſe expreſſiſſimum, firmum, fixúmque manet. Nec tamen negamus, vt antea monui, quin & Euchariſtiæ figura dici poſſit. Sed non inde ſequitur, Euchariſtiam eſſe ſacrificium; quod in Manna, & aqua ex Petra profluente demonſtraui. Quibus hoc tantùm adijciam; nempe mandâſſe Dominum, vt agnus Paſchalis non modò mactaretur & immolaretur, ſed etiam manducaretur. Dici autem poteſt ſatis appoſitè mactationem, ſeu immolationem in cruce impletam eſſe, in qua Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus, & non in Euchariſtia: comeſtionem autem, ſeu manducationem, in comeſtione noſtra ſpirituali, præſertim in Euchariſtia.

CAP.

Digitized by Google

Cap. V.

De Argumento à quibuſdam locis Propheticis.

A Prophetia
- *Viri Dei qui miſſus eſt ad Eli Sacerdotem.* 1
- *Eſaiæ, prædicentis Miniſtros Euangelicos dicendos Sacerdotes.* 2
- *Malachiæ; hic Champnæus diſputat ex*
  - *ipſorum verborum litera & ſono.* 3
  - *ſacri contextus cohærentiâ.* 4
  - *huius ſacrificij proprietatibus, quia*
    - *vnicum.* 5
    - *nouæ legis proprium.* 6
    - *ſuccedit Iudaicis.* 7
    - *per ſe mundum.* 8
  - *conſenſu cum*
    - *Sacris Scripturis.* 9
    - *Lege naturæ.* 10
  - *Patribus præſertim ex*
    - *Irenæo.* 11
    - *Auguſtino.* 12
- *Chriſti apud Iohannem Euangeliſtam.* 13

Phil.

Aliud Argumentum palmarium ex vaticinijs Propheticis ſumi poteſt. Nam, vt rectè Auguſtinus, [a] *Noſtrum ſacrificium non ſolùm Euangelicis, ſed etiam Propheticis libris demonſtratum eſt.* Primum teſtimonium ex primo Reg. cap. ſecundo. Vbi quidam Propheta innominatus prædicit Eli Sacerdoti, futurum aliquandò tempus, vt ceſſet Sacerdotium ipſius et Patrum ſuorum, [b] *Et ſurgat nouus Sacerdos, qui ambulet coram Chriſto Dei omnibus diebus.*

[a] Epiſt. 49. q. 3.

[b] 1. Sam. 2. 35.

Orth. Hoc vaticinium impletum eſt in Samuele et Sadoco.

In

Digitized by Google

In Samuele, qui ſucceſſit Eli: in Sadoco, ſuccedente Abiatharo, qui erat ex familia Eli. Nam Salomon exauthorauit Abiatharem, & eius loco conſtituit Sadocum. Quod factum eſt, teſtante Scriptura, [a] *vt impleretur Verbum Domini contra Eli in Silo.*

[a] *1.Reg.2,27.*

PHIL. [b] Reſpondit [c] Auguſtinus, vaticinium illud impletum fuiſſe in Samuele, vel Sadoco, quatenùs gerebant figuram Chriſtianorum Sacerdotum. Itaque eiectio Eli erat figura eiectionis Sacerdotij Aaronici; & aſſumptio Samuelis & Sadoci fuit figura aſſumptionis Sacerdotij Chriſtiani. Quod probat, quia Scriptura dicens eijciendum Eli cum Patribus ſuis, apertè loquitur de Aarone; ſiquidem nominat eum, qui primus in exitu ex Ægypto conſtitutus eſt Sacerdos.

[b] *Vide Bell. de miſſ. l.1.c.9.*
[c] *De ciu. Dei. l.17.c.5.*

ORTH. Vt hæc omnia concedantur, quid inde concludes? Si excitet Deus Sacerdotem Chriſtianum, ergóne miſſificantem?

PHIL. Vel maximè. Nam Dominum de Sacerdote propriè dicto locutum docet Eſaias, qui noui Teſtamenti ſtatum Spiritu Prophetico ſic delineauit: [d] *Cognoſcent Ægyptij Dominum ſuum in die illo, & colent eum in hoſtijs & muneribus.* Nec loquitur Propheta de ſpiritualibus ſacrificijs. Nam eodem loco fit mentio Altaris Domini, in viſibili loco conſtituti: [e] *In die illo erit Altare Domini in medio Ægypti.* Et rurſus; [f] *Sacerdotes Iehouæ vocabimini Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis.* Et iterum: [g] *Aſſumam in Sacerdotes & Leuitas, ait Iehoua.*

[d] *Eſa.19.21.*
[e] *v. 19.*
[f] *61.6.*
[g] *Eſ. 66. 21.*

ORTH. Iſti loci Eſaiæ per conſimiles exponi poſſunt: [h] *Adducent Gentes oblationem Iehouæ.* Illud igitur, cuius cauſâ Sacerdotes nominantur, eſt Gentium adductio: at oblatio Gentium eſt ſpirituale ſacrificium, quod offerunt Miniſtri, dum per Euangelij prædicationem Gentes conuertunt. [i] Sum Miniſter Ieſu Chriſti in Gentibus, ſanctificans Euangelium, vt oblatio Gentium fiat accepta, ſanctificata in Spiritu Sancto. Porrò, hanc Gentium conuerſionem ſolent Prophetæ figurato loquendi genere, alludendo ſcilicet ad ceremonias legales, deſcribere: [k] *Omnes greges Kedar congregabuntur ad te; arietes Nebaiothi miniſtrabunt tibi; aſcendentes altare meum accepti erunt, cùm domum ornatus mei ornabo.* Similiter ſpiritualia fidelium Sacrificia eiſdem metaphoris exornantur. Vt in illo Dauidis: [l] Tunc delectaberis ſacrificijs iuſtitiæ, holocauſto, & prorſus conſumendo, tunc pij offerent vitulos ſuper Altare tuum. Quo in loco, per vitulos, intelligit vitulos labiorum, id eſt, orationes, & gratiarũ actiones. Eadem eſt holocauſti ratio. Quamobrem vt ſpiritualia ſacrificia per Leuitica analogicè ſignificantur, ita Miniſtri Euangelici analogiâ non diſſimili Sacerdotes & Leuitæ appellantur. [m] *Ex iſtis aſſumam in Sacerdotes & Leuitas, ait Iehoua.* Vbi vox (Sacerdotes) non ſumitur propriè pro ſacrificantibus; nam ſic & vox (Leuitas) etiam propriè ſumeretur; quod defendi non poteſt. Ex iſtis igitur locis ſatis dilucidis, reliqui à te allati lucem mutuari poſſunt.

[h] *Eſa.66.20.*
[i] *Rom.15.16.*
[k] *Eſa.60.7.*
[l] *Pſal.51.21.*
[m] *Eſa.66.21.*

PHIL.

Phil. Immò propriè ſunt Sacerdotes ratione externi ſacrifi- 3
cij propriè dicti, quod ab illis propriè offertur; vt ex Malachia Propheta luculenter apparet: [a] *Ab ortu Solis vſque ad occaſum eius, magnum eſt nomen meum in Gentibus. Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, ait Dominus exercituum.* [a] Mal.1.11.

Orth. Vel ſic potiùs ſecundùm Hebraicam veritatem: In omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda. Quæ verba non ſignificant incenſum & ſacrificium propriè dictum, ſed ſpiritualia.

Phil. [b] *Si vlla nobis ſuppetat certa via verum ſacræ Scripturæ ſenſum inueſtigandi, vel ex ipſorum verborum litera & ſono, vel ex loci ipſius contextu, vel ex antiqua Eccleſiæ interpretatione & intelligentia, vel ex concordia & conformitate, tam cum alijs Sacræ paginæ locis, quàm cum rationis lumine & diſcurſu, vel tandem ex his omnibus ſimul; iſtorum nouatorum noſtrorum interpretationem falſam, & illam Catholicorum (qui per oblationem hanc mundam verum ſacrificium intelligunt) veram eſſe neceſſe eſt fateri.* 1°. Enim verba iſta (ſacrificatur, & offertur, & ſimilia) cùm ſpiritualiter ſumuntur, limitationem habent quâ coarctantur; verbi gratiâ, cùm dicitur, ſacrificium laudis, ſacrificium precationis; at hoc in loco Propheta mundæ tantùm oblationis meminit, ſine vlla adiectione reſtringente vel limitante. Et ſanè (vt rectè Cardinalis [c] Alanus) *hoc vocabulum ſacrificare & offerre per ſe ſumptum ſine termino diminuente, ſemper in Scriptura propriè pro actu externi ſacrificij accipitur. Quum verò dicitur hoſtia laudis, hoſtia vociferationis, ſacrificium contritionis, & ſimilia, ex adiunctis facilè intelligitur impropriè accipi.* [b] Champ. p.633. [c] De Euchar. ſacrif. l.2. c.5.

Orth. Hoc falſum eſſe euincam. 1°. Ex voce oblationis. 2°. Ex voce ſacrificij. In voce oblationis hanc regulam non eſſe perpetuæ veritatis ex Eſaia Propheta conſtat, his verbis: [d] *Adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus oblationem Iehouæ.* Vbi Eſaias eôdem vtitur vocabulo quo Malachias, ídque ſine termino diminuente; non innuit tamen Gentes offerendas eſſe carnaliter, ſed ſpiritualiter. [d] Eſa.66.20.

Phil. [e] *Non eſt ad rem hoc exemplum. Quis enim non videt particulam illam (fratres) verbum illud (donum) ad ſpiritualem ſenſum reſtringere?* [e] Champ. p.634.

Orth. Si in hac propoſitione, *Adducent fratres donum ſeu oblationẽ Iehouæ*, vox (fratres) ſit terminus diminuens, trahens donum, ſeu oblationem, ad ſenſum ſpiritualem, idem fiet in hac propoſitione, [f] *Aaron obtulit Leuitas*; & in hac, *Qui promiſſiones accepit, obtulit* [g] *vnigenitum.* At iſtæ voces (Leuitas, & vnigenitum) non ſunt termini diminuentes. (Námque Aaron propriè & externâ oblatione obtulit Leuitas, & Abraham propriè obtulit, id eſt, (vt rectè [h] Aquinas) *offerre voluit* vnigenitum ſuum) ac proinde neque vox illa (fratres.) Etenim, quoad vim vocis, par eſt ratio. Quare licèt veriſſimũ ſit, fratres offerendos eſſe ſpiritualiter, hoc tamen [f] Num.8.11. [g] Heb.11.17. [h] In illum locum.

non

non ſit vi vocis, quaſi vox (fratres) eſſet terminus diminuens, ſed quia Scriptura [a] alibi oſtendit huius oblationis modum eſſe ſpiritualem. 2°. Alani regula ex voce ſacrificij confutatur. Nam vbi ille, veterem verſionem ſecutus, habet, *Sacrificatur & offertur* oblatio munda, Hebraicus contextus, quem Græca 7°. Interpretum ſequitur editio, habet, *Incenſum offertur, & oblatio.* Vbi vox (Incenſum) (vobis fatentibus) per ſe ſumitur ſine termino diminuente; ſignificat tamen orationes Sanctorum, vt Irenæus, Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, & Auguſtinus, paulò pòſt citandi, ſecundùm [b] Scripturas docent.

[a] Rom. 15. 16.
[b] Apoc. 5. 8.

4 Phil. [c] 2°. *Cohærentia contextus oſtendit, Prophetam loqui de vero ac proprio ſacrificio. Nam in toto illo capite facit antitheſin inter puram hanc oblationem, & oblationes, ſeu ſacrificia Legis Moſaicæ, quæ vera ac propria erant ſacrificia, nec verbum vllum habet de ſacrificio improprio, ſeu Metaphorico.*

[c] Champ. ibid.

Orth. Capite tertio, verſu tertio eſt locus illuſtris; vbi prædicit Propheta, *Iehouam purgaturum filios Leui, & defæcaturum eos velut aurum & argentum, vt ſint Iehouæ qui offerant oblationem in iuſtitia:* Vbi clariſſimum eſt, illa verba (filios Leui) non eſſe accipienda propriè, ſed tropologicè, vt deſignent ſpirituales Leuitas, quorum oblatio eſt ſpiritualis. Si filios Leui accipiamus propriè, actum eſt de veſtris Sacerdotibus, quippe qui non ſint de tribu Leui.

5 Phil. [d] 3°. *Proprietates ſacrificij hic deſcripti, non conueniunt ſacrificio ſpirituali & metaphorico, orationi ſcilicet, gratiarum actioni, & huiuſmodi. Nam ſacrificium, de quo hic Propheta, vnicum eſt, illa verò plura.* Vel, vt verbis vtar Cardinalis Alani, [e] *Sacrificium hoc vnum eſt; idcóque non denotat ſpiritualia ſacrificia, quæ tot ſunt, quot Chriſtianitatis bona opera.*

[d] Champ. p. 635.
[e] De Euch. ſacr. l. 2. c. 5.

Orth. Quamuis vocabulum oblationis, hîc à Propheta vſurpatum, ſit ſingularis numeri, hâc tamen oblatione multæ oblationes ſignificari poſſunt; verbi gratiâ, cùm dicitur, [f] *Hoſtiam & oblationem noluiſti.*

[f] Heb. 10. 8.

Phil. [g] Champnæus oſtendit inſtantiam tuam non eſſe ad propoſitum; quia non eſt eadem ratio propoſitionis affirmantis, qualis eſt illa Malachiæ, & negantis, qualis eſt iſta à te allata.

[g] P. 637.

Orth. Illuſtrabo igitur in propoſitione affirmante: apud [h] Danielem ſic dicit Gabriel; *Aboleuit ſacrificium & oblationem.* Vbi Propheta eâdem vtitur voce, quâ Malachias. Quid igitur dicendum? An quia vox oblationis eſt ſingularis numeri, idcirco Propheta non intelligit oblationes, ſiue Paganorum, ſiue Iudæorum, quia multæ ſunt, ſed ſolam oblationem miſſæ, quæ vnica eſt? Itáne verò? Ergo hic erit ſenſus: Deus abolebit oblationem, id eſt, miſſam.

[h] Dan. 9. 27.

Phil. Nequaquam. Sed per hæc verba ſignificatur, ceſſatura Iudæorum ſacrificia, vt rectè exponit [i] Pererius.

[i] Comment. in Dan. 1. 10.

Orth. Si hæc vox ſingularis numeri deſignet Iudæorum ſacrificia,

crificia, quæ ſunt multa, ídque in propoſitione affirmante; hæc eadem vox in ſimili propoſitione non arguit oblatiónem apud Malachiam eſſe vnicam. Quarè hæc Alana rátio, quam premit Champnæus, eſt iuncea & ſtraminea. Porrò hac ipſa in cauſa vobis aduerſatur vetus interpres, qui hanc eandem vocem apud eundem Prophetam reddit [a] *ſacrificia*, in plurali numero. Cuius authoritate munitus, ſic diſputo: Oblatio apud Malachiam, iudicio veteris Interpretis, qui vobis eſt authenticus, ſignificat ſacrificia in plurali numero, id eſt, multa ſacrificia: at Miſſæ ſacrificium vobis teſtibus eſt vnicum: ergo oblatio apud Malachiam non eſt ſacrificium Miſſæ: De prima proprietate hactenus; audiamus ſecundam. [a] *Mal.* 3. 3.

PHIL. [b] *Iſtud ſacrificium eſt proprium nouæ Legis, & Gentium, non Iudæorum: ſed ſpiritualia precum & operum ſacrificia ſunt Iudæis nobiſcum communia.* 6 [b] *Alan. ibid.*

ORTH. Illis perinde ac nobis omni in loco Deum precari & laudare licuit; ſpiritualia tamen ſacrificia illorum officio plenè & cumulatè ſatisfacere non poterant, niſi carnalia inſuper, loco & tempore à lege ſtatutis, adiungerentur; ita ſpiritualia eorum ſacrificia mixta erant; cùm noſtra merè ſint ſpiritualia, quæ nouo Teſtamento propria ac peculiaria exiſtunt.

PHIL. [c] *Nónne hoc eſt religionem Iudæorum Chriſtianæ religioni manifeſtè anteferre? Si námque Iudæi oblationes & ſacrificia (in quibus profeſsio & cultus religionis præcipuè conſiſtit) eadem cum Chriſtianis habeant, & præterea ſacrificia externa & corporalia frequentent, quibus non ſolùm laudes & gratiarum actiones, ſed etiam bona ſua & temporalem ſubſtantiam Deo offerunt, quis negare poteſt eorum cultum & religionem noſtram longo interuallo poſt ſe relinquere?* [c] *Champ. p.* 638.

ORTH. Omnes qui rectè ſapiunt. Doctrina Prophetarum erat quaſi lucerna; doctrina Euangelica eſt tanquam Sol meridianus, omnia ſuo fulgore irradians, & colluſtrans. Cæremoniæ apud Iudæos plures erant, ſed onoroſæ, & impeditæ; apud Chriſtianos pauciores, ſed faciles, & explicatæ. Iudæorum ſacrificia eò ſpectabant, vt ſine faſtidio & intelligentes magis magiſque venturi Chriſti admonerent, & rudes in tanto ſignorum numero vnum ſaltem inuenirent, quo quod futurum promitteretur intelligerent. Nunc ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. Chriſti ſacrificium omnibus externis finem impoſuit: Hoc vnicum eſt & ſingulare noui Teſtamenti, ac religionis Chriſtianæ externum & viſibile ſacrificium, reliquorum omnium veritas & complementum. Hinc elucet quanta ſit religionis Chriſtianæ præ Iudaicâ dignitas & præſtantia. Hucuſque de ſecunda, quam narras, proprietate; ſuccedat tertia.

PHIL. *Hoc, de quo Malachias, ſuccedit Iudaicis, eorúmque loco offertur: ſed oratio, ieiunium, charitatiſque opera nullis ſacrificijs ſuccedunt, ſed cuilibet generi coniunguntur.* 7 [d] *Alanus ibid.*

Digitized by Google

ORTH. Quamuis ſpiritualia Iudæorum ſacrificia eadem eſſent quoad ſubſtantiam, quæ Chriſtianorum quoad modum, tamen differebant. Nam, vt monüi, eorum ſacrificia erant mixtim, noſtra merè ſpiritualia, & hæc illis ſuccedunt.

[a] Champ. p. 639. PHIL. [a] *Exiſtimas te illud incommodum perdoctè præoccupâſſe, dicendo eorum ſacrificia mixtim, noſtra verò merè eſſe ſpiritualia. Quibus noſtra meliora perfectioráque eſſe innuere vis; quod tamen magis abſurdum eſt. Nam ſpiritualia atque interna ſacrificia, ex eo quod illis adiungantur corporalia & externa, non fiunt minùs ſpiritualia, & conſequenter neque minùs perfecta: quod tu ipſe in hoc exemplo non negabis. Si quis tibi crumenam cum centum nummis aureis daret, & alius aliam cum eodem aureorum numero, & inſuper centum argenteos nummos adijceret, non exiſtimares (ſcio) hunc poſteriorem aliquid minus, vel deterius tibi donâſſe. Quomodò ergo, niſi omninò excors euaſeris, ſacrificia ſpiritualia Iudæorum, quæ eadem eſſe dicis cum illis Chriſtianorum, minùs ſpiritualia, adeóque minùs perfecta, & non potiùs magis perfecta ex conſortio & adiunctione corporalium fieri, exiſtimare poſſis? Certè ſi aliter ſe res haberet, cùm Deus eis huiuſmodi corporalia, vnà cum ſpiritualibus, ſibi offerri præceperit, aliquid & ſibi minùs gratum, & ipſis offerentibus nociuum, vtpote ſacrificiorum ſuorum valorem & dignitatem imminuens præcepiſſet; quo nihil magis abſurdum excogitari poteſt. Ex his clarè concluditur, ad hoc vt cultus & religio Chriſtiana perfectior ſit quàm illa Iudæorum, & quòd Deus cultui perfectiori imperfectiorem ſubſtituiſſe non dicatur, neceſſarium eſſe in noua lege ſacrificium aliquod externum ſenſibile ac proprium, quod ſacrificijs ſimilibus Iudæorum ſuccedat, perfectiúſque illis exiſtat.*

ORTH. Iudæorum ſacrificia, quamuis & Deo præcipienti grata, & ipſis ritè fungentibus vtilia, Chriſtianorum tamen ſacrificijs cedant oportet. In noua lege eſt vnicum illud, veriſſimum, & perfectiſſimum, quod omnibus Leuiticis, tanquam Sol vmbræ, præcellit. Hoc autem non eſt ſacrificium Miſſæ, ſed ſacrificium Crucis. Quinetiam noui Teſtamenti ſpiritualia ſacrificia, ſi cum illis Iudæorum conferantur, ſunt meliora & perfectiora. Deus enim per [b] Ioelem Prophetam promiſit ſe ſpiritum ſuum ſub nouo Teſtamento *in omnem carnem effuſurum*; non in vnum gentem, vt anteà, ſed in omnem carnem, id eſt, in omnes gentes; nec ſtillabit guttatim, vt anteà, ſed vbertim & copioſè effundet. Hinc conſtat, ſi veteris & noui Teſtamenti tempora inter ſe conferantur, nouum longè plura Spiritus Sancti chariſmata accepiſſe. Hîc ἐπὶ τὸ πολὺ cognitio clarior, fides firmior, amor intenſior, precatio ardentior, &c. Denique, licèt veteres ſua haberent externa ſacrificia, quæ Deo offerebant, non tamen propterea Chriſtianis antecellunt. Nam licèt nobis nulla iam ſuperſint, præter illud vnum quod Chriſtus pro nobis in ara Crucis ſemel obtulit, habemus tamen duo Sacramenta, quæ clariſſimo Euangelij verbo annexa, Chriſtum nobis crucifixum graphicè depingunt. E quibus alterum Eucharistia

[b] Ioel 2, 28.

Digitized by Google

chariſtia appellatur, in quo, pro noſtrâ per Chriſti ſanguinem redemptione, ſolennes Deo Patri aguntur gratiæ; vnde non immeritò ſpirituale noſtrum ſacrificium Euchariſticum, longè nobiliſſimum, dici poteſt. Ad tuas autem crumenas quod attinet, ſpiritualia ſacrificia, quæ Iudæi Deo offerebant, erant tanquam crumena aureis plena, ſed Rhenanis: quæ autem offerunt Chriſtiani, ſunt itidem veluti crumena aureis plena, ſed Daricis. Sint igitur externæ Iudæorum oblationes, eorum ſpiritualibus adiectæ, tanquam crumena argentea; Daricorum tamen crumena, reliquarum pretium non æquabit modò, ſed facilè vincet & ſuperabit. De tertia proprietate dictum eſt: expectamus quartam.

PHIL. [a] *Hæreticorum maximè iudicio noſtra opera ſunt inquinata,* 8
vtcunque ſpecioſa videantur: ſed hæc prophetica oblatio per ſe munda eſt, & ita per ſe munda præ veteribus hoſtijs, vt à nobis, vel à peſſimis Sacerdotibus pollui omninò non poſſit.

[a] *Alanus ibid.*

ORTH. Súntne omnia noſtra ſacrificia ſpiritualia inquinata? Itáne verò? Ergo omnia Chriſtianorum bona opera ſunt imperfecta; & ſi imperfecta, iuſtificare non poſſunt; aut vitam æternam mereri, aut diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere.

PHIL. [b] *Ignoranter omninò, & inſulſè has conſequentias ex antecedenti, quod tuum tantùm eſt & non aduerſariorum tuorum, contra eos infers. Iſtud enim antecedens (omnia ſpiritualia noſtra ſacrificia immunda ſunt) non eſt Catholicorum, ſed Proteſtantium doctrina.*

[b] *Champ. p. 642.*

ORTH. Perpendantur ſuperiora Alani verba. Non dicit, noſtra opera hæreticorũ iudicio eſſe inquinata, ſed hæreticorum maximè iudicio. Quid ſibi vult hoc vocabulum, maximè? Nónne planè innuit bona opera ex aliorum quoque ſententia; qui ſunt Catholici & Orthodoxi, eſſe contaminata, ſed maximè ex ſententia hæreticorum? Quarè an ego ignoranter & inſulſè hæc intulerim, penes eos, qui ſale conditi ſunt, iudicium eſto. *Verum* (inquis) *hæc eſt Proteſtantium doctrina, non Catholicorum.* At [c] Eſaias dicit, *omnes noſtras iuſtitias eſſe inſtar panni menſtruati*; ergo Eſaias erat Proteſtans, non Romano-Catholicus. [d] Dauid & [e] Paulus queruntur, *neminem eſſe qui faciat bonum, ne vnum quidem.* Ergo Dauid & Paulus erant Proteſtantes, non Romano-Catholici. [f] Auguſtinus dicit, *Pleniſſima charitas, quæ iam non poſſit augeri, quamdiu hîc homo viuit, eſt in nemine: quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt quàm debet, ex vitio eſt, quo vitio non eſt qui faciat bonum & non peccet.* Et alibi: [g] *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet.* Gregorius Magnus, [h] *Bona quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt.* Et anteà: [i] *Sæpè ipſa iuſtitia noſtra, ad examen diuinæ iuſtitiæ deducta, iniuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione Iudicis, quod in æſtimatione fulget operantis.* Quamobrem, cùm bona opera, non modo ex ſententia noſtra, quos pro hæreticis habetis, ſed ſecundùm Scripturas & Sanctos Patres ſint contaminata, profectò non poſſunt iuſtificare, mereri, aut ſatisfacere.

[c] *Eſa. 64.6.*
[d] *Pſa. 14.3.*
[e] *Rom. 3.12.*
[f] *Epiſt. 29.*
[g] *De perfect. iuſtitiæ. cap. 6.*
[h] *Greg. vlt. mor. c. vltim.*
[i] *L. 5. c. 8.*

PHIL. Quin ſi munda ſint, qualia eſſe oportet, ſi modò ſint munda illa oblatio apud Malachiam, reuerà iuſtificare poſſunt, mereri, aut ſatisfacere.

ORTH. Non ſequitur. Sunt enim munda, ſed imperfectè. Munda quidem quatenus à Spiritu Sancto, fonte ſcilicet Chriſtallino dimanant; imperfectè tamen, quatenus à voluntate humana, quæ ex parte tantùm regeneratur, profluunt. Ita hæc aqua, ratione fontis limpidiſſimi, pura; dum per canalem cænoſum ad nos tranſmittitur, labem contrahit & fluit impura.

PHIL. Si bona noſtra opera ſint cænoſa & turbida, quomodò erunt pura illa oblatio apud Malachiam? [a] *Si iſta dextrè inter ſe componere poſſis, peritiſſimus quidem mihi artifex eris.* Bona, inquis, opera noſtra munda ſunt, ſed imperfectè. Hoc eſt (vt ſcitè [b] Champnæus) *diſertis verbis loquendo munda ſunt, ſed non ſunt munda:* quæ aperta eſt contradictio. Quod enim imperfectè mundum eſt, non eſt mundum, vt omnes nôrunt.

[a] *Champ. p. 643.*

[b] *Ibid.*

ORTH. Quod imperfectè mundum eſt, id non eſt mundum in ſummo gradu; mundum tamen dici poteſt, licèt non ſit omnibus ſuis numeris abſolutum: qualitas enim, quoniam ratione inhæſionis in ſubiecto ſuſcipit magis & minùs, & gradibus variatur, tum demum perfecta appellatur, cùm ad ſummum vſque gradum intenditur; imperfecta quandò eſt in gradibus remiſſis. Sed age, Champnæe, qui te pro tam eximio dialectico nobis venditare ſoles, an putas qualitatem non denominare ſubiectum, niſi ſit in ſummo gradu? At iuxta Ariſtotelem aër eſt calidus, non tamen in ſummo gradu perinde ac ignis; vndè ſequitur eſſe calidum in remiſſis gradibus, id eſt, imperfectè; ab hoc tamen calore aër denominatur calidus. Hæc eſt doctrina Ariſtotelis, contra quem ex Principijs tuis ſic diſputare licet: Quid ais, Philoſophe? an aër eſt calidus, ſed imperfectè? Hoc eſt diſertis verbis loquendo, calidus eſt, ſed non eſt calidus, quæ aperta eſt contradictio. Quod enim imperfectè calidum eſt, id non eſt calidum, vt omnes nôrunt: tam bellè Champnæus ſuam callet dialecticam.

PHIL. Deinde; [c] *vt probes noſtra opera, etiam ea quæ à diuina gratia procedunt, impura immundáque eſſe, à voluntate humana, ex parte tantùm regeneratâ ea procedere ais, quaſi non eſſet tota renata.*

[c] *Champ. p. 644.*

ORTH. Anima humana eſt tota renata, ſed non totaliter: tota, quoad intellectum, voluntatem & reliquas facultates; non totaliter, quia in ſingulis aliquid adhuc carnis remanet, perinde ac ſpiritus. Quemadmodum in crepuſculo totus noſter aër eſt luminoſus, ſed non totaliter; totus, quia ſingulæ Hemiſphærij partes lumine ſunt illuſtratæ, non totaliter, quia in ſingulis partibus ſunt aliquæ tenebræ luci admixtæ. Eodem planè modo fit in anima humana.

PHIL. [d] *Quaſi verò non eſſet perfectè abluta: quod tu dicis contra*

[d] *Champ. ibid.*

Digitized by Google

quàm plurima ſacræ Scripturæ clariſsima teſtimonia. Dei perfecta ſunt opera, ait [a] *Moſes.* [a] *Deut.32.4.*

Orth. Sic diſputas. Omnia Dei opera ſunt perfecta; humanæ animæ regeneratio eſt opus Dei; Ergo eſt perfecta. Reſpondeo; Omnia ſunt perfecta reſpectu Dei, ſed non ſemper reſpectu rei: reſpectu Dei, quia tantùm habent perfectionis, quantùm erat in intentione agentis. Et ſic regeneratio eſt in hac vita perfecta. Deus enim ſemper finem ſibi propoſitum perfectè aſſequitur; & tantum gratiæ cuique largitur, quantum voluit: Omnia tamen non ſunt perfecta reſpectu rei; id eſt, non habent tantam perfectionem, quantæ natura ipſius rei eſt capax. Perfectio autem reſpectu rei multipliciter diſtribui poteſt, ſed ad inſtitutum noſtrum duplex eſt; quoad eſſentiam, & quoad gradum: regeneratio in hac vita habet perfectionem rei quoad eſſentiam, ſed non quoad gradum; vt patet ex verbis Spiritus Sancti, [b] *qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* [b] *Apoc.22.11.*

Phil. [c] *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inquit* [d] *Apoſtolus.* [c] *Champ. ibid.* [d] *Act.22.16.*

Orth. Baptiſmus, cùm ſit Sacramentum, abluit peccata ſacramentaliter, id eſt, eorum remiſſionem ſignificando, & obſignando: abluit autem non ſimpliciter, quoad maculam, (ſemper enim nobis inhæret peccatum inhabitans) ſed quoad reatum. Ita peccatum tollitur, non vt omninò non ſit, ſed vt non imputetur.

Phil. [e] *Saluos* [f] *nos facit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.* [e] *Champ. ibid.* [f] *Tit.3.5.*

Orth. Hæc verba bifariam exponi poſſunt: 1°. Vt per lauacrum regenerationis nihil aliud intelligatur, quàm ipſa regeneratio, quæ eſt quaſi lauacrum, in quo à peccatis abluimur: ſic Abraham accepiſſe dicitur [g] ſignum circumciſionis, id eſt, ipſam circumciſionem, quæ erat ſignum. Si hanc ſequamur interpretationem, res huc redit, nempe Deum nos ſaluos facere per regenerationem, vel renouationem à Spiritu Sancto profectam, tanquam per medium. Nam, cùm nihil immundum ingredi poſſit in Regnum cœlorum; neceſſe eſt vt nos, qui naturâ ſumus immundi, renouemur per Spiritum Sanctum, vt Regnum cœleſte adipiſcamur: ſed non hinc ſequitur renouationem noſtram eſſe vndequaquè perfectam. Nam Apoſtolus [h] alibi docet, *Noſtrum interiorem hominem renouari de die in diem.* In quem locum ſic Thomas, *Quia Sancti quotidiè proficiunt in puritate conſcientiæ & cognitione diuinorum, ideo dicit de die in diem.* 2°. Hæc verba accipi poſſunt, quaſi dicat Apoſtolus, nos per baptiſmum ſaluos fieri, qui eſt lauacrum regenerationis ſeu renouationis Spiritus Sancti. Iuxta illud, [i] *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in Verbo.* Hinc colligitur baptiſmum eſſe medium, quo Deus vtitur ad nos ſaluandos & lauandos, non modò per modum [g] *Rom.4.11.* [h] *2.Cor.4.16.* [i] *Eph.5.25.*

iuſtificationis, ſed etiam per modum ſanctificationis: ſed non hinc ſequitur, ſanctificationem noſtram eſſe perfectam. Sanctificat enim Chriſtus Eccleſiam ſuam, * *Vt ſibi ſiſtat glorioſam, non habentem maculam aut rugam.* Quod tamen fit non in hac vita, ſed in *futura*, nec in locis terreſtribus, ſed in *cæleſtibus*, vt verè Hieronymus.

* Ver. 27.

P h i l. Effundam ſuper vos aquam mundam, & *mundabimini* ab omnibus inquinamentis, ait Dominus per [a] Ezechielem Prophetam. *Lauabis me* (inquit Propheta [b] Dauid) *& ſuper niuem dealbabor*, cum innumeris alijs ſacræ Scripturæ teſtimonijs, quæ clarè oſtendunt gratiam ſancti Spiritus cordibus noſtris infuſam, animas noſtras adeò ab omni inquinamento peccati purgare, vt eas niue ac lanâ mundâ nitidiores reddat. Quomodò ergo adeò impuras & (vt tuâ metaphorâ vtar) lutulentas eas relinquat, vt opera noſtra, quæ a clara puráque diuinæ gratiæ ſcaturigine profluunt, ab illis inficiantur, impuráque reddantur? Hoc merum hæreticorum eſt commentum. Idcircò pluſquàm falſum eſt, animas noſtras adeò imperfectè regeneratas eſſe, vt opera noſtra à diuina gratia promanantia, immunda ſint, atque impura.

a Ezec. 36. 25.
b Pſal. 51. 7.

O r t h. Aqua munda, quæ ſuper nos effunditur, eſt ſanguis filij Dei, qui nos purgat ab omni peccato, vt ſuper niuem dealbemur: quod tamen fit ratione iuſtificationis, & non reſpectu ſanctificationis. Sanctus enim Iohannes, cùm dixiſſet nos [c] *purgari ab omni peccato,* ſtatim addit, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt.* Habemus igitur peccatum, & tamen ſanguis Chriſti nos purgat ab omni peccato. Quomodò hæc cohærent? Satis rectè. Sanguis Chriſti nos purgat ab omni reatu, ſemper tamen aliqua nobis macula inhæret. Vnde veriſſimè concluditur, regenerationem noſtram, dum hîc viuimus, eſſe imperfectam; & per conſequens, bona opera noſtra ſemper aliquid fecis habere admixtum.

c 1. Ioh. 1. 7.

P h i l. Quomodò igitur erunt pura illa oblatio apud Malachiam?

O r t h. Denominatio ſequitur digniorem partem, et Dei in filijs ſuis chariſmata [d], *ſimilia ſunt luci ſplendidæ, pergenti lucere vſque ad diem perfectum.* Quamuis autem caro aduerſus Spiritum reluctetur, Spiritus tamen tandem aliquandò glorioſam reportabit victoriam, & ipſa caro, id eſt, naturæ corruptio, penitùs abolebitur. Intereà, licèt bona noſtra opera à carne contaminentur, Deus tamen, nobis in Chriſto reconciliatus, in illa, tanquam iratus Iudex non animaduertit, ſed, vt clementiſſimus Pater, peccata pœnitentibus & credentibus non imputans, ſua in nobis coronat dona. Ita, cùm ſint imperfecta, non poſſunt iuſtificare, mereri, aut ſatisfacere; cùm tamen ſint diuina in nobis chariſmata, verè dici poſſunt munda illa apud Malachiam oblatio.

d Prou. 4. 18.

P h i l. [e] *Vix tot ſunt hîc verba, quot abſurda; & in ſummâ, nihil probatum,*

e Champ. p. 646.

probatum, ſed nonnulla nudè, abſq; omni vel ratione, vel authoritate aſſerta atque affirmata; quæ quamuis eâdem ratione & facilitate, abſque alia refutatione, iure reijci poſſent, ea tamen diſcutiemus. In quibus duo ſunt craſſiſsima abſurda. Primum, quo ſupponitur, opera noſtra & actiones duas habere partes, vnam mundam ſeu puram, vtpote à Deo, & à ſancta ſua gratia procedentem; alteram impuram, quæ ab humana voluntate, ex parte tantùm regeneratâ emanat: ſecundùm quam doctrinam, ſeu chimericam imaginationem potiùs, non tantùm opera noſtra bona, ſed maxima noſtra ſcelera, pura oblatio à Malachia prædicta dici poſſunt, quia omnia noſtra opera, & actiones reales & poſitiuæ, quantumuis peſsimæ, ſecundùm aliquam ſui partem (vt loquitur Maſonus) à Deo procedunt, & ab eo dependent. Omnia [a] *opera noſtra operatus es in nobis, inquit Propheta. Et Chriſtus Dominus,* [b] *Sine me nihil poteſtis facere; ſecundùm quam partem munda dici poſſunt, vtpote à Deo procedentem. Et quia denominatio (vt ait Maſonus) ex digniore parte ſumenda eſt, illæ peſsimæ actiones pura oblatio dici poſſunt. Hanc impiiſſimam doctrinam eſſe Maſonus (vt opinor) non negabit; & tamen, iuxta fundamenta & principia ab eo poſita, illam defendere tenetur.*

[a] Eſ. 26. 12.
[b] Joh. 15. 5.

ORTH. Hîc inſignis ſe prodit Champnæi fraus & impoſtura. Nam quod Maſonus affirmat in ſpecie de bonis noſtris operibus, id Champnæus, malâ fide & remordente conſcientiâ, rapit ad opera noſtra in genere, atque ita, ad maxima ſcelera & flagitia accommodans, cum vmbra ſua dimicat. Et, vt victum hoſtem ante currum ſuum triumphalem non ſine pompa ducat, apponit in margine, *ad abſurdum ducitur Maſonus.* Sed hoc abſurdum non ſequitur ex Maſoni doctrina, vt mox oſtendam, ſed ex nothis & adulterinis principijs, quæ dolo malo ſuppoſuit Champnæus.

PHIL. *Vera Philoſophia docet, omnes noſtras actiones, ſecundùm* [c] *totam integrámque realem naturam, quam in ſe habent, à Deo procedere, ab éoque in ſua productione dependère, & nihilominùs ſecundùm totam eandem naturam à nobis produci, alia tamen atque aliâ ratione. A Deo enim tanquam à cauſa prima, vniuerſali, indeterminatâ atque independenti procedunt; à nobis verò tanquam à cauſis ſecundis, particularibus, determinatis, atque à prima cauſa in eſſe & in operari dependentibus, à quibus qualitatem, valorem, & denominationem ſuam deſumunt; adeò vt ſi bona ſint, ſecundùm totam ſuam naturam ſunt bona moraliter; ſi verò mala, ſecundùm totam ſimiliter naturam ſuam mala ſunt, malitiâ ſcilicet morali; & non ſunt bona ſecundùm aliquam partem, mala verò ſecundùm aliam.* Hactenus Champnæus: qui rem totam illuſtrat rebus naturalibus, in quibus, illa actio, quâ ignis, roſa, equus producitur, non eſt multiplex, ſed vna actio, tametſi non ſolùm ab igne, planta, vel equo procedat, ſed etiam à ſole, & Deo: & res producta eſt vna eadémque res, neque partim vna, partim altera, ſed tota vnius atque eiuſdem generis, ſeu ſpeciei, quam à cauſa ſua proxima & immediata deſumit, quæ per ſuum concurſum & cooperationem, actiones indifferentes & indeterminatas

[c] Champ. p. 648.

cauſarum ſuperiorum determinat ad talem effectum producendum. [a] *Eodem modo actiones morales, quamuis à Deo quoad totam ſuam realem ſubſtantiam & naturam procedant, ſicut à nobis, non tamen moralem ſuam bonitatem & valorem ab eo, vel ab ipſius cöoperatione deſumunt, ſed à nobis, & à noſtra operatione. Idcirco ſi rectæ rationi conformes ſint, bonæ ſunt, honeſtæ atque laudabiles, totaliter quidem, & non tantùm ſecundùm aliquam partem.* [b] Pari modo actiones ſupernaturales, *quæ* ab humana voluntate, *à gratia cæleſti adiuta & informata, eliciuntur, non partim ſunt bonæ vel puræ, partim prauæ vel impuræ, ſed ſecundùm ſe totas puræ ſunt, atque Deo gratæ. Et ex his tandem quàm falſa & fictitia ſit illa Maſoni imaginatio de operum noſtrorum mixtione, nimirum, vt partim pura ſint, partim impura, ſatis clarè, vt opinor, omnibus conſtat.*

[a] P. 651.
[b] Vide p. 652.

ORTH. Actiones noſtræ ſpirituales, ſecundùm ſe totas bonæ, puræ, perfectæ eſſe poſſunt perfectione partium, ſed non perfectione graduum. Etenim opus bonum eſſe poteſt per ſingulas partes, interim vt deficiat ab illo bonitatis gradu quem lex efflagitat. Quicquid autem deficit, eſt in vitio. Iſtiuſmodi defectum vel optimis noſtris adhæreſcere actionibus, eſt luce clarius. Principia actionum in homine ſunt intellectus, & voluntas. Intellectus in doctiſſimis & ſanctiſſimis hominibus non eſt diuino ſplendore plenè illuſtratus. Nunc enim (teſte Apoſtolo) [c] *ex parte tantùm cognoſcimus:* quod autem ex parte tantùm eſt, id imperfectum eſt. Noſtra igitur diuinarum rerum in hac vita cognitio eſt imperfecta: Porrò voluntas ab intellectu pendet: tantum enim diligimus, quantum cognoſcimus; nec vltrà amor poteſt aſcendere: nam *ignoti nulla cupido.* Quare vt bonum cognoſcimus imperfectè, ita non pleno impetu in bonum rapimur, ſed charitas noſtra eſt imperfecta. Vndè neceſſariò ſequitur, opera noſtra quæ à charitate manant (nam [e] *fides per charitatem operatur*) eſſe imperfecta. Hæc veriſſima ſunt, nec vllis ſophiſtarum machinis labefactanda.

[c] 1. Cor. 13. 12.
[e] Gal. 5. 6.

PHIL. [d] *Secundum abſurdum, in verbis Maſoni contentum, eſt, quòd opera noſtra à potiore ac meliore parte denominantur.*

[d] Champ. p. 653.

ORTH. Champnæus, vt anteà monui, malâ fide Maſoni verba recitat. Non enim loquitur de operibus noſtris in genere, vt innuit Champnæus, ſed in ſpecie de bonis operibus: in quibus veriſſimum eſt, denominationem ſumi à digniori parte. Sed hîc eſt obſeruandum in ſingulis renatis duos eſſe quaſi athletas; Spiritum, & carnem. Per Spiritum, intelligitur regenerationis gratia à Spiritu Sancto profecta; per carnem, ſignificantur natiuæ labis reliquiæ, nobis vſque inhærentes, nec vnquam, niſi in morte, penitùs abolendæ. 2°. Obſeruandum inter hos duos antagoniſtas, eſſe perpetuam luctam; de qua Apoſtolus: [e] *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem.* 3°. Obſeruandum propter hanc luctam, renatorum actiones non eſſe in ſummo gradu bonas, nec in ſummo gradu malas; hæc enim (vt ſubiungit Apoſtolus) *ſibi*

[e] Gal. 5. 17.

Digitized by Google

ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis; non poſſumus igitur ea facere quæ volumus, neque in bonis, neque in malis. Non in bonis, quia caro concupiſcit aduerſus Spiritum; ideóque [a] *quod volo bonum, non facio*. Non in malis, quia Spiritus reluctatur carni, adeò vt inter perpetrandum malum ſit aliquod mali odium; iuxta illud; [b] *Quod odi, hoc facio*. 4°. Cùm optimis renatorum actionibus, & ſingulis earum partibus inſit aliquid mali; quærendum an vlla renatorum actio ſit dicenda bona? Reſpondeo, Opus bonum dupliciter accipi; eſt enim aliud abſolutè bonum, aliud bonum quidem, ſed non abſolutè. Opus abſolutè bonum appello, quod Legis diuinæ rigori per omnia pleniſſimè reſpondet, adeò vt nulla penitùs adhæreat natiuæ labis aſperſio, eiuſmodi bonum opus à nullo mortalium in hac vita (ſolo Chriſto excepto) præſtitum vnquam fuit, aut præſtari poteſt: iuxta illud, [c] *Non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem*. Opera tamen renatorum à fide profecta, & ad legis normam, pro regenerationis menſura, compoſita & conformata, in ſacris Literis bonorum operum ornantur titulo; non abſolutè tamen, ſed quia ex parte ſunt bona, & ex parte munda; munda ex comparatione, munda ex acceptatione diuina. 5°. Cùm in quouis opere renatorum, ſeu bono, ſeu malo, ſit aliquid boni à Spiritu, & aliquid mali à carne, quæritur vndè ſumenda ſit denominatio? Huic quæſtioni ità in genere propoſitæ reſponderi poteſt; denominari actionem à qualitate intentiore, vel prædominante. Si vincat Spiritus, illa actio à Spiritu dicenda eſt ſpiritualis, id eſt, bona, pura, munda; ſin in hoc conflictu ſuperior euadat caro, hæc actio à carne dicenda eſt carnalis, id eſt, mala, impura, immunda. Denique, cùm certum ſit in omni bona actione vincere & prædominari Spiritum, qui carne dignior eſt & melior, inde ſequitur veriſſimum eſſe quod dixit Maſonus, bona ſcilicet opera à parte digniore denominari.

a Rom. 7. 19.

b Rom. 7. 15.

c Rom. 3. 12.

P h i l. [d] *Contrarium veriſſimum eſt, vt conſtat ex clariſſima illa regula, obſeruatà primò à Sancto Dionyſio, & ab omnibus poſtea, tam Philoſophis quàm Theologis, agnità. Bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocunque defectu: adeò vt omnis actio vel operatio humana ex aliqua parte vitioſa, praua ſit & impura. Idcircò cùm omnes actiones noſtræ imperfectæ ſint & ex parte impuræ (vt Maſonus cum omnibus ſuis docet) abſolutè malæ erunt & immundæ, ac proinde pura oblatio à Propheta prædicta eſſe nequeunt.*

d Champ. p. 693.

O r t h. Regula illa eſt rectiſſima, ſi rectè intelligatur; nempe, vt quid dicatur bonum, neceſſe eſt vt fluat ex integra cauſa, id eſt, ex quatuor cauſarum generibus, efficiente, materiâ, formâ, fine, rectè ſe habentibus: ex quibus ſi vnica duntaxat deficiat, ex illo defectu vitiatur actio, & mala redditur. Verbi gratiâ, vt precatio ſit ſancta, requiritur vt precemur ex fide, pro rebus licitis, iuxta Verbi normam, ad gloriam Dei: ex quibus conditionibus ſi vnica deſit, precatio noſtra fit vitioſa. Hæc ſunt veriſſima, ſed nos non

feriunt.

Digitized by Google

feriunt. Nos agnoſcimus cum Dionyſio, nullam actionem eſſe bonam, præter illam ſolam quæ ex omnibus ſuis cauſis bonis & legitimis naſcitur. Iſtiuſmodi tamen actio, vtcunque ſit ſpecioſa, atque adeò bona, aliquid labeculæ vel defectûs ratione carnis aſperſum habet, ſaltem in gradu, vndè aliquatenus redditur mala. Hoc fatetur Dionyſius his verbis: *Malum verò ex quocunque defectu.* Cæterùm hæc actio, licèt ad ſummum bonitatis gradum non pertingat, denominanda tamen eſt bona potiùs quàm mala, quia id quod bonum eſt, vincit ac prædominatur.

PHIL. Immò id quod aſſerit Champnæus, clarum eſt ex communi omnium iudicio, [a] *Qui hominem vitioſum æſtimant, tametſi vno tantùm vitio laboret, ſimiliter & pomum carioſum, & vas fractum dicunt, etiamſi maior pars integra ſit & incorrupta, dummodo ex aliqua parte ſint vitiata. Hominem etiam claudum dicimus vel mancum, etiamſi vno tantùm pede claudicat, vel vnâ manu priuetur. Ex quibus omnibus & infinitis alijs exemplis illud Maſoni dictum, quòd actiones noſtræ ex meliori parte denominentur, falſiſſimum eſſe luce clariùs conſtat. Iſte autem abſurdiſſimus illius error ex ignorantia principiorum Philoſophiæ naturalis oritur, &c.*

[a] P.654.

ORTH. Egregiè. 1°. Falſam Maſono ſententiam affingit, vt erroris poſſit inſimulare. 2°. Pro ſuo candore, ad fictitij huius erroris fontem, digitum intendit, ignorantiam ſcilicet Philoſophiæ. At hunc Philoſophaſtrum animaduertere oportuit, nos, cùm dicimus opera renatorum eſſe bona imperfectè, vel ex parte tantùm, non dirimere actiones vel opera in duas partes integrales ſeparatas, quarum altera ſit bona, altera mala, vt fit in exemplis à te allatis: concedimus enim actionem bonam eſſe poſſe ſecundùm omnes ſuas partes integrales, interim vt in ſingulis ſit defectus quoad gradum.

9 PHIL. [b] 4°. *Pura oblatio à Propheta prædicta, de vero ac proprio ſacrificio intellecta, cum alijs Sacræ Scripturæ locis, vbi de ſacrificio nouæ legis eſt ſermo, rectè concordat, vt ex iſtis paucis apparebit:* [c] *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech;* [d] *Melchiſedech autem protulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* [e] *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* [f] *Habemus altare, de quo comedere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt; &,* [g] *Auferent iuge ſacrificium. Quæ omnia, ad literam intellecta, ſacrificium verum ac proprium, & non metaphoricum probant & conuincunt.*

[b] Champ.p.657. [c] Pſal.109. [d] Gen.14. [e] Luc.22.19. [f] Heb.13.10. [g] Dan.11.31.

ORTH. De Melchiſedecho ſuprà diximus de verbis inſtitutionis & altari, infra, ſuis locis, eſt agendum. Supereſt locus Danielis de iugi ſacrificio, quem dum Champnæus de nouæ legis ſacrificio exponit, ſe præbet ridiculum, & tamen hoc ipſo Miſſam ſuam iugulat.

PHIL. [h] *Teſtimonium Malachiæ, de vero ſacrificio intellectum, nullam habet cum vllo totius ſacræ Scripturæ teſtimonio repugnantiam.*

[h] Champ.p.658.

ORTH.

Digitized by Google

Orth. Quaſi verò illis omnibus non repugnaret, quæ Chriſtum ſemel duntaxat oblatum eſſe docent.

Phil. [a] 5°. *Non minùs conuenit cum lege naturæ, & lumine naturali, quòd ſit verum ac proprium ſacrificium in lege Euangelica, quàm quòd tale ſacrificium fuerit in Lege Moſaica; immò eò magis rationi conſonum eſt, quò arctioribus gratitudinis vinculis, pro pluribus & maioribus beneficijs acceptis, Deo aſtricti tenemur, &c.*

[a] *Ibidem.*

Orth. In lege Euangelica eſt Chriſti ſacrificium in ara crucis peractum, Moſaicorum omnium vita & anima. Neque par eſt vt nos gratitudinis ergo externa ſacrificia iam Deo offeramus. Hæc enim Deo eſſent ingratiſſima, quia his omnibus finem impoſuit ſacrificium Chriſti gratiſſimi odoris, in quo ſolo Deus Pater acquieſcit.

Phil. [b] 6°. *Antiqua Eccleſia (cuius iudicium aduerſarij noſtri reijcere meritò erubeſcunt) iſtud Prophetæ Malachiæ teſtimonium de vero ac proprio ſacrificio, immò eodem quod Chriſtus Dominus in vltima cæna obtulit & inſtituit, intellexit.*

[b] *P. 659.*

Orth. Antiqui Patres, qui ſacrificij & oblationis in cæna Dominica crebram faciunt mentionem, aliquandò innuunt panis & vini oblationem ad vſum ſacramentalem, aliquandò oblationes fidelium in vſum pauperum, aliquandò officia quæ Deus à filijs ſuis hoc myſterium celebrantibus efflagitat, qualia ſunt gratiarum actiones, precationes, fides, ſpes, charitas, obedientia; & vt corpora ac animas noſtras Deo ſiſtamus hoſtiam viuam. Quoties autem ipſam Euchariſtiam ita appellant, vel de ſpirituali ſacrificio ſunt intelligendi, vel ſaltem non propriè, ſed figuratè ſunt accipiendi, vt ſuo loco oſtendam.

Phil. Nónne hæc munda oblatio etiam Euchariſtiam complectitur, ſecundùm Patres?

Orth. Non [c] nego; quatenus Euchariſtia eſt ſacrificium ſpirituale. Hæc enim munda apud Malachiam oblatio, ſpiritualia ſignificat ſacrificia ex ſententia Patrum. Irenæus [d] ait, *In omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum: incenſa autem Iohannes in Apocalypſi orationes eſſe ait Sanctorum.* [e] Tertullianus; *In omni loco ſacrificium nomini meo offeretur, & ſacrificium mundum, ſcilicet, ſimplex oratio de conſcientia pura.* Et alibi [f] hoc mundum ſacrificium exponit de *prædicatione Apoſtolorum.* [g] Hieronymus *Thymiama, hoc eſt Orationes Sanctorum.* [h] Auguſtinus *Incenſum, quod eſt Græcè θυμίαμα, ſicut exponit Iohannes in Apocalypſi.* [i] Euſebius hæc pulchrè & concinnè inter ſe connectit. τὸ δι᾽ εὐχῶν θυμίαμα, id eſt, orationum incenſum.

[c] *Vid. Th. Bilſon. nup. Epiſ. Wint. de vera obed. part. 4.*
[d] *Iren. l. 4. c. 33.*
[e] *Tert. aduerſ. Marc. l. 4.*
[f] *Adu. Iudæos.*
[g] *In Mal. cap. 1.*
[h] *Aug. cont. adu. legis & Prophet. l. 1. c. 20.*
[i] *Euſeb. demonſt. Euang. l. 1. p. 34. Lutetiæ per Rob. Steph. 1548.*

Phil. [k] Champnæus totum antiquorum Patrum ſenatum hîc in vnum coëgit, ex quibus ego, cæteris omiſſis, duos tantùm, quibus maximè nititur, adducam, Irenæum ſcilicet, & Auguſtinum. Et vt à Sancto Irenæo, qui ante mille & quadringentos annos vixit, incipiamus, ita ſcribit, [l] *Sed & Apoſtolis ſuis dans Conſi-*

[k] *Champ. p. 659.*
[l] *Iren. l. 4. c. 32.*

lium

In Samuele, qui ſucceſſit Eli: in Sadoco, ſuccedente Abiatharo, qui erat ex familia Eli. Nam Salomon exauthorauit Abiatharem, & eius loco conſtituit Sadocum. Quod factum eſt, teſtante Scriptura, [a] *vt impleretur Verbum Domini contra Eli in Silo.*

[a] 1. Reg. 2. 27.

PHIL. [b] Reſpondit [c] Auguſtinus, vaticinium illud impletum fuiſſe in Samuele, vel Sadoco, quatenùs gerebant figuram Chriſtianorum Sacerdotum. Itaque eiectio Eli erat figura eiectionis Sacerdotij Aaronici; & aſſumptio Samuelis & Sadoci fuit figura aſſumptionis Sacerdotij Chriſtiani. Quod probat, quia Scriptura dicens eijciendum Eli cum Patribus ſuis, apertè loquitur de Aarone; ſiquidem nominat eum, qui primus in exitu ex Ægypto conſtitutus eſt Sacerdos.

[b] *Vide Bell. de miſſ. l. 1. c. 9.*
[c] *De ciu. Dei. l. 17. c. 5.*

ORTH. Vt hæc omnia concedantur, quid inde concludes? Si excitet Deus Sacerdotem Chriſtianum, ergóne miſſificantem?

PHIL. Vel maximè. Nam Dominum de Sacerdote propriè dicto locutum docet Eſaias, qui noui Teſtamenti ſtatum Spiritu Prophetico ſic delineauit: [d] *Cognoſcent Ægyptij Dominum ſuum in die illo, & colent eum in hoſtijs & muneribus.* Nec loquitur Propheta de ſpiritualibus ſacrificijs. Nam eodem loco fit mentio Altaris Domini, in viſibili loco conſtituti: [e] *In die illo erit Altare Domini in medio Ægypti.* Et rurſus; [f] *Sacerdotes Iehouæ vocabimini Miniſtri Dei noſtri, dicetur vobis.* Et iterum: [g] *Aſſumam in Sacerdotes & Leuitas, ait Iehoua.*

[d] Eſa. 19. 21.
[e] v. 19.
[f] 61. 6.
[g] Eſ. 66. 21.

ORTH. Iſti loci Eſaiæ per conſimiles exponi poſſunt: [h] *Adducent Gentes oblationem Iehouæ.* Illud igitur, cuius cauſâ Sacerdotes nominantur, eſt Gentium adductio: at oblatio Gentium eſt ſpirituale ſacrificium, quod offerunt Miniſtri, dum per Euangelij prædicationem Gentes conuertunt. [i] Sum Miniſter Ieſu Chriſti in Gentibus, ſanctificans Euangelium, vt oblatio Gentium fiat accepta, ſanctificata in Spiritu Sancto. Porrò, hanc Gentium conuerſionem ſolent Prophetæ figurato loquendi genere, alludendo ſcilicet ad ceremonias legales, deſcribere: [k] *Omnes greges Kedar congregabuntur ad te; arietes Nebaiothi miniſtrabunt tibi; aſcendentes altare meum accepti erunt, cùm domum ornatus mei ornabo.* Similiter ſpiritualia fidelium Sacrificia eiſdem metaphoris exornantur. Vt in illo Dauidis: [l] Tunc delectaberis ſacrificijs iuſtitiæ, holocauſto, & prorſus conſumendo, tunc pij offerent vitulos ſuper Altare tuum. Quo in loco, per vitulos, intelligit vitulos labiorum, id eſt, orationes, & gratiarũ actiones. Eadem eſt holocauſti ratio. Quamobrem vt ſpiritualia ſacrificia per Leuitica analogicè ſignificantur, ita Miniſtri Euangelici analogiâ non diſſimili Sacerdotes & Leuitæ appellantur. [m] *Ex iſtis aſſumam in Sacerdotes & Leuitas, ait Iehoua.* Vbi vox (Sacerdotes) non ſumitur propriè pro ſacrificantibus; nam ſic & vox (Leuitas) etiam propriè ſumeretur; quod defendi non poteſt. Ex iſtis igitur locis ſatis dilucidis, reliqui à te allati lucem mutuari poſſunt.

[h] Eſa. 66. 20.
[i] Rom. 15. 16.
[k] Eſa. 60. 7.
[l] Pſal. 51. 31.
[m] Eſa. 66. 21.

PHIL.

PHIL. Immò propriè ſunt Sacerdotes ratione externi ſacrificij propriè dicti, quod ab illis propriè offertur; vt ex Malachia Propheta luculenter apparet: [a] *Ab ortu Solis vſque ad occaſum eius, magnum eſt nomen meum in Gentibus. Et in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, ait Dominus exercituum.* [a] *Mal.1.11.*

ORTH. Vel ſic potiùs ſecundùm Hebraicam veritatem: In omni loco incenſum offertur nomini meo, & oblatio munda. Quæ verba non ſignificant incenſum & ſacrificium propriè dictum, ſed ſpiritualia.

PHIL. [b] *Si vlla nobis ſuppetat certa via verum ſacræ Scripturæ ſenſum inueſtigandi, vel ex ipſorum verborum litera & ſono, vel ex loci ipſius contextu, vel ex antiqua Eccleſiæ interpretatione & intelligentia, vel ex concordia & conformitate, tam cum alijs Sacræ paginæ locis, quàm cum rationis lumine & diſcurſu, vel tandem ex his omnibus ſimul; iſtorum nouatorum noſtrorum interpretationem falſam, & illam Catholicorum (qui per oblationem hanc mundam verum ſacrificium intelligunt) veram eſſe neceſſe eſt fateri.* 1°. Enim verba iſta (ſacrificatur, & offertur, & ſimilia) cùm ſpiritualiter ſumuntur, limitationem habent quâ coarctantur; verbi gratiâ, cùm dicitur, ſacrificium laudis, ſacrificium precationis; at hoc in loco Propheta mundæ tantùm oblationis meminit, ſine vlla adiectione reſtringente vel limitante. Et ſanè (vt rectè Cardinalis [c] Alanus) *hoc vocabulum ſacrificare & offerre per ſe ſumptum ſine termino diminuente, ſemper in Scriptura propriè pro actu externi ſacrificij accipitur. Quum verò dicitur hoſtia laudis, hoſtia vociferationis, ſacrificium contritionis, & ſimilia, ex adiunctis facilè intelligitur impropriè accipi.* [b] *Champ. p.633.* [c] *De Euchar. ſacrif. l.2. c.5.*

ORTH. Hoc falſum eſſe euincam. 1°. Ex voce oblationis. 2°. Ex voce ſacrificij. In voce oblationis hanc regulam non eſſe perpetuæ veritatis ex Eſaia Propheta conſtat, his verbis: [d] *Adducent omnes fratres veſtros de cunctis Gentibus oblationem Iehouæ.* Vbi Eſaias eôdem vtitur vocabulo quo Malachias, idque ſine termino diminuente; non innuit tamen Gentes offerendas eſſe carnaliter, ſed ſpiritualiter. [d] *Eſa.66.20.*

PHIL. [e] *Non eſt ad rem hoc exemplum. Quis enim non videt particulam illam (fratres) verbum illud (donum) ad ſpiritualem ſenſum reſtringere?* [e] *Champ. p.634.*

ORTH. Si in hac propoſitione, *Adducent fratres donum ſeu oblationẽ Iehouæ*, vox (fratres) ſit terminus diminuens, trahens donum, ſeu oblationem, ad ſenſum ſpiritualem, idem fiet in hac propoſitione, [f] *Aaron obtulit Leuitas*; & in hac, *Qui promiſſiones accepit, obtulit* [g] *vnigenitum.* At iſtæ voces (Leuitas, & vnigenitum) non ſunt termini diminuentes. (Námque Aaron propriè & externâ oblatione obtulit Leuitas, & Abraham propriè obtulit, id eſt, (vt rectè [h] Aquinas) *offerre voluit* vnigenitum ſuum) ac proinde neque vox illa (fratres.) Etenim, quoad vim vocis, par eſt ratio. Quare licèt veriſſimum ſit, fratres offerendos eſſe ſpiritualiter, hoc tamen [f] *Num.8.11.* [g] *Heb.11.17.* [h] *In illum locum.*

non

Digitized by Google

non ſit vi vocis, quaſi vox (fratres) eſſet terminus diminuens, ſed
[a Rom.15.16.] quia Scriptura [a] alibi oſtendit huius oblationis modum eſſe ſpiritualem, 2°. Alani regula ex voce ſacrificij confutatur. Nam vbi ille, veterem verſionem ſecutus, habet, *Sacrificatur & offertur* oblatio munda, Hebraicus contextus, quem Græca 70. Interpretum ſequitur editio, habet, *Incenſum offertur, & oblatio.* Vbi vox (Incenſum) (vobis fatentibus) per ſe ſumitur ſine termino diminuente; ſignificat tamen orationes Sanctorum, vt Irenæus, Tertullianus, Euſebius, Hieronymus, & Auguſtinus, paulò pòſt citandi, ſecun-
[b Apoc.5.8.] dùm [b] Scripturas docent.

4 Phil. [c] 2°. *Cohærentia contextus oſtendit, Prophetam loqui de ve-*
[c Champ.ibid.] *ro ac proprio ſacrificio. Nam in toto illo capite facit antitheſin inter puram hanc oblationem, & oblationes, ſeu ſacrificia Legis Moſaicæ, quæ vera ac propria erant ſacrificia, nec verbum vllum habet de ſacrificio improprio, ſeu Metaphorico.*

Orth. Capite tertio, verſu tertio eſt locus illuſtris; vbi prædicit Propheta, *Iehouam purgaturum filios Leui, & defæcaturum eos velut aurum & argentum, vt ſint Iehouæ qui offerant oblationem in iuſtitia:* Vbi clariſſimum eſt, illa verba (filios Leui) non eſſe accipienda propriè, ſed tropologicè, vt deſignent ſpirituales Leuitas; quorum oblatio eſt ſpiritualis. Si filios Leui accipiamus propriè, actum eſt de veſtris Sacerdotibus, quippe qui non ſint de tribu Leui.

5 Phil. [d] 3°. *Proprietates ſacrificij hic deſcripti, non conueniunt ſa-*
[d Champ.p.635.] *crificio ſpirituali & metaphorico, orationi ſcilicet, gratiarum actioni, & huiuſmodi. Nam ſacrificium, de quo hic Propheta, vnicum eſt, illa verò plura.* Vel, vt verbis vtar Cardinalis Alani, [e] *Sacrificium hoc*
[e De Euch.ſacr. l.2.c.5.] *vnum eſt; ideóque non denotat ſpiritualia ſacrificia, quæ tot ſunt, quot Chriſtianitatis bona opera.*

Orth. Quamuis vocabulum oblationis, hìc à Propheta vſurpatum, ſit ſingularis numeri, hâc tamen oblatione multæ oblationes ſignificari poſſunt; verbi gratiâ, cùm dicitur, [f] *Hoſtiam & obla-*
[f Heb.10.8.] *tionem noluiſti.*

[g P.637.] Phil. [g] Champnæus oſtendit inſtantiam tuam non eſſe ad propoſitum; quia non eſt eadem ratio propoſitionis affirmantis, qualis eſt illa Malachiæ, & negantis, qualis eſt iſta à te allata.

Orth. Illuſtrabo igitur in propoſitione affirmante: apud
[h Dan.9.27.] [h] Danielem ſic dicit Gabriel; *Aboleuit ſacrificium & oblationem.* Vbi Propheta eâdem vtitur voce, quâ Malachias. Quid igitur dicendum? An quia vox oblationis eſt ſingularis numeri, idcirco Propheta non intelligit oblationes, ſiue Paganorum, ſiue Iudæorum, quia multæ ſunt, ſed ſolam oblationem miſſæ, quæ vnica eſt? Itáne verò? Ergo hic erit ſenſus: Deus abolebit oblationem, id eſt, miſſam.

Phil. Nequaquam. Sed per hæc verba ſignificatur, ceſſa-
[i Comment. in Dan.1.10.] tura Iudæorum ſacrificia, vt rectè exponit [i] Pererius.

Orth. Si hæc vox ſingularis numeri deſignet Iudæorum ſacrificia,

crificia, quæ ſunt multa, ídque in propoſitione affirmante; hæc eadem vox in ſimili propoſitione non arguit oblationem apud Malachiam eſſe vnicam. Quarè hæc Alana ratio, quam premit Champnæus, eſt iuncea & ſtraminea. Porrò hac ipſa in cauſa vobis aduerſatur vetus interpres, qui hanc eandem vocem apud eundem Prophetam reddit [a] *ſacrificia,* in plurali numero. Cuius authoritate munitus, ſic diſputo: Oblatio apud Malachiam, iudicio veteris Interpretis, qui vobis eſt authenticus, ſignificat ſacrificia in plurali numero, id eſt, multa ſacrificia: at Miſſæ ſacrificium vobis teſtibus eſt vnicum: ergo oblatio apud Malachiam non eſt ſacrificium Miſſæ: De prima proprietate hactenus; audiamus ſecundam.

[a] *Mal. 3. 3.*

Phil. [b] *Iſtud ſacrificium eſt proprium nouæ Legis, & Gentium, non Iudæorum: ſed ſpiritualia precum & operum ſacrificia ſunt Iudæis nobiſcum communia.* 6

[b] *Alan. ibid.*

Orth. Illis perinde ac nobis omni in loco Deum precari & laudare licuit; ſpiritualia tamen ſacrificia illorum officio plenè & cumulatè ſatisfacere non poterant, niſi carnalia inſuper, loco & tempore à lege ſtatutis, adiungerentur; ita ſpiritualia eorum ſacrificia mixta erant; cùm noſtra merè ſint ſpiritualia, quæ nouo Teſtamento propria ac peculiaria exiſtunt.

Phil. [c] *Nónne hoc eſt religionem Iudæorum Chriſtianæ religioni manifeſtè anteferre? Si námque Iudæi oblationes & ſacrificia (in quibus profeſsio & cultus religionis præcipuè conſiſtit) eadem cum Chriſtianis habeant, & præterea ſacrificia externa & corporalia frequentent, quibus non ſolùm laudes & gratiarum actiones, ſed etiam bona ſua & temporalem ſubſtantiam Deo offerunt, quis negare poteſt eorum cultum & religionem noſtram longo interuallo poſt ſe relinquere?*

[c] *Champ. p. 638.*

Orth. Omnes qui rectè ſapiunt. Doctrina Prophetarum erat quaſi lucerna; doctrina Euangelica eſt tanquam Sol meridianus, omnia ſuo fulgore irradians, & colluſtrans. Cæremoniæ apud Iudæos plures erant, ſed onoroſæ, & impeditæ; apud Chriſtianos pauciores, ſed faciles, & explicatæ. Iudæorum ſacrificia eò ſpectabant, vt ſine faſtidio & intelligentes magis magíſque venturi Chriſti admonerent, & rudes in tanto ſignorum numero vnum ſaltem inuenirent, quo quod futurum promitteretur intelligerent. Nunc ablata ſunt ſigna promittentia, quia exhibita eſt veritas promiſſa. Chriſti ſacrificium omnibus externis finem impoſuit: Hoc vnicum eſt & ſingulare noui Teſtamenti, ac religionis Chriſtianæ externum & viſibile ſacrificium, reliquorum omnium veritas & complementum. Hinc elucet quanta ſit religionis Chriſtianæ præ Iudaicâ dignitas & præſtantia. Hucuſque de ſecunda, quam narras, proprietate; ſuccedat tertia.

Phil. *Hoc, de quo Malachias, ſuccedit Iudaicis, eorúmque loco offertur: ſed oratio, ieiunium, charitatíſque opera nullis ſacrificijs ſuccedunt, ſed cuilibet generi coniunguntur.* 7

[d] *Alanus ibid.*

Orth. Quamuis ſpiritualia Iudæorum ſacrificia eadem eſſent quoad ſubſtantiam, quæ Chriſtianorum quoad modum, tamen differebant. Nam, vt monũi, eorum ſacrificia erant mixtim, noſtra merè ſpiritualia, & hæc illis ſuccedunt.

a Champ. p. 639. Phil. [a] *Exiſtimas te illud incommodum perdoctè præoccupâſſe, dicendo eorum ſacrificia mixtim, noſtra verò merè eſſe ſpiritualia. Quibus noſtra meliora perfectioráque eſſe innuere vis; quod tamen magis abſurdum eſt. Nam ſpiritualia atque interna ſacrificia, ex eo quod illis adiungantur corporalia & externa, non fiunt minùs ſpiritualia, & conſequenter neque minùs perfecta: quod tu ipſe in hoc exemplo non negabis. Si quis tibi crumenam cum centum nummis aureis daret, & alius aliam cum eodem aureorum numero, & inſuper centum argenteos nummos adijceret, non exiſtimares (ſcio) hunc poſteriorem aliquid minus, vel deterius tibi donâſſe. Quomodò ergo, niſi omninò excors euaſeris, ſacrificia ſpiritualia Iudæorum, quæ eadem eſſe dicis cum illis Chriſtianorum, minùs ſpiritualia, adeóque minùs perfecta, & non potiùs magis perfecta ex conſortio & adiunctione corporalium fieri, exiſtimare poſſis? Certè ſi aliter ſe res haberet, cùm Deus eis huiuſmodi corporalia, vnà cum ſpiritualibus, ſibi offerri præceperit, aliquid & ſibi minùs gratum, & ipſis offerentibus nociuum, vtpote ſacrificiorum ſuorum valorem & dignitatem imminuens præcepiſſet; quo nihil magis abſurdum excogitari poteſt. Ex his clarè concluditur, ad hoc vt cultus & religio Chriſtiana perfectior ſit quàm illa Iudæorum, & quòd Deus cultui perfectiori imperfectiorem ſubſtituiſſe non dicatur, neceſſarium eſſe in noua lege ſacrificium aliquod externum ſenſibile ac proprium, quod ſacrificijs ſimilibus Iudæorum ſuccedat, perfectiúſque illis exiſtat.*

Orth. Iudæorum ſacrificia, quamuis & Deo præcipienti grata, & ipſis ritè fungentibus vtilia, Chriſtianorum tamen ſacrificijs cedant oportet. In noua lege eſt vnicum illud, veriſſimum, & perfectiſſimum, quod omnibus Leuiticis, tanquam Sol vmbræ, præcellit. Hoc autem non eſt ſacrificium Miſſæ, ſed ſacrificium Crucis. Quinetiam noui Teſtamenti ſpiritualia ſacrificia, ſi cum illis Iudæorum conferantur, ſunt meliora & perfectiora. Deus e-
b Ioel 2, 28. nim per [b] Ioelem Prophetam promiſit ſe ſpiritum ſuum ſub nouo Teſtamento *in omnem carnem effuſurum*; non in vnum gentem, vt anteà, ſed in omnem carnem, id eſt, in omnes gentes; nec ſtillabit guttatim, vt anteà, ſed vbertim & copioſè effundet. Hinc conſtat, ſi veteris & noui Teſtamenti tempora inter ſe conferantur, nouum longè plura Spiritus Sancti chariſmata accepiſſe. Hîc ἐπὶ τὸ πολὺ cognitio clarior, fides firmior, amor intenſior, precatio ardentior, &c. Denique, licèt veteres ſua haberent externa ſacrificia, quæ Deo offerebant, non tamen propterea Chriſtianis antecellunt. Nam licèt nobis nulla iam ſuperſint, præter illud vnum quod Chriſtus pro nobis in ara Crucis ſemel obtulit, habemus tamen duo Sacramenta, quæ clariſſimo Euangelij verbo annexa, Chriſtum nobis crucifixum graphicè depingunt. E quibus alterum Eucharistia

Digitized by Google

chariſtia appellatur, in quo, pro noſtra per Chriſti ſanguinem redemptione, ſolennes Deo Patri aguntur gratiæ; vnde non immeritò ſpirituale noſtrum ſacrificium Euchariſticum, longè nobiliſſimum, dici poteſt. Ad tuas autem crumenas quod attinet, ſpiritualia ſacrificia, quæ Iudæi Deo offerebant, erant tanquam crumena aureis plena, ſed Rhenanis: quæ autem offerunt Chriſtiani, ſunt itidem veluti crumena aureis plena, ſed Daricis. Sint igitur externæ Iudæorum oblationes, eorum ſpiritualibus adiectæ, tanquam crumena argentea; Daricorum tamen crumena, reliquarum pretium non æquabit modò, ſed facilè vincet & ſuperabit. De tertia proprietate dictum eſt: expectamus quartam.

8 PHIL. [a] *Hæreticorum maximè iudicio noſtra opera ſunt inquinata, vtcunque ſpecioſa videantur: ſed hæc prophetica oblatio per ſe munda eſt, & ita per ſe munda præ veteribus hoſtijs, vt à nobis, vel à peſſimis Sacerdotibus pollui omninò non poſſit.*

[a] *Alanus ibid.*

ORTH. Súntne omnia noſtra ſacrificia ſpiritualia inquinata? Itáne verò? Ergo omnia Chriſtianorum bona opera ſunt imperfecta; & ſi imperfecta, iuſtificare non poſſunt; aut vitam æternam mereri, aut diuinæ iuſtitiæ ſatisfacere.

PHIL. [b] *Ignoranter omninò, & inſulſè has conſequentias ex antecedenti, quod tuum tantùm eſt & non aduerſariorum tuorum, contra eos infers. Iſtud enim antecedens (omnia ſpiritualia noſtra ſacrificia immunda ſunt) non eſt Catholicorum, ſed Proteſtantium doctrina.*

[b] *Champ. p. 642.*

ORTH. Perpendantur ſuperiora Alani verba. Non dicit, noſtra opera hæreticorũ iudicio eſſe inquinata, ſed hæreticorum maximè iudicio. Quid ſibi vult hoc vocabulum, maximè? Nónne planè innuit bona opera ex aliorum quoque ſententia, qui ſunt Catholici & Orthodoxi, eſſe contaminata, ſed maximè ex ſententia hæreticorum? Quarè an ego ignoranter & inſulſè hæc intulerim, penes eos, qui ſale conditi ſunt, iudicium eſto. *Verum* (inquis) *hæc eſt Proteſtantium doctrina, non Catholicorum.* At [c] Eſaias dicit, *omnes noſtras iuſtitias eſſe inſtar panni menſtruati*; ergo Eſaias erat Proteſtans, non Romano-Catholicus. [d] Dauid & [e] Paulus queruntur, *neminem eſſe qui faciat bonum, ne vnum quidem.* Ergo Dauid & Paulus erant Proteſtantes, non Romano-Catholici. [f] Auguſtinus dicit, *Pleniſſima charitas, quæ iam non poſſit augeri, quamdiu hìc homo viuit, eſt in nemine: quamdiu autem augeri poteſt, profectò illud quod minus eſt quàm debet, ex vitio eſt, quo vitio non eſt qui faciat bonum & non peccet.* Et alibi: [g] *Peccatum eſt, cùm vel non eſt charitas quæ eſſe debet, vel minor eſt quàm debet.* Gregorius Magnus, [h] *Bona quæ nos habere credimus, pura bona eſſe nequaquam poſſunt.* Et anteà: [i] *Sæpè ipſa iuſtitia noſtra, ad examen diuinæ iuſtitiæ deducta, iniuſtitia eſt, & ſordet in diſtrictione Iudicis, quod in æſtimatione fulget operantis.* Quamobrem, cùm bona opera, non modo ex ſententia noſtra, quos pro hæreticis habetis, ſed ſecundùm Scripturas & Sanctos Patres ſint contaminata, profectò non poſſunt iuſtificare, mereri, aut ſatisfacere.

[c] *Eſa. 64. 6.*
[d] *Pſa. 14. 3.*
[e] *Rom. 3. 12.*
[f] *Epiſt. 29.*
[g] *De perfect. iuſtitiæ. cap. 6.*
[h] *Greg. vlt. mor. c. vltim.*
[i] *L. 5. c. 8.*

Phil. Quin ſi munda ſint, qualia eſſe oportet, ſi modò ſint munda illa oblatio apud Malachiam, reuerà iuſtificare poſſunt, mereri, aut ſatisfacere.

Orth. Non ſequitur. Sunt enim munda, ſed imperfectè. Munda quidem quatenus à Spiritu Sancto, fonte ſcilicet Chriſtallino dimanant; imperfectè tamen, quatenus à voluntate humana, quæ ex parte tantùm regeneratur, profluunt. Ita hæc aqua, ratione fontis limpidiſſimi, pura; dum per canalem cænoſum ad nos tranſmittitur, labem contrahit & fluit impura.

Phil. Si bona noſtra opera ſint cænoſa & turbida, quomodò erunt pura illa oblatio apud Malachiam? [a] *Si iſta dextrè inter ſe componere poſſis, peritiſſimus quidem mihi artifex eris.* Bona, inquis, opera noſtra munda ſunt, ſed imperfectè. Hoc eſt (vt ſcitè [b] Champnæus) *diſertis verbis loquendo munda ſunt, ſed non ſunt munda:* quæ aperta eſt contradictio. Quod enim imperfectè mundum eſt, non eſt mundum, vt omnes nôrunt.

[a] Champ. p. 643.
[b] Ibid.

Orth. Quod imperfectè mundum eſt, id non eſt mundum in ſummo gradu; mundum tamen dici poteſt, licèt non ſit omnibus ſuis numeris abſolutum: qualitas enim, quoniam ratione inhæſionis in ſubiecto ſuſcipit magis & minùs, & gradibus variatur, tum demum perfecta appellatur, cùm ad ſummum vſque gradum intenditur; imperfecta quandò eſt in gradibus remiſſis. Sed age, Champnæe, qui te pro tam eximio dialectico nobis venditare ſoles, an putas qualitatem non denominare ſubiectum, niſi ſit in ſummo gradu? At iuxta Ariſtotelem aër eſt calidus, non tamen in ſummo gradu perinde ac ignis; vndè ſequitur eſſe calidum in remiſſis gradibus, id eſt, imperfectè; ab hoc tamen calore aër denominatur calidus. Hæc eſt doctrina Ariſtotelis, contra quem ex Principijs tuis ſic diſputare licet: Quid ais, Philoſophe? an aër eſt calidus, ſed imperfectè? Hoc eſt diſertis verbis loquendo, calidus eſt, ſed non eſt calidus, quæ aperta eſt contradictio. Quod enim imperfectè calidum eſt, id non eſt calidum, vt omnes nôrunt: tam bellè Champnæus ſuam callet dialecticam.

Phil. Deinde; [c] *vt probes noſtra opera, etiam ea quæ à diuina gratia procedunt, impura immundáque eſſe, à voluntate humana, ex parte tantùm regeneratà ea procedere ais, quaſi non eſſet tota renata.*

[c] Champ. p. 644.

Orth. Anima humana eſt tota renata, ſed non totaliter: tota, quoad intellectum, voluntatem & reliquas facultates; non totaliter, quia in ſingulis aliquid adhuc carnis remanet, perinde ac ſpiritus. Quemadmodum in crepuſculo totus noſter aër eſt luminoſus, ſed non totaliter; totus, quia ſingulæ Hemiſphærij partes lumine ſunt illuſtratæ, non totaliter, quia in ſingulis partibus ſunt aliquæ tenebræ luci admixtæ. Eodem planè modo fit in anima humana.

Phil. [d] *Quaſi verò non eſſet perfectè abluta: quod tu dicis contra*

[d] Champ. ibid.

quàm

Digitized by Google

quàm plurima ſacræ Scripturæ clariſſima teſtimonia. Dei perfecta ſunt opera, ait [a] *Moſes.* [a] *Deut.* 32.4.

ORTH. Sic diſputas. Omnia Dei opera ſunt perfecta; humanæ animæ regeneratio eſt opus Dei; Ergo eſt perfecta. Reſpondeo; Omnia ſunt perfecta reſpectu Dei, ſed non ſemper reſpectu rei: reſpectu Dei, quia tantùm habent perfectionis, quantùm erat in intentione agentis. Et ſic regeneratio eſt in hac vita perfecta. Deus enim ſemper finem ſibi propoſitum perfectè aſſequitur; & tantum gratiæ cuique largitur, quantum voluit: Omnia tamen non ſunt perfecta reſpectu rei; id eſt, non habent tantam perfectionem, quantæ natura ipſius rei eſt capax. Perfectio autem reſpectu rei multipliciter diſtribui poteſt, ſed ad inſtitutum noſtrum duplex eſt; quoad eſſentiam, & quoad gradum: regeneratio in hac vita habet perfectionem rei quoad eſſentiam, ſed non quoad gradum; vt patet ex verbis Spiritus Sancti, [b] *qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* [b] *Apoc.* 22.11.

PHIL. [c] *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua, inquit* [d] *Apoſtolus.* [c] *Champ. ibid.* [d] *Act.* 22.16.

ORTH. Baptiſmus, cùm ſit Sacramentum, abluit peccata ſacramentaliter, id eſt, eorum remiſſionem ſignificando, & obſignando: abluit autem non ſimpliciter, quoad maculam, (ſemper enim nobis inhæret peccatum inhabitans) ſed quoad reatum: Ita peccatum tollitur, non vt omninò non ſit, ſed vt non imputetur.

PHIL. [e] *Saluos* [f] *nos facit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus Sancti.* [e] *Champ. ibid.* [f] *Tit.* 3.5.

ORTH. Hæc verba bifariam exponi poſſunt: 1°. Vt per lauacrum regenerationis nihil aliud intelligatur, quàm ipſa regeneratio, quæ eſt quaſi lauacrum, in quo à peccatis abluimur: ſic Abraham accepiſſe dicitur [g] ſignum circumciſionis, id eſt, ipſam circumciſionem, quæ erat ſignum. Si hanc ſequamur interpretationem, res huc redit, nempe Deum nos ſaluos facere per regenerationem, vel renouationem à Spiritu Sancto profectam, tanquam per medium. Nam, cùm nihil immundum ingredi poſſit in Regnum cœlorum; neceſſe eſt vt nos, qui naturâ ſumus immundi, renouemur per Spiritum Sanctum, vt Regnum cœleſte adipiſcamur: ſed non hinc ſequitur renouationem noſtram eſſe vndequaquè perfectam. Nam Apoſtolus [h] alibi docet, *Noſtrum interiorem hominem renouari de die in diem.* In quem locum ſic Thomas, *Quia Sancti quotidiè proficiunt in puritate conſcientiæ & cognitione diuinorum; ideo dicit de die in diem.* 2°. Hæc verba accipi poſſunt, quaſi dicat Apoſtolus, nos per baptiſmum ſaluos fieri, qui eſt lauacrum regenerationis ſeu renouationis Spiritus Sancti. Iuxta illud, [i] *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in Verbo.* Hinc colligitur baptiſmum eſſe medium, quo Deus vtitur ad nos ſaluandos & lauandos, non modò per modum [g] *Rom.* 4.11. [h] 2. *Cor.* 4.16. [i] *Eph.* 5.25.

 iuſtifi-

Digitized by Google

iuſtificationis,ſed etiam per modum ſanctificationis: ſed non hinc ſequitur,ſanctificationem noſtram eſſe perfectam. Sanctificat enim Chriſtus Eccleſiam ſuam, * *Vt ſibi ſiſtat glorioſam, non habentem maculam aut rugam*. Quod tamen fit non in hac vita, ſed in *futura*, nec in locis terreſtribus, ſed in *cœleſtibus*, vt verè Hieronymus.

* Ver. 27.

Phil. Effundam ſuper vos aquam mundam, & *mundabimini* ab omnibus inquinamentis, ait Dominus per [a] Ezechielem Prophetam. *Lauabis me* (inquit Propheta [b] Dauid) *& ſuper niuem dealbabor*, cum innumeris alijs ſacræ Scripturæ teſtimonijs, quæ claré oſtendunt gratiam ſancti Spiritus cordibus noſtris infuſam, animas noſtras adeò ab omni inquinamento peccati purgare, vt eas niue ac lanâ mundâ nitidiores reddat. Quomodò ergo adeò impuras & (vt tuâ metaphorâ vtar) lutulentas eas relinquat, vt opera noſtra, quæ a clara puráque diuinæ gratiæ ſcaturigine profluunt, ab illis inficiantur, impuráque reddantur? Hoc merum hæreticorum eſt commentum. Idcircò pluſquàm falſum eſt, animas noſtras adeò imperfectè regeneratas eſſe, vt opera noſtra à diuina gratia promanantia, immunda ſint, atque impura.

a Ezec. 36. 25.
b Pſal. 51. 7.

Orth. Aqua munda, quæ ſuper nos effunditur, eſt ſanguis filij Dei, qui nos purgat ab omni peccato, vt ſuper niuem dealbemur: quod tamen fit ratione iuſtificationis, & non reſpectu ſanctificationis. Sanctus enim Iohannes, cùm dixiſſet nos [c] *purgari ab omni peccato*, ſtatim addit, *Si dixerimus nos peccatum non habere, nos ipſos fallimus, & veritas in nobis non eſt*. Habemus igitur peccatum, & tamen ſanguis Chriſti nos purgat ab omni peccato. Quomodò hæc cohærent? Satis rectè. Sanguis Chriſti nos purgat ab omni reatu, ſemper tamen aliqua nobis macula inhæret. Vnde veriſſimè concluditur, regenerationem noſtram, dum hìc viuimus, eſſe imperfectam; & per conſequens, bona opera noſtra ſemper aliquid fecis habere admixtum.

c 1. Ioh. 1. 7.

Phil. Quomodò igitur erunt pura illa oblatio apud Malachiam?

Orth. Denominatio ſequitur digniorem partem, et Dei in filijs ſuis chariſmata [d], *ſimilia ſunt luci ſplendidæ, pergenti lucere vſque ad diem perfectum*. Quamuis autem caro aduerſus Spiritum reluctetur, Spiritus tamen tandem aliquandò glorioſam reportabit victoriam, & ipſa caro, id eſt, naturæ corruptio, penitùs abolebitur. Intereà, licèt bona noſtra opera à carne contaminentur, Deus tamen, nobis in Chriſto reconciliatus, in illa, tanquam iratus Iudex non animaduertit, ſed, vt clementiſſimus Pater, peccata pœnitentibus & credentibus non imputans, ſua in nobis coronat dona. Ita, cùm ſint imperfecta, non poſſunt iuſtificare, mereri, aut ſatisfacere; cùm tamen ſint diuina in nobis chariſmata, verè dici poſſunt munda illa apud Malachiam oblatio.

d Prou. 4. 18.

Phil. [e] *Vix tot ſunt hìc verba, quot abſurda; & in ſummâ, nihil probatum,*

e Champ. p. 646.

Digitized by Google

probatum, ſed nonnulla nudè, abſq; omni vel ratione, vel authoritate aſſerta atque affirmata; quæ quamuis eâdem ratione & facilitate, abſque alia refutatione, iure reijci poſſent, ea tamen diſcutiemus. In quibus duo ſunt craſſiſſima abſurda. Primum, quo ſupponitur, opera noſtra & actiones duas habere partes, vnam mundam ſeu puram, vtpote à Deo, & à ſancta ſua gratia procedentem; alteram impuram, quæ ab humana voluntate, ex parte tantùm regeneratâ emanat: ſecundùm quam doctrinam, ſeu chimericam imaginationem potiùs, non tantùm opera noſtra bona, ſed maxima noſtra ſcelera, pura oblatio à Malachia prædicta dici poſſunt, quia omnia noſtra opera, & actiones reales & poſitiuæ, quantumuis peſſimæ, ſecundùm aliquam ſui partem (vt loquitur Maſonus) à Deo procedunt, & ab eo dependent. Omnia [a] opera noſtra operatus es in nobis, inquit Propheta. Et Christus Dominus, [b] Sine me nihil poteſtis facere; ſecundùm quam partem munda dici poſſunt, vtpote à Deo procedentem. Et quia denominatio (vt ait Maſonus) ex digniore parte ſumenda eſt, illæ peſſimæ actiones pura oblatio dici poſſunt. Hanc impiiſſimam doctrinam eſſe Maſonus (vt opinor) non negabit; & tamen, iuxta fundamenta & principia ab eo poſita, illam defendere tenetur.

[a] Eſ. 26. 12.
[b] Joh. 15. 5.

ORTH. Hîc inſignis ſe prodit Champnæi fraus & impoſtura. Nam quod Maſonus affirmat in ſpecie de bonis noſtris operibus, id Champnæus, malâ fide & remordente conſcientiâ, rapit ad opera noſtra in genere, atque ita, ad maxima ſcelera & flagitia accommodans, cum vmbra ſua dimicat. Et, vt victum hoſtem ante currum ſuum triumphalem non ſine pompa ducat, apponit in margine, *ad abſurdum ducitur Maſonus.* Sed hoc abſurdum non ſequitur ex Maſoni doctrina, vt mox oſtendam, ſed ex nothis & adulterinis principijs, quæ dolo malo ſuppoſuit Champnæus.

PHIL. *Vera Philoſophia docet, omnes noſtras actiones, ſecundùm totam integrámque realem naturam, quam in ſe habent, à Deo procedere, ab eóque in ſua productione dependêre, & nihilominùs ſecundùm totam eandem naturam à nobis produci, alia tamen atque aliâ ratione. A Deo enim tanquam à cauſa prima, vniuerſali, indeterminatâ atque independenti procedunt; à nobis verò tanquam à cauſis ſecundis, particularibus, determinatis, atque à prima cauſa in eſſe & in operari dependentibus; à quibus qualitatem, valorem, & denominationem ſuam deſumunt; adeò vt ſi bona ſint, ſecundùm totam ſuam naturam ſunt bona moraliter; ſi verò mala, ſecundùm totam ſimiliter naturam ſuam mala ſunt, malitiâ ſcilicet morali; & non ſunt bona ſecundùm aliquam partem, mala verò ſecundùm aliam.* Hactenus Champnæus: qui rem totam illuſtrat rebus naturalibus, in quibus, illa actio, quâ ignis, roſa, equus producitur, non eſt multiplex, ſed vna actio, tametſi non ſolùm ab igne, planta, vel equo procedat, ſed etiam à ſole, & Deo: & res producta eſt vna eadémque res, neque partim vna, partim altera, ſed tota vnius atque eiuſdem generis, ſeu ſpeciei, quam à cauſa ſua proxima & immediata deſumit, quæ per ſuum concurſum & cooperationem, actiones indifferentes & indeterminatas

[c] Champ. p. 648.

Digitized by Google

cauſarum ſuperiorum determinat ad talem effectum producendum. [a] *Eodem modo actiones morales, quamuis à Deo quoad totam ſuam realem ſubſtantiam & naturam procedant, ſicut à nobis, non tamen moralem ſuam bonitatem & valorem ab eo, vel ab ipſius cöoperatione deſumunt, ſed à nobis, & à noſtra operatione. Idcirco ſi rectæ rationi conformes ſint, bonæ ſunt, honeſtæ atque laudabiles, totaliter quidem, & non tantùm ſecundùm aliquam partem.* [b] Pari modo actiones ſupernaturales, *quæ* ab humana voluntate, *à gratia cæleſti adiutæ & informatæ, eliciuntur, non partim ſunt bonæ vel puræ, partim prauæ vel impuræ, ſed ſecundùm ſe totas puræ ſunt, atque Deo gratæ. Et ex his tandem quàm falſa & fictitia ſit illa Maſoni imaginatio de operum noſtrorum mixtione, nimirum, vt partim pura ſint, partim impura, ſatis clarè, vt opinor, omnibus conſtat.*

a P. 651.

b Vide p. 652.

ORTH. Actiones noſtræ ſpirituales, ſecundùm ſe totas bonæ, puræ, perfectæ eſſe poſſunt perfectione partium, ſed non perfectione graduum. Etenim opus bonum eſſe poteſt per ſingulas partes, interim vt deficiat ab illo bonitatis gradu quem lex efflagitat. Quicquid autem deficit, eſt in vitio. Iſtiuſmodi defectum vel optimis noſtris adhæreſcere actionibus, eſt luce clarius. Principia actionum in homine ſunt intellectus, & voluntas. Intellectus in doctiſſimis & ſanctiſſimis hominibus non eſt diuino ſplendore plenè illuſtratus. Nunc enim (teſte Apoſtolo) [c] *ex parte tantùm cognoſcimus:* quod autem ex parte tantùm eſt, id imperfectum eſt. Noſtra igitur diuinarum rerum in hac vita cognitio eſt imperfecta: Porrò voluntas ab intellectu pendet: tantum enim diligimus, quantum cognoſcimus; nec vltrà amor poteſt aſcendere: nam *ignoti nulla cupido.* Quare vt bonum cognoſcimus imperfectè, ita non pleno impetu in bonum rapimur, ſed charitas noſtra eſt imperfecta. Vndè neceſſariò ſequitur, opera noſtra quæ à charitate manant (nam [e] *fides per charitatem operatur*) eſſe imperfecta. Hæc veriſſima ſunt, nec vllis ſophiſtarum machinis labefactanda.

c 1. Cor. 13. 12.

e Gal. 5. 6.

PHIL. [d] *Secundum abſurdum, in verbis Maſoni contentum, eſt, quòd opera noſtra à potiore ac meliore parte denominantur.*

d Champ. p. 653.

ORTH. Champnæus, vt anteà monui, malâ fide Maſoni verba recitat. Non enim loquitur de operibus noſtris in genere, vt innuit Champnæus, ſed in ſpecie de bonis operibus: in quibus veriſſimum eſt, denominationem ſumi à digniori parte. Sed hîc eſt obſeruandum in ſingulis renatis duos eſſe quaſi athletas; Spiritum, & carnem. Per Spiritum, intelligitur regenerationis gratia à Spiritu Sancto profecta; per carnem, ſignificantur natiuæ labis reliquiæ, nobis vſque inhærentes, nec vnquam, niſi in morte, penitùs abolendæ. 2°. Obſeruandum inter hos duos antagoniſtas, eſſe perpetuam luctam; de qua Apoſtolus: [e] *Caro concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem.* 3°. Obſeruandum propter hanc luctam, renatorum actiones non eſſe in ſummo gradu bonas, nec in ſummo gradu malas; hæc enim (vt ſubiungit Apoſtolus) *ſibi*

e Gal. 5. 17.

Digitized by Google

ſibi inuicem aduerſantur, vt non quacunque vultis illa faciatis; non poſſumus igitur ea facere quæ volumus, neque in bonis, neque in malis. Non in bonis, quia caro concupiſcit aduerſus Spiritum; ideóque [a] *quod volo bonum, non facio.* Non in malis, quia Spiritus reluctatur carni, adeò vt inter perpetrandum malum ſit aliquod mali odium; iuxta illud; [b] *Quod odi, hoc facio.* 4°. Cùm optimis renatorum actionibus, & ſingulis earum partibus inſit aliquid mali; quærendum an vlla renatorum actio ſit dicenda bona? Reſpondeo, Opus bonum dupliciter accipi; eſt enim aliud abſolutè bonum, aliud bonum quidem, ſed non abſolutè. Opus abſolutè bonum appello, quod Legis diuinæ rigori per omnia pleniſſimè reſpondet, adeò vt nulla penitùs adhæreat natiuæ labis aſperſio, cuiuſmodi bonum opus à nullo mortalium in hac vita (ſolo Chriſto excepto) præſtitum vnquam fuit, aut præſtari poteſt: iuxta illud, [c] *Non eſt qui faciat bonum, ne vnus quidem.* Opera tamen renatorum à fide profecta, & ad legis normam, pro regenerationis menſura, compoſita & conformata, in ſacris Literis bonorum operum ornantur titulo; non abſolutè tamen, ſed quia ex parte ſunt bona, & ex parte munda; munda ex comparatione, munda ex acceptatione diuina. 5°. Cùm in quouis opere renatorum, ſeu bono, ſeu malo, ſit aliquid boni à Spiritu, & aliquid mali à carne, quæritur vnde ſumenda ſit denominatio? Huic quæſtioni ita in genere propoſitæ reſponderi poteſt; denominari actionem à qualitate intentiore, vel prædominante. Si vincat Spiritus, illa actio à Spiritu dicenda eſt ſpiritualis, id eſt, bona, pura, munda; ſin in hoc conflictu ſuperior euadat caro, hæc actio à carne dicenda eſt carnalis, id eſt, mala, impura, immunda. Denique, cùm certum ſit in omni bona actione vincere & prædominari Spiritum, qui carne dignior eſt & melior, inde ſequitur veriſſimum eſſe quod dixit Maſonus, bona ſcilicet opera à parte digniore denominari.

a Rom. 7.19.
b Rom. 7.15.
c Rom. 3.12.

PHIL. [d] *Contrarium veriſſimum eſt, vt conſtat ex clariſſima illa regula, obſeruatà primò à Sancto Dionyſio, & ab omnibus poſtea, tam Philoſophis quàm Theologis, agnità. Bonum ex integra cauſa, malum verò ex quocunque defectu: adeò vt omnis actio vel operatio humana ex aliqua parte vitioſa, praua ſit & impura. Idcircò cùm omnes actiones noſtræ imperfectæ ſint, & ex parte impuræ (vt Maſonus cum omnibus ſuis docet) abſolutè malæ erunt & immundæ, ac proinde pura oblatio à Propheta prædicta eſſe nequeunt.*

d Champ. p. 673.

ORTH. Regula illa eſt rectiſſima, ſi rectè intelligatur; nempe, vt quid dicatur bonum, neceſſe eſt vt fluat ex integra cauſa, id eſt, ex quatuor cauſarum generibus, efficiente, materiâ, formâ, fine, rectè ſe habentibus: ex quibus ſi vnica duntaxat deficiat, ex illo defectu vitiatur actio, & mala redditur. Verbi gratiâ, vt precatio ſit ſancta, requiritur vt precemur ex fide, pro rebus licitis, iuxta Verbi normam, ad gloriam Dei: ex quibus conditionibus ſi vnica deſit, precatio noſtra fit vitioſa. Hæc ſunt veriſſima, ſed nos non

feriunt.

feriunt. Nos agnoſcimus cum Dionyſio, nullam actionem eſſe bonam, præter illam ſolam quæ ex omnibus ſuis cauſis bonis & legitimis naſcitur. Iſtiuſmodi tamen actio, vtcunque ſit ſpecioſa, atque adeò bona, aliquid labeculæ vel defectûs ratione carnis aſperſum habet, ſaltem in gradu, vndè aliquatenus redditur mala. Hoc fatetur Dionyſius his verbis: *Malum verò ex quocunque defectu.* Cæterùm hæc actio, licèt ad ſummum bonitatis gradum non pertingat, denominanda tamen eſt bona potiùs quàm mala; quia id quod bonum eſt, vincit ac prædominatur.

PHIL. Immò id quod aſſerit Champnæus, clarum eſt ex communi omnium iudicio, [a] *Qui hominem vitioſum æſtimant, tametſi vno tantùm vitio laboret, ſimiliter & pomum carioſum, & vas fractum dicunt, etiamſi maior pars integra ſit & incorrupta, dummodo ex aliqua parte ſint vitiata. Hominem etiam claudum dicimus vel mancum, etiamſi vno tantùm pede claudicat, vel vnâ manu priuetur. Ex quibus omnibus & infinitis alijs exemplis illud Maſoni dictum, quòd actiones noſtræ ex meliori parte denominentur, falſiſſimum eſſe luce clariùs conſtat. Iſte autem abſurdiſſimus illius error ex ignorantia principiorum Philoſophiæ naturalis oritur, &c.*

[a] P.654.

ORTH. Egregiè. 1°. Falſam Maſono ſententiam affingit, vt erroris poſſit inſimulare. 2°. Pro ſuo candore, ad fictitij huius erroris fontem, digitum intendit, ignorantiam ſcilicet Philoſophiæ. At hunc Philoſophaſtrum animaduertere oportuit, nos, cùm dicimus opera renatorum eſſe bona imperfectè, vel ex parte tantùm, non dirimere actiones vel opera in duas partes integrales ſeparatas, quarum altera ſit bona, altera mala, vt fit in exemplis à te allatis: concedimus enim actionem bonam eſſe poſſe ſecundùm omnes ſuas partes integrales, interim vt in ſingulis ſit defectus quoad gradum.

9 PHIL. [b] 4°. *Pura oblatio à Propheta prædicta, de vero ac proprio ſacrificio intellecta, cum alijs Sacræ Scripturæ locis, vbi de ſacrificio nouæ legis eſt ſermo, rectè concordat, vt ex iſtis paucis apparebit:* [c] *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech;* [d] *Melchiſedech autem protulit panem & vinum, erat enim Sacerdos Dei altiſſimi.* [e] *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, hoc facite in meam commemorationem.* [f] *Habemus altare, de quo comedere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt; &,* [g] *Auferent iuge ſacrificium. Quæ omnia, ad literam intellecta, ſacrificium verum ac proprium, & non metaphoricum probant & conuincunt.*

[b] Champ.p.657. [c] Pſal.109. [d] Gen.14. [e] Luc.22.19. [f] Heb.13.10. [g] Dan.11.31.

ORTH. De Melchiſedecho ſuprà diximus de verbis inſtitutionis & altari, infra, ſuis locis, eſt agendum. Supereſt locus Danielis de iugi ſacrificio, quem dum Champnæus de nouæ legis ſacrificio exponit, ſe præbet ridiculum, & tamen hoc ipſo Miſſam ſuam iugulat.

PHIL. [h] *Teſtimonium Malachiæ, de vero ſacrificio intellectum, nullam habet cum vllo totius ſacræ Scripturæ teſtimonio repugnantiam.*

[h] Champ.p.658.

ORTH.

Digitized by Google

O r t h. Quaſi verò illis omnibus non repugnaret, quæ Chriſtum ſemel duntaxat oblatum eſſe docent.

P h i l. [a] 5°. *Non minùs conuenit cum lege naturæ, & lumine naturali, quòd ſit verum ac proprium ſacrificium in lege Euangelica, quàm quòd tale ſacrificium fuerit in Lege Moſaica; immò eò magis rationi conſonum eſt, quò arctioribus gratitudinis vinculis, pro pluribus & maioribus beneficijs acceptis, Deo aſtricti tenemur, &c.*

[a] *Ibidem.*

O r t h. In lege Euangelica eſt Chriſti ſacrificium in ara crucis peractum, Moſaicorum omnium vita & anima. Neque par eſt vt nos gratitudinis ergo externa ſacrificia iam Deo offeramus. Hæc enim Deo eſſent ingratiſſima, quia his omnibus finem impoſuit ſacrificium Chriſti gratiſſimi odoris, in quo ſolo Deus Pater acquieſcit.

P h i l. [b] 6°. *Antiqua Eccleſia (cuius iudicium aduerſarij noſtri reijcere meritò erubeſcunt) iſtud Prophetæ Malachiæ teſtimonium de vero ac proprio ſacrificio, immò eodem quod Chriſtus Dominus in vltima cæna obtulit & inſtituit, intellexit.*

[b] *P. 659.*

O r t h. Antiqui Patres, qui ſacrificij & oblationis in cæna Dominica crebram faciunt mentionem, aliquandò innuunt panis & vini oblationem ad vſum ſacramentalem, aliquandò oblationes fidelium in vſum pauperum, aliquandò officia quæ Deus à filijs ſuis hoc myſterium celebrantibus efflagitat, qualia ſunt gratiarum actiones, precationes, fides, ſpes, charitas, obedientia; & vt corpora ac animas noſtras Deo ſiſtamus hoſtiam viuam. Quoties autem ipſam Euchariſtiam ita appellant, vel de ſpirituali ſacrificio ſunt intelligendi, vel ſaltem non propriè, ſed figuratè ſunt accipiendi, vt ſuo loco oſtendam.

P h i l. Nónne hæc munda oblatio etiam Euchariſtiam complectitur, ſecundùm Patres?

O r t h. Non [c] nego; quatenus Euchariſtia eſt ſacrificium ſpirituale. Hæc enim munda apud Malachiam oblatio, ſpiritualia ſignificat ſacrificia ex ſententia Patrum. Irenæus [d] ait, *In omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum: incenſa autem Iohannes in Apocalypſi orationes eſſe ait Sanctorum.* [e] Tertullianus; *In omni loco ſacrificium nomini meo offeretur, & ſacrificium mundum, ſcilicet, ſimplex oratio de conſcientia pura.* Et alibi [f] hoc mundum ſacrificium exponit de *prædicatione Apoſtolorum.* [g] Hieronymus *Thymiama, hoc eſt Orationes Sanctorum.* [h] Auguſtinus *Incenſum, quod eſt Græcè θυμίαμα, ſicut exponit Iohannes in Apocalypſi.* [i] Euſebius hæc pulchrè & concinnè inter ſe connectit. τὸ δ' ἁγίων θυμίαμα, id eſt, orationum incenſum.

[c] *Vid. Th. Bilſon. nup. Epiſ. Wint. de vera obed. part. 4.*
[d] *Iren. l. 4. c. 33.*
[e] *Tert. aduerſ. Marc. l. 4.*
[f] *Adu. Iudæos.*
[g] *In Mal. cap. 1.*
[h] *Aug. cont. adu. legis & Prophet. l. 1. c. 20.*
[i] *Euſeb. demonſt. Euang. l. 1. p. 34. Lutetiæ per Rob. Steph. 1548.*

P h i l. [k] Champnæus totum antiquorum Patrum ſenatum hîc in vnum coëgit, ex quibus ego, cæteris omiſſis, duos tantùm, quibus maximè nititur, adducam, Irenæum ſcilicet, & Auguſtinum. Et vt à Sancto Irenæo, qui ante mille & quadringentos annos vixit, incipiamus, ita ſcribit, [l] *Sed & Apoſtolis ſuis dans Conſi-*

[k] *Champ. p. 659.*
[l] *Iren. l. 4. c. 32.*

lium

lium primitias Deo offerre ex ſuis creaturis, non quaſi indigenti, ſed vt ipſi nec infructuoſi, nec ingrati ſint, cùm qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens, Hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui & ex creatura quæ eſt ſecundùm nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui Teſtamenti nouam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in vniuerſo mundo offert Deo ei, qui alimenta nobis præſtat, primitias ſuorum munerum in nouo Teſtamento, de quo in duodecim Prophetis Malachias ſic præſignificauit: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & ſacrificium non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum: maniſeſtiſſimè ſignificans per hæc, quoniam prior quidem populus ceſſauit offerre Deo, omni autem loco ſacrificium offertur Deo, & hoc purum. Hæc Irenæus, *Quibus* (vt rectè obſeruat [a] Champnæus) *aduerſariorum noſtrorum hæreſes adeò directè periſtringit, vt ſi hodiè viueret, vix aliquid clariùs pro veritatis Catholicæ confirmatione dicere poſſet.* 1°. *enim exponit rationem, cur Chriſtus Dominus Apoſtolos ſuos ſacrificium offerre docuerit, vt ſcilicet neque pro beneficijs acceptis ingrati, neque abſq; ſpiritualis gratiæ fructu eſſent.*

[a] P. 660.

ORTH. Finis Miſſæ veſtræ palmarius eſt, vt expientur peccata viuorum & defunctorum, quem ignoràſſe videtur Irenæus. Quomodò enim hunc finem tam eximium, & præcellentem omittere potuiſſet, ſi probè perſpectum & exploratum habuiſſet?

PHIL. [b] 2°. *Docet quid hoc ſacrificium ſit, nimirum, corpus & ſanguis Chriſti, & quod in his verbis offeratur, Hoc eſt corpus meum.*

[b] Ibid.

ORTH. Satis liquidò docet, ſe de oblatione primitiarum ex creaturis, pane ſcilicet & vino, quæ, dum ſacra cœna celebraretur, in vſum pauperum comportabantur, eſſe locutum. Cæterum ſi panem corpus Chriſti, & vinum ſanguinem appellet Irenæus, in Proteſtantium caſtra ſe recepit, ſiquidem hæc propoſitio, panis eſt corpus Chriſti, vel tropicè eſt exponenda, vel eſt planè abſurda & impoſſibilis, fatente [c] Bellarmino.

[c] De Euch. l. 1. c. 1.

PHIL. Irenæus non dicit has primitias pauperibus eſſe offerendas, ſed Deo.

ORTH. Qui dat pauperibus, offert Deo; iuxta illud, [d] *Ego eſuriui, & vos dediſtis mihi manducare*; & illud [e] *beneficentiæ & communicationis ne obliuiſcamini, talibus enim victimis delectatur Deus.*

[d] Mat. 25. 38.

[e] Hebr. 13. 16.

PHIL. [f] 3°. *Dicit Chriſtum hoc faciendo noui Teſtamenti nouam docuiſſe oblationem; nouam dicit, quæ propterea antea non fuerat, ac proinde ſpiritualem orationis, & gratiarum actionis (addo & eleemoſynæ) oblationem, quæ ſemper extiterat, non intellexit.*

[f] Champ. ibid.

ORTH. 1°. Hæc noua dici poſſunt oblatio, non ſimpliciter, ſed quia fiunt nouo & ſolenni modo, nempè, dum celebratur Euchariſtia. 2°. Ipſa Euchariſtia oblatio dici poteſt, nimirum, ſpiritualis, perindè ac baptiſmus, & Euangelij prædicatio. De baptiſmo ſic [g] Auguſtinus: *Quod* (holocauſtum Dominicæ paſſionis) *eo tempore*

[g] In exp. Epiſt. ad Rom. pag. 365. Pariſ. 1586.

Digitized by Google

tempore offert quiſque pro peccatis ſuis, quo eiuſdem paſſionis fide dedicatur, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur. De Euangelij prædicatione ſic [a] Chryſoſtomus, *Ipſum mihi Sacerdotium eſt prædicare, & Euangelizare; hanc offero hoſtiam.* 3°. Hic eſt oblatio ſymbolica, Sacramentalis, & repræſentatiua; id eſt, veræ illius oblationis, in ara crucis factæ ſacrum Symbolum, Sacramentum & repræſentatio.

[a] Chryſ. in Epiſt. ad Rom. c. 15. hom. 29.

PHIL. 4°. Dicit Irenæus, [b] *Quòd hoc ſacrificium Eccleſia ab Apoſtolis traditum, vbique per totum orbem Deo offertur, quod de ſacrificio cruento in cruce oblato intelligi nequit.*

[b] Champ. p. 661.

ORTH. Nihil tamen impedit, quin ſacra cœna dicatur ſacrificium, nempè Euchariſticum, quod vbique per totum orbem Deo offertur; vel myſticum, in quo ſacrificium crucis & repræſentatur, & offertur, in myſterio ſcilicet, id eſt, ſacramentaliter.

PHIL. [c] *Denique dicit Irenæus, Prophetam Malachiam hanc nouam oblationem in verbis iam relatis manifeſtiſſimè ſignificaſſe.*

[c] Ibidem.

ORTH. Rectè; diuinus vates noui Teſtamenti ſpiritualia Sacrificia (in quibus eminet ſacra cœna) penicillo ſuo Prophetico depinxit; at ſacrificij veſtri miſſatici ne vmbram quidem. Sed de Irenæo hactenus: nunc pergamus ad Auguſtinum.

PHIL. [d] *Sanctus Auguſtinus eandem non minùs clarè tradit doctrinam his verbis; Malachias prophetans Eccleſiam, quam per Chriſtum iam cernimus propagatam, Iudæis apertiſſimè dicit ex perſona Dei: non eſt mihi voluntas in vobis, & munus non accipiam de manu veſtra, ab ortu Solis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omnibus locis ſacrificabitur, & offeretur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in Gentibus, dicit Dominus. Hoc ſacrificium per Sacerdotium Chriſti, ſecundùm ordinem Melchiſedech, cùm in omni loco, à Solis ortu vſque ad occaſum, Deo iam videamus offerri, ſacrificium autem Iudæorum (quibus dictum eſt, Non eſt mihi voluntas in vobis) ceſſaſſe negare non poſſunt, quid adhuc alium Chriſtum expectant, quùm hoc quod prophetatum legunt, & impletum vident, impleri non potuerit, niſi per ipſum? Quid autem Sanctus Auguſtinus per ſacrificium Sacerdotij Chriſti ſecundùm ordinem Melchiſedech intelligat, ipſe nobis indicat, ſic alio loco ſcribens:* [e] *Hæc quippe Eccleſia eſt Iſrael ſecundùm Spiritum, à quo diſtinguitur ille Iſrael ſecundùm carnem, qui ſeruiebat in vmbris ſacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare ſacrificium, quod nunc offert Iſrael ſecundùm Spiritum, cui dictum atque prædictum eſt, Audi, populus meus, & loquar tibi, Iſrael, & teſtificabor tibi, &c. De huius enim domo non accepit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo ſacrificium laudis, non ſecundùm ordinem Aaron, ſed ſecundùm ordinem Melchiſedech.* Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedech, quandò benedixit Abraham, & iam participes eius vident tale ſacrificium nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Sic Auguſtinus. Tuum iam (candide lector) eſto iudicium, vtrum Maſonus, qui hos duos Patres teſtimonium *Malachiæ de ſpirituali, hoc eſt*

12

[d] Champ. p. 662.

[e] Aug. contr. aduerſ. leg. & Proph. l. 1. c. 20.

Digitized by Google

eſt metaphorico, & improprio ſacrificio interpretari aſſerit, grauiter illis non imponat.

Orth. Verba à me citata clariora ſunt, quàm quæ vel negari, vel obſcurari poſſint; ideóque Champnæo ſicco pede tranſilire viſum eſt. Quod autem, vt litem lite reſoluat, ex Auguſtino regerit teſtimonium, contra ipſum militat. Auguſtinus enim hoc in loco & ſacrificium ipſum graphicè depingit, & perſonas à quibus eſt offerendum: ſacrificium ipſum disertè appellat *ſacrificium laudis:* perſonas à quibus eſt offerendum, appellat *Iſraelem ſecundùm Spiritum*, cui dictum eſt, *Audi, populus meus, & loquar tibi.* Nunquid ſoli Sacerdotes ſunt populus Dei & Iſraël ſecundùm Spiritum? Vel potiùs omnes fideles hoc elogio ſunt exornandi? Perſonæ igitur à quibus hoc ſacrificium exigit Dominus, ſunt omnes fideles. Si quis obijciat, Auguſtinum, dum eius meminit quod protulit Melchiſedech, id eſt, panis & vini, hoc ſacrificium laudis ad Euchariſtiam accomodare, quam appellat *ſacrificium, quod per totum terrarum orbem offertur*; agnoſco. Hoc tamen noſtram interpretationem non eneruat, ſed confirmat potiùs. Nam quotieſcunque fideles manducant hunc panem, & bibunt hunc calicem, [a] *annuntiant eius mortem donec veniat:* annunciant meditando, annunciant diuinam clementiam celebrando, & ſe tanquam hoſtiam viuam Domino dedicando: ſic autem annunciare, eſt ſacrificium laudis Deo immolare. Quin & alibi Auguſtinus hunc locum Malachiæ eundem in modum exponit: [b] *Audite Dominum per Prophetam dicentem, Ab ortu Solis vſque ad occaſum, glorificatum eſt nomen meum in nationibus, & in omni loco Incenſum admouebitur nomini meo, & hoſtia pura, magnum nomen meum in nationibus, dicit Dominus omnipotens. Huic fraterno ſacrificio, ſuper quod reſpicit Dominus, inuidere vos per calumnias veſtras oſtenditis: & ſi quando audieritis à Solis ortu ad occaſum laudari nomen Domini, quod eſt viuum ſacrificium, de quo dictum eſt, Immola Deo ſacrificium laudis, ita concidit vultus veſter vt illius homicidæ.*

a 1. Cor. 11. 26.

b Aduerſ. lit. Petil. l. 2. c. 86.

Phil. [c] *Hoc inſulſum tuum effugium ex ipſo Sancto Auguſtino, & Sancto Chryſoſtomo, adhuc magis clarè falſitatis conuincitur. Iſti enim duo Patres hoc ipſum Malachiæ teſtimonium contra Iudæos ſic vrgent, Vt ex Leuitici ſacrificij, in illud quod à Propheta prædicitur, mutatione Meſſiam iam veniſſe probare contendant: quod quidem argumentum (ſi Prophetæ verba intelligantur de ſacrificijs ſpiritualibus & internis) nullius prorſus eſſet momenti,* [d] *& Maſonum ipſum appello, ſi ipſe contra Iudæos Meſſiam iam veniſſe probandum haberet, vtrum hoc Malachiæ teſtimonium de ſpirituali tantùm ſacrificio interpretatum, idoneum medium ad inſtitutum ſuum confirmandum, exiſtimaret, nec ne. Non equidem exiſtimo eum adeò vecordem eſſe vt id ſentiret, quandoquidem clariſſimum ſit, locum illum ita intellectum nihil tale inferre, quin potiùs contrarium perſuadere.*

c Champ. p. 663.

d P. 664.

Orth. Ceſſatura Iudæorum ſacrificia, & eorum loco mundam oblationem ſucceſſuram prædixit Malachias. Hanc mundam

oblationem

oblationem Auguſtinus interpretatur ſacrificium laudis; quod in Euchariſtia eſt maximè celebre, & ſolenne. Hæc igitur oblatio, iuxta Auguſtinum, etiam de Euchariſtia intelligitur; non tamen quatenus eſt corporale ſacrificium, vt Papiſtæ ſomniant, ſed quatenus eſt ſacrificium laudis. Quare cum Euchariſtia per totum iam terrarum orbem celebretur, id impletum eſt quod Malachias prædixit de oblatione munda; quæ cum Iudæorum ſuccedat ſacrificijs, eadem planè ceſſâſſe arguit. At Iudæorum ſacrificia non erant ceſſatura ante aduentum Chriſti: (nam ex [a] Daniele conſtat. 1°. Excidendum eſſe Chriſtum, tum abolendum ſacrificium:) ergo hæc munda oblatio de Euchariſtia, quæ eſt ſpirituale ſacrificium, intellecta, ſatis ſolidè euincit, veniſſe Chriſtum. Ita horum Patrum, quibus maximè triumphat Champnæus, ventilauimus teſtimonia: nec quicquam tamen occurrit, quod ſacrificio veſtro miſſatico patrocinetur. Reliquos ab eodem allatos tranſilio, ne nimis excreſcat volumen; præſertim cùm quas adduximus reſponſiones, ad cætera etiam teſtimonia ſatis appoſitè accommodari poſſint.

[a] *Dan.9.26,27.*

13 Phil. Dominus ipſe hoc Malachiæ ſacrificium explicare videtur, atque vna eadémque opera de Sacroſancto Miſſæ ſacrificio vaticinari his verbis: [b] *Venit hora quandò neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem, &c.* [c] *Venit hora, & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate: nam & tales Pater quærit qui adorent eum.* [d] Hoc enim in loco *per adorationem non intelligitur quæuis adoratio, ſed ſolennis, & publica per ſacrificium propriè dictum. Nam quæſtionem propoſuerat Samaritana Domino de ſchiſmate Iudæorum. Domine, inquit, quia Propheta es tu; Patres noſtri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis quia Hieroſolymis eſt locus, vbi adorare oportet.* Iſta quæſtio neceſſariò de adoratione per ſacrificium intelligenda eſt. Prætereà, ipſa verba Samaritanæ cogunt, vt per adorationem intelligamus ſacrificium. Nam loquitur de adoratione alligata certo loco, & quæ alibi non ritè fiat. Quod ſi hoc ita ſe habet, neceſſe eſt vt etiam Domini reſponſio de adoratione per ſacrificium intelligatur.

[b] *Ioh.4.21.*
[c] *V.23.*
[d] *Bell. de miſſ. l.1.c.11.*

Orth. Chriſtus directè reſpondit, & quæſtioni cumulatè ſatisfecit, dum ait, *Vos adoratis quod neſcitis, nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Iudæis eſt.* Quibus verbis docuit Iudæos qui Hieroſolymis ſacrificabant, ſecundùm ſcientiam hoc feciſſe, Samaritanos verò, qui in monte Garizim, nequaquam. Poſtquàm autem hanc quæſtionem de adoratione per externum ſacrificium plenè abſoluiſſet, inde occaſionem nactus de adoratione in nouo Teſtamento futura, non externo ſacrificio, ſed in Spiritu & veritate, locutus eſt.

Phil. Hæc verba hunc ſenſum faciunt: [e] *Veri adoratores, id eſt, qui verum Deum legitimè colent, nimirum, Chriſtiani, adorabunt Patrem, id eſt, Deo ſacrificabunt, in Spiritu & veritate, id eſt, ſacrificio ſpirituali*

[e] *Bell. ibid.*

rituali & vero, non carnali & typico, vt Iudæi faciebant: opponitur enim Spiritus carni, & veritas figuræ. Erant enim ſacrificia Iudaica carnalia, quia in mactatione carnis, & ſanguinis effuſione conſiſtebant, & ſimul typi & vmbræ erant futurorum; at Euchariſtia ſacrificium eſt ſpirituale, quia per Spiritum Sanctum & verba conſecrationis efficitur, ac ſimul eſt verum, & impletiuum veterum figurarum.

ORTH. Cultus Chriſtianus qui Iudaico ſuccedere debuit, ab eodem duabus hîc in rebus ſecernitur; alterâ, quòd non Hieroſolymis tantùm, ſed omnibus in locis ſit præſtandus; alterâ, quòd fieri debeat in Spiritu & veritate: in Spiritu abſque carnalibus cæremonijs, & ritibus; in veritate, abſque vmbra Legis Moſaicæ. Quaſi dicat; Locus olim ſolenni adorationi deſtinatus erat Hieroſolymis, forma verò per externa ſacrificia; at venit hora, & nunc eſt, in nouo Teſtamento, quandò veri adoratores, id eſt, omnes Chriſtiani Deum adorabunt, tum priuatim, tum publicè non ſolùm Hieroſolymis, ſed in omni loco, non externo ſacrificio, ſed in Spiritu & veritate. Ita ex hoc loco nec Miſſa, nec miſſificans quicquam habet præſidij.

CAP.

Cap. VI.

De Argumento à verbis inſtitutionis, ex quibus euincitur.

- *Nec*
  - *Carnalis præſentia,*
    - *primò, quia Sacramenta ſacramentaliter ſunt exponenda.* 1
    - 2°
      - *quia (hoc) demonſtrat*
        - *panem quod tractatur, ex*
          - *Scripturis: hic*
            - *confirmatio ex adiacentibus.* 2
            - *confutatio obiectionis*
              - *realis, vbi de benedictione*
                - *quid ſignificet.* 3
                - *quibus verbis fiat.* 4
                - *quomodo mutet elimenta.* 5
              - *verbalis à*
                - *pronomine (hoc)* 6
                - *verbis Lucæ de calice (vt illi volunt) fuſo.* 7
          - *Antiquis Patribus.* 8
        - *Nec quicquam aliud, quod patet ex vanitate opinionis*
          - *aliorum.* 9
          - *Bellarmini, quæ eſt communis Romano-Catholicorum.* 10
      - *Ideo hæc prædicatio (Hoc eſt corpus) vel eſt tropica, vel abſurda, teſte Bellarmino.* 11
  - *Carnale ſacrificium.* 12

PHIL.

Hriſtum in cœna vltima ſuum ipſius corpus & ſanguinem, ſub ſpeciebus panis & vini, Deo Patri ſacrificâſſe, Apoſtoliſque, eorúmque ſucceſſoribus, vſque ad finem ſeculi, vt idem facerent in mandatis dediſſe, verba inſtitutionis fidem faciunt.

ORTH. Ipſum corpus & ſanguinem Chriſti ſub panis & vini

acciden-

accidentibus ſubſtantialiter latere, primo loco probandum tibi
incumbit: quin ſi hic deficias, næ tu ſacrificio probando non ſuf-
ficies.

Phil. Illud ſatis elucet ex verbis Chriſti: *Hoc eſt corpus meum,
hic eſt ſanguis meus.* Nam Chriſtus ſine dubio ijs de rebus locutus
eſt quas manibus tenebat, eaſdémque corporis & ſanguinis ſui no-
minibus inſigniuit. At quoad externam ſpeciem, nihil erat aliud
in manibus præter panem & vinum. Quamobrem, cùm verba Ser-
uatoris ſint neceſſariò vera, ipſius corpus & ſanguinem ſub his ex-
ternis ſpeciebus latuiſſe neceſſariò fatendum eſt.

Orth. Verba Seruatoris noſtri ſunt veriſſima, ſi perindè in-
telligantur ac ipſe voluit: voluit autem vt verba ſacramentalia
non ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter exponerentur. Quod ſa-
tis liquidò conſtabit, ſi Scripturam per Scripturam, Sacramentum
per Sacramenta interpretemur. A circumciſione (ſi placet) exor-
a Gen.17.10. diamur. Dixit Deus Abrahamo, [a] *Hoc eſt fœdus meum inter me &
vos, & ſemen tuum poſt te, quod ſeruabitis, vt circumcidatur omnis mas.*
Hoc eſt fœdus meum; quod tandem *hoc?* Hoc ſcilicet, *vt circum-
cidatur omnis mas.* Ipſa ergo circumciſio indigitatur fœdus. Quid?
An circumciſio fœdus eſt propriè? Fieri nequit; ergo impropriè
b V.11. & figuratè, Deo ipſo interprete. [b] *Circumcidetis igitur carnem pre-
putij veſtri, vt ſit ſignum fœderis inter me & vos.* Ergo circumciſio
nuncupatur *fœdus*, quia eſt *ſignum fœderis.* Quid autem? Num
exile duntaxat & nudum eſt ſignum? Abſit. Nam Apoſtolus ait,
c Rom.4.11. [c] *Signum accepit circumciſionis, ſignaculum Iuſtitiæ fidei.* Ergo circum-
ciſio adhibita erat ad iuſtitiam fidei, id eſt, iuſtitiam Chriſti fide
apprehenſam, & omnibus credentibus imputatam, non modò ſig-
nificandam, ſed etiam obſignandam. Nec promiſſorium modò
erat hoc ſignaculum, verùm etiam exhibitorium, quo in ipſius
Chriſti, omnibus ſuis beneficijs veſtiti, poſſeſſionem intrò mitte-
bantur. Nam Spiritus Sanctus id re ipſâ in his præſtat, quod Sacra-
menti verba annexa obſignant. A circumciſione ad Paſcha tran-
d Exod.12.11. ſeamus. [d] *Comedetis eum cum feſtinatione: Paſcha eſt Iehoua.* Quid
comedent? Eam, ſcilicet paruam pecudem, ex ouibus aut capris;
ergo parua hæc pecus, putà Agnus, dicitur Paſcha, ſeu tranſitus
e V.13. Domini; cedo, qua de cauſa? Deus ipſe exponit, [e] *Erit autem
ſanguis ille pro vobis in ſignum.* Ita agnus appellatur tranſitus, quia
erat ſignum & ſigillum tranſitus Domini. De ordinarijs veteris
Teſtamenti Sacramentis diximus; accedamus ad extraordinaria.
f 1.Cor.10.3. Apud Sanctum Paulum ſic legimus: [f] *Bibebant autem de ſpirituali,
conſequente eos, Petra; Petra autem erat Chriſtus.* Quod Sanctus Au-
g Quæſt.ſup. Leuit.q.57. guſtinus verè & eruditè interpretatur: [g] *Solet res quæ ſignificat, eius
rei nomine quam ſignificat, nuncupari; ſicut ſcriptum eſt, ſeptem ſpicæ,
ſeptem anni ſunt: non enim dixit ſeptem annos ſignificant: & ſeptem
Boues ſeptem anni ſunt; & multa huiuſmodi. Hinc eſt quod dictum eſt,
Petra erat Chriſtus. Non enim dixit, Petra ſignificat Chriſtum, ſed tan-*

quam

Digitized by Google

quam hoc eſſet, quod vtique per ſubſtantiam non hoc erat, ſed per ſignificationem. A Sacramentis veteris Teſtamenti pergamus ad noui. ad Rom. cap. 6. [a] Conſepulti ſumus cum illo per baptiſmum in mortem. De quo loco ſic [b] Auguſtinus: *Non ait, ſepulturam ſignificamus, ſed prorſus ait, conſepulti ſumus. Sacramentum ergo tantæ rei, non niſi eiuſdem rei vocabulo nuncupauit.* Cui veſter concordat [c] Ieſuita, [c] *Baptizati vnà cum Chriſto ſepeliuntur, id eſt, Chriſti ſepulturam repræſentant.* A baptiſmo ad cœnam Dominicam reuertamur. Cuius duo ſunt fercula; panis, corpus Domini; & vinum, eiuſdem ſanguinem viuis coloribus exprimens. Ex quibus ſi prius videatur obſcurius, ex poſteriori lucem mutuari poteſt. Nam Chriſtus [d] calicem *nouum* appellat *Teſtamentum*; certè non propriè, ergo figuratè & impropriè, quia noui Teſtamenti ſignum eſt, & ſigillum. Nam hæc per omnia inter ſe ſunt ſimilia. Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt tranſitus, calix eſt nouum Teſtamentum. Quocirca cùm dicitur, Hoc eſt corpus meum, ipſa analogia demonſtrat, hæc verba figuratè & ſacramentaliter eſſe accipienda. Quaſi dictum eſſet, Hoc quod in manibus habeo, id eſt, hic panis, eſt corpus meum, id eſt, corporis mei ſignum & ſigillum. Porrò hæc ipſa verba (Hoc eſt corpus meum) per alia rem eandem ſignificantia elucidari poſſunt: [e] *Panis quem frangimus, nónne communio corporis Chriſti eſt?* Vbi res ipſa exigit interpretationem figuratam & ſacramentalem; panis eſt communio, id eſt, ſignum & ſigillum communionis. Eodem planè modo, panis eſt corpus, vinum eſt ſanguis. Hæc figurata loquendi ratio Apoſtolis ipſis erat familiaris, qui eâdem vel ante inſtitutionem Euchariſtiæ vſi ſunt. Nam *primo die Azymorum venerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes ei,* [f] *Vbi vis paremus tibi ad veſcendum Paſcha?* Per Paſcha, Agnum Paſchalem, qui paſchatis ſeu tranſitus Domini erat memoriale, intelligentes. Ita tota Scripturæ ſeries clamat hæc verba, *Hoc eſt corpus meum,* non ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter ſumenda. Hic ergo verus eſt & genuinus ſenſus: hoc, id eſt, hic panis, eſt corpus meum, id eſt, corporis mei ſignum, & ſigillum.

[a] Rom. 6. 4.
[b] Ep. 23.
[c] Tol. in Rom. c. 6
[d] Luc. 22. 20.
[e] 1. Cor. 10. 16.
[f] Mat. 26. 17.

PHIL. [g] *Cùm dicitur, Hoc eſt corpus meum, ſententia Catholicorum eſt, illud (hoc) non demonſtrare panem.* 2

ORTH. Cur igitur dicit Scriptura, [h] *Accepit Ieſus panem, &, cùm benedixiſſet, fregit, & dedit eis, & ait, Accipite, edite, Hoc eſt corpus meum?* Primò accepit. Quidnam accepit? Panem ſcilicet materialem, illum qui in menſâ poſitus erat. Cùm accepiſſet, benedixit. Cuinam rei benedixit? Certè eidem quam acceperat: acceperat autem panem materialem; pani ergo materiali benedixit. Cùm benedixiſſet, fregit, & dedit. Quid fregit? Quid dedit? Certè id ipſum cui benedixerat; benedixerat autem pani materiali; materialem ergo panẽ fregit, & dedit: dedit autem dicens, Accipite, edite. Quid demum acciperent? Quid ederent? Certè id ipſum quod dederat: dederat autem panem materialem; materialem

[g] Bell. de Euch. l. 1. c. 10.
[h] Mar. 14. 22.

Digitized by Google

ergo panem acceperant, quem edere iubentur. . Cùm dixiſſet, Accipite, edite, illicò adiungit, Hoc eſt corpus meum. Quodnam ergo hoc? Hoc quod acceperat, hoc cui benedixerat, hoc quod fregerat, quod dederat, quod accipere & edere iuſſerat, hoc (quicquid eſt) certè hoc & nihil aliud indigitat corpus ſuum. At hoc erat panis materialis, vt probauimus; ergo cùm dixit, Hoc eſt corpus meum, pronomen (hoc) demonſtrauit panem materialem.

Phil. Reſpondeo cum Bellarmino, Dominum accepiſſe
[a] De Euchariſt. l. 1. c. 11. panem, ac benedixiſſe, *ſed [a] dediſſe panem non vulgarem, vt acceperat, ſed benedictum, & benedictione mutatum.*

3 Orth. Vt omnia fiant illuſtriora, expendamus parumper quid per benedictionem intelligatur.

Phil. Benedictio idem eſt quod conſecratio, quæ his verbis conficitur, Hoc eſt corpus meum.

Orth. At Sacra Scriptura hanc benedictionem per gratia-
[b] Luc. 22. 19. rum actionem interpretatur. Nam [b] Lucas & [c] Paulus habent
[c] 1. Cor. 11. 24. εὐχαριστήσας, id eſt, poſtquam gratias egiſſet, panem fregit. At
[d] Marc. 14. 22. [d] Marcus habet, εὐλογήσας, *cùm benedixiſſet.* Apud [e] Mathæum autem
[e] Mat. 26. 26. variæ ſunt lectiones: nam in quibuſdam codicibus legitur
[f] v. 27. εὐχαριστήσας, in quibuſdam εὐλογήσας. Similiter [f] Mathæus & [g] Marcus
[g] Marc. 14. 23. dicunt Chriſtum, cùm gratias egiſſet, poculum dediſſe, nec bene-
[h] 1. Cor. 10. 16. dictionis poculi meminerunt. [h] Paulus tamen vocat *poculum bene-*
[i] Luc. 22. 16. *dictionis, cui benedicimus.* Prætereà, vbi [i] Lucas ait, *Chriſtum, acceptis quinq; panibus & duobus piſcibus, ſuſpicientem in cælum, benedixiſſe eis:*
[k] Ioh. 6. 11. Sanctus [k] Iohannes ait, *Accepiſſe panes, & actis gratijs diſtribuiſſe.* Vndè conſtat Spiritum Sanctum vocabula benedictionis, & gratiarum actionis pro eodem vſurpare. Hîc tamen tria ſunt obſeruanda. 1°. Vocem, *gratiarum actionis*, ſuo ambitu complecti pre-
[l] 1. Tim. 4. 5. cationem, vt apud Apoſtolum; [l] *Omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reijciendum quod cum gratiarum actione percipitur.* Cuius rei hanc rationem ſubijcit; *Sanctificatur enim per Verbum Dei, & orationem.* Vbi liquet, gratiarum actionem in clauſula priori ſe extendere etiam ad orationem, & orationem in poſteriori, ſe porrigere ad gratiarum actionem. Quaſi diceret, Noſtrum eſt, omnes Dei creaturas cum gratiarum actione recipere, quoniam vt ſanctificantur ex parte Dei per Verbum, id eſt, decretum eius, ita ex noſtra, per gratiarum actionem & orationem. 2°. Animaduertendum, creaturam duplicem in vſum ſanctificari poſſe, corporalem ſcilicet, & ſpiritualem; idque per gratiarum actionem, & orationem. 3°. Notandum, creaturæ ſanctificationē, in Scriptura appellari benedictionē.
[m] Ex. 20. 11. Exempli gratia; [m] *Benedixit Iehouah diei Sabbathi, & ſanctificauit illū.* Iam verò Dominus noſter, Sacramentū inſtituens, panem accepit, & Patri ſuo cœleſti gratias egit, non modò pro pane, ſed pro mundi per ſacrificium ſuum redemptione. Denique precatus eſt, vt hæc externa panis & vini elementa in vſum ſacramentalem perpetuum ſanctificarentur: & hoc erat benedicere.

Vbi

Digitized by Google

Vbi verò [a] Bellarminus ex Catechiſmo Romano,& communi 4
Theologorum doctrinâ aſſerit,benedictionem factam eſſe his verbis, *Hoc eſt corpus meum*, & per conſequens benedictionem hanc idem eſſe cum conſecratione, id ſanè concedi non poteſt, quum benedictio peracta ſit antè hæc verba inchoata. Dicit enim Sanctus [b] Marcus, Chriſtum, cùm benedixiſſet, fregiſſe. Vndè conſtat, benedictionem abſolutam fuiſſe ante fractionem inceptam. Manifeſtum autem eſt,Chriſtum panem fregiſſe ante diſtributionem, ergo peracta eſt benedictio antequam panis diſtribueretur. At Chriſtus panem diſtribuit,dicens,Accipite, edite, *Hoc eſt corpus meum*, ergo peracta eſt benedictio,ante prolationem horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*. Quâ igitur ratione fieri poteſt,vt his verbis benediceret,ſi benedictio ſit abſoluta ante hæc verba inchoata? Rectè igitur Cardinalis [c] Caietanus hanc benedictionem à conſecratione diſtinguit, appellando *benedictionem laudis, non conſecrationis*. Verùm,ſi largirer tibi Chriſtum his verbis benedixiſſe, nónne tota actionis ſeries,& ordo inuerteretur?

[a] *Bell. de Sacr. Euch. l.4. c.23.*
[b] *Marc.14.22.*
[c] *Caiet. in Mat. c.26.*

PHIL. In ſacris Literis multæ ſunt hyſterologiæ; ideóque mirum videri non debet,ſi hîc quoque reperiatur. Nam communior opinio eſt, quæ & probabilior, Chriſtum in nouiſſima cœna conſecráſſe iiſdem verbis quibus nos vtimur, *Hoc eſt corpus meum*, eáque verba ſemel tantùm protuliſſe: non tamen eo ordine quo in Canone Miſſæ, vel apud Euangeliſtas. Ordo autem talis fuit,vt placet [d] Duranto, *Accepit panem,& benedixit,dicens, Hoc eſt corpus meum,& deinde fregit & dedit Diſcipulis,dicens,Accipite,manducate.*

[d] *Durant. de rit. Eccl.Cathol. l.2. c 38.n.19.*

ORTH. [e] Aquinas dicit hæc verba prolata non conſequenter, ſed concomitànter; id eſt, benedixiſſe quidem Chriſtum his verbis, ita tamen vt non proferret conſequenter, id eſt, poſt panem fractum & diſtributum, ſed concomitanter, id eſt, inter frangendum & diſtribuendum. Sed hoc commentum ſuâ ſponte diffluere intelligemus, ſi animo recolamus quod ſuperiùs demonſtratum eſt,videlicet,benedictionem eſſe peractam,& abſolutam,antè hæc verba inchoata. Cardinalis [f] Beſſarion ita hunc contextum ordinandum ſtatuit; *Accepit panem,& cùm benedixiſſet, dicens Diſcipulis ſuis,Accipite,manducate, Hoc eſt corpus meum, fregit, & dedit eis*, ſed hoc quoque eodem Argumento iugulatur. Prætereà,ſi benedixit,dicens, *Accipite, & manducate, Hoc eſt corpus meum*, ergo accipite, & manducate ſunt verba benedictionis, perindè ac Hoc eſt corpus meum. Ad Duranti verò opinionem, quam propoſuiſti, quod attinet, illa quoq; firmo caret fundamento. Et 1°. ſuperiori argumento à benedictione refellitur. 2°. Vocabulum *(dicens)* quod ſemel tantùm in ſacro Textu habetur, hâc diſpoſitione bis vſurpatur. 3°. Hæc verba, *Accipite & manducate*, quæ Euangeliſtis, & Paulo teſtantibus, præpoſuit Chriſtus, in locum poſteriorem reijciuntur. 4°. Quod Chriſtus vno quaſi Spiritu, & continuatâ ſententiâ enuntiauit, id in duo membra non tam diuiditur, quàm laceratur.

[e] *In 1. ad Cor. c.11. lect.5.*
[f] *De Euchar.*

Digitized by Google

laceratur. Hæc omnia incommoda veſtris doctoribus, Soto & Caietano, & videre & vitare contigit. Nam, vt doctiſſimus veſter [a] Archiepiſcopus in Epiſtola ad Sixtum Quintum affirmat, *Hi tenent eundem fuiſſe ordinem rerum, & narrationis Euangelicæ.* Sed de benedictione hactenus; quæ cùm ſit nihil aliud quam gratiarum actio, non erit idem quod conſecratio; vel ſi eſſet, non tamen efficeret mutationem ſubſtantialem, ſed tantùm ſacramentalem.

[a] *Chriſtoph. de ca. ſont. Archiep. Cæſarienſis in varijs trad.*

5 Nam vt Agnus Paſchalis mutatus eſt, quum ex agno vulgari factus eſt typus Agni Dei, qui tollit peccata mundi; vel vt aqua baptiſmi mutatur, cùm ex aqua vulgari euadit Sacramentum Sanguinis Chriſti, ita in cœna Dominica mutantur panis & vinum, id eſt, quoad vſum, non quoad ſubſtantiam. Nam antequam menſæ Dominicæ apponuntur, nihil ſunt aliud quàm vulgaria elementa, quæ corpori duntaxat alendo inſeruiunt: Verùm ſimulac ſecundùm Chriſti inſtitutum ſanctificantur, tum Dominus cœli longè aliam illis conditionem imponit, ſcilicet, vt corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti Sacramentum fiant. Nihilominùs vt Agnus Paſchalis priſtinam ſuam ſubſtantiam, etiam dum ederetur, retinuit; vt aqua, etiam in ipſo baptizandi actu manet aqua quoad ſubſtantiam; ita panis & vinum, licèt benedicta, priorem tamen naturam & ſubſtantiam non exuunt. Nam cùm panis frangitur, panis tamen manet, teſte Apoſtolo: [b] *Panis quem frangimus, &c.* Poſteà comeditur; adhuc tamen panis eſt, dum comeditur. Nam Apoſtolus dicit, [c] *Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat:* nec panis dicitur quia panis fuit, ſed quia panis eſt, non ſolùm quoad nomen, ſed etiam quoad naturam, & naturales proprietates. Nam, vel peractâ conſecratione, corpus alit, perindè ac antea; Nónne in terram cadere, à muribus rodi, à beſtijs deuorari, flammis comburi, in cineres conuerti, & denique putreſcere ſolet? Quod Chriſti tamen corpori contingere non poteſt, quia [d] *Sanctum illud non videbit corruptionem.* Similiter & vinum poſt conſecrationem nutrit, ac cor lætificat; quin ſi miſſificans paulò altiùs exhauſerit, & biberit, ſuum ſibi cerebrum ſtupefactum ſentiet: quin ſi diutiùs apud ſe in vaſculo reſeruauerit, euadet in acetum, & tandem putrifiet; quæ omnia veram vini naturam & ſubſtantiam demonſtrant, vinum verò in ſanguinem mutatum nullo modo arguunt.

[b] *1. Cor. 10. 16.*

[c] *1. Cor. 11. 28.*

[d] *Pſal. 16. 10. Act. 2. 27.*

6 PHIL. Non demonſtrari panem fiet manifeſtum. Inprimis [e] *Illud* (hoc) *accipitur vel adiectiuè, vel ſubſtantiuè: ſi adiectiuè, debet concordare cum ſuo ſubſtantiuo, & ſic non poteſt demonſtrare panem: nam panis eſt generis maſculini, tam Latinè quàm Græcè. At in neutro genere habetur τὸ Græcè, & Latinè (hoc) quod conuenit cum corpore, quod Latinè & Græcè eſt neutrius generis.*

[e] *Bel. de Sacr. Euch. l. 1. c. 10.*

ORTH. Verum narras; ſi adiectiuè accipiatur, cum pane concordare non poteſt. Non igitur adiectiuè, ſed ſubſtantiuè ſumitur; quaſi dicas, Hæc res, quam in manibus habeo, eſt corpus meum.

PHIL. [f] *Si illud hoc, ſiue hæc res de pane dicatur, abſurdiſſima propoſitio*

[f] *Bell. ibid.*

Digitized by Google

poſitio erit. Non enim poteſt dici hoc, de re quæ cernitur, & apertè cognoſcitur, niſi ſit generis nutrius res illa. Nemo enim demonſtrato fratre ſuo diceret, Hoc eſt frater meus, vel demonſtratâ imagine Cæſaris diceret, Hoc eſt Cæſar. Ergo nec de pane, quem Diſcipuli videbant, dici certè potuit, Hoc eſt corpus meum. Ratio eſt, quid ſemper ſubiectum debet eſſe notius prædicato. Cùm ſubiectum eſt notum audientibus in particulari, non debet efferri per nomen vniuerſale, ſed tunc ſolùm efferri debet per nomen vniuerſale, cùm non eſt notum niſi in vniuerſali. Verbi gratiâ vident aliqui à longè neſcio quid, ſed non diſcernunt quid ſit, arbor ne an lapis, an homo; ego autem video eſſe hominem; quare dico cæteris, Illud eſt homo, non autem, Ille eſt homo: at ſi videant eſſe hominem, ſed non diſcernunt quis ſit, Petrus an Paulus, an quis alius, non dicam, Illud eſt Petrus, quia iam ſciunt eſſe hominem, ſed dicam, Ille eſt Petrus. Cùm ergò Diſcipuli panem viderent, & panem eſſe non ignorarent, abſurdiſſima fuiſſet locutio, ſi de illo pane Dominus dixiſſet, Hoc eſt corpus meum, cùm debuiſſet dicere, Hic panis eſt corpus meum. Non igitur poteſt fieri vt illud (hoc) demonſtret panem, tanquam ſubiectum propoſitionis.

Orth. Res quæ cernitur, & apertè cognoſcitur, per Pronomen neutrius generis ſine incommodo enuntiari poteſt, etiamſi res ipſa non ſit neutrius generis. Exempli gratiâ; cùm Deus mulierem ad Adamum adduxiſſet, dixit Adamus, [a] *Hoc nunc eſt os ex oſſibus meis.* Quid eo loci per (hoc) intelligit Moyſes? [a] Gen. 2.23.

Phil. Pronomen (hoc) ſine dubio deſignat mulierem. *Perinde enim eſt* (vt rectè [b] Pererius) *ac ſi diceret; Domine Deus, quæ priùs ad me adduxiſti animalia, non erant mihi ſimilia, hæc autem mulier, quam nunc ad me adduxiſti, eſt planè ſimilis mei.* [b] Com. in Gen. l.4. in verſ.23.

Orth. Si Pronomen (hoc) in verbis prioris Adami idem ſit ac (hæc mulier) etiamſi non ſit nutrius generis, interim, vt non ſit abſurda propoſitio, quidni in verbis ſecundi Adami *(Hoc eſt corpus meum)* illud *(hoc)* idem ſit quod *(hic panis)* interim vt nihil ſequatur abſurdi? Nam in iſtiuſmodi locutionibus non tam dialecticorum argutias, quàm loquendi conſuetudinem ſpectare oportet.

Phil. [c] Addo argumentum robuſtiſſimum ex Scriptura. Nam 7
ſi hoc demonſtrat panem, ita etiam in conſecratione vini *hic*, ſiue *hoc* Græcè demonſtrat vinum: ſed apertè repugnat Lucas, qui ait, [d] τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον, id eſt, hic calix, nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur; vbi τὸ ἐκχυνόμενον, qui effunditur, non coniungitur cum illis verbis ἐν τῷ αἵματί μου, in ſanguine meo, ſed cum illis τοῦτο τὸ ποτήριον, hic calix, vt patet ex Græcis. Dicit ergo Lucas calicem effundi pro nobis: vinum autem non effuſum eſt pro nobis, ſed verus ſanguis, calix igitur non ſignificat calicem vini, ſed calicem ſanguinis. [c] Bel. quo ſuprà. [d] Luc.22.20.

Orth. Hoc argumentum, vtcunque vobis videtur robuſtiſſimum, eſt inſtar arundinis putridæ, cui ſi innitaris, in foueam incides; verùm ſi hic calix ſit calix ſanguinis, quandò & quomodò fuit hæc conuerſio vini in ſanguinem?

Phil.

Digitized by Google

a *Seſſ. 13. c. 1. Bin. t. 4. p. 824.*

PHIL. Concilium [a] Tridentinum ſic ſtatuit: *Principiò docet ſancta Synodus, & apertè & ſimpliciter profitetur in almo Sancto Eucharistiæ Sacramento, poſt panis & vini conſecrationem, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, verum Deum atque hominem, verè, realiter atque ſubſtantialiter, ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri.* Ergo reſpondeo, modum eſſe per conſecrationem, tempus illicò poſt verborum conſecrationis prolationem.

ORTH. Fitne hæc ſucceſſiuè, vel in inſtanti?

b *De Euchar. l. 3. c. 24.*

PHIL. Reſpondit [b] Bellarminus: *Dico fieri non toto tempore quo durat pronuntiatio, ſed in vltimo inſtanti terminatiuo illius prolationis.*

ORTH. Si in vltimo inſtanti terminatiuo, ergo non antè prolationem vltimæ ſyllabæ finitam & perfectam. Quamdiù igitur durat pronuntiatio ſyllabarum præcedentium, *Hoc eſt corpus me-* nondum eſt mutatio, quia adhuc pendet prolatio, & tum demum fit tranſmutatio, cùm abſoluitur illud *-um.* Quamdiu autem non fit mutatio, certè manet priſtina natura, id eſt, panis quoad ſubſtantiam, & per conſequens dum pronuntiatur (*hoc*) adhuc eſt panis. Quamobrem Pronomen (*hoc*) neceſſariò demonſtrat panem, & non carnem Chriſti. Similiter cùm dicitur, *Hoc eſt ſanguis meus,* Pronomen demonſtrat vinum, non autem ſanguinem.

PHIL. Quod pro nobis effuſum eſt, verus erat Chriſti ſanguis; at calix pro nobis effuſus eſt, vt conſtat ex Græco codice, locò Lucæ citato: ergo calix, id eſt, id quod in calice continebatur, verus erat Chriſti ſanguis. Porrò, quod Lucas ait, *Hic calix eſt nouum Teſtamentum,* Mathæus & Marcus ſic enuntiant, *Hic eſt ſanguis meus,* per Pronomen (*hic*) idem intelligentes, quod Sanctus Lucas per (*hic calix.*) At Sanctus Lucas intelligit calicem ſanguinis, non vini, vt ſuperiùs oſtendi; ergo Pronomen (*hic*) non demonſtrat vinum, ſed ſanguinem.

ORTH. Ergóne erat identica prædicatio? Hic eſt ſanguis meus, id eſt, hic ſanguis eſt ſanguis meus? Deindè ratio tua hoc nititur fundamento, quòd calix apud Lucam pro nobis dicatur effuſus; quod non eſt admittendum.

PHIL. Hoc liquet ex Græco codice.

ORTH. Viſum eſt Spiritui Sancto in nouo Teſtamento, ab vſitatâ Græcæ linguæ ratione & analogia aliquandò diſcedere, ſiue ob Hebraiſmos exprimendos, ſiue alias ob cauſas diuinæ ſapientiæ maximè perſpectas: proinde licèt Participium, cui articulus præpoſitiuus præfigitur, ſecundùm regulas Grāmaticales ab aliquo nomine præcedente, cum quo caſu, genere, & numero concordat, regi debeat, multa tamen in Scripturis occurrunt loca, in quibus ſecus ſe res habet, articulo nempè relatiui vicem ſupplente. Exempli

c *Apoc. 1. 4, 5.*

cauſa [c]: Χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ τοῦ ὁ ὤν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, καὶ ἀπὸ τῶν ἑπτὰ πνευμάτων, καὶ ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ μάρτυς ὁ πιστός, ὁ πρωτότοκος, &c. Vbi ſecundùm communem Græcæ Linguæ analogiam diceretur, ἀπὸ τοῦ ὄντος, ac Spiritus Sanctus dicit,

Digitized by Google

dicit, ἀπὸ τοῦ ὁ ὤν vbi ὁ articulus præpoſitiuus ſupplet locum relatiui, quaſi dicas, ab eo qui eſt; ſimiliter ſecundùm analogiam diceretur, ἀπὸ τοῦ ἐρχομένου, at Spiritus Sanctus ait, ἀπὸ τοῦ ὁ ἐρχόμενος. Idem prorſus de ὁ μάρτυς, ὁ πιστὸς, ὁ πρωτότοκος, eſt dicendum. Eadem interpretatio etiam in hunc locum Lucæ optimè quadrat. ἐν τῷ αἵματί μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. Vbi illud τὸ per relatiuum exponi debet, in ſanguine meo qui (ſcilicet ſanguis) pro vobis effuſus eſt. Quamobrem licèt apud alios authores, qui Grãmaticæ leges anxiè & curioſè ſequuntur, τὸ ἐκχυνόμενον ad τὸ ποτήριον referri deberet, in nouo tamen Teſtamento hoc non eſt perindè neceſſarium, cùm Spiritus Sanctus aliter loqui ſoleat. Quamobrem cum ſecundùm loquendi rationem, quæ Spiritui Sancto eſt familiaris, verborum Syntaxis tanquam in biuio ſit conſtituta, rem ipſam perpendamus, vt hoc modo vtra Syntaxis ſententiæ Spiritus Sancti ſit magis conſentanea, perſpiciamus. Narrat hìc Lucas quibus verbis vſus ſit Seruator, cùm calicem Diſcipulis porrigeret. Res eadem à Mathæo quoque & Marco refertur. Hos ergo conſulamus. Mathæus τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον, &c. Similiter & Marcus, vbi τὸ ἐκχυνόμενον ad τὸ αἷμα clariſſimè refertur; teſtante etiam vulgari verſione, Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui *(ſcilicet ſanguis)* pro multis effundetur. Ex his edoceri poſſumus illud τὸ ἐκχυνόμενον, licèt alioqui Grammaticè ad calicem referri poſſit, Theologicè tamen ad ſanguinem reſtringi oportere, cùm & loquendi ratio Spiritui Sancto familiaris non abnuat, et Euangeliſtarum conſenſus hoc vel maximè efflagitet. Illius igitur loci hic eſt ſenſus, *Hic calix*, id eſt, *vinum in calice*, eſt nouum Teſtamentum, id eſt, noui Teſtamenti ſymbolum, & ſigillum in ſanguine meo, id eſt, quod ſanguine meo ſancitur, qui ſcilicet *ſanguis* pro vobis effundetur. Sic autem eſſe neceſſariò intelligendum ex illis verbis Mathæi luculenter apparet. Et *accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis, dicens, Bibite ex hoc omnes:* Hoc enim eſt ſanguis meus. Nam, confitentibus vobis, ante verba conſecrationis prolata, nihil erat aliud in calice quàm vinum; ſed hoc locutus eſt Chriſtus ante verba conſecrationis prolata: ergo cùm dixit, *Bibite ex hoc omnes*, nihil erat aliud in calice quàm vinum; at cùm hoc dixiſſet, ſtatim ſubiunxit, *Hoc eſt enim ſanguis meus.* Ergo illud *(hoc)* refertur ad vinum, quod ſui ſanguinis nomine inſignit.

Cui ſententiæ Sancti quoque Patres ſuffragantur. [a] Tertullianus: *Acceptum panem & diſtributum Diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo; id eſt, figura corporis mei.* Et paulò pòſt: *Cur panem corpus ſuum appellat?* Cyprianus: [b] *Dedit Dominus noſter in menſa, in qua vltimum cum Apoſtolis participauit conuiuium, proprijs manibus panem & vinum; in cruce verò manibus militum corpus tradidit vulnerandum, vt in Apoſtolis ſecretiùs impreſſa ſincera veritas, & vera ſinceritas exponeret gentibus quomodò vinum & panis caro eſſet & ſanguis.* [c] Irenæus, *Huius conditionis quæ eſt ſecundùm nos, acci-* 8

[a] L.4. contra Marcionem p.879. c.40.

[b] Cypr de cœn. Chriſt. 7. ſi modò ſit Cypriani.

[c] Iren. l.4.c.57.

[a] *Ep. 150. ad Hibrid. q. 2.* *piens panem, ſuum corpus confitebatur.* [a] Hieronymus. *Nos audiamus panem quem fregit Dominus, deditque Diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini Saluatoris, ipſo dicente ad eos, Accipite & comedite, Hoc eſt corpus meum.*

[b] *In 1. Cor. 11.* [b] Athanaſius.

[c] *Cyr. Hieroſ. Catech. myſt. 4.* [d] *Dial. 1.* [c] Cyrillus. *Cùm Chriſtus ipſe ſic affirmet atque dicat de pane, Hoc eſt corpus meum.* [d] Theodoretus: *In myſteriorum autem traditione corpus panem appellauit, & ſanguinem quod in calice infuſum & commixtum eſt.* Hæc omnia, & multa prætereà ſacrarum literarum & antiquorum Patrum teſtimonia, à doctiſſimis noſtris Theologis ſæpiſſimè in lucem adducta ſunt, quæ Pronomen *(hoc)* panem denotare fidem abundè facere poſſunt. Nec ſanè intelligo cur tantoperè negaretis. Nam tranſubſtantiatio panis in corpus Chriſti, eſt Eccleſiæ veſtræ dogma, in his ipſis verbis (vt vobis videtur) pulchrè fundatum. At ſi Pronomen *(hoc)* non demonſtrat panem, in verbis Chriſti quæ verba conſecrationis appellantur, nulla penitùs ſit panis mentio. Quòd ſi Chriſtus hîc de pane non loquitur, certè panis in corpus Chriſti Tranſubſtantiationem hinc eruere eſt impoſſibile. Ita in prima ſyllaba, tanquam in portu vndè ſoluendum, naufragium feciſtis.

9 Quin ſi panem non demonſtret, quid demum deſignat aliud? [e] *Gloſſ. in diſt. 2. de conſecr. Timorem.* Author [e] Gloſſæ in ius Canonicum; *Dico*, inquit, *quod per hanc dictionem* (hoc) *nihil demonſtratur: nam ipſa materialiter ponitur.* Quid ais, Philodoxe? Nónne pulchrè vobiſcum agitur, qui verba Chriſti huc illuc voluendo, tandem aliquandò ad nihil redegiſtis? Siccíne verò? Quin ſi apud te fixum maneat *(hoc)* aliquid neceſſariò ſignificare, diſquiramus pauliſper hoc aliquid quidnam ſit. Stephano Gardinero viſum eſt indiuiduum vagum; quaſi dixerit, Scio hoc eſſe aliquid, quidnam autem ſit hoc aliquid planè neſcio, cùm ſit vagum & indeterminatum? At hæc ſententia ſtatim diffluit. Nam *(hoc)* eſt Pronomen demonſtratiuum, ideóque vagum eſſe non poteſt, cùm rem certam, ſingularem, ſenſibilem demonſtret.

[f] *In 4. ſent. diſt. 13.* [f] Occhamus dicit *(Hoc) refertur ad corpus Chriſti*: at ſic fiet identica propoſitio: quaſi dicas, corpus Chriſti eſt corpus Chriſti. Otioſè. Et tamen hæc iners & otioſa propoſitio Tranſubſtantiationem veſtram penitùs eneruat. Alij igitur *(hoc)* deſignare volunt, *hoc ens*, vt Scotus; vel *hanc ſubſtantiam*, vt [g] Caietanus: [g] *In c. 26. Mat.* At hoc eſt in nubibus volare, & ſe nebulis circundare. Nam quid erit hoc ens vel hæc ſubſtantia præter panem? Cur igitur ita in caligine ambulare delectat? Cur ipſam veritatem, non per foramina & rimulas, ſed per latiſſimam feneſtram ſe in oculos ingerentem, claréque micantem, non amplectimini? [h] Iohannes de Burgo rem credo acu tanget, & huius indiuidui vagi per inane volitantis, pupillam feriet. [h] *De forma verbor. requiſ. citatur à Iuello in Repl. art. 24.* *Hoc* (inquit) *ſub hac ſpecie præſens, vel de propinquo futurum, eſt corpus meum.* Egregiè. O quanti eſt ſapere? Non auſus eſt abſolutè dicere, *Quod ſub hac ſpecie præſens*; ſic enim vel panem, vel corpus Chriſti demonſtráſſet: ſi panem, ô quam hoc fuiſſet periculo-

Digitized by Google

periculoſum? Sic enim in noſtra caſtra transfugiſſet, nec potuit de corpore Chriſti, niſi remordente conſcientiâ, exponere, cùm verba conſecrationis nondum eſſent peracta. Quare, in has anguſtias coniectus, cùm quod diceret non haberet, operam impenſè dedit, vt intelligendo nihil intelligeret. Ita in biuio conſtitutus, ſibi excidiſſe videri poteſt. En tibi (Philodoxe) quid ſit ſcriptum Dei Verbum relinquere, & in humani cerebri ſolitudine deambulare. Verùm ſpero equidem te hæc omnia Lynceis (quod aiunt) oculis penitùs introſpexiſſe. Tuam ergo hîc expecto ſententiam.

PHIL. [a] *Catholici illud (hoc) demonſtrare volunt, non panem, ſed rem contentam ſub ſpeciebus panis, quæ etſi antè fuerat panis, tamen tunc iam erat Chriſti corpus.* Vt rectè Bellarminus. 10

[a] *Bell. de Sacr. Euchar. l.1.c.10.*

ORTH. Quid ſibi vult per illud, *tunc iam?*

PHIL. Genuinus eius ſenſus ex eo colligi poteſt, quod aſſerit occaſione horum verborum, Bibite ex hoc omnes, [b] illud inquit, *(ex hoc) non ſignificat ex hoc vino, ſed ex eo quod in calice, ſub ſpeciebus vini, continetur, quod quidem, licèt vinum fuerit ante conſecrationem, tamen, finitis verbis conſecrationis, non vinum, ſed ſanguis erat, &c.* Eodem planè modo licèt panis fuerat ante conſecrationem, tamen, finitis verbis conſecrationis, non panis, ſed tunc iam corpus Chriſti erat.

[b] *Idem cap. 11. idem dico.*

ORTH. Si ante conſecrationem erat panis, nec erat corpus Chriſti niſi finitis verbis conſecrationis, tum fateamini oportet Pronomen *(hoc)* non demonſtrare corpus Chriſti, ſed panem: Quod, niſi reluctante conſcientiâ, negare non poteſtis. Sed quid eſt quod vos adeò ludere delectat, & ſub vocum ambiguitate deliteſcere? Siccíne in re ſeriâ balbutire, & veſtra ipſorum verba reſorbere? Non dicitis eſſe panem, ſed id quod ſub ſpecie panis continetur; quaſi quicquam aliud ſub ſpecie panis deliteſceret præter ipſam panis ſubſtantiam? Nam vel erit panis, vel corpus Chriſti; at corpus nondum eſſe ex veſtra ſententiâ ſæpè diximus. Quia in cauſa ad Archiepiſcopum veſtrum te relegandum cenſeo. [c] *Cum Scriptura* (inquit) *duarum tantùm ſubſtantiarum, quæ demonſtrari hîc queant, meminerit, videlicet, panis & corporis, neſcio cur fingant tertiam aliquam, quæ nec panis ſit nec corpus, quæ tamen per Pronomen demonſtretur: in quo magnam Scripturæ vim faciunt, infarcientes illi ex ſuo cerebro tertiam iſtam rem, cuius nullam habet mentionem, & quâ poſitâ, propoſitio falſa eſſet. Si autem nullam tertiam rem ponere ſe dicant, quæ ſit alia à Chriſti corpore, cur tot verba effutiunt ad docendum quod corpus non demonſtretur? Cur nudam nobis rem non proponunt? Cur tot illam verborum inuolucris contegunt? In Dei Verbo duarum tantùm ſubſtantiarum mentio habetur, & re verà nulla ſubſtantia fuit in Chriſti manibus poſt acceptum panem, præter panem & corpus, quæ per Pronomen demonſtrari poſſit, & tamen ſolam illam ſubſtantiam ſingularem demonſtrabat, quæ* *erat*

[c] *Archiep. Caſarienſ. tract. par. diſp. de neceſſ. cor. Theol. ſchol. l.1. fol.17.*

Digitized by Google

erat in ſuis manibus ſub ſpeciebus panis: tertiam ergo quærere à pane & corpore diſcretam vaniſſimus labor eſt, & abſurditate plenus. Hoc enim tertium quid erit? Reſpondetis illud eſſe quod continetur ſub ſpeciebus panis & vini. Sed quid tandem illud? Archiepiſcopus veſter optimè vrget: *Quicquid* [a] *dixerint, ſemper eò cogendi ſunt, vt dicant an corpus, an panis oſtendatur in ſingulari, quia Pronomen, vice nominis proprij poſitum, pro ſolo ſingulari ſumi poſſit.* Alterutrum ergo eſſe neceſſe eſt, niſi otioſè & abſurdè loqui velimus; at corpus Chriſti ſubſtantialiter eſſe non poteſt, ob rationem toties inculcatam; nam ſic adeſſet corpus Chriſti antè conſecrationem, & ſine conſecratione, & per conſequens Chriſti corpus eſſet, cùm nondum eſſet corpus Chriſti. Similiter adeſſet ſanguis ante conſecrationem, & ſine conſecratione, & per conſequens adeſſet ſanguis antequam, ſecundùm placita veſtra, eſſet ſanguis, & ſic eſſet ſanguis ſine ſanguine, & ſanguis non ſanguis: quæ ſunt opinionum monſtra, non verbis, ſed flagris refellenda. Ita perennis aquæ fontem lucidum reliquiſtis, & ciſternas vobis pertuſas, quæ aquas non continent, effodiſtis, ſacras Scripturas & antiquos Patres deſerüiſtis, & in veſtri cerebri ſomnijs, tanquam in ſolitudine, aberrantes, propriíque ingenij labyrintho inuoluti, vos inde expedire non poteſtis. Heu quantò ſatiùs fuiſſet veritatem in Scripturis relucentem ingenuè agnoſcere, Deóque gloriam dare? Huius ſtricturas, vel in medijs errorum tenebris micantes, vidit Petrus de [b] Aliaco, qui panem, vel poſt conſecrationem permanere, non negauit. *Patet* (inquit) *quòd iſte modus eſt poſſibilis, nec repugnat rationi; nec authoritati Biblicæ, immò eſt facilior ad intelligendum, & rationabilior. Eadem Durandi, & aliorum eſt ſententia.* Iam verò panis ſubſtantia non poteſt eſſe corpus Chriſti quoad ſubſtantiam, ſed ſolummodò quoad Sacramentalem ſignificationem, & per conſequens hæc propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, non eſt intelligenda ſubſtantialiter, ſed ſacramentaliter.

[a] Quo ſuprà.

[b] Petr. de Aliac. in 4. ſent. q. 6. art. 2.

Phil. At Chriſtus non dixit, Hoc ſignificat corpus meum, nec, Hoc eſt ſignum, ſigillum, aut Sacramentũ corporis mei, neq;, Hoc eſt corpus meum ſacramentaliter, vel ſignificatiuè, ſed abſolutè enuntiauit, *Hoc eſt corpus meum.*

Orth. Verba ſapientiæ protulit; modo autem loquendi vſus eſt tropico, ſed exquiſitiſſimo; cuius duæ rationes reddi poſſunt. 1a. Vt ſummam ſimilitudinem exprimeret perquàm emphaticè. Cùm puerum patris ſimilimum aſpicimus, non ſatis habemus dicere, *Eſt ſimilis patri*, ſed dicere ſolemus, *Hic puer habet vultum paternum:* nihil tamen aliud innuimus, quàm eſſe viuam & expreſſam Patris imaginem. Ita quiſpiam Alexandri imaginem, à Phidia efformatam, aſpiciens, non dicit, Hic eſt ſimilis Alexandro, ſed admirabundus exclamat, *Hic eſt Alexander ipſe.* Alia ratio eſt, quia dulciſſimus Seruator noſter omnia eius beneficia

Digitized by Google

beneficia conſolatione pleniſſima animæ dignè communicanti obſignare voluit. Perinde igitur ac ſi Rex, fideli ſubdito caſtellum donans, diploma ſigillo munitum porrigeret, dicens, En, tibi accipe quod do, eſt autem tale aut tale caſtellum. Quamuis enim dicere potuiſſet hoc, quod tibi porrigo diploma, talis caſtelli donationem ſignificat, multò tamen ſignantiùs, & ad cor lætitiâ perfundendum penetrantiùs dicitur, Eſt tale caſtellum. Sic enim Rex demonſtrat ſe hoc ſigillo illum in actualem caſtelli poſſeſſionem mittere. Eodem planè modo Dominus noſter Ieſus Chriſtus, quamuis dicere potuiſſet, Hoc ſignificat corpus meum, vel, Hoc eſt corporis mei Sacramentum, maluit tamen dicere, *Hoc eſt corpus meum*, vt cor fidele gaudio (vt ita dicam) magis cordiali impleret, nos certificans, ſe dum panem donat, ſeipſum etiam donare, & exhibere, nóſque in actualem gratiarum & beneficiorum ſanguine ſuo nobis partorum poſſeſſionem introducere.

PHIL. Si Pronomen *(hoc)* panem denotare concederemus, quid indè concludes? 11

ORTH. Id ex [a] Bellarmino ediſcere potes, qui ex ſcriptis Lutheri oſtendit, hæc verba Chriſti *(Hoc eſt corpus meum)* hunc ſenſum facere ſecundùm Lutherum, Hic panis eſt corpus meum. *Quæ ſententia* (inquit Bellarminus) *aut accipi debet tropicè, vt panis ſit corpus Chriſti ſignificatiuè, aut eſt planè abſurda & impoſſibilis. Non enim fieri poteſt vt panis ſit corpus Chriſti. Itáque maluerunt Lutheri diſcipuli recurrere ad tropum, quàm admittere manifeſtam abſurditatem.* Ergo ſi Pronomen *(hoc)* panem demonſtrat, tum hæc propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, fatente Bellarmino, erit tropicè exponenda (id eſt, perinde ac nos interpretamur) vel certè erit abſurda & impoſſibilis; ſed ſumma eſſet blaſphemia, ſi quis diceret Chriſtum abſurda & impoſſibilia eſſe loquutum; ergo ex ſententia Bellarmini ſi Pronomen *(hoc)* demonſtret panem, verba Chriſti eundem habent ſenſum quem nos elicimus. Itáque Proteſtantes reportabunt victoriam, vel doctiſſimo Cardinali Iudice. Nam *magna eſt veritas & præualet*. Ita carnalis veſtra præſentia, & per conſequens ſacrificium & Sacerdotium veſtrum, tanquam Dagon coram Arca Iſraelis corruerunt.

[a] Bel. de Euch. l. 1. c. 1.

Quin ſi diſputandi gratiâ fingeremus (quamuis mera & vera eſſet fictio) corpus Chriſti corporaliter & carnaliter Sacramento contineri, ſacrificium tamen (in quo veſtrum fundatur Sacerdotium) nunquam hinc euincere poteritis. Nam ſacrificium Scriptura nullum agnoſcit præter vnicum illud in cruce peractum. [b] *Neque enim per ſanguinem hircorum & vitulorum; ſed per proprium ſanguinem* (quem Scriptura alibi vocat *ſanguinem* [c] *crucis) introiuit ſemel in Sancta, æternâ redemptione inuentâ.* [d] In ipſum cœlum *ingreſſus eſt, vt appareat nunc in conſpectu Dei pro nobis: neque vt ſæpè offerat ſeipſum, ſicut Pontifex ingreditur in Sacrarium quotannis cum ſanguine alieno; alioquin oportuiſſet eum ſæpè paſſum fuiſſe à condito mundo,* 12

[b] Heb. 9. 12.
[c] Col. 1. 20.
[d] Heb. 9. 24.

ſed nunc ſemel in conſummatione ſæculorum ad abolendum peccatum per immolationem ſuipſius patefactus eſt. Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori, ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata. Secundò, ſine peccato apparebit expectantibus ſe ad ſalutem : [a] *hic autem vnam pro peccatis offerens hoſtiam in ſempiternum ſedet in dextra Dei, de cætero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.* Vna enim oblatione *conſummauit in ſempiternum eos qui ſanctificantur.* Si Chriſtus ſanguinem ſuum non ſæpè, ſed ſemel effudit, obtulit, ſacrificauit, ídque in cruce, ergo in Euchariſtia realiter fundi, offerri, ſacrificari non poteſt; ſi vnâ oblatione æternam redemptionem nactus ſit, peccatum aboleuit, & conſummauit in ſempiternum eos qui ſanctificantur, tum veſtra oblatio inanis eſt, inutilis, & Scripturis contraria; & quæ Chriſti ſacrificium omni-ſufficiens ſummâ afficit iniuriâ.

[a] Heb. 10. 12.

PHIL. Semel in cruce ſacrificatus eſt, & non ſæpè illo modo; at in Euchariſtia etiam immolatum fuiſſe, ex ipſius tum verbis, tum factis effectum dabo. 1°. Ex verbis; *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur.* Vt eſt apud Lucam, vel *frangitur*; vt eſt apud [b] Paulum, *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effunditur,* [c] *datur, frangitur; effunditur non vobis, ſed pro vobis, Deo ſcilicet.* Nónne hæc verba arguunt ſacrificium reale, actuale, & propriè dictum?

[b] 1. Cor. 11. 24.
[c] Bel. l. 1. de miſſ. c. 12. præter illa.

ORTH. Arguunt ſanè, ſed non in Euchariſtia, verùm in cruce.

PHIL. Obſerues velim, non dici quod dabitur, frangetur, effundetur, ſed datur, frangitur, effunditur. Quæ verba accipienda non ſunt de ſacrificio crucis, quod tunc futurum erat, ſed de ſacrificio Euchariſtiæ, quod tunc præſens erat.

ORTH. Tempus præſens pro futuro vſurpatur, funditur pro fundetur. Cuius rei probandi gratiâ duos adducam teſtes apud vos authenticos, atque omni exceptione maiores, vulgarem dico interpretem, & Canonem Miſſæ, in quibus non habetur funditur, ſed fundetur: vndè monendus es tempus præſens in textu Græco poſitum pro futuro, & per conſequens hunc locum exponendum eſſe de ſacrificio crucis quod erat futurum.

PHIL. [d] *Iſtæ lectiones non pugnant inter ſe, immò vna inducit alteram. Nam ex eo quòd Dominus in præſenti dixit, funditur, id eſt, offertur, ac libatur Deo, in repræſentationem effuſionis futuræ in cruce, ſequitur effuſionem in cruce fuiſſe factam, & ſimul etiam ſequitur deinceps vſque ad mundi conſummationem fundendum ſanguinem Chriſti, id eſt, offerendum, & libandum Deo in ſacrificio Miſſæ, quod omnibus veteribus ſacrificijs ſucceſſit. Itáque omnes ſunt veræ lectiones, ſiue dicamus funditur, id eſt, nunc in cœna, ſiue fundetur, id eſt, in cruce, ſiue fundetur, id eſt, deinceps in ſacrificio per Eccleſiam frequentando. Sed nulla negari debet, & præſertim prima, cùm Euangeliſtæ & Paulus ſcripſerint in præſenti, datur, effunditur, & non oporteat negare proprium & ſimplicem literæ ſenſum ſine vrgentiſſimâ ratione.*

[d] Bell. quo ſuprà. Sed iſta.

ORTH. Ex ore tuo, ſerue nequam. An lectio quæ habet funditur

Digitized by Google

ditur in præſenti, minus eſt neganda, quàm quæ habet fundetur in futuro, quia Euangeliſtæ & Paulus ſcripſerunt in præſenti? Itáne verò? Licèt Canon Miſſæ, & vulgata verſio, quæ nullo prætextu eſt reijcienda, pro funditur reponant fundetur in futuro? Fateris igitur fontem Bibliorum originalem omnium verſionum riuulis præponendum, quicquid in contrarium dixerit Concilium Tridentinum. O immenſam vim veritatis, quæ inſtar fulguris erumpit, & in tenebris lucet, licèt tenebræ eam non comprehendant! Sed hoc obiter. Nunc ad præſens inſtitutum quod attinet, licèt vulgaris verſio hoc in loco ſacri Textus literam non expreſſit, ſenſum tamen optimè reddidit. Cardinalis [a] Caietanus fatetur, Euangeliſtas & Paulum tempore præſenti vſos eſſe, futuram tamen in cruce effuſionem & fractionem ſignificâſſe. Et [b] Salmeron Ieſuita; *Non eſt negandum* (ait) *morem eſſe Scripturæ, vt ea dicantur fieri de præſenti, quæ confeſtim eſſe, aut mox fieri debent.* Immò Caietanus adhuc vlteriùs progreditur. *Tempus* (inquit) *effuſionis & fractionis erat iam præſens, quoniam inchoatum erat tempus paſsionis.* Vides igitur hanc effuſionem & fractionem, quam Spiritus Sanctus præſenti tempore deſignat, de ſacrificio crucis appoſitè ſatis accipi poſſe, idque ſecundùm Scripturæ conſuetudinem, vel ex veſtrorum hominum ſententiâ. Ex his igitur verbis nullum in Euchariſtia ſacrificium propriè dictum elicere poteris.

[a] *In 1. Cor. 11.*
[b] *In 1. Cor. 11. diſp. 19. p. 154.*

PHIL. Ex verbis Chriſti aſtrui poteſt, vt à Paulo referuntur, *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur*; quandoquidem Euangeliſtæ dicunt datum Deo in ſacrificium; ergo hæc fractio exponenda eſt de ſacrificio. At fractio corpori Chriſti non congruit, niſi quatenùs eſt in ſpecie panis. Paulus igitur loquitur de Chriſti corpore, quatenus erat in ſpecie panis, id eſt, quatenus ſacrificatur in Euchariſtia.

ORTH. Hæc fractio ad Chriſtum in cruce pendentem ſatis appoſitè accommodari poteſt. Nam Eſaias Propheta, de eius paſſione agens, [c] *Fractus eſt* (inquit) *ob iniquitates noſtras.* Et rurſus: [d] Iehoua delectatus contere ipſum. Quamuis enim verum ſit, [e] ne os quidem ex eo fractum eſſe, tamen dum cruci affigebatur eius cutis, caro, nerui, & venæ diſtendebantur, & diſtendendo propriè frangebantur. Hæc ergo fractio ſacrificium in Euchariſtiâ non arguit, ſed duntaxat in cruce.

[c] *Eſa. 53. 5.*
[d] *V. 10.*
[e] *Ioh. 19. 36.*

Digitized by Google

CAP. VII.

De Argumento ab actionibus Chriſti: eius

Partes 2.
- *vel Chriſtus non ſacrificatur*
  - *conſecrando, hîc repello*
    - *quinque Bellarmini argumenta.* 1
    - *Sextũ ex principijs Bellarminianis.* 2
  - *comedendo:*
    - *primò, quia caro Chriſti non propriè comeditur.* 3
    - *ſecundò*
      - *quia non conſumitur.* 4
      - *licèt hoc ex Papiſtarum Principijs conſequetur.* 5
- *vel ſi hoc ſit ſacrificare, tum Miniſtri Anglicani in cœna eodem modo, quo Chriſtus, ſacrificant.* 6

PHIL.

EX Chriſti actionibus euincetur.

ORTH. Ex quibus tandem?

PHIL. Ex conſecratione & comeſtione.

ORTH. Certè Bellarminus, cùm Miſſam tanquàm anatomicus in membra diſſecuiſſet, ſingulóſque eius artus & articulos diligenter rimatus eſſet, ſi fortè quod narras ſacrificium alicubi deliteſcens reperire poſſet, tandem audacter pronuntiauit; [a] *Chriſtum aut conſecrando, & conſumendo ſacrificâſſe, aut nullo modo ſacrificâſſe:* has igitur duas Chriſti actiones perpendamus; à conſecratione exorſi.

[a] Bell. de miſſ. l. 1. c. 27. ſecundò quia.

PHIL. [b] *Conſecratio Euchariſtiæ ad eſſentiam ſacrificij pertinet.*

[b] Ibid. prop. 8.

ORTH. Eſtne materia, an forma? Non eſt materia, quia non eſt res permanens, ſed actio tranſiens. Et Bellarminus ipſe, cùm habitum Torti indueret, verba conſecrationis ad oblationem non formaliter, ſed efficienter concurrere aſſeruit. Sed quomodò probas ad eſſentiam ſpectare?

PHIL. Hoc Bellarminus quinque demonſtrauit Argumentis.

ORTH. Otioſa quædam adduxit nugamenta, in quibus legendis Bellarminum in Bellarmino deſideres. Cæterùm audiamus.

PHIL.

Digitized by Google

PHIL. [a] 1°. *Sacrificium Miſſæ offertur in perſona Chriſti. Nihil autem facit ſacerdos tam perſpicuè in perſona Chriſti, quàm conſecrationem, in qua dicit, Hoc eſt corpus meum.* [a] *Ibid. hæc explicat.*

ORTH. Verba Chriſti recitando, eiúſque inſtitutum obſeruando elementa conſecrat, ac proinde dici poteſt in perſona Chriſti conſecrare. Sed quid hoc ad ſacrificium? Conſecrantur elementa, id eſt, ex vulgaribus redduntur corporis ac ſanguinis Chriſti ſacra Symbola, quod abſque ſacrificio fieri poteſt; vt in aqua baptiſmali ſatis patet. Quare conſecrationem eſſe de eſſentiâ ſacrificij non potes hinc concludere: vel ſi hoc rectè inferatur, ad miniſtros Anglicanos reflecte oculos, qui perinde ac veſtri in perſona Chriſti conſecrant; an noſtra quoque conſecratio ſacrificium arguet?

PHIL. [b] 2°. *Non eſt alia Chriſti actio quæ Sacrificium dici poſſit, neq; ante, neque poſt conſecrationem, præter duas prædictas; in illis igitur ſitum eſt.* [b] *Bell. de Miſſ. 1. c. 27. 2°.*

ORTH. Immò eſt alia Chriſti actio, quæ Sacrificium propriè dictum, ídque expiatorium dici bebet; nempe, oblatio ſuijpſius in cruce. In Euchariſtia verò, nec prædictæ Chriſti actiones, nec vlla omninò alia hoc titulo propriè inſigniri poteſt.

PHIL. [c] *Tertiò: Apoſtoli initio, ſi nihil ad verba conſecrationis addebant præter Orationem Dominicam, neceſſe eſt vt conſecrando ſacrificarent: neque enim Oratio Dominica tale Sacrificium dici potuit.* [c] *Ibid. 3°.*

ORTH. Supponis eſſe Sacrificium, quod eſt principium petere.

PHIL. [d] 4°. *In conſecratione conſiſtit repræſentatio Sacrificij Crucis, vt Sanctus Thomas dicit: at ſimul eſſe debent Sacrificium reale & repræſentatiuum.* [d] *Ibid. 4°. 3. part. q. 80. art. 12.*

ORTH. Quid ita? Repræſentatiuum pactum erat in Euchariſtia, reale in cruce. In prima celebratione præceſſit repræſentatiuum, in reliquis reale. Nec ſi in Euchariſtia fuit repræſentatiuum, idcirco etiam fuit reale.

PHIL. [e] *Quintò, hæc eſt ſententia veterum Patrum. Nam* [f] *Irenæus dicit, Chriſtum tunc docuiſſe oblationem noui Teſtamenti, quam Eccleſia per orbem terræ frequentat, cùm ait, Hoc eſt corpus meum.* [g] Cyprianus dicit, *Quùm verbis conſecrationis panis benedicitur, hinc Euchariſtiam fieri medicamentum, ſimul & holocauſtum.* [h] Chryſoſtomus ait, *Verba Domini, hoc eſt, corpus meum, vſque ad mundi conſummationem* præſtare ſacrificio firmitatem. [i] Gregorius, cùm ait, *In ipſa immolationis hora ad Sacerdotis vocem Angelorum choros adeſſe, cælum aperiri, ima ſummis coniungi, vnum ex viſibilibus et inuiſibilibus fieri apertè docet, immolationem conſecratione perficit. Illa enim eſt hora, in qua Sacerdotis vocem Chriſtus verè in Altari eſſe incipit ſub ſpecie panis: nam id eſt ima ſummis coniungi, terrena cæleſtibus ſociari, & vnum quid ex viſibilibus & inuiſibilibus fieri. Neque dubium eſt, quin, ob Chriſti præſentiam, Angeli de cælo in terram veniant. Sic Bellarminus.* [e] *Ibid. 5°.* [f] *L. 4. c. 32.* [g] *In ſerm. de cœna Domini.* [h] *Homil. de prodit. Iudæ.* [i] *L. 4. dial. c. 58.*

ORTH. Vnicum magiſtri ſententiarum teſtimonium hæc illuſtrabit

*Pet. Lombard. l. 4. diſt. 12.

luſtrabit omnia. * *Quæritur* (inquit) *ſi quod agit Sacerdos, propriè dicatur ſacrificiũ, vel immolatio, & an Chriſtus quotidiè immoletur, aut ſemel tantùm immolatus ſit. Ad hoc breuiter dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur, vocari ſacrificium & oblationem, quia memoria eſt & repræſentatio veri Sacrificij, & ſanctæ Immolationis factæ in arâ crucis: & ſemel Chriſtus mortuus in cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſe ipſo, quotidiè immolatur in Sacramento, quia in Sacramento recordatio fit illius quod factum eſt ſemel.*

2 a Vide Bell. de miſs. l. 1. c. 27. bis igitur.

PHIL. Quid? An nuda recordatio? Immò ibi verum & proprium eſt ſacrificium. Nam [a] *tria ſunt, in quibus veri & realis Sacrificij ratio conſiſtit. Primò, requiritur vt res prophana fiat ſacra. 2°. vt res facta ſacra Deo offeratur 3°. vt res oblata ad veram realem & externam mutationem & deſtructionem ordinetur.*

ORTH. Videamus igitur an hæc tria in Euchariſtia concurrant.

PHIL. Primò, manifeſtum eſt panem hîc (eadem eſt vini ratio) ex vulgari fieri ſacrum, id eſt, corpus Chriſti.

ORTH. Quin attende (Philodoxe) ſi panis ſit verum illud ſacrificium, elementa terreſtria pro Eccleſiæ redemptione ſunt oblata; quod ſine ſummo flagitio cogitari non poteſt.

b Bell. ibid. prima propoſitio.

PHIL. [b] *Negari non debet panem & vinum aliquo modo in miſſa offerri, & proinde pertinere ad rem quæ ſacrificatur. Hæc propoſitio patet primò ex ipſâ liturgiâ. Nam cùm ante conſecrationem dicimus, Suſcipe (ſancte Pater) hanc immaculatam hoſtiam, certè Pronomen (hanc) demonſtrat ad ſenſum id quod tunc manibus tenemus; id autem panis eſt. Et ſimiles ſunt in liturgiâ non paucæ ſententiæ, quæ panem offerri apertiſſimè demonſtrant. Deinde veteres Patres paſſim idem tradunt.*

ORTH. Nullam agnoſcimus immaculatam hoſtiam, niſi illam ſolam, quæ pro æterna electorum ſalute oblata eſt. Quomodò enim erit panis immaculata hoſtia?

c Bell. de Miſſa. l. 1. c. 27. reſpondeo quod.

PHIL. Aliquo modo, ſed non propriè. Nam [c] *quod ita fit ſacrum ex prophano vt maneat, id ſine dubio propriè ſacrificatur. At panis non manet dum ſacrificatur, ſed in aliud vertitur, ideóque non panis, ſed quod ex pane factum eſt, propriè ſacrificatur.*

ORTH. Manere panem quoad ſubſtantiam, ſuperiùs probauimus. Quin ſi fingamus elementorum ſubſtantiam conſecratione tolli; & prætereà, ipſum corpus Chriſti corporaliter & carnaliter ſub ſpecie panis adeſſe, non tamen inde aſtruitur veſtrum ſacrificium. Nam vbi tandem comparet ſecunda illa ſacrificij conditio, oblatio ſcilicet?

d Ibid. ſecundo.

PHIL. [d] *Deo offertur, dum in altari Dei collocatur: nam victimam in altari ponere, eſt re ipſa illam Deo offerre; & quia vi conſecrationis fit, vt corpus Chriſti incipiat re ipſa eſſe ſuper altare, mediante manu Sacerdotis, ideo verbis conſecrationis vera & ſolennis oblatio celebratur.*

ORTH.

Digitized by Google

O R T H. Si vi conſecrationis corpus Chriſti re ipſa incipiat eſſe ſuper Altare, certè hoc fit Sacerdotis linguâ potiùs mediante quàm manu. 2°. Aliud eſt ſacrificium in Altari ponere, aliud re ipſa illud Deo offerre, vt ex Scripturis apparet. [a] *Vt autem peruenerunt ad locum illum quem dixerat ei Deus, extructo ibi Altari, Abraham diſpoſuit ligna: poſteà colligans artubus Iſaacbum filium ſuum, impoſuit eum Altari, ſuper ipſa ligna.* Hic victima re ipſa in Altari ponebatur; quæ licèt aliquo modo oblata dici poteſt, ſcilicet, quoad Abrahami intentionem, & Domini acceptationem, re ipſa tamen non offerebatur. 3°. Si corpus & ſanguis Domini ſint ſacrificium, tum quandoquidem hæc (ex doctrina veſtra) non incipiant eſſe in Altari, niſi verbis conſecrationis finitis, indè ſequitur nullum ibi eſſe ſacrificium ante finitam conſecrationem, & per conſequens ſacrificij oblationem inchoari non poſſe, niſi peractâ conſecratione. Iam verò ſi demum poſt finitam conſecrationem incipiat vera & ſolennis oblatio, ſanè verbis conſecrationis celebrari non poteſt; niſi fortè dicturus es oblationem celebrari antequam ſit, & rem finire poſſe, antequam incipiat. Denique ſi hoc quoque largiamur, ſacrificium tamen non ſtatim concluditur: Nam omnis oblatio non eſt ſacrificium: ſed tertia requiritur conditio, quam tuis verbis enucleari velim.

[a] Gen. 21. 9.

P H I L. [b] *Tertiò, per conſecrationem res quæ offertur ad veram, realem, & externam mutationem, & deſtructionem ordinatur, quòd erat neceſſarium ad rationem ſacrificij.* Nam [c] *ad verum ſacrificium requiritur, vt id quod offertur Deo in ſacrificium, planè deſtruatur, id eſt, ita mutetur, vt deſinat eſſe id quod antè erat.*

[b] Bel. ibid. 3°.
[c] Bell. de miſſa. l. 1. c. 2. 8°.

O R T H. Quo tandem modo?

P H I L. [d] *Omnia omninò quæ in Scriptura dicuntur ſacrificia neceſſariò deſtruenda erant; ſi viuentia, per occiſionem; ſi inanima, ſolida, vt ſimila, ſal, thus per combuſtionem; ſi liquida, vt ſanguis, vinum, aqua, per effuſionem.*

[d] Ibid. 2°. probatur.

O R T H. Chriſtus in Euchariſtia éſtne viuus an mortuus?

P H I L. Chriſtus eſt in hoc ſanctiſſimo Sacramento non modò ſecundùm corpus & ſanguinem, verùm etiam ſecundùm animam & diuinitatem, vt rectè Concilium [e] Tridentinum, ideóque viuus. Quanquam [f] *anima & diuinitas non ſunt ibi ex vi conſecrationis, ſed ratione naturalis concomitantiæ.*

[e] Seſſ. 13. Can. 1.
[f] Bell. de Euch. l. 3. c. 5. at ſententia.

O R T H. Si viuus, ergo, ſecundùm veſtram ſententiam, vel occiditur à Sacerdote, vel omninò non ſacrificatur, & per conſequens vel nulli ſunt in nouo Teſtamento ſacrificantes Sacerdotes, præter ſolum Chriſtum, vel ſi ſint, quotquot ſunt, illi ad vnum omnes ſunt Chriſticidæ. Si quis fortè dixerit Chriſtum ibi eſſe, ſed non viuum, ergo eius corpus cum ſit res ſolida, ex veſtra ſententia ſacrificari non poteſt, niſi priùs deſtruatur per combuſtionem, quæ in corpus Chriſti non cadit. Nam [g] *ſanctus ille non videbit*

[g] Pſ. 16. 10.

Digitized by Google

bit corruptionem. Porrò ſi non deſtruatur à Sacerdote, nec ſacrificabitur. Nam dixeras ex Bellarmino ad verum ſacrificium requiri, vt id quod offertur Deo in ſacrificium, *planè deſtruatur.* Ita huius argumenti laqueis vndique es irrititus. Præterea dicas Euchariſtiam eſſe ſacrificium, ſacrificium autem eſſe deſtruendum, id tibi vlteriùs explicandum, quomodò ſcilicet fiat hæc deſtructio.

3 PHIL. Conſumitur, & deſtruitur per comeſtionem.

ORTH. Populus comedit, perinde ac Sacerdotes, num & ipſi ſunt ſacrifici?

PHIL. [a] *Sacramenti conſumptio, vt à populo fit, non eſt pars ſacrificij, vt autem fit à Sacerdote ſacrificante, pars eſt eſſentialis.*

[a] Bell. de miſſa. lib. 1. cap. 27. 7. propoſitio.

ORTH. Sacerdotes veſtri num Chriſtum edunt propriè, an impropriè? Si impropriè, quomodò ergo conſumitur, aut deſtruitur ſacrificium? Nam ſi ſola comeſtione conſumatur, vos autem non comedatis niſi impropriè, ergo nec conſumetur à vobis niſi impropriè, & per conſequens, cùm conſumptio ſit ſacrificij pars eſſentialis, non ſacrificatis niſi impropriè, ac proindè non eſtis Sacerdotes niſi impropriè.

PHIL. [b] *Corpus Chriſti verè & propriè, etiam corpore in Euchariſtia manducatur. Nam ad rationem manducationis non neceſſaria eſt attritio, ſed ſatis eſt ſumptio & tranſmiſſio ab ore ad ſtomachum, per inſtrumenta humana, & naturalia, id eſt, linguam & palatum.*

[b] Bell. de Euch. l. 1. c. 11. reſpondeo corpus.

ORTH. Si propriè & corpore manducetis Chriſtum, profectò non tam homines dicendi eſtis, quàm monſtra hominum. Nam quid hoc eſt aliud, quàm Cyclopes agere, vel ſi quid Cyclopibus eſt immanius? Cyclops enim meri tantùm hominis carnem vorat, vos autem carnem & ſanguinem Filij Dei.

PHIL. Cyclopes more cruento id faciunt, nos non item.

ORTH. Nónne ſanguis Chriſti perinde ac corpus ſacrificatur? Deſtruendus igitur, ídque cùm ſit res liquida, per effuſionem. Ergo omnis Sacerdos Chriſti ſanguinem fundit, eundémque bibit, ídque propriè; nónne hoc eſt Cyclopicum?

PHIL. Fundit quidem, & bibit, ſed modo incruento.

ORTH. At [c] Auguſtinus flagitium eſſe putat, ſi quis Chriſti carnem propriè comedat, vel ſanguinem propriè bibat, quocunque id modo fiat. Vnde infert verba Chriſti, quibus nos hæc facere iubemur, figuratè, non propriè eſſe exponenda. Sed eius verba ſubijciamus: *Niſi manducaueritis carnem Filij hominis & ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere; figura eſt ergo, præcipiens paſſioni Domini eſſe communicandum, & ſuauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata ſit.* Sic ille. Cæterùm vt pergamus, quomodò corpus Chriſti, dum comeditur, conſumitur?

[c] De doct. Chriſt. l. 3. c. 16.

4 PHIL. [d] *Per conſecrationem accipit formam cibi; cibus autem ad comeſtionem, & per hoc ad mutationem & deſtructionem ordinatur. Neque obſtat, quòd corpus Chriſti nullam in ſe læſionem patiatur, neque eſſe ſuum*

[d] Bell de miſſ. l. 1. c. 27.

Digitized by Google

ſuum naturale amittat, cùm manducatur Euchariſtia; nam amittit eſſe ſacramentale, & proindè deſinit realiter eſſe in Altari, deſinit eſſe cibus ſenſibilis.

ORTH. Deſtructio realis, quæ requiritur in ſacrificio, efflagitat vt planè deſtruatur, & deſinat eſſe id quod ante erat. Exempli gratiâ, Agnus qui in iugi ſacrificio immolabatur, primò mactabatur, & ſic deſinebat formaliter eſſe Agnus. Secundò, eius caro comburebatur, & ſic deſinebat eſſe materialiter quod antè erat, id eſt, caro. Similiter, cùm quælibet pars comederetur, & per comeſtionem in humanam ſubſtantiam conuerteretur, tum deſinebat eſſe eadem caro quæ antè erat. Quin ſi corpus Chriſti non conſumatur realiter, ergo ex veſtris principijs non ſacrificatur realiter.

Quanquam, vt ingenuè quod ſentio dicam, cogitanti mihi hoc 5
ex principijs veſtris fluere videri ſolet, ſcilicet etiam ipſum corpus Chriſti realiter conſumi, & deſtrui; quod ſine immani blaſphemiâ dici non poteſt.

PHIL. Ex noſtris? Quid ita?

ORTH. Nónne naturalem Chriſti corporis ſubſtantiam ſub ſpecie panis contineri dicitis?

PHIL. Quidni dicamus?

ORTH. Quod ſub ſpecie panis continetur, id realiter conſumitur, & deſtruitur, & eſſe ſuum naturale planè amittit. Nam elementa nónne poſt conſecrationem nutriunt?

PHIL. Certè.

ORTH. Si quis ambigat, illud ipſum experimento minimè fallaci poteſt deprehendere. Nam ſine dubio Sacerdos, hoc ſolo viatico inſtructus, vitam diu prorogare poteſt; vnde priſtinam nutriendi vim retinere conſtat. At nutritio dicitur, cum nutrimenti ſubſtantia in nutriti ſubſtantiam vertitur. Si ergo elementa poſt conſecrationem nutriant, ſubſtantiam, quæ in nutriti ſubſtantiam conuerti poſſit, habeant neceſſe eſt. Quænam igitur illa? Non ſubſtantia panis: illa enim (vt vobis placet) auolauit & diſparuit. Quæ ergo alia cogitari poteſt, præter corpus & ſanguinem Chriſti? Vndè ſequitur veram & naturalem Chriſti carnem & ſanguinem in nutriti ſubſtantiam tranſmutari, quicquid tandem ſit quod nutritur, ſiue homo, ſiue auis, ſiue pecus. Porrò, quod ita tranſmutatur, eſſe ſuum naturale amittit, & per conſequens realiter conſumitur & deſtruitur: Quid autem eſt dictu blaſphemum, ſi hoc non eſt? Si huius te pudeat propoſitiónis, etiam fontis, vndè hæc aqua fluit turbida, te pudere debet.

PHIL. Quod nutrit, non eſt corpus Chriſti, ſed eiuſdem ſpecies: nam [a] *etiam ſpecies Sacramenti nutrirent, ſi in magna copia ſumerentur.*

[a] Bell. de Euch. l.3. c.23.

ORTH. Species ſunt accidentia; num accidentia nutriunt? Ergo ſubſtantia conſtituitur ex accidentibus; quo vno abſurdo dato, ſequentur mille.

a Ibid. PHIL. Accidentia nutriunt a *diuino miraculo*.

ORTH. Cùm ad anguſtias deducti, quòd reſpondeatis non habetis, ad miracula confugitis; ita ſi fortè Sacerdos ſe vino conſecrato nimium ingurgitet, diuino miraculo temulentus euadet; ſi mus in pixidem irrepſerit, vel paſſer fortè in hoſtiam inuolauerit, diuino pingueſcet miraculo. Hæc ſanè miraculoſa eſt reſponſio. Nónne vniuerſa miracula à Deo fiunt immediatè? Ergo ſi verum eſt quod reſpondes, Deus operatur miracula ad ſaginandos mures, & miraculo concurrit ad Sacerdotem inebriandum. Hæc ſi ſint abſurda, ergo & Tranſubſtantiatio veſtra, & ſacrificium, & Sacerdotium ſunt abſurda.

6 Hactenus Chriſtum ſe propriè in cœna non ſacrificâſſe oſtendimus: nunc age; ſi gratificemur tibi, &, diſputandi gratiâ, fingamus Chriſtum eo ipſo, quòd conſecraret & comederet ſeipſum, propriè ſacrificâſſe, nónne vides hoc teipſum iugulare? Nam cùm Chriſtus dixerit, Hoc facite, certè eandem ſacrificandi rationem ab Eccleſia exigit, quâ ipſe in cœna vſus eſt. Quare cùm manifeſtum ſit, Miniſtros Anglicanos & conſecrare, & comedere, inde ſequitur nos omnes eo modo ſacrificare, quem Chriſtus ſuo exemplo nobis præmonſtrauit, & præcepto imperauit.

Digitized by Google

Cap. VIII.

De Argumento à praxi Eccleſiæ, & à quibuſdam locis Apoſtolicis.

De
- *Eccleſiæ praxi*, *Act.* 13. 2. 1
- *Apoſtoli teſtimonio*
  - 1. *Cor.* 10. 14. 2
  - *Hebr.* 13. 10. 3

PHIL.

ECcleſiæ praxis contrarium demonſtrat, teſtante ſacrâ Scripturâ: [a] *Miniſtrantibus illis Domino, & ieiunantibus, dixit Spiritus Sanctus.* Quo in loco (vt rectè [b] Anglo-Rhemenſes) reddere licuiſſet (ſacrificantibus) ita enim vox [c] Græca ſignificat; & ita Eraſmus vertit. Immò licuiſſet Anglicè transferre, *while they were ſaying of Maſſe*, id eſt, illis Miſſam dicentibus. Hinc Græci Patres nomen Liturgiæ mutati ſunt, quæ Eraſmo eſt Miſſa; verbi gratiâ, cùm dicitur Miſſa Chryſoſtomi.

[a] *Act.* 13. 2.
[b] *In hunc locum.*
[c] Λειτουργούντων.

ORTH. Hoc miniſtrare, non eſt miſſificare. Nam vox Græca [d] Angelis cœleſtibus accommodatur, qui vobis, credo, non ſunt Sacerdotes miſſificantes. Præterea, ciuilibus etiam [e] Magiſtratibus applicatur; num horum etiam Miniſtratio erit miſſificatio? Eraſmus quidem tranſtulit (*ſacrificantibus*) at veſtros intellexiſſe miſſificantes nulla ſuadet ratio; nec vox (*Miſſa*) hoc euincit. Non enim Hebræam, aut Chaldæam ſapit originem, quemadmodum [f] Baronius contendit, vt indè oblationem concludat, ſed Latinis prognata eſt parentibus, vt probat [g] Binius, qui contra-ſentientes Neotericos appellat. [h] Bellarminus vocem Miſſæ à Græcis authoribus non vſurpari concedit, ſed Liturgiæ, quam munus, ſeu Miniſterium publicum interpretatur. Ita ſenſus & ſententia Spiritus Sancti erit, illos munus, ſeu Miniſterium publicum obiiſſe; quod quale fuerit liquidò à [i] Chryſoſtomo exponitur. *Quid eſt miniſtrantibus? Prædicantibus.*

[d] *Heb.* 1. 14. Λειτουργικὰ πνεύματα.
[e] *Rom.* 13. 6. λειτουργοὶ Θεοῦ.
[f] *An.* 34. *n.* 59.
[g] *T.* 3. *p.* 110.
[h] *Bell. de Miſſa. l.* 1. *c.* 1. *ſed non.*
[i] *In Act. hom.* 17

PHIL. Hæc interpretatio quadrare non poteſt. Nam dicuntur miniſtrâſſe Deo; at dici non poſſunt prædicâſſe Deo.

Ggg 2 ORTH.

Digitized by Google

ORTH. Qui hoc ipſum in vſum Eccleſiæ facit, næ is in honorem Dei idem præſtare dicendus eſt; ac proinde qui populo prædicat, Deo miniſtrat.

a Bell. de Miſſa. l. 1. c. 13. PHIL. Verbum illud, [a] Λειτουργία, cùm ad ſacra accommodatur, & abſolutè ponitur, vbique in Scripturis accipitur pro Miniſterio ſacrificij.

ORTH. Aliter accipi poſſe ex voce coniugata ſatis elucet, [b] Λειτουργὸς enim, etiam vbi abſolutè ponitur, denotat aliquandò Euangelij prædicatorem, aliquandò ciuilem [c] Magiſtratum.

b Rom. 15. 16.
c Rom. 13. 4.

2 PHIL. Sacrificium Miſſæ ex 1. ad Cor. cap. 10. validè probatur. *Fugite ab Idolorum cultura; vt prudentibus loquar; vos ipſi iudicate quod dico; calix benedictionis cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Domini eſt? Et panis quem frangimus, nónne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. Videte Iſrael ſecundùm carnem; nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt Altaris? Quid ergo? Dico quod Idolis immolatum ſit aliquid, aut quod Idolum ſit aliquid? Sed quæ immolant Gentes, dæmonijs immolant, & non Deo. Nolo autem vos ſocios fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe & menſæ dæmoniorum.* [d] *Ex his verbis tria argumenta colliguntur: vnum ex collatione menſæ Domini cum menſa Gentilium & Iudæorum: apertiſſimè enim comparat Apoſtolus menſam Domini, vndè ſumimus Euchariſtiam, cum Altari Gentilium, vbi immolabatur Idolis, & cum Altari Hebræorum vbi immolabantur ſacrificia carnalia vero Deo. Inde autem ſequitur, menſam Domini eſſe etiam quoddam Altare, & proinde Euchariſtiam eſſe ſacrificium. Nunquam enim Altare propriè dictum erigitur, niſi ad ſacrificia propriè dicta.*

d Bell. de Miſſa. l. 1. c. 14. ex his.

ORTH. Menſam Domini Apoſtolus nec Altare vocat, nec cum Altari comparat; ſed comparat communionem Euchariſtiæ cum communione Altaris, & ſymbola cum ſymbolis in ſimili effectu. Nam vt ſymbolorum ſumptio in Euchariſtia eſt communio Chriſti, ita ſymbolorum ſumptio in Idol[illegible]o eſt communio dæmoniorum.

3 PHIL. [e] *Alterum argumentum ſumitur ex comparatione Euchariſtiæ cum ſacrificijs Gentilium & Hebræorum. Apoſtolus enim apertiſſimè dicit, ita nos fideles ſumere de menſa Domini corpus & ſanguinem Domini, vt ſumunt Iudæi hoſtias, & Gentiles Idolothyta ex ſuis Altaribus ſeu menſis.* At illi ſumunt vt ſacrificium propriè dictum, ergo & nos. [f] *Nam hæc comparatio inepta ſit neceſſe eſt, & perperam ab Apoſtolo adducta, ſi Euchariſtia non eſt ſacrificium Deo immolatum, ſicut cibi illi Iudæorum & Gentilium ſunt ſacrificia Deo vel Idolis immolata.*

e Ibid. alterum.
f Ibid.

ORTH. Comparatio, quam inſtituis, falſa eſt dupliciter; primò, ratione rerum inter ſe collatarum: nec enim dicit Apoſtolus,

ſtolus, nos corpus & ſanguinem Domini de menſa ſumere, ſicut illi de Altari ſumebant ſua Idolothyta. Apoſtolus enim externum calicem & panem Euchariſtiæ cum externis Idolothytis, & myſticam communionem corporis & ſanguinis Chriſti, cum myſtica communione dæmoniorum comparat. Deinde ſumptionem Euchariſtiæ & Idolothytorum inter ſe componit, non vt ſacrificij & ſacrificij, ſed vt Sacramenti & ſacrificij.

PHIL. [a] *Tertium argumentum ſumitur ex comparatione ſocietatis, quam habemus cum Deo per manducationem Euchariſtiæ, cum ſocietate quam habent Gentiles cum dæmonibus per manducationem Idolothytorum. Paulus enim docet eos qui manducant Idolothyta, ita coniungi cum Idolis, vt cenſeantur veri Idololatræ: vtitur igitur hoc argumento; Qui manducat Idolothyta, fit particeps Altaris Idolorum, ergo conſentit in ſacrificium Idolorum; immò fit ſocius immolantium Idolis; ergo eſt Idololatra: ſacrificium enim eſt proprius actus Latriæ. Quare ſi apta eſt Pauli comparatio, oportebit etiam circa Euchariſtiam ita argumentari: Qui manducat Euchariſtiam, fit particeps Altaris Domini, ergo conſentit in oblationem Euchariſtiæ Domino facta, immò fit ſocius eam offerentium: ergo Deum hac oblatione cultu Latriæ honorat.* [a] Ibid. Tertium.

ORTH. Talis eſt conſociatio cum Chriſto per Euchariſtiam, qualis cum dæmonijs per Idolothyta, non ſimpliciter, ſed ſecundùm quid; non ratione medij, quod in illa eſt Sacramentum, in his ſacrificium, ſed tantùm ratione effectuum, vtrique medio analogicè communium. Nam vt manducans Euchariſtiam, habet communionem cum Chriſto, Chriſtianis, & Religione Chriſtiana, ita manducans Idolothyta cum Idolis, Idololatris, & Idololatria. Hic eſt genuinus ſenſus, vndè nec ſacrificium, nec Altare erigi poteſt.

PHIL. Diſerta fit mentio Altaris in Epiſtola ad Hebræos. 3
[b] *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem qui Tabernaculo deſeruiunt.* Vbi edere de Altari, eſt edere de Euchariſtia, ſiue de Chriſti corpore in Altari. [b] Heb. 13. 10.

ORTH. Non hîc agitur de Euchariſtia, ſed de paſſione Chriſti extra portam, & de ſacrificio laudis & gratiarum actionis. Vndè rectè [c] Thomas; *Iſtud Altare vel eſt crux Chriſti, in quâ Chriſtus pro nobis immolatus eſt, vel ipſe Chriſtus, in quo, & per quem preces noſtras offerimus. Et hoc eſt Altare aureum, de quo dicitur Apocal. c. 8°. De iſto ergo Altari non habent poteſtatem edere, id eſt, fructum paſſionis Chriſti percipere, & ipſi tanquam capiti incorporari, qui Tabernaculo legalium deſeruiunt.* [d] *Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil proderit; vel Tabernaculo corporis deſeruiunt, qui carnales delectationes ſequuntur. Carnis curam ne feceritis in deſiderijs: talibus enim nihil prodeſt.* Hactenus Thomas. Cuius, inter alios, teſtimonio adductus [e] Bellarminus, hoc argumentum, tanquam militem inertem,

[c] Tho. in Ep. ad Heb. c. 13. lect. 2.
[d] Gal. 5. 2.
[e] De miſſa l. 1. c. 14. Ex his.

ertem, è caſtris ſuis dimiſit. *Quia* (inquit) *non deſunt ex Catholicis,qui per Altare intelligunt crucem, aut ipſum Chriſtum;non vrgeo eum locum.* Ita totam Scripturam rimati eſtis, veſtrum tamen ſacrificium nuſquam comparüit; tantúm abeſt, vt ſit propriè Propitiatorium; hic honor ſoli Sacrificio crucis debetur.

[a] *Iob* 1.5. PHIL. Nónne Iobus, qui ſub Lege naturæ vixit, [a] holocauſta pro filijs ſuis quotidiè obtulit? Nónne Deus ipſe præcepit, vt eius [b] amici ſacrificium pro ſe offerendum curarent? Nónne in Leuitico multa ſunt ſacrificia pro expiando peccato? Quamobrem ſi ſacrificium crucis non impediebat, quo minùs hæc eſſent propitiatoria: Quid obſtat quo minùs ſacrificium Miſſæ ſit Propitiatorium?

[b] *Iob* 42.8.

ORTH. Quamuis Iobus, & alij, ſub Lege naturæ conſtituti, ſacrificium offerrent, naturam tamen non ſecuti ſunt ducem, ſed Spiritum Sanctum; ideóque eadem eſt ratio horum ſacrificiorum, & reliquorum lege præſcriptorum. Vniuerſa enim & ſingula Chriſtum in cruce offerendum repræſentabant. Peccata autem auferre dicuntur,& Deum placare non propriè,& per ſe, ſed typicè & Sacramentaliter, quia ſummum illud & ſingulare crucis ſacrificium referebant. Nam,vt inquit [c] Apoſtolus, *Non poteſt ſanguis hircorum & taurorum auferre peccata.*

[c] *Heb.* 10.4.

CAP.

Digitized by Google

Cap. IX.

De Argumento ab authoritate Patrum.

Obiectio ex Patribus in
- *genere.* 1
- *ſpecie*
  - *ſingulis v.g.*
    - *Chryſoſtomo.* 2
    - *Ambroſio.* 3
    - *Auguſtino.* 4
  - *congregatis in Concilio* 1°. *Niceno.* 5

Phil.

SAcrarum literarum genuinus ſenſus antiquos Patres non latuit, qui omnes vno quaſi ore Sacerdotem, altare, oblationem, & ſacrificium agnoſcunt.

Orth. Agnoſcunt quidem, ſed non cuiuſmodi vos intelligitis. Nam quod illi in Euchariſtia tuentur ſacrificium, non eſt propriè Propitiatorium, immò nec propriè ſacrificium, ſed præcellentis illius ſacrificij crucis commemoratio, & repræſentatio.

Phil. [a] *Quaſi verò reſpectus commemorationis veram rationem proprij ſacrificij excluderet. Vtique ſi hoc eſſet verum, neceſſe eſſet affirmare omnia legis Moſaicæ ſacrificia metaphoricè tantùm, & impropriè fuiſſe ſacrificia.* [b] *Cùm itaque reſpectum præfigurationis veram rationem in illis legis veteris non deſtruxiſſe apud aduerſarios in confeſſo ſit, reſpectum, vel habitudinem commemorationis eandem, proprij ſacrificij rationem in Euchariſtia tollere, ſtultum eſt aſſerere.*

[a] Champ. p. 699.

[b] p. 700.

Orth. Non eſt eadem ratio Teſtamenti veteris, & noui. In nouo enim (vt [c] anteà ex Scripturis probauimus) nullum eſt ſacrificium propriè dictum, præter vnicum ſacrificium crucis. Quocirca, quod ab hoc ſacrificio eſt diuerſum, noui Teſtamenti ſacrificium eſſe non poteſt. Quicquid autem ſacrificij crucis eſt commemoratio vel repræſentatio, illud ab hoc eſt diuerſum (nihil enim ſuiipſius eſt cõmemoratio vel repræſentatio:) Quicquid igitur eſt ſacrificij crucis commemoratio, vel repræſentati, illud noui Teſtamenti ſacrificium eſſe non poteſt. Quamuis ergo in veteri Teſtamento res eadem eſſet, & propriè dictum ſacrificium, & ſacrificij

[c] Libri huius cap. 2.

Digitized by Google

crificij crucis repræſentatio, in Nouo tamen quod habet repræſentandi, aut commemorandi reſpectum adiunctum, vt Euchariſtia, illud ſacrificium eſſe non poteſt, propriè dictum.

[a] Bell. de miſſa. l.1.c.15.

PHIL. *Si* [a] *Patres exiſtimâſſent Euchariſtiam eſſe Sacramentum duntaxat, non etiam ſacrificium, nulla eſſet cauſa cur aliter loquerentur de Euchariſtia, quàm de baptiſmo. Nuſquam autem baptiſmum vocant ſacrificium, hoſtiam, vel victimam, nec dicunt baptizare eſſe ſacrificare, vel immolare.*

[b] Canus loc. theol. l.12. fol.424.

ORTH. Canum, eruditum veſtrum Epiſcopum, Iudicem appello. [b] *Quaris* (inquit) *quid cauſa plæriſque antiquorum fuerit, vt baptiſmum hoſtiam appellauerint, ideòque dixerint non ſupereſſe hoſtiam pro peccato, quia baptiſmus repeti non poteſt. Sanè quia in baptiſmo Chriſto commorimur, & per hoc Sacramentum applicatur nobis hoſtia crucis ad plenam peccati remiſſionem; hinc illi baptiſma tranſlatitiè hoſtiam nuncupârunt.* En tibi, Canus disertè fatetur baptiſmum à plæriſque antiquorum hoſtiam nuncupari. Inter reliquos autem ecce tibi [c] Auguſtinum. *Quod* (holocauſtum Dominicæ paſſionis) *eo tempore offert quiſque pro peccatis ſuis, quo eiuſdem paſſionis fide dedicatur, & Chriſtianorum fidelium nomine baptizatus imbuitur.* Neque cuiquam mirum videri debet, ſi baptiſmus à patribus ſacrificium appelletur, cùm eundem paſſionem Chriſti appellent. *Paſſio Domini* (inquit [d] Tertullianus) *in qua tingimur. Baptiſmus eſt Chriſti Paſſio* (inquit [e] Chryſoſtomus.) Similiter de Euchariſtia [f] Gregorius: *Hæc ſalutaris victima illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat, qui licèt reſurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominatur; tamen, in ſeipſo immortaliter & incorruptibiliter* viuens, iterum in hoc *myſterio moritur.* Et rurſum: *Hoc ergo penſemus, quale ſit hoc Sacramentum, quod pro abſolutione noſtrâ paſſionem vnigeniti Filij ſemper imitatur. Reparat*, id eſt, ad memoriam reducit, vel repræſentat; *moritur*, id eſt, eius mors repræſentatur; imitatur, id eſt, repræſentat, [g] Gloſſatore interprete. His adiungamus quod ſuperiùs ex [h] Magiſtro protulimus; ſcilicet, *Illud quod offertur, & conſecratur, vocari ſacrificium & oblationem, quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij, & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis.* Denique [i] Bellarminus fatetur Thomam & alios Doctores Scholaſticos ferè reſpondere ſolere, dici immolationem, quia eſt *repræſentatio immolationis.*

[c] In expoſ. Ep. ad Rom. p.365.
[d] Tertul. de bapt. cap.19.
[e] In Ep. ad Heb. homil. 16.
[f] In hom. Paſch. apud Gratian. de conſecr. diſt. 2. quid ſit ſanguis.
[g] Gl. ibid.
[h] Cap.7. n.1.
[i] Bell. de Miſſ. l.1.c.15.

[k] Bel. ibid. Porrò Longobardus. Cap.7. n.1.

PHIL. [k] Longobardus cùm quærit, *An quod Sacerdos gerit, dicendum ſit ſacrificium & immolatio, accipit nomen ſacrificij, & immolationis pro occiſione, ac ſi apertiùs quæſiuiſſet, An quod gerit Sacerdos, ſit dicendum Chriſti occiſio? Reſpondet autem veriſſimè, Chriſtum ſemel tantùm verè immolatum, id eſt, occiſum, nunc autem non propriè immolari, id eſt, occidi, ſed ſolùm in Sacramento, & repræſentatione.* Eodem modo Thomas & alij Scholaſtici vſi ſunt voce immolationis.

ORTH. Cuiquam æquo lectori iudicandum permitto, annon hæc Bellarmini reſponſio ſit merum effugium. Nec tamen hoc

modo

Digitized by Google

modo elabi poteſt. Nam ſi Chriſtus non propriè occidatur, ergo nec propriè ſacrificatur. Nam cùm ſtatuatis Chriſtum viuum in Euchariſtia contineri, certè, ſecundùm Bellarmini principia ſuperiùs delibata, ſine occiſione ſacrificari non poteſt.

PHIL. Vt patrum ſententia fiat liquidior & luculentior, eos 2
omnes Sacerdotes fuiſſe, perindè ac nos, ſacrificantes ac miſſificantes probabo. Quid enim? Nónne ſeipſos crebrò Sacerdotes indigitant?

ORTH. Non inficior.

PHIL. Et ſacrificij quod offerunt, apud eoſdem frequens eſt mentio.

ORTH. Frequentiſſima.

PHIL. Hoc autem ſacrificium quale fuerit, ipſi palam teſtantur. [a] Chryſoſtomus inquit, *Quia multis in locis offertur, multíne ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vbique Chriſtus, qui & hic eſt plenus, & illic plenus*. Ergo ſacrificium quod offerunt, eſt Chriſtus. Chriſtus (inquam) non Chriſti repræſentatio, ſed plenus Chriſtus.

[a] In Ep. ad Heb. hom. 17.

ORTH. Quid ſibi velit [b] Chryſoſtomus, his verbis exponit; *Illam nunc quoque offerimus* (hoſtiam) *quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem eius, quod tunc factum eſt: Hoc enim facite (inquit) in mei recordationem; non aliam hoſtiam, ſicut Pontifex, ſed eandem ſemper facimus, vel potiùs hoſtiæ, ſeu Sacrificij facimus recordationem.*

[b] Ibidem.

PHIL. Sanctus [c] Ambroſius rem acu tangit. *Manus* (inquit) 3
impoſitiones verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad hoc opus electus, accipere authoritatem in ordinatione, teſte conſcientiâ ſuâ, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo offerre.

[c] In 1. Tim. c. 4.

ORTH. [d] Ambroſius alibi ſeipſum interpretatur, inquiens, *Quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis eius.* Et rurſus: *Ipſum ſemper offerimus, magis autem recordationem ſacrificij operamur.*

[d] In Epiſt. ad Heb. c. 10.

PHIL. [e] Auguſtinus ait, *Dominum iuſsiſſe, vt Leproſus offerret* 4
munus pro emundatione ſua, ſicut præcepit Moſes, quia nondum eſſe cœperat ſacrificium Sancti Sanctorum, quod corpus eius eſt. Et alibi: [f] *Quid tam gratè offerri aut ſuſcipi poſſet, quàm caro ſacrificij noſtri corpus effectum Sacerdotis noſtri?* Prætereà apud Cyrillum, Leonem, Fulgentium, alios ſimilia paſſim leguntur.

[e] L. 2. quæſt. Euang. q. 3.
[f] De trinit. l. 4. c. 14.

ORTH. Si igitur Auguſtino reſpondeam, reliquis omnibus mihi videor reſpondiſſe. Auguſtinus autem quod hîc protulit obſcuriùs, alibi illuſtrius enucleat. [g] *Nónne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? Et tamen in Sacramento non ſolùm per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die populis immolatur. Nec vtique mentitur, qui interrogatus, eum reſponderit immolari. Si enim Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac ſimilitudine plærunque etiam ipſarum rerũ nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundùm quendam modũ, Sacramentum*

[g] Epiſt. 23.

corporis

Digitized by Google

corporis Chriſti corpus Chriſti eſt; Sacramentum ſanguinis Chriſti ſanguis Chriſti eſt; ita Sacramentum fidei fides eſt. Et alibi [a]: *Huius ſacrificij caro & ſanguis ante aduentum Chriſti, per victimas ſimilitudinum promittebatur; In paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per Sacramentum memoria celebratur.*

[a] Contra Fauſt. l.20. c.21.

PHIL. Non licet hunc in modum ſanctis Patribus illudere. Nam ipſum [b] Concilium Nicenum, in eo Canone, quem Caluinus & alij omnes recipiunt, apertè dicit, *in ſacra menſa ſitum eſſe Agnum Dei, incruentè immolatum.*

[b] Bell. de miſſ. l.1. c.15.

ORTH. Hoc nuſquàm occurrit in Nicenis canonibus.

PHIL. *Inter* [c] *illius Concilij διατυπώσεις legitur, poſitum eſſe in illa ſacra menſa Agnum Dei, qui tollit peccatum mundi, quique ſine mactatione à ſacerdotibus immolatur, & venerandum eius ſanguinem.*

[c] Duraeus fol.87.

ORTH. Ad διατυπώσεις dilaberis, quarum ſemper in Eccleſia vacillauit authoritas. Nec tamen hìc quicquam nactus es, quod tibi ego petenti non ſpontè concederem. Quis enim negat poſitum eſſe in ſacra menſa, Agnum Dei, qui tollit peccata mundi? Sed quomodò ponitur? Nempe ſacramentaliter. Rectè; & nos quoque in Sacramento Agnum percipimus; Agnum (inquam) qui hîc ſine mactatione immolatur. Chriſtus enim in cruce propriè immolatus fuit quoad ſubſtantiam; non perinde in cœna, ſed duntaxat quoad Sacramentum. Illa immolatio cum reali mactatione & ſanguinis effuſione coniuncta fuit; in hac nulla mactatio, nulla ſanguinis effuſio, niſi in Sacramento & myſterio tantùm.

PHIL. Immò ex ſententia Concilij, Agnus in menſa ponitur quoad ſubſtantiam: [d] *Peruenit ad Sanctum Concilium, quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus, Presbyteris Sacramenta diaconi porrigant. Hoc neque regula neque conſuetudo tradidit, vt hi qui offerendi ſacrificij non habent poteſtatem, his qui offerrent, corpus Chriſti porrigant.* Attende; corpus Chriſti hìc offerri dicitur; & munus Sacerdotale hâc ipſâ offerendi poteſtate planè deſcribitur, quâ præcipuè à Diaconis, qui iſtiuſmodi authoritatē non habent, diſtinguuntur Sacerdotes.

[d] Can. 14.

ORTH. Diaconos Verbum prædicâſſe, & baptizâſſe in Actis Apoſtolorum legimus, Euchariſtiam adminiſtrâſſe non legimus. Hinc factum eſt, vt Eccleſia eoſdem à munere Euchariſtiam conſecrandi ſemper excluderet, idémque ſolis Presbyteris aſſereret. Euchariſtia autem, quo ſenſu dicatur oblatio vel ſacrificium, ſæpè iam diximus. Concilij verò genuinum ſenſum quis penitiùs introſpicere potuit, quàm qui interfuerunt, eidémque ſubſcripſerunt? Ex quo numero erat Euſebius Pamphili, teſte [e] Socrate.

[e] Socr. l.1. c.5.

PHIL. Rectè tu quidem. Narrat autem [f] Euſebius quoſdam, dum Templi encœnia celebraret Conſtantinus, *Dominum incruentis ſacrificijs, & myſticis conſecrationibus diuinum numen placauiſſe.* Qui tandem erant iſti, ſi non Sacerdotes miſſificantes? Et quæ tandem erant ſacrificia incruenta, ſi non ſacrificium Miſſæ?

[f] De vit Conſt. l.4. c.45.

ORTH. Liceat Euſebio Euſebium interpretari. *Chriſtus* (inquit)

Digitized by Google

quit) *cùm ſeipſum, ſingulare Sacrificium Patri obtuliſſet, ſtatuit vt nos memoriam eius Deo, ſacrificij loco, offerremus.* Græcè μνήμην καὶ ἡμῖν παρέδωκεν ἀντὶ θυσίας τῷ Θεῷ προσφέρειν. Ecce, tibi non offerimus ſacrificiũ, ſed memoriã eius, loco ſacrificij. Hanc autem memoriã ſic deſcribit; θύματος τὴν μνήμην ἐπὶ τραπέζης ἐκτελεῖν διὰ συμβόλων τοῦ τε σώματος αὐτοῦ, καὶ τοῦ σωτηρίου αἵματος; id eſt, *Quam ſacrificij memoriam per corporis eius & ſanguinis ſymbola in menſa celebramus.* Attende; non ſacrificium, ſed ſacrificij memoriam, quam celebrarunt antiqui Patres, non per ſubſtantiam corporis & ſanguinis, ſed per ſymbola; non in Altari, ſed in menſa. Hanc Euſebius appellat incruentum ſacrificium; dicens, *Et Deo grati incruenta ſacrificia, & rationalia, & accepta illi offerimus.* Ita luce clariùs apparet, ſacrificium veſtrum Miſſaticum Euſebio penitùs fuiſſe ignotum, quippe qui totam rem Sacramentariam perindè ac nos exponit. Præterea, cùm ipſe Concilio Niceno non intereſſet modò, ſed ſubſcriberet etiam, totius Concilij interpres maximè idoneus eſt exiſtimandus. In Euſebio igitur nobis aſtipulantur 318. Epiſcopi, totius orbis Chriſtiani flos delibatus, & poſt Apoſtolorum tempora ſanctiſſimus & reuerendiſſimus, quem Sol vidit, Eccleſiæ ſenatus. Quamobrem cùm Niceni patres Presbyterum ſacrificandi poteſtate deſcribunt, & delineant, non intelligunt ſacrificium quoad ſubſtantiam, & propriè dictum, ſed eiuſdem duntaxat memoriam & repræſentationem. Neq; vllo ſatis valido argumento oſtendi poteſt, quenquam antiquorum Patrum, vel veſtram Miſſam celebrâſſe, vel nobis hac in cauſa repugnâſſe. Quocirca, quum veſtra Miſſificatio neque in Scripturis, neq; in Patribus rectè intellectis fundetur, ſed vtriſque repugnet, eandem vt ſacrilegam, & blaſphemam, & pretioſiſſimo Chriſti ſacrificio derogantem iure abominamur. Nam Chriſtus ſolus eſt noſter Pontifex, qui vnicâ oblatione Sanctuarium ingreſſus, & æternam redemptionem pro nobis nactus eſt. De primo Sacerdotij Papiſtici munere diximus; nunc ad ſecundum accingimur.

CAP.

Cap. X.

Secunda quæſtio de abſoluendi poteſtate explicatur.

Partes 2.
- *obijciunt non reperiri apud nos abſoluendi poteſtatem.* 1
- *reſpōdeo reperiri quoad*
  - *verba, quibus Papiſtæ hanc poteſtatem tradi agnoſcunt.* 2
  - *ſenſum, quia*
    - *ſpiritus hic deſignat poteſtatem*
      - *ſpiritualem.* 3
      - *Sacerdotalem.* 4
    - *remiſſio ſignificat quoad*
      - *media ſit per*
        - *Verbum.* 5
        - *Sacramenta.* 6
      - *modum eſt*
        - *Diſpoſitiua.* 7
        - *Declaratiua, quæ ratione*
          - *loci*
            - *publica.* 8
            - *priuata.* 9
          - *proceſſus iudiciaria.* 10

Phil.

Alterum munus Sacerdotale eſt poteſtas abſoluendi, quæ in Eccleſia Anglicana diſparüit, & euanüit.

Orth. Quænam eſt iſta, quam dicis, abſolutio?

Phil. Eſt alia in foro exteriori, in foro conſcientiæ alia: prior ab excommunicatione, reliquiſque cenſuris ſpiritualibus, poſterior (quam ego intelligo) à peccatis liberat.

2 Orth. Hæc verò quandò & quomodò exhibetur in Eccleſiâ Romana?

Phil. Exhibetur in ordinatione Presbyterali per verba Chriſti, [a] Epiſcopo manus imponente, ac dicente, *Accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeris, remiſſa ſunt, & quorum retinueris, retenta ſunt.*

[a] *Pont. in ord. Presb. Catech. Rom. de ord. Sacramento.*

Orth

Orth. Eadem prorſus verba in Eccleſia Anglicana vſurpantur, prout ex ordinali noſtro cuiquam conſtare poteſt, in quo ſic legitur: [a] *Epiſcopus vnà cum Presbyteris præſentibus manus ſuas ſingulorum ordinandorum capitibus ſigillatim imponet: ordines autem recepturi, flexis humiliter genibus, incumbent, dicente Epiſcopo, Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata, &c.* Quare ſi abſoluendi poteſtas his verbis exhibeatur, profectò in Eccleſia Anglicana & ritè exhibetur, & verè recipitur. [a] *In ordin. Presbyter.*

Phil. Nequaquam. Quamuis enim hæc verba apud vos proferantur, in ſenſum tamen alienum diſtorquentur, ac proinde hæc vera abſoluendi poteſtas nec ab Epiſcopis veſtris traditur, nec à vobis recipitur. 3

Orth. Verba igitur candidè & ingenuè examinemus, vt ſenſum indè germanum, & genuinum erüamus. Quandoquidem Seruator noſter realem donationem præ ſe ferebat, tum [b] inſufflando, tum dicendo *accipite*, nulla ſubeſſe poteſt controuerſia, quin aliquid & reipſa ſit datum, & actu receptum. Hoc autem quid tandẽ erat? Sine dubio Spiritus ſanctus. Dixit enim, Accipite Spiritum ſanctũ. Sed diſquirendum vlterius quid per Spiritum Sanctum intelligendum veniat. Inprimis autem cùm Spiritus Sanctus ſit Deus, ac proinde ſuâ eſſentiâ ſimpliciter actu infinitus, negari non poteſt quin ſit vbique ratione eſſentiæ, quæ cœlum & terram, ſingulos homines & creaturas implet. Non igitur Spiritum hîc accipere dicuntur quoad eſſentiam; quia hoc modo & ſenſu ſemper ab ipſo ortu habuerunt, in quo [c] *viuimus, mouemur, & ſumus*; ſed alio ſenſu longè ſtrictiori, & anguſtiori. Neque dubitari poteſt, quin ſingulari quodam modo præſtò illis fuerit ipſe Spiritus Sanctus, ad illos dirigendos, ſuſtinendos, aſſiſtendos, iuxta Chriſti promiſſionẽ, [d] *Ecce, ego vobiſcum ſum vſq; ad finem ſeculi.* Huc ſpectat egregium illud S. Leonis dictum: *Qui mihi operis eſt author, ipſe fiet adminiſtrationis adiutor.* Et rurſus: *Dabit virtutem, qui contulit dignitatem.* Cæterùm, quum ex ſacris paginis ſatis ſit liquidum, vocabulo Spiritus eiuſdẽ dona & chariſmata plærunq; denotari, nempe ad ipſum donorum cœleſtium fontem digito demonſtrandum, [e] Hieronymi interpretatio rationi maximè videtur conſona, qui per Spiritum Sanctum hoc loco intelligit, Spiritus Sancti gratiam. Verùm, quum Spiritus Sancti chariſmata in multiplici ſint varietate, quæ hîc alia poteſt intelligi gratia, præter illam ſolam, quam Chriſtus ipſe, ad omnem tollendam ambiguitatem, diſertè & ex inſtituto his verbis proximis ſequentibus delineauit? *Quorum peccata remiſeritis, remiſſa ſunt.* Rectè igitur [f] Hieronymus appellat *gratiam, qua peccata remitterent.* Eadem prorſus eſt Chryſoſtomi ſententia: [g] *Non erraret quiſpiam, ſi tum eos poteſtatem quandam & gratiam ſpiritualem accepiſſe diceret, non tamen vt mortuos ſuſcitarent, & virtutes oſtenderent, ſed vt peccata remitterent.* Cui conſentit Ambroſius; [h] *Qui Spiritum Sanctum accepit, & ſoluendi peccata poteſtatem, & ligandi accepit. Sic enim ſcriptum eſt,*

[b] *Ioh. 20. 23.*
[c] *Act. 17. 28.*
[d] *Mat. 28.*
[e] *Hier. Ep. 150. ad Hedibiam queſt. 9.*
[f] *Ep. 150. q. 9.*
[g] *Chryſ. in Ioh. hom. 85.*
[h] *De pœnitent. l. 1. c. 2.*

Accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata, &c: Ergo Spiritus Sanctus hoc in loco gratiam vel poteſtatem ſpiritualem denotat, quâ peccata remittuntur.

Phil. Hæc omnia ſunt clariſſima, ac à noſtris æquè ac veſtris affirmantur. Sic enim [a] Bellarminus: *Per Spiritum Sanctum eo loco intelligimus poteſtatem remittendi peccata, vt intelligit Chryſoſtomus, & Cyrillus.* Et [b] Palacius, Pater de ſocietate Ieſu, *Accipite Spiritum Sanctum, id eſt, Accipite poteſtatem ſpiritualem, ſupra naturam nobis conceſſam, remittendis peccatis.*

[a] *De ſacram. in Gen. l. 1. c. 26.*

[b] *Mich. de Palac. in Ioh. c. 20.*

4 Orth. Hæc cùm ſint liquida, quæramus porrò quibuſnam hæc poteſtas à Chriſto ſit conceſſa.

Phil. Non Regibus datur, non Imperatoribus; ne Angelis quidem, aut Archangelis, ſed ſolis Sacerdotibus.

Orth. Si per Sacerdotes Miniſtros intelligas Euangelicos, planè aſſentior.

Phil. Quid igitur his immoramur, quæ ſatis ſunt dilucida? Ad cardinem quæſtionis accedamus, qui totus in ipſa remiſſione vertitur.

5 Orth. Quum ſola peccata inter Deum & hominem diſterminent, peccatorum remiſſio nihil ferè eſt aliud, quàm Dei & hominum reconciliatio, quæ in ſacris Scripturis & Deo & Miniſtris Dei tribuitur, ſed aliâ atque aliâ ratione, teſte Apoſtolo: [c] *Omnia ſunt* ex Deo, qui reconciliauit nos ſibi per Ieſum Chriſtum, dedítq; nobis miniſteriũ reconciliationis, nempe quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando peccata eorum, poſuítque in nobis *verbum reconciliationis. Itaq; nomine Chriſti legatione fungimur, velut Deo precante per nos: oramus Chriſti nomine, reconciliemini Deo.* Deus igitur nos reconciliat, vt Dominus authoritate propriâ, miniſter vt legatus poteſtate Vicariâ; Deus peccata non imputando, miniſter verò miniſtrando.

[c] *2. Cor. 5. 18.*

Phil. Miniſtrando? Fateor. Sed quibus vtitur medijs?

Orth. Docet Apoſtolus Deum poſuiſſe in nobis *verbum reconciliationis*, id eſt, interprete [d] Aquinate, *dediſſe virtutem, & inſpirâſſe in cordibus noſtris, vt annunciemus mundo, hanc reconciliationẽ eſſe factam per Chriſtum.* Quare miniſter reconciliat, verbum Dei annunciando, id eſt, prædicando, vel concionando.

[d] *In 2. Cor. 5. l. 5.*

6 Phil. [e] *Non vult beatus Paulus dicere ſufficere concionem ad reconciliationem, ſed per concionem moueri homines ad hoc vt velint reconciliari: quod poſtea fit per baptiſmum, & pænitentiam, vt dicitur, Actorum 2. Nam poſt concionem Petrus ait, Pænitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm: non autem dixit, Satis eſt audiuiſſe concionem.*

[e] *Bell. de Romano Pont. l. 1. c. 23*

Orth. Cùm dicimus Miniſtrũ per verbũ reconciliationis homines Deo reconciliare, vel eorũ peccata remittere, hoc verbum non ſumitur excluſiuè, id eſt, vt excludit Sacramenta, ſed incluſiuè; quod oſtendit Apoſtolus dicendo; Deum *dediſſe nobis Miniſterium reconciliationis*, quod ſine dubio eſt & verbi & Sacramentorũ Miniſterium.

Digitized by Google

ſterium. Si cui pœnam lege irrogandam regio diplomate condonari dicamus, non nudum intelligimus diploma, ſed cui ſigillum annectitur. Pari modo quum verbo audito, & fide apprehenſo remiſſionem peccatorũ,ſeu reconciliationem tribuimus,Sacramenta non excludimus,quæ verbo, tanquàm ſigilla Regia, appendi ſolent.Nam vt,ex parte auditoris,requiritur fides & pœnitentia,ita, ex parte miniſtri, Verbum & Sacramento. Verbo Euangelij homines reconciliantur, & Sacramentis in hac reconciliatione confirmantur.

Phil. Quo ſenſu dicitur Miniſter Euangelicus peccata remittere? 7

Orth. Dupliciter;remittit diſpoſitiuè,& declaratiuè. 1°. diſpoſitiuè,quia homines ad remiſſionẽ peccatorũ conſequendã diſponit,perducendo ſcilicet ad fidẽ,& pœnitentiã.Qua de re Ferus, [a] *Quamuis Dei propriũ opus ſit remittere peccata,dicuntur etiam Apoſtoli remittere,non ſimpliciter, ſed quia adhibent media per quæ Deus remittit peccata; hæc autem media ſunt Verbum Dei, & Sacramenta.*

[a] Ferus in Ioh. cap. 20.

2°. Declaratiuè,quia hominibus, iam pœnitentibus & credentibus,peccatorũ remiſſionem,tanquàm diuinus præco,declarat.Ita hæc remiſſio declaratiua ſemper præſupponit diſpoſitiuam. Huius rei egregiũ nobis exemplũ ſuppeditat Nathan Propheta, qui Dauidem primò lege,tanquam diuino fulmine,perculit,quâ humiliatus,Sanctam edidit confeſſionem,cum vera fide & pœnitentia coniunctam. Quam vbi animaduertit Nathan, ſtatim conſolatione Euangelicâ erigit. [b] *Deus* (inquit) *abſtulit peccatum tuum.* En tibi remiſſionem ſeu abſolutionem declaratoriam. Eandem nobis ſub Euangelio degentibus viam ſignauit Chriſtus: [c] *Oportuit* (inquit) *Chriſtum pati,& reſurgere à mortuis tertio die,& prædicari in eius nomine reſipiſcentiam,ac remiſſionem peccatorum,apud omnes gentes,incipiendo à Ieruſalem.* Oportet igitur prædicari 1°. reſipiſcentiam; 2°.iam reſipiſcentibus,remiſſionem peccatorum.Quid hoc eſt aliud,quàm ſi pœnitenti & credenti dicamus cum Nathane,Deus abſtulit peccatum tuum? Præterea,quandò Chriſtus dixit, *Quorum peccata remiſeritis,remiſſa ſunt*, Miniſtris ſuis poteſtatem contulit remittendi peccata. Sed quorum tandem? Certè non niſi pœnitentium & credentium. At [d] *qui credit in filium,habet vitam æternam*; ac proinde remiſſionem peccatorum. Sed quis eſt qui propriè delet peccata? Solus Deus. [e] *Ego ſum qui deleo iniquitates propter me.* Peccatum contra Deum committitur,ideóque à ſolo Deo remittitur. Quare dum Miniſter credenti peccata remittit,hæc remiſſio nihil eſt aliud quàm declaratio,quâ oſtendit Deum remiſiſſe. 8

[b] 2. Sam. 12. 13.
[c] Luc. 24. 46.
[d] Ioh. 3. 36.
[e] Eſa. 43. 25.

Phil. Hæc declaratio quotuplex eſt in Eccleſia Anglicana?

Orth. Duplex; publica & priuata; publica fit tum in Liturgia, tum in Verbi & Sacramentorum diſpenſatione. In Liturgia duplici vice. In ipſo ferè initio fit generalis confeſſio ab vniuerſo cætu flexis genibus fundenda, his verbis:

OMnipotens & clementiſſime Pater, nos, tanquam oues perditæ, peregrinati ſumus, & à viis tuis aberrauimus. Inuentis & concupiſcentiis cordis noſtri nimium indulſimus, Sacroſanctas Leges tuas violauimus, quæ à nobis facienda fuerant omiſimus, & quæ facienda non fuerant admiſimus. In nobis nulla eſt ſalus. Quapropter (O Domine) propitius eſto nobis miſerrimis peccatoribus. Parce (O Deus) peccata ſua confitentibus, miſericordiam concede reſipiſcentibus, iuxta promiſſiones tuas, humano generi, in Chriſto Ieſu Domino noſtro, benigniſsime reuelatas. Concede etiam nobis (O clementiſsime Pater) propter filium tuum Seruatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, vt poſthac pie, iuſte, & ſobrie vitam noſtram inſtituamus, ad ſanctiſsimi tui nominis gloriam. Amen.

Tunc ſequitur hæc abſolutio à Miniſtro ſolo proferenda.

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui non vult mortem peccatoris, ſed potius vt recedat à malis ſuis moribus & viuat, deditque poteſtatem ſuis miniſtris, immo præcepit vt populo ſuo pœnitenti abſolutionem remiſſionemque peccatorum ſuorum plane annunciarent, ipſe ſingulis vere pœnitentibus & Sacroſancto Euangelio haud ficte credentibus condonat, eoſque abſoluit; rogamus ergo vt ille nobis veram pœnitentiam largiatur, ſanctumque ſuum Spiritum impartiat, vt quod hoc tempore agimus, id illi totum placeat: & reliqua etiam noſtra vita adeo pura ſit in hoc mundo & ſancta, vt in futuro gaudium conſequamur æternum, per Chriſtum Dominum noſtrum.

Porrò ſacram cœnam celebraturi, hanc emittimus confeſſionem generalem, ſuppliciter flectentes genua.

OMnipotens Deus, Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, Conditor omnium rerum, Iudex vniuerſorum mortalium, nos confitemur & deploramus noſtra multiplicia peccata, & iniquitates, quas ſubinde per omnem vitam atrociſſime deſignauimus, cogitatione, verbis, facto, contra diuinam maieſtatem tuam, prouocantes iuſtiſsimam iram & indignationem

dignationem tuam aduerſus nos: vere enim ex animo dolemus, & ſerio nos pœnitet peccatorum noſtrorum; eorum commemoratio eſt nobis acerbiſsima, illorum onus ferre non poſſumus, miſerere noſtri, miſerere noſtri, miſericordiſsime Pater, propter filium tuum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Condona nobis peccata præterita, & concede vt ſemper poſthac ſeruiamus & placeamus tibi in nouitate vitæ, ad laudem & gloriam Nominis tui, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Deinde Miniſter vel Epiſcopus (ſi adſit) ad populum conuerſus, ſic loquitur.

OMnipotens Deus, Pater noſter cæleſtis, qui pro immenſa ſua miſericordia pollicitus eſt omnibus ſerio pœnitentibus, & vera fide ad illum conuerſis, peccatorum ſuorum remiſſionem, miſereatur veſtri, remittat & condonet vobis omnia peccata veſtra, confirmet & corroboret vos in omni opere bono, & perducat vos ad vitam æternam, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Hactenus de abſolutione in Liturgia noſtra promulgata; nunc de eadem inter concionandum adhibita. Prædicatio Euangelica duo complectitur; officium noſtrum, & Chriſti promiſſum. Officium noſtrum graphicè depinxit Chriſtus his verbis: [a] *Reſipiſcite & credite Euangelio.* Hoc officium præſtantibus, [b] remiſſionem peccatorum, & [c] vitam æternam ex diuite ſua miſericordia gratis promiſit. Summa igitur prædicationis Euangelicæ hæc eſt. Si reſipiſcas, & Euangelio credas, remittentur tibi peccata, & ſaluus eris. Quiſquis igitur Euangelium rectè prædicat (quod faciunt noſtri) is reſipiſcentibus & credentibus peccatorum remiſſionem declarat, & annunciat. Qua de re ſic Eccleſia [d] Anglicana: *Miniſtris à Chriſto datam eſſe dicimus ligandi, ſoluendi, aperiendi, claudendi poteſtatem; & ſoluendi quidem munus in eo ſitum eſſe, vt Miniſter deiectis animis, & verè reſipiſcentibus, per Euangelij prædicationem, merita Chriſti, & abſolutionem offerat, & certam peccatorum condonationem, ac ſpem ſalutis æternæ denunciet,* aut, &c. Et doctiſſimus [e] Whitakerus; *Nos per claues intelligi dicimus, aperiendi, claudendique cæli poteſtatem; quæ omnis in Euangelico Miniſterio ſita eſt. Cùm ergo Apoſtoli & cæteri Eccleſiarum Miniſtri Euangelium Chriſti populis annunciant & proponunt, tum claues iſtas tractant, id eſt, cælum credentibus, & vitam emendantibus aperiunt, non credentibus atque improbis claudunt. Claues igitur in*

a *Marc.1.15.*
b *Luc.24.46.*
c *Ioh.3.36.*
d *Apol. Eccl. Anglic.*
e *De Rom. Pont. cont.4.q.2.c.5.*

in huius Euangelicæ prædicationis functione verſantur. Huius abſolutionis illuſtre habemus exemplum apud Abrahamum [a] Scultetum, clariſſimum virum, & concionatorem Heidelbergenſem. *Deſcendat quiſque in ſemetipſum, exquirat, an attulerit publicani humilitatem, an & fidem ſibi applicantem: quotcunque tales ſunt, denuncio ijs Chriſti mandato remiſſionem peccatorum: Dico eos ritè frequentâſſe templum. Quotquot ita iuſtificati domum redibunt è templo, hi deinceps fauſto greſſu ad templum cæleſte ſunt perrecturi.* De abſolutione concionali hactenùs; nunc de Sacramenti. Sacroſancta Chriſti Sacramenta, quid ſunt aliud quàm totidem [b] *ſigna & ſigilla iuſtitiæ fidei?* Ergo quoties Miniſter Sacramenta fidelibus iuxta Chriſti inſtitutum diſpenſat, toties abſolutionem, & peccatorum remiſſionem ſingulorum conſcientijs ſolenniter obſignat.

[a] *Idea concion. dominical. Dom. 11. Trinit.*

[b] *Rom. 4. 11.*

9 Nec publica modò abſolutio in Eccleſijs noſtris viget, ſed priuata etiam. Non deſunt enim qui ſingulari indigent conſolatione, ac proinde priuata vtimur abſolutione in ægrotorum viſitatione, & quotis particularium hominum fracti Spiritus & vulneratę conſcientiæ hoc ipſum efflagitant. Nam poſtquàm fidei & charitatis profeſſionem fecerit ægrotus, idem ſi qua in re conſcientiam ſuam grauatam eſſe ſentiat, in ſinum miniſtri priuatim exonerat, & facta confeſſione; miniſter hac abſoluendi vtitur formula.

DOminus noſter Ieſus Chriſtus, qui dedit poteſtatem Eccleſiæ, abſoluendi a peccatis vere pænitentes, & credentes in eum, ipſe ex infinita ſua miſericordia remittat tibi peccata tua. Ego vero, authoritate ipſius mihi commiſſa, abſoluo te ab omnibus peccatis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

Ita teneras conſcientias, cum peccatorum mole & deſperatione luctâtes, per promiſſiones Euangelicas ſpe veniæ erigimus; iámq; pœnitentibus & credentibus remiſſa peccata pronunciamus. Hæc eſt Proteſtantium doctrina, non in Anglia ſolùm, ſed in alijs quoq; reformatis Eccleſiis. Docet Auguſtana confeſſio quòd [c] *Eccleſia redeuntibus ad pænitentiam impertire abſolutionem debeat*, & quòd [d] *abſolutio priuata in Eccleſijs retinenda ſit.* Docet confeſſio [e] Bohemica quòd [f] *abſolutionem ex poteſtate clauium, & remiſſionem peccatorum, per Miniſterium Euangelij à Chriſto inſtitutum, peculiariter ſinguli expetere poſſint, & à Deo ſuo conſequi ſe ſciant, & quandò hæc à Miniſtris eis praſtantur, accipere ab his, tanquam rem à Deo, ad commodandum ipſis, & ſalutariter inſeruiendum inſtitutam, cum fiducia debeant, & remiſſionè peccatorum ſine dubitatione frui, ſecundùm Verbum Domini, cui peccata remiſeris, remittuntur.* Et confeſſio [g] Saxonica: [h] *Affirmamus ritum priuatæ abſolutionis in Eccleſia retinendum eſſe, & conſtanter*

[c] *Artic. 11. Harmon. confeſſ. ſ. 8.*

[d] *Art. 12.*

[e] *Cap. 5.*

[f] *Harm. confeſ. ibid.*

[g] *Art. 16.*

[h] *Harm. ibid.*

Digitized by Google

conſtanter retinemus propter multas graues cauſas. De hac fide & commonefacere nos abſolutio debet, & eam confirmare, ſicut confirmabatur Dauid audita abſolutione, Dominus abſtulit peccatum tuum. Ita tu ſcias vocem Euangelij tibi quoque annunciare remiſsionem, quæ in abſolutione tibi nominatim proponitur. Non fingas nihil ad te pertinere Euangelium, ſed ſcias ideo editum eſſe, vt hoc modo ſaluentur homines fide amplectentes Euangelium, & mandatum Dei æternum & immotum eſſe, vt ei credas. Hæc Eccleſiarum reformatarum ſententia à viris eruditis paſſim approbatur; Ego Caluinum tantùm & Bezam hîc adducam: Sic igitur Caluinus. [a] *Ipſius Eccleſiæ Miniſterio nobis aſsiduè remittuntur peccata, quum Presbyteri vel Epiſcopi quibus hoc munus commiſſum eſt, pias conſcientias Euangelicis promiſsionibus ſpe veniæ & remiſsionis confirmant, idque tam publicè quàm priuatim, prout neceſsitas poſtulat. Obſeruandum per Eccleſiæ Miniſtros & Paſtores nobis diſpenſari* (remiſſionem peccatorum) *vel Euangelij prædicatione, vel Sacramentorum adminiſtratione, atque hac in parte maximè eminere clauium poteſtatem.* [b] Beza paſtorum ſententias duplices conſtituit; *alias indefinitas, cum appoſita conditione, ſicut fit in ordinarijs concionibus ad vniuerſum gregem; quæ Euangelij prædicatio nihil aliud eſt, quàm publica declaratio & denunciatio paſtoris, nomine Domini ad ſuas oues & auditores, quà verè & ex animo pœnitentiam agentibus, viuáque fide Domini mortem & paſsionem amplectentibus omnia in vniuerſum, & ſingula ſeorſim peccata ipſis à Deo condonari teſtatur: alias abſolutas, nempè quandò* cum priuata quopiam fit negotium; quas in triplici ponit differentia. [c] *Primum locum ſibi vendicant admonitiones priuatæ, pro varietate circumſtantiarum, rerum, ac perſonarum, paſtorum officio hoc poſtulante, vt ſingulis ſuis ouibus inuigilent, ſeu monendis & arguendis, ſeu etiam conſolandis. Vbi quocunque modo affectus ſit qui admonetur, nunquam fruſtra paſtor pœnitenti & credenti remiſsionem peccatorum annunciat, nec contra peruicaci & incredulo condemnationem. Et hoc preſertim locum habet in ægrorum viſitatione, quo tempore maximè paſtorem oportet ægrum ad pœnitentiam, & remiſsionis peccatorum certitudinem diſponere. Deinde priuatis iſtis iudicijs locus eſt in iuriſdictione & diſciplina Eccleſiaſtica:* [d] *Tertia ſpecies priuatæ iſtius adminiſtrationis poſita eſt in Sacramentorum adminiſtratione, quæ ſingulis diſtribuuntur, non autem generaliter & indefinitè, vt Verbum Dei in ordinaria verbi prædicatione.* Ex his conſtat abſolutionem miniſterialem in publico & priuato Verbi & Sacramentorum vſu ſitam eſſe, iuxta Proteſtantes. Nam 1°. peccatores his medijs ad fidem & pœnitentiam perducuntur; 2°. ita perductis peccatorum remiſſio declaratur, & annunciatur.

PHIL. Quid? An hæc abſolutio eſt declaratoria tantùm, non iudicatoria etiam? 10

ORTH. Eſt etiam iudicatoria. Sacerdotem iudicem eſſe fatetur [e] Apologia Eccleſiæ Anglicanæ. Requiritur autem iudicium non diſcretionis modò, ſed authoritatis etiam & poteſtatis,

[a] Inſt. l. 4. c. 1. ſ. 22.
[b] In hiſt. reſur. hom. 16. p. 394.
[c] P. 395.
[d] P. 398.
[e] Non longè à Principio.

teſtatis, quâ Miniſtros ſuos ornare dignatus eſt Dominus.

Phil. In iudicio duo concurrunt; cauſæ cognitio & ſententiæ dictio. An hæc apud vos reperiuntur?

Orth. Certè ſiquidem perſonæ abſoluendæ fidem ſuam & pœnitentiam palam profitentur, hîc eſt cauſæ cognitio: dein Miniſter iiſdem peccatorum ſuorum indulgentiam declarat & obſignat; hîc eſt ſententiæ dictio.

Phil. Si Miniſter abſoluat, vt iudex, ergo propriè, non igitur declarando: nam declaratio eſt Præconis, non iudicis.

Orth. Iudex eſt duplex; ſuperior, vel inferior. Iudex ſuperior, id eſt, Rex, delicta contra leges ſuas propriè, & authoritate ſuâ regiâ poteſt remittere, reúmque abſoluere; at iudex inferior non item, cum huius ſit omnia ad legis normam exigere. Verùm ſi Rex inferiori iudici concedat facultatem eos omnes abſoluendi, in quibus veri doloris aut pœnitentiæ indicia depræhenderit, profectò hæc abſolutio nihil erit aliud quàm declaratio, quâ hunc vel illum veniam à principe conſecutum eſſe pronunciat. Eodem planè modo Deus, vt ſupremus iudex, propriè & ex poteſtate remittit; Miniſter, tanquàm inferior iudex, non niſi declarando, & annunciando arbitrium & ſententiam æterni iudicis.

Cap.

Digitized by Google

Cap. XI.

Probatur ſententia noſtra ex ijs, quos Papiſtæ pro ſuis vendicant.

Nempe ex
- *Patribus*
  - *Hieronymo.* 1
  - *Gregorio.* 2
- *Scholaſticis*
  - *Lumbardo.* 3
  - *Petro Pariſio.* 4
  - *Alex. Halenſi.* 5
  - *Occhamo.* 6
  - *Alijs.* 7
- *Iohanne Fero.* 8

Orth.

CÆterum, vt tibi cumulatiùs ſatisfiat, viros celeberrimos tibi ob oculos ponam, qui de hac abſolutione perinde ac nos ſentiunt. In prima acie ſtabunt Patres, Hieronymus & Gregorius. Hieronymus in hæc verba, [a] *Tibi dabo claues Regni cælorum, & quodcunque, &c.* [a] Mat. 16. *Iſtum* (inquit) *locum Epiſcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid ſibi de Phariſæorum aſſumunt ſupercilio, vt vel damnent innocentes, vel ſoluere ſe noxios arbitrentur, cùm apud Deum non ſententia Sacerdotum, ſed reorum vita quæratur. Legimus in Leuitico de Leproſis, vbi iubentur vt oſtendant ſe Sacerdotibus, & ſi lepram habuerint, tunc à Sacerdote immundi fiunt. Non quòd Sacerdotes Leproſos faciant, & immundos, ſed quò habeant notitiam Leproſi & non Leproſi, & poſſint diſcernere qui mundus, quiue immundus ſit. Quomodò ergo ibi Leproſum Sacerdos mundum vel immundum facit, ſic & hîc alligat vel ſoluit Epiſcopus & Presbyter, &c.* Sed manifeſtum eſt Sacerdotem non facere quempiam (ſi propriè loqui velimus) mundum vel immundum, ſed tantùm oſtendere vel declarare: dicitur tamen [b] mundos facere, & [b] Lev. 14. 11.
Leproſos [c] impurare, vel impuros facere, quia tales eſſe pronunciat. [c] Lev. 13. 3.
Pari modo Sacerdos, ſi propriè loquamur, non remittit peccata;

cata; dicitur tamen remittere, quia hominem peccatorum vinculis ligatum, vel ab ijſdem ſolutum eſſe oſtendit.

2 Sequitur Gregorius; cuius verba ſunt clariſſima: *Quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam viſitat, illos paſtoris ſententia abſoluat. Tunc enim vera eſt abſolutio præſidentis, cum æterni arbitrium ſequitur Iudicis.* Si ſententia noſtra, vt docet Gregorius, ſequatur arbitrium æterni Iudicis, hinc ſequitur nos peccata propriè non remittere, ſed ab æterno Iudice remiſſa eſſe declarare.

3 Iam vt ad Scholaſticos veniam. Magiſter ſententiarum, cùm
a Lib.4.d.18. rem totam diu apud ſe ventilâſſet, tandem ſic ſtatuit: [a] *In hac tanta varietate quid tenendum? Hoc ſanè dicere & ſentire poſſumus, quòd ſolus Deus dimittit peccata & retinet, & tamen Eccleſia contulit poteſtatem ligandi & ſoluendi; ſed aliter ipſe ſoluit vel ligat, aliter Eccleſia.* Ipſe enim per ſe tantùm *dimittit peccatum qui & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis ſoluit. Non autem hoc Sacerdotibus conceſſit, quibus tamen tribuit poteſtatem ſoluendi & ligandi, id eſt, oſtendendi homines ligatos vel ſolutos. Vndè Dominus leproſum ſanitati priùs per ſe reſtituit, deindè ad Sacerdotes miſit, quorum iudicio oſtenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam viuificatum obtulit diſcipulis ſoluendum, quia etſi aliquis apud Deum ſit ſolutus, nondum tamen in facie Eccleſiæ ſolutus habetur, niſi per iudicium Sacerdotis. In ſoluendis ergo culpis vel retinendis ita operatur Sacerdos Euangelicus, & iudicat ſicut olim legalis in illis qui contaminati erant leprâ, quæ peccatum ſignat.* Quod Hieronymi authoritate iam allata corroborat, & mox ſubiungit: *In remittendis vel retinendis culpis, id iuris & officij habent Euangelici Sacerdotes, quod olim habebant ſub Lege legales in curandis Leproſis. Ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimiſſa à Deo vel retenta indicant & oſtendunt.*

4 Hæc Magiſter; quem ſequitur verbatim Petrus Pariſius, vt a-
b Biblioth. ſanct. l.6. annot. 71. Petrus Pariſius. pud [b] Sixtum Senenſem videre licet.

[c] Alexander Halenſis, *Nunquam Sacerdos abſolueret quen-*
5 *quam, de quo non præſumeret quod eſſet abſolutus à Deo.* Et rurſus:
c Sum. theol. par. 4. q. 230. mem. 1 *Auguſtinus, & Hugo de Sancto Victore dicunt, quòd in ſuſcitatione Lazari ſignificata eſt reſuſcitatio peccatoris. Sed Lazarus eſt priùs à Domino ſuſcitatus, quàm traderetur Diſcipulis exoluendus; abſolutio Sacerdotis nihil valet, antequàm homo ſit iuſtificatus per gratiam, & ſuſcitatus à morte culpæ.* Quod ipſum validis probat argumentis. 1. *Paris poteſtatis eſt interiùs baptizare, & à culpa mortis abſoluere. Sed Deus non debuit poteſtatem baptizandi interiùs communicare, nec ſpes poneretur in homine. Ergo pari ratione, nec poteſtatem abſoluendi ab actualibus.* 2. *Nulla fit remiſſio culpæ niſi per gratiam, ſed gratiam dare, eſt poteſtatis infinitæ.*

6
d In 4. ſ. q. 8. & 9 ad 1. arg. Scoti. Occamus quoq; reſpondet cum Magiſtro, [d] Sacerdotes ligare & ſoluere, quia oſtendunt homines ligatos vel ſolutos.

7 Si hæc tibi fidem non faciant, audi [e] Suarem, illuſtrem
e Suar. l.4. diſp. 16. veſtrum Ieſuitam: *Fuit grauium Doctorum opinio, per hanc po-*

teſtatem

Digitized by Google

teſtatem non remitti peccatorum culpas, ſed ſolùm declarari remiſſas, & remitti pœnas. Et in hoc vltimo eſt quadam diuerſitas. Nam quidam dixerunt, hanc poteſtatem ſolùm eſſe ad remittendum pœnam temporalem, alij verò ad æternam: & priorem ſententiam Altiſiodorenſi, Alexandro Halenſi, Bonauenturæ, Gabrieli, Maiori, Thomæ de Argent, Occamo, Abulenſi & Adriano tribuit.

Iohannis Feri locus inſignis & inprimis memorabilis claudet aciem. Qui, cùm incidiſſet in hæc verba, *Quorum peccata remiſeritis*, ſic ſcripſit, [a] *Non quòd homo propriè remittat peccatum, ſed quòd oſtendat & certificet à Deo remiſſum. Neque enim aliud eſt abſolutio quam ab homine accipis, quàm ſi dicat, En fili, certifico te tibi remiſſa eſſe peccata, annuncio tibi te habere propitium Deum, & quæcunque* Chriſtus in baptiſmo & Euangelio nobis promiſit, *tibi nunc per me annunciat & promittit.* 8

a Ferus in Mat. c. 9. edit. Mog. 1559.

Cap.

Cap. XII.

De Argumentis Bellarmini contra abſolutionem declaratoriam.

De abſolutione ex parte
- *Magiſtri, hic refello Bellarm. argumenta à*
  - *Scriptura, id eſt, à*
    - *metaphoris*
      - *Clauium.* 1
      - *ligādi & ſoluendi.* 2
    - *Voce*
      - *retinendi.* 3
      - *Quorum.* 4
    - *cæremonia inſufflationis.* 5
  - *Patribus*
    - *Chryſoſtomo.* 6
    - *Gr. Nazianzeno.* 7
    - *Ambroſio.* 8
    - *Hieronymo.* 9
    - *Auguſtino.* 10
    - *Innocentio 1°.* 11
    - *Greg. Magno.* 12
  - *ratione.* *Num.* 13. 14. 15. 16.
- *Pœnitentis (obiter:) præſertim de*
  - *confeſſione.* 17
  - *ſatisfactione.* 18

Phil.

CHriſtum veram poteſtatem ex authoritate abſoluendi, Eccleſiæ ſuæ dediſſe, & Sacerdotes Euangelicos, non præcones ad remiſſionem promulgandam, ſed iudices ad eam verè & realiter efficiendam conſtituiſſe, ſeptem argumentis probauit Cardinalis [a] Bellarminus; quorum quinque priora ex Sacris Scripturis, à Patrum

[a] *De pœnitent. l.3.c.2.*

Patrum authoritate ſextum, à ratione vltimum eſt depromptum: quæ ſingula ſuo quæque ordine proponere & proſequi eſt animus: [a] *Primùm igitur colligitur ex Metaphora clauium, de quibus dicitur,* [b] *Tibi dabo claues Regni cælorum. Nam inprimis claues non ſolent fieri vel dari, ad ſignificandum oſtium eſſe clauſum vel apertum, ſed ad aperiendum & claudendum reipſa.* Et quod ſub clauium metaphora promiſſum fuit in Euangelio Mathæi, id hîc præſtitum eſt apud Iohannem his verbis, Quorum peccata, &c. Hîc igitur poteſtatem illis dedit, non ſolùm annunciandi hominibus remiſſionem peccatorum, ſed reipſa remittendi.

[a] Ibid. primum igitur.
[b] Mat. 16.19.

ORTH. Vt Adamus ex Paradiſo, ita omnes eius poſteri, carnali generatione prognati, quatenùs naturæ labe & vitio coinquinantur, è cœlo excluduntur, in quo nihil immundum ingredi poteſt. Etenim vt ait Propheta; [c] *Iniquitates veſtræ diſterminant inter vos & Deum veſtrum:* neque vlla ſalutis ſpes cuiquam affulgere poteſt, niſi Regnum cœlorum reſeretur. Sed quænam eſt clauis ad hanc ſeram aperiendam idonea? Triplex eſt clauis, prima authoritatis, excellentiæ altera, tertia Miniſterij. Clauis authoritatis, eſt ſolius Dei. Cum peccatum ſit legis diuinæ præuaricatio, ab illo ſolo remittitur, in quem committitur. Et quoties ab eo remittitur, toties ipſum cœlum panditur. Clauis excellentiæ eſt ſolius Chriſti, qui ſummo ſuo & ſingulari ſacrificio, Deo Patri ſatisfecit, æternam nobis redemptionem acquiſiuit, & pretioſis ſuis meritis Regnum cœlorum omni credenti aperuit. Vndè eleganter à quodam dictum eſt, *Sanguis Chriſti eſt clauis Paradiſi.* Clauis Miniſterij Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus eſt concredita, in quibus poſitum eſt Miniſterium reconciliationis, de quo ſic [d] Ambroſius: *Homines in remiſſionem peccatorum Miniſterium ſuum exhibent, non ius alicuius poteſtatis exercent. Neque enim in ſuo, ſed in Patris, & Filij, & Spiritus ſancti nomine peccata dimittunt; iſti rogant, diuinitas donat; humanum enim obſequium, ſed munificentia ſupernæ eſt poteſtatis.* Hæc ſuperna poteſtas eſt clauis authoritatis, humanum obſequium eſt clauis Miniſterij. Iam ad argumentum: Clauis (inquis) non datur ad ſignificandum, oſtium eſſe apertum. Quid indè? Ergóne concludes non ſpectare ad Miniſtros, vt peccatorum remiſſionem pœnitentibus ſignificent? At metaphoræ non ſunt vltra præcipuum ſuum ſcopum extendendæ. Omne ſimile eſt etiam diſſimile, & aliqua ex parte claudicat. Satis eſt igitur ſi Principali dicentis ſcopo ſint accommodatæ.

[c] Eſ. 59.2.
[d] Ambr. de Spir. ſanct. l. 3. c. 19.

PHIL. Principalis ſcopus ad quem refertur clauis fabricatio, vel traditio, eſt oſtij apertio: nempè vt clauis aperiat.

ORTH. Rectè, vt aperiat, ſed vt clauis, id eſt, vt inſtrumentum: cauſa aperiendi Principalis eſt manus quæ clauem verſat. Ideóque oſtium non tam aperit clauis, quàm homo per

clauem. Iam miniſterium eſt clauis, quam Eccleſiæ ſuæ dedit Chriſtus ad aperiendum oſtium Regni cœlorum. Aperit igitur; ſed vt inſtrumentum; aperiens Principalis eſt Deus, qui Miniſterio vtitur. Porrò peccata remittere quæ cœlum nobis occludunt, eſt ipſum cœlum patefacere: peccatum igitur remittit, cœlúmque aperit non tam homo, quàm Deus per hominis Miniſterium. Sed quod Principalis agens agit per inſtrumentum, id inſtrumento tribui ſolet, præſertim in inſtrumentis cooperantibus,
[a] 1.Cor.3.5. quale eſt Miniſterium: [a] *Quis eſt Paulus, quis autem Apollo, niſi miniſtri, per quos credidiſtis?* His Miniſtris Euangelicis, Chriſti inſtrumentis, non ſolùm peccatorum remiſſio, cœlíque apertiò, ſed etiam æterna fidelium ſalus in Scripturis tranſcribitur. A Propheta
[b] Obad.21. Obadia [b] *ſaluatores* appellantur; & Paulus ad Timotheum ſic ſcri-
[c] 1.Tim.4.16. bit: [c] *Hæc faciens, & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Quæ omnia figuratè ſunt intelligenda; quoniam, ſi propriè loquamur,
[d] Hoſ.13.4. ſolus Deus eſt Saluator: [d] *Ego ſum Iehoua Deus tuus, non eſt Saluator præter me:* Miniſtri ſunt tantùm inſtrumenta, licèt (vt dixi) cooperantia. Vt corda diſcipulorum Emaunta euntium, dum Chriſtum
[e] Luc.24.32. Scripturas interpretantem audirent, mirifico ardore [e] igneſcere cæperunt; ita dum Miniſtri Euangelici Scripturas aperiunt, Deus in electorum cordibus fidem & pœnitentiam accendit. Quod vbi animaduertit Miniſter, dicere poteſt, Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata: vel cum Nathane, Deus abſtulit peccatum tuum. Ita Miniſter eſt efficax Dei inſtrumentum, ad hanc remiſſionem efficiendam, & Præco ad promulgandam. Clauium autem metaphora priorem Miniſterij proprietatem deſignat, poſteriorem non item.

[f] Bell. quo ſuprà. PHIL. [f] *Claues dari ſolent Magiſtratibus in ſignum poteſtatis, quâ portas ciuitatis claudere vel reſerare poſſunt.*

ORTH. Et Chriſtus Diſcipulis ſuis claues dedit, in ſignum poteſtatis miniſterialis, quâ, vt Miniſtri, Regnum cœlorum claudere, vel reſerare poſſunt.

[g] Bell. ibid. [h] Apoc.3.7. PHIL. [g] *Cum in* [h] *Apocalypſi de Chriſto dicitur, Qui habet clauem Dauidis, aperit, & nemo claudit, claudit, & nemo aperit, omnes intelligunt per clauem, veram & propriè dictam poteſtatem, quâ poſsit Chriſtus, ex authoritate iudiciaria, ſoluere & ligare, non autē ſignificare, aut declarare quis ſit ligatus, vel ſolutus. Quare cum Chriſtus ſuas claues cum Apoſtolis eorúmque ſucceſſoribus communicauerit, veram poteſtatem ex authoritate iudiciaria ſoluendi & ligandi cum illis communicauit.*

[i] Fab. incarnatus ſerut. ſacerd. p.63. editionis Venet. ORTH. Primò, veſtri [i] Theologi inter clauem excellentiæ, quæ eſt Chriſti propria, & clauem Miniſterij apertè diſtinguunt. Secundò, Chriſtus omnes claues ſuo ſibi iure vendicare poteſt; quatenùs eſt Deus, habet clauem authoritatis, quatenus Mediator, habet clauem excellentiæ, quatenus homo, habet clauem Miniſterij. Tertiò, Chriſtus non modò habuit authoritatem re ipſâ ſoluendi, ſed etiam ſignificandi & declarandi quis ſit ſolutus.

Verbi

Verbi gratiâ,cum dixit de Maria Magdalena, [a] *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Anteà enim fuiſſe apud Deum iuſtificatam,ex tot veris viuæ fidei effectis ſatis liquebat. Non igitur tam peccata ei iam remiſit Chriſtus, quàm remiſſa declarauit. Quartò,Licet Chriſti eſſent vniuerſæ Regni cœlorum claues, vniuerſas tamen non communicauit. Clauem miniſterij Apoſtolis,& eorum ſucceſſoribus conceſſit, reliquas non itèm. Quintò,Clauis Miniſterij eſt poteſtas quidem,eaque vera, ſed quæ à ſuperna poteſtate deriuatur,quæque iuxta ſanctum Ambroſium, *Miniſterium* potiùs,quàm *ius alicuius poteſtatis* eſt nominanda.Soluimus autem, idque ex authoritate,eaque iudiciaria; vndè & Iudices dici poſſumus,ſed Iudices inferiores,quorum eſt,arbitrium ſequi æterni Iudicis. Quoties igitur pœnitentibus & credentibus peccata remittimus,noſtrum remittere,nihil eſt aliud quàm declarare. [a] Luc.7.47.

[b] *Idem colligitur ex metaphora ligandi & ſoluendi. Ligare enim & ſoluere non ſignificant denunciare,vel declarare,ſed re ipſâ vincula inijcere,aut demere.* 2 [b] Bell.ibid.

ORTH. Peccata ſunt quaſi [c] funes, à quibus qui in hac vita non liberantur, tenebrarum catenis in æternum conſtringentur : ſoluuntur autem homines,cum peccata ipſis remittuntur, & Regnum cœlorum panditur. Quare vt ſolus Deus peccata remittit,& cœlum pandit, ita ſolus ſoluit. Vt homines in remittendis peccatis, & cœlo aperiendo Miniſterium ſuum exhibent, ita in his vinculis ſoluendis. Quocirca hæc metaphora eodem ſpectat quo illa Clauium. Miniſter igitur dupliciter ſoluit. Primò, quia adhibet media, per quæ homines re ipſâ ſoluuntur. Secundò, quia declarat verè credentes & pœnitentes iam eſſe ſolutos. Soluendi autem metaphora primam nobis depingit proprietatem, non ſecundam. [c] Prou.5.22.

PHIL. [d] *Tertiò,colligitur idem ex illis verbis, Quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Hoc enim loco expreſſè datur poteſtas non ſolùm remittendi peccata, ſed etiam retinendi. Retinere autem quid eſt,niſi nolle remittere? Proinde negatur remiſſio illis,quibus noluerunt Sacerdotes remittere.* 3 [d] Bell.ibid.

ORTH. Rectè; modò eorum nolle ex vera Religionis norma dirigatur. Tenentur enim omnibus velle remittere, niſi ſolis incredulis, & impœnitentibus, à quibus abſoluendis tantùm abeſſe debent, vt in eos intonare oporteat, ſi in peccatis obdurentur.

PHIL. [e] *Non ait Dominus, Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erant: quod certè dixiſſet, ſi, per remiſſionem, declarationem ſignificare voluiſſet: ſed ait, Remittuntur eis,quia nimirum ratam habet Chriſtus ſententiam à Sacerdote nomine ſuo latam.* [e] Ibid.

ORTH. At Sacerdotis ſententia æterni arbitrium ſequitur Iudicis,vt ex Gregorio accepiſti. Alioqui enim fruſtrà, & incaſſum abſolueret. Quare tẽporalis Iudicis ſententia,& duntaxat ſententię

æterni Iudicis declaratoria. Verba autem, vt à Chriſto poſita ſunt, ſatis concinnè fluunt,& hunc habent ſenſum: Quorum peccata remiſerîtis,id eſt,ſecundùm Euangelij mei regulas, remiſſa declarauerîtis, remittuntur eis; id eſt, tam certò remittuntur,vt veſtra ſententia in terris prolata,in ipſis cœlis rata habeatur; prout ſcriptum eſt; [a] *Quæcunque ligaueritis in terra, ligata erunt in cælo: & quæcunque ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo.* Ita hîc tria occurrunt. Primò, Deus Pater propter Ieſum Chriſtum credentibus peccata remittit. Secundò, Miniſter hanc remiſſionem Chriſti nomine declarat,& obſignat. Tertiò, hæc Miniſtri ſententia declaratoria in cœlo rata habetur.

[a] Mat.18.18.

4 PHIL. Quartò, [b] *Colligitur ex illa voce, quorum. Nec enim vult Dominus omnibus indefinitè peccata remitti, ſed certis hominibus, ijs ſcilicet, quos Sacerdotes abſoluendos indicauerint, at Euangelium omnibus indefinitè prædicandum,&c.*

[b] Bellar ibid.

ORTH. Euangelium omnibus generatim, & indefinitè prædicatur; quiſquis reſipuerit, & Euangelio crediderit,ſaluus erit; ità tamen,vt in propoſitione vniuerſali hæc particularis includatur,Si tu reſipueris & credideris,ſaluus eris. Iam verò electorum conſcientiæ à Spiritu ſancto edoctæ intùs reſpondent; at ego credo,ego reſipiſco: his igitur promiſſa Euangelij generalia redduntur particularia; & indefinita, particulari applicatione,fiunt limitata. Hactenùs de abſolutione publica per concionem: nam priuatim,miniſter,vbi peccatoris fidem & reſipiſcentiam certis indicijs ſatis perſpectam & exploratam habuerit, eundem categoricè poteſt abſoluere,& eidem dulces Euangelij conſolationes ſingulariter accommodare.

5 PHIL. Quintò, [c] *Colligitur ex cæremonia inſufflationis, quâ Dominus vſus eſt, cùm poteſtatem peccatorum remittendorum Apoſtolis tribuit. Quemadmodum enim Chriſtus, Actorum ſecundo, Spiritum ſanctum dedit in ſpecie linguarum, quia dedit eo tempore donum concionandi; ſic etiam, Ioh.20. dedit Spiritum ſanctum inſufflando, quia dedit donum peccata remittendi, non concionando, vt aduerſarij ſomniant, ſed planè extinguendo ac diſſoluendo. Vt enim flatus extinguit ignem, & diſſipat nebulas, ſic etiam abſolutio Sacerdotum peccata diſpergit & euaneſcere facit. Iuxtà quam metaphoram legimus,* [d] *Deleui vt nubem, peccata tua.*

[c] Bellar. ibid.

[d] Eſay 44.22.

ORTH. Multis de cauſis inſufflauit Chriſtus: Primò, vt ſe huius cœleſtis doni fontem ac originem eſſe oſtenderet: ideóque (vt id obiter obſeruem) Epiſcopi noſtri, dum hæc verba proferunt, inſufflatione non vtuntur. Non enim ſunt poteſtatis huius ſpiritualis, quam manuum impoſitione tradunt, authores, ſed Chriſti duntaxat Miniſtri, ad hoc ipſum, vt homines in donorum cœleſtium poſſeſſionem intromittant, deſignati. Secundò, vt ſignificaret ad hoc Sacroſanctum munus obeundum, neminem eſſe idoneum præter illos ſolos, qui Spiritus ſancti donis inſtruuntur.

Digitized by Google

inſtruuntur. Tertiò, vt innueret Spiritum ſanctum fidelibus Euangelij miniſtris in peccatis diſpellendis præſtò futurum. Sed quid indè?

PHIL. Chriſtus, dum donum abſoluendi dedit, inſufflauit; ergo vt flatus extinguit ignem, & diſſipat nebulas, ita abſolutio Sacerdotalis extinguit peccatum, & diſſipat, diſpergit, & euaneſcere facit.

ORTH. Suo modo & gradu. Nam, ſi propriè loqui velimus, Deus ſolus eſt qui peccata noſtra, vt nubem, delet. Locus Eſaiæ, à te adductus, inſtituto tuo parùm eſt appoſitus. Cùm cœlum nubibus & vaporibus vndique obducitur, & obſcuratur, ventum è theſauris ſuis mittit Dominus, quo nubes diſpelluntur, cœlum ſerenatur, & omnia aureo radiorum Solarium ſpendore colluſtrantur. Eodem planè modo, dum miſera hominis conſcientia peccatorum & dolorum atris nubibus obtecta & obuoluta iacet, Deus miſericors, operatione Spiritus ſancti Verbum concomitantis, & cor afflantis, ad fidem & pœnitentiam adducit; ità fugatis nubibus, & conſolationis ſole reſplendente, fit tranquilla mens, & ſerena conſcientia. Nam Deus peccata noſtra adeò diſſipat, delet, & expungit, vt eorum nunquàm recordetur ampliùs. Verùm hoc quod eſt Dei proprium, non tribuendum eſt Sacerdoti, niſi figuratè; miniſter humanum exhibit miniſterium, docendo, arguendo, hortando, conſolando; ſed fidem & pœnitentiam accendere eſt ſolius Dei. Miniſter credentibus, & pœnitentibus remiſſionem peccatorum annunciat, ſed peccata ſuo iure remittere, vel quod idem eſt, [a] *non imputare*, eſt ſolius Dei. Miniſter igitur propriè non remittit, ſed ſuo modo, nempè miniſterialiter, id eſt, diſpoſitiuè, & declaratiuè.

[a] 2.Cor.5.19.

PHIL. [b] *Sextò, idem probatur ex patribus. Ac primùm ſanctus Iohannes Chryſoſtomus libro tertio de Sacerdotio, multis modis ſententiam noſtram confirmat: qui terram (inquit) incolunt atque in ea verſantur, ijs datum eſt vt ea quæ in cœlis ſunt diſpenſent: ijs datum eſt vt poteſtatem habeant, quam Deus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit. Neque enim ad eos dictum eſt, quæcunque alligaueritis in terra, &c. At certè poſſunt Angeli annunciare hominibus remitti peccata ſi credant. Non igitur poteſtas annunciandi; ſed verè ſoluendi ac ligandi data eſt hominibus ex ſententia Chryſoſtomi.* 6

[b] Ex Bell. ibid. ſixto.

ORTH. Quamuis Angeli, cum ſint [c] ſpiritus adminiſtratorij poſſint, ſi Deo ita viſum ſit, hominibus credentibus peccatorum remiſſionem declarare, perindè ac Angelus Cornelio dixit, [d] *Orationes & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei*, hoc tamen raro, & præter communem ordinem accidit; Sacerdos verò Euangelicus hoc ex officio ordinario præſtare ſolet: quo ſenſu rectè aſſerit Chryſoſtomus, iſtiuſmodi poteſtatem Sacerdotibus eſſe conceſſam, qualis nec Angelis datur, nec Archangelis.

[c] Heb.1.14.
[d] Act.10.4.

Digitized by Google

PHIL. *Pergit Chryſoſtomus. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verùm corporum ſolùm, id autem quod dico Sacerdotum vinculum ipſam etiam animam contingit, atque ad cælos vſq; peruadit,&c.* [c] *At Principes terræ non ſolent annunciare quis vinctus ſit: planè pro Imperio corpora ſubditorum ligant,& ſoluunt. Igitur & Sacerdotes, cùm animas ligant, vel ſoluunt, non annunciant quis ligatus ſit, quiſue ſolutus; ſed planè pro Imperio, Chriſti vice, vincula inijciunt, vel tollunt, ſi comparatio Chryſoſtomi aliquid valet.*

[c] *Bell. ibid.*

ORTH. Comparationem à diſſimili inſtituit, ratione obiectorum & modi. Regalis vinculi obiectum eſt corpus, Sacerdotalis verò anima: modus quo Princeps ligat eſt corporalis, quo Sacerdos ſpiritualis. Hæc ſunt clariſſima. Non tamen hinc euincitur, quoniam Rex propriè ligat corpus, ideo Sacerdotem æquè propriè ligare animam. Rex enim vincula corporalia in hominem iam ſolutum, & liberum inijcit; at non ſic Sacerdos: nam vincula animæ ſunt [a] *peccata*, teſte Spirtu ſancto. Sacerdos autem non inducit hæc vincula in animam, ſed ibi inuenit. Vbi autem comperit, quemlibet his vinculis eſſe conſtrictum, ſtatim legem & iram Dei proponit, & monet vt reſipiſcat: quod ſi ſuperbè & pertinaciter facere recuſet, tum demum eum in peccatis eſſe pronunciat, ac inſuper manere eum æternæ calignis catenas, niſi maturè in viam redeat. Hoc eſt peccatum retinere, peccatorem ligare, cœlum claudere.

[a] *Prou. 5. 22.*

PHIL. Pergit Chryſoſtomus: *Quorumcunque peccata retinueritis, retenta ſunt. Quænam, quæſo, poteſtas hac vnà maior eſſe queat?* Sic ille. At (inquit [b] Bellarminus) *annunciare peccata fidelibus remitti, infidelibus detineri, non magna res eſt: id enim quilibet facere poteſt, qui modò Euangelium legere nouerit, non ſolum Sacerdotes, ſed etiam Laici, nec tantùm Catholici, ſed etiam hæretici, quinetiam ipſi Dæmones.*

[b] *Bell. ibid.*

ORTH. Verborum prolatio non eſt res magna aut ardua, ſed in hoc ſita eſt miniſtrorum præcellentia, quòd, tanquàm viua inſtrumenta Deo cooperantia, primò animas ad credendum & pœnitendum perducunt, deindè iiſdem credentibus & pœnitentibus peccatorum remiſſionem, ex officio, idque ſecundùm Chriſti ſeruatoris noſtri inſtitutum, annuncient. Quod munus quoties qua decet reuerentia præſtatur, ſingularis benedictio à Domino supernè expectari poteſt.

PHIL. Pergit porrò Chryſoſtomus: *Pater omnifariam filio poteſtatem dedit; cæterùm video ipſam eandem omnifariam poteſtatem à filio illis traditam,&c.* At (inquit [a] Bellarminus) *Pater filio non nudam Euangelij annunciandi facultatem dedit, ſed planè ex authoritate dimittendi.*

[a] *Ibid.*

ORTH. Poteſtas quam Deus Pater Chriſto dedit, [b] *omnem poteſtatem, tam in cælis, quàm in terris* complectitur. Spero autem te non dicturum, Chriſtum omnem poteſtatem tam in cœlis, quàm

[b] *Mat. 28. 18.*

in

in terris diſcipulis dediſſe. Locus igitur Chryſoſtomi candidè eſt exponendus, nec perindè accipiendus, ac verba ſonant. Molliſſima autem erit interpretatio, ſi dicamus Chryſoſtomum hîc (vt alibi ſolet) rem non grammaticè narrare, ſed rhetoricè amplificare. Porrò remittendi poteſtas Deo Patri, Chriſto, & Apoſtolis conuenit, ſed non eâdem ratione. Nam Deus Pater remittit non imputando; Chriſtus mediator expiando; Apoſtoli ſolùm miniſtrando.

Phil. *Non potuit Chryſoſtomus apertiùs declarare Sacerdotum poteſtatem verè ac propriè iudiciariam eſſe, quàm ea ſimilitudine fecerit. Comparat enim Sacerdotem non cum præcone Regis, qui ſolùm nunciet quid factum, faciendúmue ſit, ſed, &c.* Bell. Ibid.

Orth. Præco Regis gratiam, & indulgentiam promulgat duntaxat, non etiam concurrit vt inſtrumentum, vel concauſa in efficiendo. Miniſter verò ità ſalutem per Ieſum Chriſtum promulgat, vt ſit inſuper inſtrumentum Deo cooperans. Hæc igitur miniſterialis declaratio non eſt nuda, ſed efficax. Primò enim lex ſeriò eſt inculcanda, ad animam peccatoris humiliandam; dein Euangelium ſincerè & efficaciter eſt applicandum, ad fidem accendendam. Denique eſt Legatus ad conſolationem fracto & contrito animo efficaciter adhibendam. Dei igitur præco Regis præconi longè præcellit. Quamuis autem Deus miniſtri ſui, in remiſſione peccatorum procuranda & promulganda, vtatur operâ, ipſe tamen ſolus propriè remittit, & non miniſter, niſi miniſterialiter.

Phil. Chryſoſtomus Sacerdotem non cum præcone comparat, *Sed* [a] *cum eo, qui pro poteſtate in carcerem detrudat, aut ex carceribus liberet.* a Bell. ibid.

Orth. Liberationem animarum ex carcere non poſſe miniſtro propriè tribui ex altero membro elucet, quia neminem in ſpirituale ergaſtulum propriè detrudit. Impij enim peccatorum ſuorum vinculis iam antè irretiti, luménque Euangelij ſplendeſcens, dulcéſque Dei in Chriſto Ieſu miſericordias proteruè reijcientes, à Sacerdote ligari, & in ergaſtulum protrudi dicuntur; non propriè, ſed quia eoſdem, peccatorum ſuorum vinculis ac funibus iam ligatos & illaqueatos, in æternæ caliginis catenas tandem aliquandò, niſi reſipiſcant, conijciendos eſſe pronunciat.

Phil. *Addit vltimò Chryſoſtomus. Corporis lepram purgare, ſeu (veriùs dicam) non purgare, ſed purgatos probare Iudæorum Sacerdotibus ſolis licebat; at noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Hoc loco (vt rectè [b] Bellarminus) *Chryſoſtomus tam perſpicuè ſententiam aduerſariorum damnat, vt nihil omnino contra reſponderi queat.* b Bell. Ibid.

Orth. Nunquid Sacerdotes Euangelici ſordes animæ prorſus purgant? Ergo quum pœnitens ad Sacerdotem accedit, animam habet, vt videtur, peccatorum maculis coinquinatam, quæ

tamen ſtatim abſolutione Sacerdotali diffluunt,& diſparent. Sed quem demum abſoluit Sacerdos? An quem Deus ipſe priùs abſoluerat,vel quem Deus nondum liberauit? Si primum reſpondeas: ergo Sacerdos non prorſus purgat animæ ſordes,immò, ſi propriè loqui velimus, ne purgat quidem; ſed tantùm à Domino purgatas oſtendit. Sin quem Deus non abſoluit, Sacerdos abſoluere præſumat; quo tandem iure id faciat ipſe viderit: certè hoc tum à ratione,tum ab officio Sacerdotali eſt prorſus alienum. Prætereà id quærendum cenſeo, num Sacerdos antè abſolutionem prolatam aliquod veræ, & viuæ fidei indicium obſeruet. Si nullum,qua fronte audet abſoluere? Sin aliquod, ergo pœnitens iam eſt apud Deum purgatus, (nam fide purificantur [a] corda) ac proindè abſolutio Sacerdotalis eſt tantùm declaratoria. Quocirca ſatis conſtat hæc Chryſoſtomi verba non accipi debere perindè ac ſonant,ſed hunc habere ſenſum, Sacerdotem ſcilicet (quamprimum miniſterio Euangelij fidem,& pœnitentiam accenſam, & per conſequens animam à peccatorum ſordibus purgatam eſſe intelligit) teneram conſcientiam certiorem facere prorſus eſſe purgatam, & peccatorum reatum pretioſo Chriſti ſanguine penitus delectum.

[a] *Act.15.9.*

7 PHIL. [b] *Sed audiamus alios Patres. Sanctus Gregorius Nazianzenus, oratione ad ciues timore perculſos,& Principem ſiue præſidem iraſcentem. Ipſa (inquit) Chriſti lex vos quoque (Præſides) meo Imperio, tum ſolio ſubijcit. Nam & nos cum poteſtate ſumus; addam etiam ampliore, perfectioréque.*

[b] *Bell.ibid.*

ORTH. Non ſolùm Verbi & Sacramentorum, ſed cenſuræ quoque adminiſtratio, & fori conſcientiæ ſolium ad Epiſcopos ſpectat. Sed quid hoc ad inſtitutum? Num hinc ſequitur Sacerdotem peccata propriè remittere?

8 PHIL. [c] *Sanctus Ambroſius probat Sacerdotibus datam à Chriſto poteſtatem remittendi peccata. Loqui autem Ambroſium de vera poteſtate remittendi,non de ſolo miniſterio Euangelizandi perſpicuum eſt; tum quia Nouatiani non negabant poſſe Euangelium omnibus prædicari, ſed negabant peccata ex authoritate remitti poſſe; tum quia Ambroſius capite ſeptimo ſcribit, Chriſtum communicaſſe cum Sacerdotibus eam poteſtatem, quam ipſe habet.*

[c] *Bell.ibid. Ambr. de pœnit. l.1 c.2.*

ORTH. Sentiebant Nouatiani Eccleſiam ligandi poteſtate præditam eſſe, non autem ſoluendi, vt ex ipſo Ambroſio eodem in loco conſtare poteſt. Et ſanctus [d] Cyprianus,ab Antoniano rogatus vt Nouatiani hæreſin explicaret,oſtendit cenſuiſſe, *Lapſos in Eccleſiam denuo non admittendos.* Et Baronius dicit [e]; *Eò inuerecundiæ,atque temeritatis prolapſum eſſe,vt negaret,quod eſt in Apoſtolico ſymbolo, remiſſionem peccatorum in Eccleſia reperiri.* Quare, vt negarunt Sacerdotes peccata poſſe remittere ex authoritate,ita perindè negarunt remittere poſſe per modum declarationis. Omnem enim peccatorum remiſſionem ab Eccleſia tollebant. Quamobrem ſanctus

[d] *Cypr.ep.52.*

[e] *Baron.an.254. n.107.*

ſanctus Ambroſius, in refellendis Nouatianis non magis noſtram refellit ſententiam, quàm veſtram.

PHIL. [c] Sanctus Hieronymus; *Abſit* (inquit [d]) *vt de his quicquam ſiniſtrum loquar, qui Apoſtolorum gradui ſuccedentes, Chriſti corpus ſacro ore conficiunt, per quos & nos Chriſtiani ſumus, qui claues Regni cælorum habentes, quodam modo antè diem Iudicij iudicant.* 9 [c] Bell. ibid. [d] Epiſ. ad Heliodorum.

ORTH. Secundùm [e] Hieronymum Epiſcopus, vel Presbyter ligat, vel ſoluit, perindè ac Sacerdotes Leuitici leproſos mundos, vel immundos reddunt. At Leproſi (inquit Hieronymus) *à Sacerdote immundi fiunt; non quòd Sacerdotes Leproſos faciant, ſed quòd habeant notitiam leproſi, & non leproſi, & poſſunt diſcernere qui mundus, quiúe immundus ſit.* Hoc eſt quod vult Hieronymus, cum dicit, Sacerdotes iudicare quodammodò ante diem iudicij; quem iudicandi modum nos agnoſcimus, vt ſuprà dictum eſt. [e] In ca. 16. Mat.

PHIL. [f] Sanctus Auguſtinus (explicans illud Apocalypſis, *Vidi ſedes, & ſedentes ſuper eas, & iudicium datum eſt*) ità loquitur. Non hoc putandum eſt de vltimo Iudicio dici, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur. Iudicium autem datum nullum meliùs accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt, [h] *Quæ ligaueritis in terra, ligata erunt in cælo.* Vnde [i] Apoſtolus, Quid mihi eſt (inquit) de his qui foris ſunt iudicare? Nónne de his qui intus ſunt, vos iudicatis? 10 [f] Bell. ibid. Aug. de ciu. Dei, l. 20. c. 9. [h] Mat. 18. 18. [i] 1. Cor. 5. 12.

ORTH. Iudicant quidem Miniſtri Euangelici diſcernendo, & ſententiam dicendo, ſed quæ ſententiam æterni imitatur Iudicis.

PHIL. [k] Innocentius Pontifex (eius nominis) primus, [l] *De pondere* (inquit) *æſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare.* 11 [k] Bell. ibid. [l] Innocen. in ep. 1. ad Decentium cap. 7.

ORTH. Vulneris grauitatem priùs ſcrutetur oportet, quàm pharmacum eidem aptare poſſit. Sed quid hoc ad inſtitutum?

PHIL. [m] Sanctus Gregorius: [n] *Principatum, inquit, ſuperni Iudicij ſortiuntur, vt, vice Dei quibuſdam peccata retineant, quibuſdam relaxent.* 12 [m] Bell. ibid. [n] Greg. hom. 26. in Euang.

ORTH. Iudices ſunt (fateor) ad peccatum diſcernendum, vt pro ratione delinquentium pharmaca poſſint accommodare: nec negamus, quin ſit penes Eccleſiam externa pœnitentiæ opera imponere, vt caro luxurians vlteriùs mortificetur, vt interna compunctio fiat teſtatior, vt tam ijs qui præ cæteris ſcandalum paſſi ſunt, quàm toti Eccleſiæ ſatisfiat: quibus præſtitis, miniſterialis abſolutio ſuccedere poteſt per Dei Legatos proferenda. Hæc tamen ipſa eſt duntaxat declaratoria, vt ex ipſo Gregorio in eâdem homilia in locis ſuperiùs allegatis abundè patet.

PHIL. Septimò, [o] *Probatur rationibus. At primùm ſi non eſſent Sacerdotes Iudices, nec verè peccata remitterent, ſed ſolùm annunciarent eſſe remiſſa, nemo periret ex eo ſolùm, quòd Sacerdotem reconciliantem habere* 13 [o] Bell. ibid.

Digitized by Google

bere non poſſit: qui enim credit, ex ſententia aduerſariorum, iam habet remiſſionem, etiamſi nemo ſit qui id verbo proteſtetur. At[a] *Auguſtinus apertè ſcribit, Aliquos reconciliari cupientes, ac proinde credentes in Chriſtum, in æternum perire, quòd ante moriantur quàm à Sacerdote abſolui potuerint. Annon cogitamus* (inquit) *cum ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque ab omni ætate concurſus, alijs baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem, & erogationem? Vbi ſi Miniſtri deſint, quantum exitium ſequatur eos qui de iſto ſeculo, vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus eſt enim luctus fidelium ſuorum, qui eos ſecum in vita æterna requie non habebunt? Hæc ille? Nec his diſſimilia ſcribit ſanctus Leo ad Theodorum. Ex quibus locis intelligimus Sacramentalem reconciliationem vim habere iuſtificandi, neque eſſe ſolùm annunciationem acceptæ, vel accipiendæ iuſtificationis.*

[a] Auguſt. ad Honoratum, ep. 180

ORTH. Non aſſerit Auguſtinus aliquos reconciliari cupientes, ac proinde in Chriſtum credentes, in æternum perire. Satis enim exploratum habuit hoc Scripturis repugnare, affirmantibus; [b] *Credentem nunquam periturum, ſed vitam æternam habiturum.* Quare certiſſimum eſt, verè credentes ob defectum Sacerdotis perire non poſſe. Nec id voluit Auguſtinus. Vndè enim hoc elicere poteris? Si his verbis nitaris, *alijs baptiſmum flagitantibus, alijs reconciliationem*, non neceſſe eſt vt ad ipſos ægrotos, ſine baptiſmo aut reconciliatione morituros, referantur: magis aptè & appoſitè ad eorũ amicos, vel conſanguineos referri poſſunt, qui ob periclitantium amorem confluebant. Quod vel ex hac voce (ligati) conſtare poteſt. Quos enim ligatos intelligit, niſi qui peccatorum catenis ligantur? Quod de verè credentibus dici nõ poteſt. Quæres fortaſsè, quo igitur modo ob defectum Sacerdotis pereant? Reſpondeo, Si adeſſet Chriſti Legatus, qui Chriſti nomine diuinæ miſericordiæ diuitias explicaret, quis ſcit an Deus eorum corda aperiret, vt reſipiſcere poſſint, & Euangelio credere ad æternam ſalutem? Iam verò cum nemo adſit qui Verbum conſolationis oportuno tempore adhibeat, quum vulgò inſignes habeantur peccatores, ob defectum Sacerdotis perire videri poſſunt, Sacerdotis (inquam) non miſſificantis, ſed prædicantis. Quod adhuc ex altero membro de non baptizatis clarius fit & illuſtrius. Nam hæc verba *(alijs baptiſmum flagitantibus)* vel ad ipſos ægrotos, vel ad eorum amicos referantur oportet. Si ipſi baptiſmum efflagitent, ob defectum baptiſmi perire non poſſunt. Nam baptiſmus flaminis ſupplet defectum baptiſmi fluminis, teſte [c] Bellarmino, his verbis; *Sine dubio credendum eſt, veram conuerſionem ſupplere baptiſmum aquæ, cum non ex contemptu, ſed ex neceſſitate, ſine baptiſmo aquæ aliqui decedunt.* Quod ipſum probat, primò, ex Ezechiele Propheta; [d] *Si impius egerit pœnitentiam à peccatis ſuis, iniquitatum eius non recordabor amplius.* Secundò, ex Ambroſio, de obitu Valentiniani Iunioris; *Quem* (inquit)

[b] Joh. 3. 16.
[c] De ſac. bap. c. 6
[d] Ezech. 18.

Digitized by Google

quit) *eram in* Euangelio generaturus, amiſi; ſed ille non amiſit gratiam, quam popoſcit. Prætereà ex [a] Auguſtino, [b] Bernardo, [c] Innocentio tertio, immò ex ipſo Concilio [d] Tridentino, aſſerente *baptiſmum eſſe neceſſarium in re, vel in voto.* Denique [e] Lorinus Ieſuita docet ex ſancto [f] Auguſtino, *Inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam & affuiſſe, & profuiſſe, ſine viſibili Sacramento.* Ex his concludimus ægrotos ipſos, baptiſmum efflagitantes, ob defectum Sacerdotis perire non poſſe. Sin hanc baptiſmi efflagitationem non ad morituros, ſed ad eorum amicos referendam cenſeas; reconciliationis quoque efflagitationem ad eoſdem referre oportet. Quod quid eſt aliud quàm ſententiam meam priorem confirmare, tuam autem ipſius conuellere? Hactenùs ad primam rationem reſponſum eſt; expectemus ſecundam.

Phil. [g] *Si Sacerdos non aliter peccata remitteret, quàm annunci-* 14
ando diuinas promiſſiones, certè non niſi fruſtrà, & ridiculè abſoluerentur
ſurdi, & ij qui ob vim morbi ſenſibus ſunt deſtituti. [h] *Ne effundas ſer-*
monem (inquit Sapiens) vbi non eſt auditus. At in Eccleſia veteri non
ſolùm ſurdi, ſed etiam ij qui ob vim morbi extra ſe poſiti erant, aliquando
reconciliabantur, vt conſtat ex [i] *Auguſtino,* [k] *Leone, & ex Concilio* [l] *Car-*
thaginenſi 4. & [m] *Arauſicano.*

Orth. Non omnes ſurdi, muti, aut ſenſibus deſtituti reconciliabantur, ſed illi duntaxat qui vel anteà dictis, vel factis, vel iam ſignis reſipiſcentiam ſuam demonſtrarent; vt ex ipſis locis à te allatis eſt manifeſtum. Nam ſic [n] Auguſtinus; *Si deſperati, & intra ſe pænitentes iacuerint, nec pro ſe reſpondere potuerint, baptizandos puto.* Et paulò pòſt: Quæ baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa. Et Leo: *Quòd ſi aliquâ vi ægritudinis ita fuerint aggrauati, vt quod paulò antè poſcebant, ſub præſentia Sacerdotis ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circumſtantium prodeſſe debebunt, vt ſimul & pænitentiæ, & reconciliationis beneficium conſequantur.* Et Concilium 4. Carthaginenſe: *Is qui pænitentiam in infirmitate petit, ſi caſu, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, obmutuerit, vel in phreneſin verſus fuerit, dent teſtimonium qui eum audierunt, & accipiat pænitentiam.* Et Concilium Arauſicanum: *Subitò obmuteſcens, prout ſtatutum eſt, baptizari, vel pænitentiam accipere poteſt, ſi voluntatis præteritæ teſtimonium aliorum verbis habet, aut præſentis in ſuo nutu.* Iam verò hoc modo homines reconciliare, nec eſt fruſtrà, nec ridiculè agere, quantúmuis id fiat per modum duntaxat declarationis. Nam ſi ægroti quid agatur intelligant, ſingulari profectò gaudio ac ſolatio perfuſi & delibuti erunt: ſin minùs; ſi tamen, Deo dignante, priſtinam aliquandò ſanitatem recuperent, & ab alijs intelligant quàm amanter & maternè erga illos ſe geſſerit Eccleſia, fieri non poteſt quin impensè gaudeant. Quin ſi, ingraueſcente morbo, mox diem ſuum obeant, hoc tamen beneficij omnes ad quos delatum erit conſequentur, vt nō ſine ſumma lætitia intelligant, Dei Legatū re perpenſâ, eoſdē in fide & pœnitentia fato ſuo functos eſſe, illuſtre perhibuiſſe teſtimonium.

Phil.

[a] De bapt. l. 4. c. 22.
[b] Ep. 77.
[c] Cap. Apoſtol. de Presb. non bapt.
[d] Seſſ. 6. c. 4.
[e] Lorin. in Act. c. 2.
[f] Quæſt. ſuper Leu. l. 3. c. 84.
[g] Bell. ibid. de Pœnitentia, l. 3. c. 2.
[h] Eccl. 32.
[i] De Adult. coniug. l. 1. c. vlt.
[k] Leo in ep. ad Theodor.
[l] Can. 76.
[m] Can. 12.
[n] De Adult. coniug. li. 1. ca. vlt.

Digitized by Google

15 PHIL. Tertiò, [a] *Si abſolutio eſſet annunciatio remiſſionis peccatorum, vel temeraria eſſet, vel ſuperflua. Nam cum Miniſter dicit, Remittuntur tibi peccata, aut abſolutè hoc pronunciat, aut ex hypotheſi; videlicet, ſi credas, & vt oportet pœnitentiam agas. Si abſolutè, temerè id pronunciat, cum ignoret an is qui reconciliationem petit, ſit verè pœnitens, & fidem habeat qualis requiritur ad iuſtificationem. Et prætereà etiamſi aliquo modo id Miniſter noſcet, meliùs tamen nouit ipſe pœnitens, ac proinde non eget annunciatione illâ Miniſtri, quæ nihil ei addere poteſt certitudinis. Si verò eſt conditionalis, vt Caluinus admittit, non poteſt talis abſolutio certum & ſecurum efficere pœnitentem, cum ex incerta conditione dependeat. Et tamen aduerſarij vix alium finem abſolutionis agnoſcunt, quàm vt certum reddat hominem acceptæ iuſtificationis.*

[a] Bell. ibid.

ORTH. Hæc declaratio eſt conditionalis. Quamuis enim Miniſter, re accuratè perpenſâ, poſſit priuatim & ſigillatim huic aut illi homini (vt ſolemus in Eccleſia Anglicana) dicere, *Authoritate mihi à Chriſto commiſſa te abſoluo*; vel (quod eodem recidit) *Annuncio tua tibi remiſſa eſſe peccata*; hoc tamen ſemper cum hac licita conditione eſt intelligendum, ſcilicet, ſi verè credideris, & reſipueris. Quod verò abſolutè hoc enunciamus, ne nominatâ quidem conditione, & indè fit quia abſoluendus, fidem ſuam & pœnitentiam profitendo, plenam ſpem nobis facit hanc impletam eſſe conditionem. Neque enim licet Miniſtris quenquam abſolutè & categoricè abſoluere, niſi eundem credere & reſipiſcere, ratione ſatis probabili, ſuadeat charitas.

PHIL. Cum conditio hæc ſit incerta, quomodò turbatam conſcientiam tranquillare & ſerenare poterit?

ORTH. Certa eſt Miniſtro certitudine morali; certa eſt abſoluendo ex certa ſcientia.

PHIL. Quorſum igitur abſolutio Miniſterialis?

ORTH. Abſoluendus cum probè noſcat apud animam ſuam, ſe confeſſionem ſinceram ſine fuco & fraude edidiſſe, iámque audiat Legatum Domini exercituum hâc confeſſione nitentem, dulces Euangelij promiſſiones explicantem, & teneræ conſcientiæ, ſecundùm Chriſti mandatum ex officio applicantem, conſolationem hinc percipit ſolidam, & ſingularem.

16 PHIL. Quartò, [b] *Si abſolutio non eſt actus iudicialis, ſed ſimplex annunciatio diuinæ promiſſionis, quæ in Euangelio ſcripta extat, non minùs abſoluere poterit Laicus, immò etiam fœmina, aut puer, aut infidelis quiſpiam, aut diabolus, vel etiam pſittacus, ſi doceatur ea verba, quàm Sacerdos.*

[b] Bell. ibid.

ORTH. Quis hunc Romanum pſittacum hæc verba docuerit, prudentibus iudicandum relinquo. Sed, hoc omiſſo, ad inſtitutum. Remiſſio peccatorum duplici ratione annunciari poteſt; primò narratiuè, ſeu hiſtoricè, & hæc annunciandi ratio, ex generali charitatis officio dimanans, ad ſingulos pertinet Chriſtianos. Secundò, authoritatiuè; vt ita dicam, vel per modum Legationis; & hæc,

Digitized by Google

hæc, Miniſtrorum propria, ex diuino inſtituto ſpeciali fluit, ac ſpeciali inſuper promiſſione ornata eſt ac ſtabilita, vt patet ex illis ipſis verbis Euangelicis toties citatis, Quorum peccata remiſeris, remittuntur. Huc quoque illud Iobi ſatis appoſitè accommodari poteſt: [a] *Si illi* (homini ſcilicet morituro) *Angelus adfuerit, vel interpres vnius ex mille, qui homini ſuam annunciet iuſtitiam, tunc* (Deus) *eiuſdem miſerebitur, & dicet, Libera eum, ne in Abyſſum deſcendat: Ego enim reconciliationem accepi.* Duo hîc homines conſiderandi veniunt, alter lecto defixus, iamiam moriturus, & ſub peccatorum mole ingemiſcens; alter vir Dei, ad eos conſolatione reficiendos qui in Sione lugent, deſignatus; Hic autem quatuor modis deſcribitur, ſcilicet ex titulis, officio, mandato quod accepit, & diuinâ illi factâ promiſſione. Ornatur titulis *Angeli & interpretis*; officium ſitum eſt *in iuſtitia ſua homini declaranda*; intelligit autem iuſtitiam Chriſti nobis credentibus, ſecundùm fœdus gratiæ, datam & imputatam: Nam [b] *Iehoua eſt iuſtitia noſtra.* Mandatum his verbis continetur: *Libera eum, ne in Abyſſum deſcendat*; Promiſſio illis, *tunc Deus eiuſdem miſerebitur, & dicet, Ego recõciliationem accepi.* Iſtiuſmodi tituli officia, mandata, promiſſa nulli Laico in ſacris Scripturis tribuuntur. Quamobrem licèt Laici, ratione vocationis ſuæ generalis quatenùs ſunt Chriſtiani, ſe mutuò ædificare, & conſolari teneantur, hæc tamen ad Miniſtrorum munus ex diuino inſtituto, ratione quâdam ſingulari, ſpectant; nec dubitari poteſt, quin Deus inſtitutum ſuum proprium ſingulari benedictione ſit cumulaturus. Ita Bellarmini argumenta ventilauimus, & vniuerſa in fumum abire comperîmus: vento ſeminauit, & turbini meſſuit.

[a] Iob 33.23.

[b] Ier.23.6.

De abſolutione quatenùs ad Miniſtros ſpectat, hactenus. Iam 17
pœnitentiæ partes, quas in ipſo pœnitente exigitis, à nobis tranſiliri poſſunt; nempè confeſſio, contritio, & ſatisfactio; quoniam de Sacerdote, & non de pœnitente agimus. Tua tamen bona cum venia narro tibi, auricularem confeſſionem, prout nunc in Eccleſia Romana vſurpatur, nihil ferè eſſe aliud, quàm reticulum ad hominum ſecreta, & arcana expiſcanda, artificioſè contextum. Quod quidẽ non fit, vt ægris medicina, vulneratis conſcientijs opobalſamum, contritis conſolatio ſolida adhiberi poſſit, ſed vt aurum & argentum indè conflentur, omniáque ad veſtrum ipſorum lucrum conuertantur. Dices fortaſsè hoc crimen, quantumcúnque ſit, priuatis perſonis, non ipſi Eccleſiæ tribuendum; verùm quòd hanc confeſſionem, vt rem iure diuino ad ſalutem ſimpliciter [c] neceſſariam vrgeatis, & hominum humeris imponatis, id certè Eccleſiæ veſtræ vitio verti debet. Hæc doctrina [d] Auguſtino ignota fuit, dicenti; *Quid mihi cum hominibus, vt audiant confeſſiones meas? Quaſi ipſi ſanaturi ſint omnes languores meos.* Perindè & [e] Chryſoſtomo, ſic ſcribenti; *Pudet te peccata confiteri? Dic ea quotidiè in oratione. Non enim dico vt ea conſeruo exponas, qui te probris impetat, dic Deo, qui ijs medetur.*

[c] Conc. Trid. ſeſſ.4.can.7.

[d] Confeſſ.10.c.3

[e] In Pſ 50. hom.2.pag.833. edit.Pariſ.

18 Satisfactio autem veſtra (vt de contritione nihil dicam) quid eſt aliud quàm à Seruatoris noſtri Ieſu Chriſti ſacrificio, omni ex parte ſufficientiſſimo, blaſphema derogatio? Vos enim non eam intelligitis ſatisfactionem, quâ perſonæ læſæ ſatiſfiat, nec canonicam, quæ facta eſt Eccleſiæ ad publica ſcandala euitanda (quæ duo ſatisfactionum genera nos vltrò amplectimur) ſed docetis poſt abſolutionem Sacerdotalem, quandam adhuc ſupereſſe pœnam; quam ſic deſcribit [a] Bellarminus: *Pœna illa quæ luenda reſtat poſt culpæ remiſſionem, eſt illa ipſa pœna ſenſus, quam in gehenna pati debuiſſet peccator, remotâ ſolùm æternitate.* Porrò vos pœnitenti opera imponitis pœnitentialia, quibus pro hac pœna expianda Domino ſatiſfaciat. Præterea etiam ſupererogationis opera à multis præſtari ſuperarroganter decernitis. Sic enim [b] Bellarminus: *Ad hunc theſaurum ſupereffluentium ſatisfactionum pertinent etiam paſſiones beatæ Mariæ Virginis, & omnium aliorum Sanctorum, qui plus paſſi ſunt quàm eorum peccata requirerent.* Et paulò pòſt: *Aſſerimus non paucos ſanctos homines multò plura, propter Deum & iuſtitiam eſſe perpeſſos, quàm exigeret reatus pœnæ temporalis, cui fuerunt obnoxij, propter culpas ab ipſis commiſſas.* Hæc ſupererogationis opera à vobis ad cœlum vſque efferuntur. Sunt enim veſtræ theſauri Eccleſiæ, à Prælatis in indulgentijs ſuis diſpenſandi, præſertim à Pontifice maximo, in anno Iubilæi. Hoc quid eſt aliud quàm aucupium ad homines pecuniâ emungendos? Ita reſipiſcentiam in Sacramentum pœnitentiæ; hoc autem in argenti, & auri fodinas commutâſtis. Sed de Præsbyteris Anglicanis hactenus; nunc ad Diaconos procedamus.

[a] *De pœnit. l.4.c.1.*

[b] *De indulg. l.1. c.2. pr.4.*

Digitized by Google

Cap. XIII.

De tertia controuerſia generali, id eſt, de Diaconis.

Noſtri
- *Presbyteri*
  - *non fiunt per ſaltum,* — 1
  - *ſed*
    - *priùs ſunt diaconi,* — 1
    - *in diaconatu aliquã-diu manere debent.* — 2
- *Diaconi*
  - *quomodo ordinentur.* — 3
  - *quo fungantur officio.* — 4

Phil.

In Eccleſia Anglicana nulli legitimi ſunt Diaconi, ac proinde Presbyteri, niſi fortè per ſaltum, eſſe non poſſunt.

Orth. Presbyteratum *non includere eſſentialiter Diaconatum*, disertè affirmat [a] Bellarminus. Quocirca ſi quis fortè per ſaltum Presbyter factus fuiſſet, non tamen liceret vobis Presbyteratum eidem eo nomine derogare. Verũ enimuerò noſtri per ſaltũ omninò ordinati nõ ſunt; ſed ab infimo exorſi ſacro ordine, ad ſummum grauatim aſcendunt.

[a] *De ſacr. ord. cap. 5.*

Porrò, Eccleſia [b] Anglicana ſanxit, vt poſt ſuſceptum Diaconatum, aliquod ſemper intercedat temporis interuallum ad periculum de ſingulis faciendum, quales in officio Diaconi ſe exhibuerint, priuſquàm in ordinem Presbyterorum ſuſcipiantur. 2

[b] *Ann. 1603. can. 32.*

Ad ipſam verò ordinationem quod attinet, poſt examen de eorum moribus & doctrina factum ab [c] Epiſcopo, die Dominico, vel ſaltem feſto, religioſis adhibitis precibus, in facie Eccleſiæ, manibus impoſitis, ordinantur his verbis: *Accipe poteſtatem Diaconi officium exequendi.* 3

[c] *In formula ord. Diaconat.*

Phil. [d] Officium Diaconi in eo ſitum eſt, vt Sacerdoti Miſſam celebranti aſſiſtat; num ſic Diaconi Anglicani? 4

[d] *Bell. de cler. c. 13.*

Orth. Diaconorum eſſe Presbytero rem ſacram ſeu diuinam adminiſtranti, ſuam operam impendere (quod faciunt Diaconi Anglicani) in confeſſo eſt. At Miſſa veſtra non eſt res ſacra aut Diuina, ſed inſtituti Diuini violatio. Qua de cauſa nec

Digitized by Google

vobis miſſificare fas eſt, nec Diaconis aſſiſtere. At è contrà Eccleſiæ Anglicanæ tam Epiſcopatum quàm Presbyteratum à veſtris calumnijs vindicauimus, ac proinde vt Epiſcopos noſtros & Presbyteros, ita Diaconos quoque qui illis aſſiſtunt, legitimos eſſe concludimus. Hucúſque argumenta veſtra, in vniuerſum Eccleſiæ Anglicanæ Miniſterium contorta, & vibrata, ventilaui, eadémque meras eſſe calumnias, & præſtigias comperi. Noſtra autem vocatio tam ſancta eſt, & Deo grata, vt nullis vnquam veſtrorum machinis, aut cuniculis euerti poterit; neque vnquam eandem aut ſacris Scripturis, aut venerandæ antiquitati vlla ex parte repugnare, oſtendere valebitis. Nos è contrà Sacerdotium veſtrum miſſificum, non modò humanū eſſe commentum, ſed etiam in conſpectu ipſius Dei viuentis ſacrilegum, & abominandum probauimus. Quamobrem (Philodoxe) enixè peto, vt huius te peccati maturè pœniteat. Agè, Sacerdotio huic Antichriſtiano abrenuncia, & libellum repudij mitte. In Angliam dulciſſimam tuam patriam redi, ne ſis ampliùs Philodoxus, ſed, Chriſto duce, fias Orthodoxus.

CAP.

Digitized by Google

Cap. XIIII.

Quamuis Sacerdotum Papiſticorum vocatio ſit illegitima, Noſtra tamen ab illis deducta eſt legitima.

Partes 2.
- *Obiectiones:*
  - *1ª. Cuius*
    - *antecedens*
      - *proponitur, nos vocationem à Papiſtis deducere, vel noſtrâ opinione ſacrilegis.* 1
      - *refellitur*
        - *regerendo, illos ſuam à Cranmero ipſorum iudicio ſchiſmatico & hæretico.* 2
        - *limitando, quia licèt nos à Papiſtis oriundi, non tamen quandò, aut quatenus erant tales.* 3
    - *Conſequens*
      - *proponitur, ergo vel vocatio noſtra eſt illegitima, Papiſtarum eſt legitima.* 4
      - *refellitur, quia Sacerdotij Romani*
        - *duæ partes, quod*
          - *oſtenditur.* 5
          - *defenditur.* 6
        - *pars*
          - *prior ad miniſteriũ nõ ſpectat.* 7
          - *poſterior*
            - *ſine priore poteſt exiſtere.* 8
            - *totàm complectitur miniſterij eſſentiam.* 9
            - *reconciliationi Papiſticæ nõ patrocinatur.* 10
  - *2ª. à praxi vtriuſque Eccleſiæ*
    - *Proponitur, quia*
      - *Anglicana à Papiſtis ordinatos*
        - *non reordinat,*
        - *ſed cùm ſuis ordinibus recipit,*
      - *Romana à noſtris ordinatos pro laicis habet.* 11
    - *Refellitur, quia*
      - *Anglicana Papiſticos ordines recipit*
        - *non ſimpliciter,*
        - *ſed reſectis vitijs.* 12
      - *Romana vel*
        - *noſtros ordines ex parte approbat.* 13
        - *In ſcopulum reordinationis impingit.* 14
- *Totius operis concluſio.* 15

Phil.

QVàm bellè tu hæc quidem Orthodoxe? Verùm ego hoc vnum animaduertiſſe videor; nempè te, qui Sacerdotes Papiſticos

piſticos tantoperè vellicas, ac inter homines ſacrilegos,& omnibus modis deteſtandos reponis, vocationem veſtram (ſi quandò ſit probanda) ab eiuſmodi Epiſcopis,qui erant Sacerdotes Papiſtici, coactum eſſe deducere, quos adeo ſuperciliosè, tanquam ſacrilegos,& omnibus modis deteſtandos, faſtidire ſoles.

2 ORTH. At ego quoque aliud facilè perſentiſco; nempè, veſtros homines,qui in Cranmerum tam acerbè atque atrociter debacchati ſunt tanquam ſchiſmaticum, eundémque flammis crepitantibus combuſſerunt tanquam hæreticum, quoties glorioſa Epiſcoporum veſtrorum,Regnante Mariâ ordinatorum,ſucceſſio ad examen reuocatur, toties eandem ab eodem Cranmero coactos eſſe deducere, cui, tanquam ſtigmatico, tam inſignem,& ſchiſmatis,& hæreſeos notam inuritis.

[a] Vide Champ. p.342.ſub perſona Didimi.

PHIL. [a] *Haudquanquam (Orthodoxe) poteris tu contra me inferre, quod ego contra te vrgeo. Longè enim diſpar eſt ratio argumentationis meæ,& tuæ. Nam ego non exiſtimo Sacerdotium & Epiſcopatum Cranmeri ſacrilegum & abominandum;vt tu de Sacerdotio,& Epiſcopatu Catholicorum æſtimas; ſed illud Sacroſanctum agnoſco,& idem prorſus cum Sacerdotio Epiſcoporum Eccleſiæ Romanæ; ac proinde nihil penitùs incommodi contra me ſequitur,etiamſi Epiſcopi Catholici, tempore Reginæ Mariæ creati, ſucceſſionem ſuam à Cranmero vel (meliùs loquendo) per Cranmerum deducant.*

ORTH. Cranmeri Sacerdotium, ſacrilegum fuiſſe te non exiſtimare dicis: Credo equidem,neque ego te ita exiſtimare contendo. At Cranmerum ipſum ſchiſmaticum fuiſſe,& hæreticum ſine dubio exiſtimas; quod ad meum inſtitutum ſufficit. Tibi igitur obijcienti nos prognatos eſſe parentibus, vel noſtrâ ipſorum opinione,ſacrilegis,& abominandis, par pari referens,vos quoque à Cranmero eſſe oriundos,qui veſtrâ ipſorum ſententiâ, ſchiſmaticus erat,& hæreticus regero ac repono.

[b] Ibid.

PHIL. [b] *Cranmerus, tametſi in hæreſim lapſus, legitimum ordinis ſui vſum amiſerit, atque idcirco legitimam ordinationem ſeu vocationem conferre nequiuerit, potuit tamen ille defectus, in illis quos iuxta Catholicum ritum ordinauit, facilè ſuppleri per reconciliationem ad Eccleſiam Catholicam,& abſolutionem ab omni cenſura; quod factum fuiſſe ſub initio Regni Mariæ tu ipſe (Orthodoxe) ex Sandero agnoſcis.*

ORTH. Hoc non erat Eccleſiæ reconciliari, ſed longiùs ab Eccleſia reſilire. Cæterùm, hunc defectum hoc modo reſarcitum eſſe,in veſtram gratiam fingamus; quid tu hinc elicies?

[c] Pag.343.

3 PHIL. [c] *Tu (Orthodoxe) in defenſione veſtræ conſecrationis ſeu vocationis idem dicere nequis.*

ORTH. Immò poſſum; idque longè veriùs quàm ſolent veſtri.

[d] Vide Champ. p.344.

PHIL. *Hinc* [d] *oſtenditur vanitas,& nequitia Religionis,& Eccleſiæ veſtræ prætenſa, quæ Sacerdotes, Antichriſto (iuxta veſtram doctrinam) conſecratos, pro legitimis myſteriorum ſuorum Miniſtris amplectitur. Et hanc quidem ſequelam; ex doctrina,& praxi Eccleſiæ veſtræ*

clarè deductam, etiamſi te in mille formas mutaueris, nunquam euitare poſſis.

O r t h. Non opus eſt Proteo, qui, varios induendo vultus, his ſe vinculis expediat. Non enim ſunt ferrea aut Adamantina, ſed planè ſtraminea.

P h i l. Vos Eccleſiæ Romanæ Sacerdotium; [a] *Sacrilegum ac Idololatricum dicitis: quale igitur veſtrum, quod ab eo deriuatur?* [a] Champ.p.343.

O r t h. Purum & ſanctum. Etenim licèt Miniſterium noſtrum à veſtris Epiſcopis ſacrilegis, & idololatricis ſit traductum, non tamen quandò, aut quatenùs erant tales; ſed primò, quod in illis malum fuit, erat abſterſum; deindè quod bonum fuit, ad nos tranſmiſſum. Quamobrem non amplectimur Antichriſti ſatellites, quamdiu ſunt tales; ſed tum demum, quum, Antichriſto renunciantes, in Chriſti caſtra ſe conferunt. Deinde, ſi maiores noſtri ſuos ordines ab Epiſcopis, qui olim erant Sacerdotes Papiſtici, ſint mutuati, quid obſecro indè incommodi?

P h i l. Vel veſtram vocationem illegitimam, vel noſtram, ex qua deſumitur, legitimam eſſe agnoſcite. Non poteſtis ex ſpinis Vuas, neq; ex tribulis Ficus colligere: neque fieri poteſt vt ex Vrtica naſcatur Roſa. 4

O r t h. At Roſarum hortus Vrticis luxuriantibus oppleri, & obrui poteſt. Nam Miniſterium à Chriſto plantatum erat ſuauiſſima Roſa, nullâ penitùs adnaſcente Vrtica; & ſic per aliquot ſecula in Eccleſia permanſit. Vbi autem Antichriſtus ſe in Templo Dei, tanquam eſſet Deus, efferre cœpiſſet, Romanum Sacerdotium factum eſt prodigioſa progenies, ex Roſa & Vrtica mirificè conflata, ſemi-Roſa, & ſemi-Vrtica. Eccleſia verò Anglicana, initio reformationis, ab Eccleſia Romana Roſam decerpens, Vrticam vobis reliquit. Ordinatio enim veſtra Presbyteralis, duabus conſtat partibus, vt anteà ex Pontificali docuimus: quarum prior his verbis fieri ſolet; *Accipe poteſtatem offerre ſacrificium Deo, Miſſáſque celebrare, tam pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini.* Hanc vt palmariam Chriſtiani Sacerdotij facultatem exoſculamini, quæ tamen (ſi rectè rationamur) non Chriſti Miniſtros, ſed Antichriſti ſatellites conſtituit. Eccè Vrticam. Poſterior his Chriſti verbis exhibetur: *Accipe Spiritum ſanctum, quorum peccata remiſeris, remiſſa ſunt, & quorum retinùeris, retenta ſunt.* Eccè Roſam. 5

P h i l. [b] *Apageſis mehercle; Orthodoxe; pudet me tui; effutiitne vnquam aliquis tam inania verba, in re tam graui? Nonne vides obiectionẽ meã tanti eſſe momenti, vt niſi vel ex ſacra Scriptura, vel ſaltẽ Eccleſiæ authoritate plenè ei ſatisfiat, totum illud quod quinq; tuis libris in Cleri veſtri vocatione purganda et propugnãda congeſſiſti, vanũ vapidũmq;* [b] Champ.p.345.

reddatur, & in fumum euaneſcat? Si iſtud videas, cur tam inſulsè ratiocinaris? Si iſtud non perſpicias, permitte tibi oſtendatur; vt inde quoque percipias quàm nihil ad inſtitutum tuum protuleris. Scopus, finiſque totius tuæ in his quinque libris diſputationis nónne ille eſt, vt Epiſcoporum, & reliqui Cleri veſtri vocationem legitimam canonicámque eſſe demonſtres? Et medium quod tibi ad hoc probandum elegiſti, nónne hoc eſt, nimirum, eorum ſucceſſio ab Epiſcopis Catholicis? Iſta certè negari nequeunt. Cum itaque obiectio à me allata (nempe quomodò Epiſcopi veſtri legitimam habeant vocationem, quandoquidem ab ijs deſumitur quos ſacrilegos iudicatis) hinc ſponte naſcatur, niſi ſufficienter illi ſatisfacias, tantùm aberis vt Cleri veſtri vocationem canonicam eſſe probaueris, vt illam aut ſacrilegam & abominabilem (qualem dicis illam eſſe vndè deſumitur) aut prorſus nullam probatam relinques. Certè non ſolùm inaniter, ſed peſſimè operam tuam in ſcribendis his quinque libris impendiſti, quandoquidem rem illuc perduxeris, vt Epiſcopos veſtros, vel ſacrilegos Sacerdotes (ad tuam mentem loquor) aut merè Laicos eſſe neceſſe ſit.

ORTH. Hæc inania ſunt crepitacula. Neque hoc, neque illud ſequitur. Non enim, vt anteà monui, à veſtris orti ſumus, quandò erant ſemi-Roſa, ſemi-Vrtica; ſed tum demum, quandò, auulſâ funditùs, & radicitùs Vrticâ, ſola ſupererat Chriſti Roſa.

[a] Champ. p. 346. PHIL. [a] *Quantùm ad ſomnium illud tuum de prodigioſa prole, quam partim Roſaceam, partim Vrticeam fingis, quâ vocationem veſtram ſolidè defenſam exiſtimas, ægri ſomnium & figmentum Chimæricum eſſe, me oſtenſurum promitto. Primùm omnibus, qui primoribus tantùm labris dialecticam delibârunt, ſatis conſtat, argumentum ductum à ſimili (quale eſt hoc tuum de Sacerdotij Romanæ Eccleſiæ compoſitione) inter omnia argumentorum genera longè eſſe inualidiſſimum. Secundò, ſimilitudo deſumpta à rebus naturalibus, & rectè applicata in percipiendis rebus ſupernaturalibus (quæ propter eminentiam ſuam, & altitudinem, captum noſtrum excedunt, atque ita aliter à nobis concipi nequeunt) aliquandò nos iuuat, ſed tunc nihil probat, ſed rem tantùm elucidat.*

ORTH. Neque ego probandi, ſed illuſtrandi duntaxat gratia, hoc ſimili vſus ſum. Sed perge.

PHIL. Tertiò, *ſimilitudines, quæ in ratiocinationibus formandis nobis vſui eſſe poſſunt ad aliquid probandum, à rebus vel verè exiſtentibus, vel ſaltem poſſibilibus, deſumi debent. Nam qui aliquid per ſimilitudinem ductam à re impoſſibili probare contenderet, tantùm abeſt, vt quod intendit probaret, vt illud penitùs improbaret.*

ORTH. Nónne apologi ſunt quædam ſimilitudines?
[b] Iudg. 9. 8. Ducuntur tamen à rebus planè impoſſibilibus: [b] *Ierunt arbores vt crearent ſibi Regem, & dixerunt Oliuæ, Regna ſuper nos.* An
[c] 2. Reg. 14. 9. hoc poſſibile? [c] *Quædam ſpina quæ in Libano erat, miſit ad Cedrum, quæ erat in Libano, ad dicendum, Da filiam tuam filio meo in vxorem.* An hoc fieri potuit? Elegantes tamen hinc decerpi poſſunt ſimilitudines, quæ rem ipſam ad viuum exprimant.

Prætereà,

Præterea, dum hanc ſimilitudinem appellas figmentum Chimericum, duplicem mihi reſponſionem ſuppeditas. Quid enim eſt Chimæra? Nónne[a] mons Ciliciæ, qui olim quibuſdam in locis leones, quibuſdam capreas, quibuſdam ſerpentes nutriuit? Vnde Poëtæ finxerunt eſſe beſtiam triformem, ore leonem, ventre capream, caudâ draconem: Et Bellerophontem, qui primus hunc montem fecit habitabilem, hanc beſtiam occidiſſe dicunt. An tu hæc parum concinnè à Poëtis excogitata dices, quia nulla huiuſmodi beſtia exiſtit in rerum natura? Deindè ipſa vox figmenti pro nobis facit. Siquidem Sacerdotium veſtrum, quod ex ſacrificio, & abſoluendi poteſtate conflatur, eſt figmentum humanum. Mirandum igitur non eſt, ſi nihil in natura occurrat quod ei reſpondeat. Figmento igitur opus erat ad hoc figmentum aptè & appoſitè explicandum.

[a] *Iſid. Orig. l. 11 c. 3.*

PHIL. [b] *Cùm tota vis reſponſionis tuæ ad obiectionem meam dependeat ex veritate prodigioſæ compoſitionis in Sacerdotio Romanæ Eccleſiæ, ita vt ſi compoſitio illa imaginaria tantùm ſit, reſponſio tua imaginaria quoque erit, illam non ſupponere, ſed probare debebas.*

[b] *Champ. p. 348*

ORTH. Sacerdotium veſtrum ex duabus conſtare facultatibus, ſacrificandi ſcilicet, & abſoluendi, Pontificale veſtrum inſpicienti eſt luce clarius: quarum priorem vnico Chriſti ſacrificio derogare anteà ex Scripturis probauimus. Vnde ſequitur, non à Chriſto, ſed potiùs ab Antichriſto eſſe profectum. Poſteriorem verò (modò rectè intelligatur) Seruatori noſtro ſuam debere originem libenter agnoſcimus. Quare cùm hæc duo in vnum Sacerdotij veſtri corpus coaleſcant, compoſitionem illam eſſe verè prodigioſam quis non videt?

PHIL. [c] *Tametſi exiſtimem te non adeò Orthodoxum, vt ſacrum ordinem verum eſſe Sacramentum credas, certam tamen verborum formam, ad conferendos ſacros ordines, neceſſariam eſſe agnoſcis. Quo poſito, quæro vtrùm iſta verba ita per additionem aliorum immutari poſſint, vt veram ordinandi formam non ampliùs retineant, nec ne? Si reſpondeas negatiuè, omnes Chriſtianos, qui ſemper docuerunt iſtam formam baptiſmi (Ego te baptizo in nomine Patris maioris, & Filij minoris) nullam eſſe, neque Sacramentum conficere, erroris condemnas. Si verò affirmatiuè reſpondeas, quæro vlteriùs quare verba illa, quæ tu dicis Catholicos (quos Papiſtas vocas) ſacri ordinis formæ addidiſſe, & quæ ex ſacro ritu ſacrilegam & ſuperſtitioſā Cæremoniam faciunt, vt tu tecum fingis, non reddant ordinationem inualidam & nullam; præſertim cùm non ignores (niſi prorſus ignarus ſis) omnem additionem, cuique eſſentia vel natura rei factam, eam mutare in aliam eſſentiam & naturam; ſicut qualibet additio numeri, cuiuis numero adiecta, alterum numerum à priori conſtituit.*

[c] *Champ. p. 349.*

ORTH. Non eſt hîc eadem ſacri ordinis, & baptiſmi ratio. In baptiſmo eſt certa verborum formula, quam Chriſtus ipſe per modum præcepti ſanxit, in ordine non item. Quare, ſi inter ordinandum iſtiuſmodi adhibeantur verba, quæ totam ordinis iam confe-

rendi

rendi poteſtatem complectuntur, eadem ad hunc ordinem conferendum poſſunt ſufficere. Verùm ſi ita addendo vel detrahendo immutentur, vt poteſtatem illius ordinis non contineant, profectò ad illum conferendum non ſunt idonea, ſed talis ordinatio inualida erit, & planè nulla. Iam verò Eccleſia Romana ad Presbyteros ſuos conſtituendos duplici vtitur ordinatione; alterâ antè Miſſam, poſt Miſſam alterâ. Prior eo ſenſu quo iam accipitur in Eccleſia Romana, eſt commentum humanum, vel potiùs diabolicum: in poſteriore tamen confertur, licèt implicitè, quicquid ad Preſbyteratus eſſentiam eſt neceſſarium. Confertur autem per eadem verba quibus hodiè vtitur Eccleſia Anglicana, immò quibus vſus eſt ipſe Chriſtus. Hæc ipſiſſima verba in ordinatione Presbyterorum adhibet Eccleſia Romana, nihil hîc mutat, nihil addit, nihil detrahit: Ita Diuino viſum eſt numini, cuius hîc prouidentiam ſuſpicimus & admiramur.

PHIL. Cur igitur nos Chriſti Roſæ Vrticam addidiſſe conqueris?

ORTH. Non quaſi hæc Chriſti verba aliorum verborum additionibus à veſtris eſſent interpolata; ſed quia Sacroſancto, quod Chriſtus inſtituit, Miniſterio non contenti, aliud excogitâſtis in ſacrificando poſitum, quodque, ſi vobis credimus, eſt de eſſentia ordinis Presbyteralis.

[a] Champ. p. 350. PHIL. [a] *Cum igitur Papiſtæ, vt tu loqueris, tot taliáque ſacri ordinis formæ adijciant, quæ eam ſacrilegam, vt tu vis, reddunt; neceſſe eſt totam formam corrumpant, & in aliam tranſmutent, ita vt fiat vrticea, & conſequenter nihil Roſæ maneat, quod veſtris Epiſcopis applicari poſſit; alíundè idcirco quàm à Catholicis Epiſcopis clerus veſter vocationem ſuam quærere deberet. Ex quibus omnibus perſpicis obiectionem meam in integra ſua vi adhuc manere, téque eò manifeſtè redactum, vt vel Romanum Sacerdotium legitimam conſtituere paſtoralem vocationem, vel clerum veſtrum nullam talem habere fatearis, neceſſe ſit.*

ORTH. Ego verò illud non perſpicio, neque in vllas me anguſtias redactum ſentio. Hoc enim ſacrificij propriè dicti additamentum, licèt totum veſtrum corrumpat Sacerdotium, non tamen totaliter totum; quia indè emergit nouum Euangelij Miniſterium, ex ſacrificandi & abſoluendi poteſtate conflatum, quale Chriſtus nunquam docuit, immò quod Chriſti ſacrificio vehementer repugnat: non totaliter, quia abſoluendi facultas à Chriſto inſtituta, & puris Chriſti verbis tradita, ab hominibus euacuari non poteſt, præſertim cum hæc nec eodem tradatur tempore quo illa ſacrificandi, neque eodem modo. Non eodem tempore, quia illa ante Miſſam datur, hæc poſt Miſſam finitam: non eodem modo, quia illa traditur non cum impoſitione manuum, ſed cum porrectione inſtrumentorum, vt ex Pontificali liquet; hæc autem cum manuum impoſitione, quæ ex Scripturis authoritatem habet. Prætereà, iſta abſoluendi poteſtas totam ordinis Presbyteralis eſſentiam

ſentiam in ſe complectitur; quam in medijs Papiſmi tenebris diuina conſeruauit prouidentia,& ad nos tranſmiſit.

PHIL. [a] *Cum Miniſterium à Chriſto inſtitutum perfectam delectabilémque fuiſſe roſam agnoſcas,talémque per aliquot ſecula perdurâſſe, cur tempus,locum,vel perſonas,quandò, vbi, & per quos genita fuit monſtruoſa illa proles,quam in Romana Eccleſia modò inueniri aſſeris,non deſignas? Si probabilem aliquam,vnius ſaltem trium harum circumſtantiarum probationem producere poſſis,pro ſolutione competenti eorum omnium quæ hactenus contra te obiecta ſunt, admittam. Si hoc præſtare nequeas (vti certiſſimè ſcio te non poſſe) pudeat te contra Eccleſiam Catholicam, matrem tuam, ſi verus eſſes Chriſtianus,talem,tantámque turpitudinem eructare.* [a] *champ.p.351.*

ORTH. Iniquum poſtulas. Multæ enim corruptelæ paulatim & latenter irrepſerunt in Eccleſiam, quarum fortè origo oſtendi non poteſt. Hanc autem ſacrificandi facultatem, quæ iam in Eccleſia veſtra obtinet,aſtutè admodum introduxit Satanas. Sacrificandi vocabulum apud ſanctos Patres, quos neruosè & emphaticè loqui mirificè delectat,dum de Euchariſtia loquuntur, in frequentiſſimo eſt vſu. Ipſi tamen,quo ſunt candore & prudentiâ,talia ſcriptis ſuis inſpergere ſolebant,ex quibus quid ſibi vellet hoc ſacrificium,ſatis liqueret,vt [b] anteà in Chryſoſtomo,& Ambroſio manifeſtum feci. Euchariſtia igitur illis dicitur ſacrificium, quia ſummi illius ſacrificij, in cruce peracti, recordatio eſt & commemoratio. Neq; inficior quin priſcis tẽporibus ſacrificandi facultas Presbyteris inter ordinandũ concederetur,quæ tamen nihil aliud erat quàm facultas adminiſtrandi Euchariſtiam, quæ ſemper erat Presbyterorum, nec vnquam Diaconis permittebatur. Verùm Satanas (quâ eſt aſtutiâ) hanc occaſionem nactus, ex ſacrificio, figuratè dicto, proprium, labentibus ſeculis, ſenſim ac latenter fabricauit: quibus cuniculis (proh dolor!) longè latéque graſſatus, Sacroſanctum Chriſti ſacrificium ſubruit, ac nouos ſacrificulos, Antichriſti miniſtros,procreauit,& produxit. [b] *Lib.huius, c.9.n.2.3.*

PHIL. Quales tandem vobis videmur? Miniſtri,an Laici? Si Miniſtri,pro talibus nos agnoſcite: ſin Laici, quid quæſo de Cranmero ſtatuetis,qui in Eccleſia Romana, nec alibi, eſt ordinatus? Quid de tot Epiſcopis, ſub Eduardo, à Cranmero ſacratis? Quid de Parkero, Grindallo, Sandeſio, Horno, & alijs, qui in Eccleſia noſtra, ſecundùm Catholicum ritum, facti ſunt Presbyteri? Denique quid de hodiernis Angliæ Miniſtris vniuerſis, qui his maioribus ſunt orti? Nunquid omnes pro Laicis ſunt habendi?

ORTH. Veſtri ſacrificuli nec puri ſunt Miniſtri Euangelici,nec tamen Laici. Vis vt huius dicti rationem reddam? Sic igitur accipe. Ordinatio veſtra Presbyteralis,duabus,vt dictũ eſt,conſtat partibus,quarum poſterior,in miniſteriali peccatorum remiſſione ſita, Verbi & Sacramentorum poteſtatem, id eſt, vniuerſam Miniſterij Euangelici

Digitized by Google

Euangelici eſſentiam implicat ac includit. Veſtri igitur Sacerdotes Miniſtri Euangelici dici poſſunt, non quidem ob executionem officij, ſed ob receptionem huius poteſtatis. Quin & aliam quoque ante omnia poteſtatem accipiunt, impiam quidem & impuram, ſacrificandi ſcilicet. Hinc fit, vt puri Miniſtri Euangelici dici non poſſint.

[a] *Champ. p. 353.* PHIL. [a] *Egregiè tu abuteris terminis, Orthodoxe, dicendo ordinationem Sacerdotum Eccleſiæ Romanæ duabus conſtare partibus, ſi per ordinationem intelligas ordinem receptum. Quemadmodum enim anima hominis vna eſt, ſimplex, atque indiuiſibilis ſubſtantia, diuerſis tamen prædita facultatibus: ſic etiam ordo Sacerdotalis vna eſt, ſimplex, atque indiuiſibilis poteſtas, animæ ordinati impreſſa, diuerſis licèt dotata functionibus.*

[b] *De ſacr. ordinis. c. 9. vt igitur.* ORTH. Primò, [b] Bellarminus tibi contradicit, diſertè docens, duas hic conferri poteſtates. Secundò, non eſt eadem ratio animæ rationalis, & ordinis Presbyteralis veſtri. Anima enim infundendo creatur, & creando infunditur, ídque in puncto temporis indiuiſibili: Sacerdotium verò veſtrum non infunditur in inſtanti, ſed datur duabus vicibus, aliquo intercedente temporis interuallo.

[c] *Champ. ibid.* PHIL. [c] *Quanquam diuerſæ iſtæ Sacerdotij functiones diuerſis temporibus, diuerſiſque conferuntur verbis, vt dicis, non indè tamen concluditur, Sacerdotium ipſum diuerſis conſtare partibus; ſicut neque ex eo quòd primò det viuere, dein ſentire, ac tandem intelligere, probatur illam diuerſas habere partes.*

[d] *In 5. Metaph. cap. 25.* [e] *Secundo, de anima.* ORTH. Nimis es delicatulus. [d] Fonſeca veſter etiam animæ potentias appellat *partes poteſtatiuas:* & ipſe [e] Ariſtoteles has animæ facultates non ſolū appellat δυνάμεις, id eſt, potentias, ſed etiam τὰ μόρια τῆς ψυχῆς, id eſt, partes animæ. Liceat igitur mihi Sacerdotij veſtri diuerſas poteſtates, diuerſo tempore collatas, eiuſdem partes appellare, ſaltem poteſtatiuas.

7 PHIL. [f] *Etiamſi tibi concederetur Sacerdotium Romanum duas habere partes, vt tu philoſopharis, nihil quicquam indè lucrareris, niſi & priorem (quâ veſtros carere ſponte concedis) ad Sacerdotium non pertinere; & ſecundam abſque prima exiſtere poſſe, atque etiam completam ordinationem, & vocationem conſtituere oſtendas.*

[f] *Champ. ibid. Vide etiam p. 358. 359. & 360.*

ORTH. De priore reſpondeo; ad Sacerdotium, id eſt, ad Miniſterium à Chriſto inſtitutum (ſic enim hoc in loco intelligas oportet) illam pertinere non poſſe, quia ſacris repugnat Scripturis, vt anteà ſuo loco multis docui argumentis, ac proinde humani cerebri eſt figmentum.

8 Porrò ſecundum, quod mihi probandum imponis (nempè poſteriorem Sacerdotij veſtri partem ſine priore poſſe exiſtere) pari breuitate abſoluam. Etenim cum prior, id eſt, veſtra ſacrificandi facultas, ſit inuentum humanum, & poſterior, rectè intellecta, Authorem habeat Chriſtum, vt

Digitized by Google

vt omnes fatentur; profectò hanc ſine illa exiſtere poſſe eſt clariſſimum. Siquidem Chriſti inſtituta non egent humanis commentis, vt poſſint exiſtere.

Denique tertium, cuius confirmationem à me expectas (nimirum, quòd hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeris, &c.* completam conſtituant ordinationem Presbyteralem) ſic euincitur. 1°. Per hæc verba, conferri poteſtatem remittendi peccata Miniſterialem in confeſſo eſt. At hæc poteſtas conſtituit completam ordinationem Presbyteralem. Illa enim ordinatio Presbyteralis dicenda eſt completa, quæ totum includit munus Presbyterale. Cùm enim ex ſupradictis ſatis conſtet, ſacrificij propriè dicti oblationem ad neminem mortalium iam ſpectare, quæ alia eſſe poſſunt munera Presbytero peculiaria præter prædicationem Verbi, & debitam Sacramentorum adminiſtrationem? Quæ ambo in hac Miniſteriali peccata remittendi poteſtate includuntur. Noſtrum enim remittere nihil eſt aliud, quàm homines Deo reconciliare. Docent autem Scripturæ, Deum ſibi homines reconciliare [a] *non imputando peccata*, nobis verò demandari [b] *Miniſterium reconciliationis*, quod à Paulo appellatur, [c] *Miniſterium Verbi*; cui ſine dubio annectitur Sacramentorum adminiſtratio. Nos igitur per Verbi duntaxat & Sacramentorum legitimum vſum, nec vllâ aliâ ratione, homines Deo reconciliamus, vel, quod eodem redit, peccata remittimus. Quoſcunque igitur poteſtate relaxandi peccata donauit Chriſtus, eoſdem Verbum & Sacramenta diſpenſandi authoritate ornauit, & inſtruxit. Vndè conſtat hæc verba, integram & completam ordinationem Presbyteralem, licèt implicitè ac inuolutè, in ſe complecti.

9

[a] 2.Cor.5.19. [b] v.18. [c] v.19.

P[illegible]IL. Si hæc verba, perindè ac tu affirmas, totum munus Miniſteriale ſuo ſinu & ambitu includant, Romanæ Eccleſiæ Sacerdotes totum habent munus Miniſteriale. Hæc enim verba (te fatente) in eorum ordinatione proferuntur. Quidni igitur ſint Miniſtri Euangelici?

ORTH. Sunt quidem eo modo quo dixi. Verùm attende; tametſi iſta verba, vt à Chriſto ſunt prolata, & in Eccleſia primitiua olim, necnon hodiè in Eccleſia Anglicana vſurpata, ſint planè aurea; dum tamen in Eccleſia Romana ad confeſſionem veſtram auricularem, & humanas ſatisfactiones ſtabiliendas torquentur, aurum ſcoriâ obtegitur, & flos, ſuauiter redolens, herbis noxijs obumbratur. Quamobrem, vt rem totam breui complectar, ſi Sacerdotium veſtrum conſideretur vt totum aggregatum, & ſacrificatione & abſolutione compoſitum, eſt merè figmentum, planè illicitum, ac ſacris Scripturis contrarium: ſin eiuſdem partes (pace tuâ ſic loqui liceat) ſigillatim perpendamus, ſacrificatio veſtra eſt omnibus modis deteſtanda; at abſolutio, ſeu reconciliatio, quatenùs Chriſti verbis, ritè intellectis, nititur, Sacroſancta eſt, ac vniuerſam implicat poteſtatem Miniſterialem: quatenùs verò à

Digitized by Google

vobis vſurpatur, ingentes habet maculas, quæ penitùs iam inſederunt, & inueterârunt.

10 Phil. [a]*Pro doctrina tua de ſecunda Sacerdotij parte (verbis tuis vtor, vt meliùs quæ dico capias) illi quos Pontificios in Anglia dicitis plurimum tibi debent. Eos enim liberos à turpiſſima, perindè ac falſiſſima, criminis læſæ Maieſtatis impoſitione, de qua nonnulli accuſati, condemnati, ac necati noſcuntur, quòd nimirum homines Deo per reconciliationis poteſtatem, quam tu à Chriſto inſtitutam eſſe agnoſcis, reconciliauerint. Certè ſi in Sacerdotio Romanæ Eccleſiæ legitima poteſtas reconciliationis includatur (vt tu verè dicis) legem illam contra eiuſdem poteſtatis exercitium, viceſimo tertio anno Reginæ Elizabethæ editam, & à Iacobo Rege confirmatam, iuſtam eſſe nemo dicere poteſt; quippe quæ poteſtati à Chriſto inſtitutæ, & Miniſtris ſuis collatæ, directè aduerſetur, & contradicat.*

[a] Champ. p. 354.

Orth. Quàm inſulſè? Quis enim neſcit remiſſionem peccatorum Miniſterialem, ſeu reconciliationem à Chriſto inſtitutam, eò ſpectare, vt homines, per fidem ac pœnitentiam, cum Deo in gratiam reducantur? At vos Regis ſubditos non Deo, ſed Eccleſiæ Romanæ, & ſummi Pontificis obedientiæ reconciliatis. Qualis autem (obſecro te) eſt hæc obedientia? Nónne eiuſmodi quæ Papæ ſummam defert poteſtatem, etiam temporalem, in ordine ad ſpiritualia? Quid quæſo eſt Regiam violare Maieſtatem, ſi hoc non eſt?

Phil. [b]*Hoc non magis pro crimine læſæ Maieſtatis illis imputari debet, quàm tibi (Orthodoxe) vnum quempiam ex Regis ſubditis baptizanti: vndè neceſſaria ſequela eadem Eccleſiæ Catholicæ & viſibili illius Paſtori reconciliatio in baptizato oritur.* Nam [c] *non minùs baptiſmo, quàm pœnitentiâ conſtituuntur homines Eccleſiæ membra.*

[b] Champ. p. 356.
[c] Ibid. in Margine.

Orth. Eccleſiæ fateor; non tamen Romanæ, ſed Chriſti. Chriſto Seruatori, non Pontifici, in baptiſmo nomen damus. Hoc igitur argumento Champnæano nihil ineptius.

11 Phil. Ego Sacerdotium noſtrum, ex Eccleſiæ Anglicanæ praxi (quæ contra vos eſt inſtar mille teſtium) legitimum eſſe comprobabo. Quoties enim noſtrorum Sacerdotum aliqui, ab Eccleſia Catholica reſilientes, ad vos transfugiunt, toties Eccleſia veſtra, eos in ſinum ſuum illicò recipiens, pro legitimis habet Miniſtris, atq; ad muneris Miniſterialis executionem & adminiſtrationem admittit, virtute illius ordinationis quam in Eccleſia Romana acceperant. Veſtri autem in noſtra caſtra ſe recipientes, nobis nihil ſunt aliud, quàm merè Laici.

12 Orth. Nemo apud nos ad munus Miniſteriale exercendum priùs admittitur, quàm Articulis religionis ſubſcripſerit, prout ex his Statutis Parliamentarijs eſt manifeſtum: [d] *Vt Eccleſiæ, ſub Reginalis Maieſtatis ditione, ſuos habeant Paſtores, Religionem ſinceram ac ſolidam profitentes, præſentis huius Parliamenti authoritate ſancitum ſit, quòd quilibet, gradum Epiſcopi nondum aſſecutus, qui ſe pro Preſbytero,*

[d] 13. Eliz. c. 12.

Digitized by Google

bytero, ſeu Sacroſancti Verbi Diuini & Sacramentorum Miniſtro, gerit, vel poſteà geſturus eſt per aliam quamcunque, inſtitutionis, conſecrationis, vel ordinationis formam, quàm quæ tempore Regis nuper exiſtentis, nempè Regis Eduardi Sexti digniſſimæ memoriæ, à Parliamento edita fuit, aut quæ nunc, ſub Sereniſſima ac ſupremæ Dominæ noſtræ Regno, viget, valétque tenebitur antè Feſtum natiuitatis Chriſti proximè ſubſequentis, in præſentia Epiſcopi vel cuſtodis ſpiritualitatis alicuius Diœceſis, vbi Eccleſiaſticum beneficium habet aut habiturus eſt, aſſenſum ſuum palam præbere, & ſubſcribere omnibus Religionis Articulis, qui ſolum veræ fidei Chriſtianæ confeſſionem, & Sacramentorum doctrinam concernunt, libro quodam impreſſo contentam, cuius titulus eſt, Articuli, &c. Inter quos Articulos triceſimus primus ſic ſe habet: *Oblatio Chriſti, ſemel facta, eſt perfecta illa Redemptio, Propitiatio, & Satisfactio pro omnibus totius mundi peccatis, tam actualibus quàm originalibus, neque vlla eſt pro peccatis ſatisfactio præter Illam ſolam. Quapropter Miſſarum ſacrificia, in quibus communiter dicebatur Sacerdotes Chriſtum pro viuis & pro defunctis, vt pœnæ vel culpæ remiſſionem acciperent, offerre, fabulæ erant blaſphemæ, & deceptiones periculoſæ.* Prætereà, in Synodo Londinenſi, anno 1603. celebrata, decretum eſt, [a] *Vt nemo ad prædicandum, catechizandum, in ſacra Theologia prælegendum, ad vllum Eccleſiaſticum beneficium vel Miniſterium ſuſcipiendum admitteretur, niſi Religionis articulos vniuerſos, propriâ manu ſubſcribendo, primitùs approbauerit.* Ex quibus clarè perſpicere potes, nullum Sacerdotem Pontificium, in Eccleſiæ Anglicanæ gremium vllo modo recipi poſſe, niſi priorem Sacerdotij veſtri facultatem, quæ in miſſificando & ſacrificando verſatur, procul à ſe ablegauerit, eidémque prorſus renunciauerit; & poſteriori quoque aliqua ex parte, id eſt, quatenùs Eccleſiæ Anglicanæ doctrinis aduerſatur. Quicquid autem in eodem occurrit à Deo profectum, (quale eſt peccata, per Miniſterium reconciliationis, remittendi facultas) illud nos vltrò agnoſcimus, & amplectimur. Roſa eſt, quæ in Eccleſiæ Romanæ ſolitudine, ſe oſtendit, cuius tamen germina à Dei horto ſunt traducta. Riuulus eſt qui Ægyptum tranſit, cuius tamen fons & ſcaturigo eſt è Paradiſo. Radius eſt, qui in Babylone cernitur, qui tamen à ſphæra cœleſti ducit originem. Quamobrem Eccleſia Anglicana Sacerdotes veſtros, ad nos remeantes, munus ſuum Miniſteriale per verba Chriſti acceptum (modò Pontificia inquinamenta abluentur) iuxta verum ac genuinum verborum Chriſti ſenſum, exercere permittit.

[a] Can. 36.

PHIL. [b] *Totus ineptus es, vt video, Orthodoxe. Poſt tot enim verborum ambages, concedis totum quod ego per argumentum meum intendo; nimirum, Eccleſiam veſtram Sacerdotes Romanos ad Miniſterium, abſque noua aliqua ordinatione admittere; vndè quid ſequatur tu ignorare nequis. Dicis hòc quidem fieri, ablutis tamen eorum ſordibus. Sed quomodò quæſo abluuntur? Subſcribendo articulis religionis veſtræ? Ita quidem inſinuas; ſed nimis ridiculè. Subſcriptionem enim quibuſcunque*

[b] Champ. p.363.

Digitized by Google

articulis factam, etiam Turciſmo, ordinationi iam receptæ nihil præiudicare, ſiue in melius, ſiue in peius poſſe, clarum eſt; niſi dicamus ordinationem, ſicut & fidem, nos abijcere poſſe, quod tamen in doctrina Chriſtiana (quam tu in hac parte amplecteris) abſurdum eſt. Subſcriptio igitur Sacerdotium receptum in eodem ſtatu quo priùs erat, quantùm ad eius eſſentiam & ſubſtantiam, relinquens, nihil ei amputat vel eradit, & conſequenter totum & integrum, vt in Eccleſia Romana confertur, à veſtra Eccleſia, Sacerdotes noſtros Apoſtatas recipiendo, admitti neceſſe eſt.

ORTH. Ordo à Chriſto inſtitutus, ſi ritè in quempiam ſit collatus, eradi aut expungi non poteſt. Verùm non eſt eadem ratio ſacrificij veſtri Miſſatici, quod eſt figmentum humanum. Quod homo plantauit, eradicari poteſt.

[a] P. 364. PHIL. [a] *Sed & illud quoque ſupra modum eſt abſurdum, quòd Parliamenti veſtri decretum, vti regulam, cui Eccleſia veſtra in rebus & actionibus ad religionem ſpectantibus ſe conformare debet, allegare non erubeſcas.*

ORTH. Quaſi verò non liceat Chriſtiano Principi, ex conſilio Epiſcoporum & Regni Ordinum, de rebus ad Religionem ſpectantibus Sanctas leges ferre, cùm huius rei innumera in codice, in Authenticis, in Capitularibus extent exempla. Noſtræ igitur Eccleſiæ, aut Reipublicæ vitio verti non debet, quòd Regni Ordines, de Euangelij Miniſtris ſolliciti, hanc ſubſcriptionem efflagitent, quæ veſtram Miſſam, vt blaſphemam, meritò damnat. Sic autem ſubſcribere quid eſt aliud, quàm ſacrificio Miſſatico renunciare, ac repudij libellum mittere? Quod vbi ſanctè & religioſè præſtiterint, quid impedit quò minùs in Eccleſiæ gremium ſuſcipiantur, & ad Sacroſanctum Miniſterium à Chriſto collatũ (quod adhuc quoad eſſentiam, integrum ac illibatũ manet) exercendum admittantur? Non diſſimili hac in re moderatione aliæ quoque reformatæ vtuntur Eccleſiæ, teſte Principe Anhaltino, his verbis: [b] *Hâc vtimur moderatione, vt ad parochialia munera euocatos, ſi Verbum poſthàc purè docere, & Sacramenta iuxta Chriſti inſtitutionem adminiſtrare ſe velle promittant, recipiamus, horúmque contenti vocatione, & muneris demandati commiſſione, ordinationem & manus impoſitionem non iteremus.* Cui quoque ſententiæ articulorum Smalchaldicorum authores ſuffragantur: [c] *Si Epiſcopi ſuo officio rectè fungerentur, & curam Eccleſiæ & Euangelij gererent, poſſet illis, nomine charitatis & tranquillitatis, non ex neceſſitate permitti, vt nos & noſtros concionatores ordinarent, & confirmarent, hâc tamen conditione, vt ſeponerentur omnes Laruæ, præſtigiæ, deliramenta, & ſpectra pompæ Ethnicæ.* Huic articulo ſubſcripſerunt Martinus Lutherus, Iuſtus Ionas, Philippus Melanchton, Vrbanus Regius, Oſiander, Brentius, & multi alij viri docti. Hiſce Caluini etiam ſententiam licet adiungere: [d] *Vbi ipſi ſeſe offerunt ad munus illud deinceps præſtandum, non malè illis ab Eccleſia conceditur, quod ab ipſis antè minùs legitimè vſurpatum erat. Duo ſunt in illo ſtatu ſumma vitia; vnum, quòd non rectâ ratione inſtituti*

[b] Geor. Prin. Anhal. fol. 66.

[c] Art. Smalch. part. 3. art. 10.

[d] Calu. Epiſt. pag. 340.

inſtituti ſunt ad munus Eccleſiaſticum, alterum, quòd de illo gradu ſeſe deiecerunt, dum nihil eius praſtiterunt quod ad rem pertineret. Sed illud non facit quò minùs agnoſcantur pro Miniſtris ordinarijs, vbi ſeſe Eccleſiæ coniungere paratos oſtendunt; atque ita de nouo confirmentur demum, ad corrigendum præcedentem defectum. Et rurſus in eadem Epiſtola: *Conſtat non poſſe haberi pro Chriſtianis Paſtoribus, niſi priùs abrenuncient Sacerdotio Papali, ad quod prouecti erant, vt Chriſtum ſacrificarent, quod eſt blaſphemiæ genus, omnibus modis deteſtandum. Præterea etiam requiritur, vt apertè profiteantur ſe abſtinere omninò velle ab omnibus illis ſuperſtitionibus & fœditatibus, quæ ſimplicitati Euangelij repugnant.*

PHIL. Non poteſt veſtrorum Miniſtrorum quiſpiam tanto 13
cum compendio in Sacerdotem Catholicum transformari; quin diabolus ab eodem primitùs, per exorciſmum, eſt eijciendus hunc in modum: [a] *Exorciſo te, immunde Spiritus, per Deum Patrem omnipotentem, & per Ieſum Chriſtum Filium eius, & per Spiritum Sanctum, vt recedas ab hoc famulo Dei, quem Deus & Dominus noſter ab erroribus & deceptionibus tuis liberare, & ad ſanctam Matrem Eccleſiam Catholicam, atq; Apoſtolicam reuocare dignatur. Ipſe tibi imperat, maledicte ac damnate, qui, pro ſalute hominum paſſus, mortuus, & ſepultus, te atque omnes vires tuas ſuperauit, ac reſurgens cœlos aſcendit, indè venturus iudicare viuos & mortuos & ſeculum per ignem.* Hæc eſt formula, quâ in omnibus Apoſtatis, Schiſmaticis, & Hæreticis reconciliandis noſtra vtitur Eccleſia.

[a] Pont. in ord. ad reconcil. apoſt. ſchiſ. vel hær. p. 649.

ORTH. Quiſquis doctrinam veſtram ac mores ritè perpenderit, næ is vos Dæmonem in homines iniecturos, quam à quopiam eiecturos veriſimilius putabit. Væ vobis, Ieſuitæ, & Seminariorum alumni; quoniam circumitis mare & terram, vt faciatis vnum proſelytum, & quum fuerit factus, facitis eum filium Gehennæ duplò magis quàm vos ſitis. Cæterùm, peractâ reconciliatione, quid tum demum fieri oportet?

PHIL. Quamuis, Dæmone iam per exorciſmum eiecto, qui olim erat hæreticus, nunc in Catholicorum albo ſit reponendus; ad ſacros tamen ordines non poteſt aſcendere, niſi fortè eundem refundere, ac refingere, reformare, atq; recoquere dignetur Eccleſia. Miniſtelli enim veſtri nobis (vt antè monui) nihil ſunt aliud, quàm merè Laici.

ORTH. Hæc ſententia vobis non eſt laudi, ſed labi potiùs, vóſque à maioribus veſtris in peius degenerare arguit; vt ex articulis à Regina Maria ad Bonnerum Epiſcopum Londinenſem miſſis apparet; inter quos iſte eſt maximè eminens & ſpectabilis.

[b] *Quantùm ad eos ſpectat qui hactenus ad vllos ordines, iuxta nouum ordinandi ritum, prouecti fuerunt, quandoquidem non erant reuera ordinati, Epiſcopus cuiuſque Diæceſis, ſi eos inuenerit capaces & idoneos, quod illis deerat ſupplebit, & ſecundùm prudentiam ſuam ad adminiſtrationem eos admittet.*

[b] Act. & mon. vol. 2. p. 1295.

Hîc vides Marianos Præſules, Miniſtros noſtros de nouo non ordinâſſe, ſed illud duntaxat quod illis deeſſe videbatur ſuppleuiſſe. Noſtros igitur ordines non ſimpliciter improbârunt, ſed ex parte tantùm.

PHIL. Immò totaliter, vt tu ipſe ex his verbis potes perſpicere, *Quandoquidem non erant reuerà ordinati.* Si reuerà ordinati non erant; licèt ordines prætenderent, nullos tamen omninò habere potuerunt, ſed erant merè laici: quo in numero & vos quoque cenſendi eſtis. Nam ritus ordinandi, qui hîc nouus appellatur, ille ipſe eſt, qui iuxta librum Regis Eduardi Sexti authoritate ſtabilitum perficitur, qui ad hunc vſque diem in Anglia viuit vigétque. [a] Champ. p. 431. Quod autem ad ſuppletionem illam attinet, [a] *Iſte clarus eſt illius articuli ſenſus; illos nimirum qui aliquos ordines ſecundùm ritum antiquum receperant, reliquos verò ſecundùm nouum, poſſe (ſi modò idonei reperiebantur) ad ordinem illum nouo modo adeptum, per veram ordinationem promoueri, & hoc modo quod illis deerat ſuppleri.*

ORTH. Nónne ordinat Epiſcopus quandò manus imponit, dicens, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum peccata remiſeris, &c?*

[b] De ſacram. ord. c. 9. PHIL. Reſpondeo cum [b] Bellarmino; *Sacerdotes ordinari, cùm illis dicitur, Accipe poteſtatem ſacrificium offerendi, ſed ordinari etiam poſteà cùm illis dicitur, Accipe Spiritum Sanctum. Accipiunt enim per varias cæremonias varias poteſtates:* quod rectiſſimè dictum eſt. Nam per verba priora ad munus ſacrificandi, per poſteriora ad munus abſoluendi, per vtraq; coniunctim ſumpta, ad plenum & integrum Presbyteratus ordinem prouehuntur, & ordinantur.

ORTH. Sed iſta verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, tempore Regis Eduardi Sexti in vſu erant, & vſque ad hodiernum diem in Eccleſia Anglicana ad miniſtros conſtituendos adhibentur. Quotquot igitur ad Sacros ordines, iuxta nouum ritum (ſic enim vobis loqui adlubeſcit) aſcenderunt, illi omnes (ſi Bellarmino credimus) ſunt reuerà ordinati; neque aliter ſenſiſſe videntur articuli Authores.

PHIL. Nónne diſertè dicunt non fuiſſe reuerà ordinatos?

ORTH. Nihil aliud ſibi velle videntur, quàm non fuiſſe planè & perfectè ordinatos; ideóque monent Epiſcopos, vt quod deerat ſupplerent: quod ſanè recta cum ratione ſuadere non poterant, ſi eos merè fuiſſe Laicos exiſtimâſſent. Quamobrem qui hos condiderunt articulos, Miniſtros ſub Rege Eduardo creatos, ordine Presbyterali ex parte præditos, ex alia tamen parte (quam ſupplere operæ pretium eſſe ducebant) deſtitutos arbitrabantur. Pars muneris, quâ ornati & imbuti erant, erat illa ipſa, quæ traditur his verbis, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum, &c.* Pars quæ deeſſe putabatur, fuit *poteſtas ſacrificandi.* Quare articuli Authores, ſi eorum verba candidè interpretemur, non innuebant illud quod acceptum erat, eſſe reiterandum, ſed illud duntaxat quod deeſſe videbatur, eſſe ſupplendum. Nos autem è contra ab Eccleſia Romana

Digitized by Google

mana, ad Anglicanam redeuntes, ſacrificandi poteſtatem, noſtrâ opinione impiam ac ſacrilegam deponere, repudiare, & procul à ſe ablegare debere decernimus; verba tamen Euangelica quæ illis nobiſcum ſunt communia non reiteramus. Hæc mea articuli huius interpretatio eſt amica & candida; quippè quæ Papiſtas Marianos cum Bellarmino conciliat, eoſdémque à reordinationis labe liberat. At Champnæana expoſitio dura ac rigida, inter ipſos Papiſtas diſſidium creat, & Eccleſiam Marianam inſigni labe & maculâ contâminat. Hunc igitur quem dixi ſenſum, amplectaris neceſſe eſt, niſi fortè reordinationem approbare volueris.

PHIL. Reordinationem? Illam peſtem à nobis auertat Deus. Nequaquam Orthodoxe. Hanc nunquam ſumus approbaturi; ordo characterem imprimit, ac proinde eſt initerabilis. 14

ORTH. Paulò antè faſſus es ordinari Sacerdotem, cùm Epiſcopus dicit, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum, &c.* Si igitur peccata relaxandi poteſtas, his verbis tempore Regis Eduardi collata, regnante Mariâ erat iterata, vel ſi eadem verba, ſub Regno Reginæ Elizabethæ, aut ſereniſſimi noſtri Regis Iacobi inter ordinandum adhibita, hodiè in veſtris Proſelytis ordinandis repetantur denuò; non poteris Eccleſiam veſtram à reordinatione vllo modò defendere. Si illum declines ſcopulum, fatendum tibi eſt in Miniſtris, qui à nobis ad vos deficiunt, ad Sacerdotium veſtrum promouendis, hæc verba non eſſe reiteranda; vel ſi iterantur, erit ſine dubio reordinatio. Hoc eſt inuictum argumentum, quo probatur vos, niſi veſtræ ipſorum doctrinæ velitis contraire, Miniſtros noſtros pro merè Laicis habere non poſſe. Vel ſi vobis ſtat ſententia veſtros ordines ad cœlum tollere, noſtros ad nihilum deprimere, & transfugas noſtros, perinde ac ſi eſſent merè Laici, ſimpliciter & totaliter de nouo ordinare, repetendo hæc verba in quibus inter nos conuenit, fieri non poteſt, quin ad reordinationis ſcopulum alliſi, naufragium faciatis.

PHIL. Conuenimus quidem quoad hæc verba, ſed non perinde quoad ſenſum.

ORTH. Illud non obſtat quin ſit reordinatio. Si infans, verbis Euangelicis ſecundùm formam Eccleſiæ ritè baptizatus, ab hæretico eadem adhibente verba, licèt ſenſu, quem ſibi ex ſuo fingit cerebro, prorſus alieno, denuò tingatur, omnes benè inſtituti Chriſtiani hanc ſecundam tinctionem pro repabtizatione habebunt. Eadem autem eſt hìc omninò reordinationis ratio. Sic igitur argumentum concinno. Epiſcopus Pontificius, cùm Eccleſiæ Anglicanæ Miniſtrum in Sacerdotem Miſſaticum nouâ quâdam Metamorphoſi transformat, vel iterat hæc verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, vel non iterat. Si iteret; Eccleſiam veſtram, hæc iterando, in reordinationis ſcopulum impingere manifeſtum feci. Si non iteret, quare omittit, quum ad alteram, eámque inſignem Sacerdotij facultatem conferendam, ex veſtra ſententia requirantur?

Digitized by Google

An quia primitùs adhibita ſunt in Eccleſia Anglicana? Nulla enim alia ratio ſatis idonea reddi poteſt. Ergo non iterando agnoſcit illam Sacerdotij facultatem apud nos vigere, & ex conſequenti Miniſtros Anglicanos non eſſe merè Laicos. Ita praxis veſtra vel vos ipſos peſſundat, vel nos ſtrenuè defendit. Verùm noſtra praxis priorem Sacerdotij veſtri partem, nempè ſacrificandi poteſtatem, vt ſimpliciter deteſtandam, ad inferos damnat; poſteriorem quoq; licèt non ſimpliciter, ex parte tamen, ſcilicet, quatenùs deprauationibus Papiſticis polluitur & contaminatur: quam tamen, quatenùs à Chriſto profectam, toto animo amplectimur.

PHIL. Si prior Sacerdotij noſtri functio ſit ſimpliciter deteſtanda, & poſterior quoq; aliquo modo, nimirum, quatenùs à nobis polluitur & contaminatur: Ergo Cranmerus, Ridleius, Parkerus, Grindallus, & reliqui anteſignani veſtri nullo alio potiti ſunt Sacerdotio, niſi quod ex altera parte erat ſimpliciter deteſtandum, ex altera pollutum & contaminatum.

ORTH. Cùm diuino numini eorum oculos aperire viſum eſt, Carnale veſtrum ſacrificium, quod ſufficientiſſimo Chriſti ſacrificio tantoperè derogat, procul à ſe amandabant; alteram Sacerdotij veſtri facultatem, in peccatis, per Miniſterium reconciliationis, remittendis verſatam, quam in Eccleſia Romana, non ſine labe, acceperant, ſumma cum pietate & puritate apud Anglos ad praxin reuocabant, Papæ, & ſordibus Papalibus valedicentes.

PHIL. Quum de ordinum validitate quæritur, non tam praxis, quàm poteſtas in ordinatione acquiſita eſt ſpectanda. Iam verò Cranmerus, Parkerus, & ſimiles vtranque Sacerdotij poteſtatem in Eccleſia Romana acceperunt, ídque eodem planè ſenſu quo tradidit Eccleſia, nempè, illo ipſo quem hodierno die tenet. Quamobrem cùm vtraque Sacerdotij noſtri poteſtas, ſi tibi credimus, ſit vrticea, ſanè mirari ſubit quânam ratione vobis, vrticâ oriundis, in roſarum catologum tranſire contigit.

ORTH. Liceat mihi hoc vnicum à te percontari. Si quis hominem recens conuerſum, in elemento aquæ, ſecundùm formam Eccleſiæ tinxerit, interim vt tam baptizans, quàm baptizatus pernicioſo aliquo errore ſit imbutus; verbi gratiâ, ſi Filij, aut Spiritus Sancti Deitatem abnegauerit; an hic error impediet quò minùs validus & efficax ſit baptiſmus?

PHIL. Nequaquam. Siquidem perpendere oportet duplicem eſſe Sacerdotem, viſibilem, & inuiſibilem. Ad baptiſmi eſſentiam requiritur, vt viſibilis Sacerdos elementum aquæ homini baptizando, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, applicet. In horum aliquo ſi defecerit, irritus eſt baptiſmus. Hinc in magno Concilio Niceno [a] ſancitum eſt, *vt Paulianiſtæ rebaptizarentur*. Quod non factum eſt quaſi rebaptizationem propriè dictam approbarent, ſed quia priorem tinctionem, (quæ in ipſa baptiſmi forma eſſentiali, nempe, in verbis Euangelicis ad hoc requiſitis defecerat)

[a] Can. 19.

Digitized by Google

rat) pro nulla meritò haberent. Cæterùm, ſi baptiſmus ritè peractus ſit, nempè in aqua, adhibitis verbis à Chriſto inſtitutis, priuatæ hominum opiniones, & ſiniſtra verborum Chriſti interpretatio baptiſmi validitatem non poſſunt infringere. [a] *Satis oſtendimus* (inquit Auguſtinus) *ad baptiſmum, qui verbis Euangelicis conſecratur, non pertinere cuiuſquam vel dantis vel accipientis errorem, ſiue de Patre, ſiue de Filio, ſiue de Spiritu Sancto aliter ſentiat quàm cæleſtis doctrina inſinuat.* Sic ille. Quiſquis enim, aut qualiſcunq; ſit baptiſmi viſibilis Miniſter, Chriſtus, Sacerdos ille inuiſibilis, eſt præcipuus baptizator, quia ſcriptum eſt, [b] *Hic eſt qui baptizat.* Quocirca ſi elementum aquæ, & vera verborum formula adhibeantur, nos ſeruuli ſenſum errantem non reſpicimus, ſed verum ac genuinum Heri & Domini noſtri Ieſu Chriſti.

[a] *Aug. de baptiſ. contra Donat. l.4.c.15.*

[b] *Ioh.1.33.*

ORTH. Ego tibi ſimiliter reſpondeo, Eſt Epiſcopus viſibilis, eſt & inuiſibilis. Si viſibilis Epiſcopus, in perſonam capacem manus imponens, verbis illis vtatur Euangelicis, quæ Chriſtus ipſe exemplo ſuo hunc in vſum ſanctificauit, eiuſdem errores ordinationis validitatem eneruare non poſſunt, modò verba appoſita, & ad hoc inſtitutum ſufficientia adhibeantur. Nos ſeruuli ſenſum errantem non reſpicimus, ſed verum, ac genuinum Heri, & Domini noſtri Ieſu Chriſti. Quamobrem licèt Cranmerus, Parkerus, & ſimiles iuxta Eccleſiæ Romanæ ritum ordinati eſſent, licèt ordinantes poteſtatem Miniſterialem traderent, & ordinati acciperent eo ipſo ſenſu erratico, quem hodiè tenet Eccleſia Romana; nullus tamen error vel dantis, vel accipientis ordinationem perſtringit. Vt Chriſtus eſt præcipuus baptizator, ita eſt præcipuus ordinator. [c] *Ipſe enim dat Paſtores, & Doctores, ad conſummationem Sanctorum.* Quocirca cùm Deus ignorantiæ ſquamas ab oculis eorum, quibus tanquam inſtrumentis ſuis, térque quatérque beatis, in reformanda religione vtebatur, abſtergere dignatus eſt; hoc illis incubuit officium, vt viſibilis Epiſcopi ſenſum erraticum vitarent, & Epiſcopi inuiſibilis, qui horum verborum, (ô quam ſancta ſunt & admirabilia!) author extitit, verum & germanum ſenſum ac ſententiam amplecterentur. Quæ quidem verba, totam Miniſterij Euangelici eſſentiam, vt anteà oſtendimus, in ſe complectentia, quum ſatis conſtet diuina prouidentia inter medias Papiſmi tenebras in ordinandis Presbyteris fuiſſe retenta; indè ſequitur Eccleſiæ Romanæ Presbyteros per hæc verba, rectè ſecundùm Scripturas intellecta, totam Miniſterij Euangelici eſſentiam, id eſt, Verbum & Sacramenta diſpenſandi, poteſtatem accepiſſe. Verùm quod in ſe erat licitum, id ipſis factum eſt illicitum, partim ſacrificandi immane ſcelus addendo, partim ipſa Chriſti verba ad ſenſum alienum diſtorquendo, partim errores erroribus accumulando. Eccleſia autem Romana, quamuis Presbyteris ſuis veritatem prædicandi poteſtatem dederit, hanc tamen veritatem cœleſtem nec ipſa plenè retexit, nec ab alijs retectam promulgari paſſa eſt,

[c] *Eph.4.11,12.*

ſed,

Digitized by Google

ſed, ſuos in profundum ignorantiæ & ſuperſtitionis pelagus immergens, in cœleſtis lucis amatores ferro flammíſque ſæuijt. Cùm igitur hæc Chriſti verba, in ſe Roſarum inſtar, ſeculorum vitio Vrticis obducerentur, hæroici illi Spiritus, quos in Anglia ad religionem reſtaurandam excitauit Dominus, ita Romanas Vrticas auulſerunt, vt nihil prorſus remaneret præter ſuaueolentes Chriſti Roſas. Ita factum eſt vt illud, cuius praxis in Eccleſia Romana reddita erat illicita, quippè humanis commentis parum pijs coinquinata; tandem aliquando, diuinâ aſpirante gratiâ, ablutis ſordibus, ad natiuum ſplendorem, & priſtinam puritatem reduceretur.

15 Nunc, vt omnia vno verbo concludam; munus Miniſteriale in Eccleſia primitiua Epiſcopi purè & integrè acceperunt, purè & intemeratè tradiderunt. Exoriente Papiſmo, purè & ſine labe acceperunt, impurè & impiè tradiderunt. Graſſante Papiſmo, impurè & ſordidè acceperunt, impurè & flagitioſè tradiderunt. E nubibus, emergente Euangelio, impurè & vitioſè acceperunt, purè & inuiolatè tradiderunt. Nunc, Euangelio tanquam Sole Meridiano reſplendente, quod purè & ſanctè accipiunt, id purè & illibatè tradunt. Ex his quæ diximus ſatis apparet, vocationem noſtram, licèt per canales Pontificios ad nos transfuſam, non tamen fluere turbidam, ſed liquidam eſſe & licitam; quod mihi probandum incubuit. Quod ſupereſt, Dominus Deus pro ſua, quâ nos in Chriſto Ieſu complectitur, miſericordia, ita ſuo ipſius inſtituto benedicat, vt nos hoc Sacroſancto Miniſterio rectè vtamur, ad ſuam gloriam, & ad multa animarum millia Chriſto lucranda. *Amen.*

LAVS DEO.

Digitized by Google

APPENDIX.

CVm Typographi huius operis editionem Anglicanam ferè abſoluiſſent, ad manus meas allati ſunt libri quidam, conuitijs pleni & contumelijs redundantes, ab Aduerſarijs noſtris Pontificijs compoſiti, in quibus quorundam beatæ memoriæ Epiſcoporum (qui, dum in viuis agerent, pretioſum effundere ſolebant vnguentum, quod Eccleſiam Dei, odoris ſui ſuauitate delibutam, ad hunc vſq; diem reficit & recreat) conſecrationes malignè admodum, & ſpiritu planè Lucianico ſugillantur. Inter quas gemmas, ab iſtis conculcatas, inprimis ludibrio habetur Iuellus (quem [a] Champnæus Ioballum appellat) qui, tanquam alter [b] Shamma, *ſtetit in medio agri, & liberauit eum, & percuſſit Philiſtæos; ita Iehoua praſtitit ſalutem magnam.* Hinc Papiſtæ, flagrantes odio ac inuidiâ æſtuantes, quum Iuello & commilitonibus eius, ducibus Dauidis bella Iehouæ gerentibus, argumentorum acie & æquo Marte occurrere non valerent, vt ſaltem vocationem eorum denigrarent, nullum non mouerunt lapidem, ex ore venenato virus ſuum (nullâ penitus conſcientiæ aut veritatis habitâ ratione) verbis iſtis probroſis ac ſcurrilitate plenis euomentes, & eructantes: [c] *Magiſtrum Iuellum fuiſſe Epiſcopum non adeò nobis conſtat; immò omninò non conſtat. Nam quis tandem eum ordinauit? Quis ei iuriſdictionem dedit? Qui demum illi manus impoſuerunt? Quos habuerunt ordines? Quales erant Epiſcopi? Verum eſt, illum vnà cum Sandeſio, Scorao, Horno, Grindallo, ac alijs (niſi fortè in eorum nominibus recenſendis error mihi aliquis irrepſit) ſub initio Regni Reginæ Elizabethæ, ad inſigne* [d] *capitis Manni in Cheapeſide (ô dignum ſanè tali Sacramento inſigne!) conueniſſe, ibique Catholico Epiſcopo Landauenſi ad eos conſecrandos fruſtrà expectato, arte non diſſimili vſos eſſe, ac olim* [e] *Lollardæ in re alia vtebantur. Qui illo ipſo die Veneris quo Domini paſſio celebratur, carnes comedere cupientes, pœnas tamen à lege ita delinquentibus infligendas metuentes, Porcellum acceperunt, & aquæ immergentes dixerunt,* Downe Pigge, and vp Pike, *id eſt, Deſcendat Porcellus, & aſcendat Lupus piſcis: quo facto, ſe non carnes, ſed piſcem*

[a] *Champ. p. 457.*
[b] *2. Sam. 23. 12.*
[c] *In Præfat. diſcuſsionis præfixa. n. 135.*
[d] *Chriſto b. à ſacro boſco ac inueſtig. Chriſti Eccleſiæ c. 4.*
[e] *Dominus Thomas Morus.*

piſcem comediſſe conſtanter aſſerüerunt: Ita, inquam, graues iſti Prælati conuenientes (vt ſuprà dixi) quum Epiſcopus, qui illis manus imponeret, diu expectatus non veniret, cum Scoræo Herefordenſi egerunt, vt hoc fungeretur officio. Qui, quum vniuerſi genibus procumberent, iuſsit vt qui procubuit Iohannes Iuellus, idem aſſurgeret Epiſcopus Sarisburienſis; & qui genua flectebat Robertus Hornus, aſſurgeret Epiſcopus Wintonienſis; & ſic in cæteris. Quæ hippocephalica ordinatio poſteà in Comitijs Parliamentarijs Synodicè eſt confirmata, in quibus pro veris Epiſcopis agnoſcebantur; & decretum eſt porrò, ne quis de hac ordinatione dubitaret, aut eandem in controuerſiam vocaret. Hæc prima fuit Magiſtri Iuelli & reliquorum ordinatio, vt ego à quodam accepi, qui rem totam à Magiſtro Nealo, linguæ Hæbraicæ in Academia Oxonienſi Profeſſore Regio, audiuit. Hic autem Nealus in propria perſona interfuit, omniúmque quæ illi facta & tranſacta ſunt, erat oculatus teſtis. Locus autem Sacroboſci Ieſuitæ, in margine citatus, ſic ſe habet: *Principio Regni Elizabethæ creandi erant Epiſcopi ſectarij. Candidati conuenerunt Londini, in quodam hoſpitio plateæ Anglicè dictæ Cheapeſide, ad inſigne capitis Manni, & vnà ordines collaturus Landauenſis Epiſcopus homo ſenex & ſimplex. Quod vt intellexit Bonnerus, tunc decanus Epiſcoporum in Anglia, miſit è turri Londinenſi (vbi religionis cauſâ detinebatur) Capellanum ſuum, qui Landauenſi, propoſitâ excommunicationis pœnâ, prohiberet nouos candidatos ordinare. Eâ autem denunciatione territus Landauenſis, pedem retulit, multiplicíque tergiuerſatione vſus, ſacrilegam vitauit ordinationem. Hîc furere candidati, Landauenſem contemnere, noua quærere conſilia. Quid plura? Scoræus monachus (pòſt Herefordenſis Pſeudoepiſcopus) cæteris, ex cæteris quidam Scoræo manus imponunt: fiúntque ſine patre filij, & pater à filijs procreatur; res ſeculis omnibus inaudita. Quod D. Thomas Neale, Hæbraicus Oxoniæ lector, qui interfuit, antiquis confeſſoribus, illi mihi narrârunt. Et fidem aſtruit, quòd in Comitijs poſteà ſancitum fuit, vt pro legitimis Epiſcopis haberentur Parliamentarij iſti.* Sic ille. In has contumelias, nobis dolo malo aſperſas, apud Kelliſonum mihi primùm incidere contigit; qui affirmat, *Famâ credibili ad ſe delatum* [Kelliſ. replic. ad Doct. Sutl. p.31.] *eſſe, quoſdam ex nouis noſtris Superintendentibus, ad caput Manni in Cheapeſide Epiſcopos factos fuiſſe:* ſed neminem nominat. Vndè, vt candidè cum aduerſario agerem, & obiectionem eius quantâ potui cum probabilitate proponerem, viſum eſt mihi hoc telum, contra primum noſtrorum antiſtitum regnante Elizabetha ſacratum, id eſt, contra Parkerum Archiepiſcopum Cantuarienſem contorquere. Ecquis enim rationis compos ſibi perſuaderi patietur, eos in taberna, vt ibi ſacrarentur, voluiſſe conuenire, pœnáſque, quas lex interminatur, ſuâ ſibi ſponte arceſſere; ídque poſtquam Archiepiſcopum proprium, qualem toto animo optabant, Orthodoxam videlicet, vnâ cum illis amplexum fidem, Eccleſiámque & Cathedram ſuam pacificè poſſidentem, adepti eſſent? Quapropter hæc inſulſa calumnia ac contumelia in eos qui poſt Parkerum ſacrati ſunt, diſtringi non poteſt. Nulla enim probabilitatis ſpecies,

aut

aut vmbra vel tenuiſſima. At reliqui omnes, qui ſub Elizabetha floruerunt, Epiſcopi poſt Parkerum ſunt ſacrati, vt ex Archiuis conſtat. Illi igitur vniuerſi ab hac contumelia vindicantur. Sola reſtabat Parkeri conſecratio, quam ſumma cum diligentia inſpexi, & ab hac labe liberaui.

PHIL. [a] *Quantùm ad leges ſpectat, quarum pœnalitates, conuenien-* [a] *Champ. p.499.*
do in taberna, incurrere deberent, merum eſt figmentum. Nullæ enim tales extant, ſi leges Regni intelligas.

ORTH. Regnante H. 8. ſub grauiſſima pœna de præmunire [b] *25. H. 8. c. 20.*
[b] ſancitum eſt, vt conſecrationes Epiſcopales fierent, ***omnibus debitis adhibitis circumſtantijs?*** Dic ſodes; nónne locus eſt conſecrationis circumſtantia? Nunquid taberna eſt locus debitus?

PHIL. [c] *Deinde ſupponis Parkerum, iam antè ſolennem illum ad* [c] *Champ. ibid.*
caput Mannuli conuentum, Archiepiſcopum fuiſſe conſtitutum, & conſecratum, & Eccleſiæ ſuæ poſſeſſorem, cùm tamen obiectio, cui reſpondere prætendis, Parkerum cum cæteris ordinandis, tanquam vnum ex numero illo, includit; ac proinde nimis impertinens, & inepta eſt tua reſponſio.

ORTH. Solennis ille quem narras conuentus in Vtopia fuit, ſcilicet, ad Græcas Calendas. Porrò ſingulorum, quos commemoras, conſecrationes, poſt Parkerum in Cathedra collocatum, contingiſſe teſtãtur diplomata Regia, & Regni Archiua Eccleſiaſtica, ſummæ fidei: ex quibus quæ antea fuſiùs ſunt explicata, hîc in breui quaſi tabella exhibere libet. Vt verbo igitur reſpondeam (nam ferè effluxit clepsydra) primò Scoræum ab illis conſecratum fuiſſe (quod fingit Sacroboſcus) eſt commentum ieiunum & frigidum. Eundem enim à Cranmero Archiepiſcopo (duobus alijs aſſiſtentibus) regnante Eduardo Sexto, conſecrationem ſuam deriuâſſe, [d] anteà ſuo loco ex Archiuis oſtendimus. 2°. Præſules [d] *L. 2. c. 13. n. 9.*
illi reuerendiſſimi, Grindallus, & Sandeſius, vno eodémque die à Matthæo Archiepiſcopo Cantuarienſi, & tribus alijs operam ſuam impendentibus, ſunt ſacrati, vt [e] anteà ex Archiuis expoſui. Hîc [e] *Lib. 2.*
autem ex ijſdem Archiuis, iterum atque iterum relectis, pauca placet adiungere. Nempe conſecrationis locum fuiſſe capellam Lambethanam, tempus, diem feſtum, precibus matutinis iamiam peractis, ritum, cum manuum impoſitione, ac eiuſmodi verborum & precationum formulâ quæ hodiè viget in Eccleſia Anglicana: &, vt omnia meliùs præſtari poſſent, habita fuit concio per Magiſtrum Alexandrum Nowellum, Archiepiſcopi Cantuarienſis tunc Capellanum, in hunc textum: [f] ***Attendite vobis ipſis, & toti gre-*** [f] *Act. 20. 28.*
gi, in quo Spiritus Sanctus vos poſuit Epiſcopos: & cœna Dominica ab ipſo Archiepiſcopo ſumma cum reuerentia fuit adminiſtrata. 3°. Iuellus ordinatus eſt in Epiſcopum Ianuarij ſubſequentis viceſimo primo, per Matthæum Archiepiſcopum Cantuarienſem, Edmundum Londinenſem, Richardum Elienſem, & Iohannem Bedfordienſem, in dicta capella Lambethana, die Dominico, tempore antemeridiano, adhibitis communibus precibus, cœnâ Dominicâ, & con-

Digitized by Google

& concione per Magiſtrum Andræam Pearſon, Archiepiſcopi capellanum, in hæc verba: [a] *Ita luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant veſtra bona opera, & glorificent Patrem veſtrum qui eſt in cœlis.* Denique, Hornus factus eſt Epiſcopus anno ſubſequente, per Matthæum Arch. Cant. Thomam Meneuenſem, Edmundum Londinenſem, Thomam Cou. & Lich. vt anteà retuli. Locus conſecrationis erat ſimiliter capella Lambethana, tempus dies Dominicus poſt preces matutinas, ritus idem prorſus qui in ſuperioribus; Ita omnia ordine & decorè geſta ſunt. Nunc æquis rerũ æſtimatoribus iudicandũ relinquo, quid de iſtiuſmodi hominibus ſentiendum ſit, qui tales fabulas & mendacia tam audacter promulgare audent, nec erubeſcunt illa de re teſtem oculatum producere, quam nulli vnquam oculo humano videre contigit. Nunc quod ad eorum porcellum, ac piſcem, & alias eiuſdem farinæ elegantias attinet, cum Propheta dicam, *Contra quem delectatis vos? Contra quem dilatatis os, & protrahitis linguam?* Moneo autem, vt dehinc hoc Salomonis dictum animo recolant, [b] *Vt crepitus ſpinarum ſub olla, ita eſt riſus ſtolidi.* Et illud quoque Dauidis, [c] *Beatus vir qui in conſeſſu deriſorum non ſedet.* Deniq; hanc rem totam hoc Salomonis Prouerbio obſignabo, [d] *Abominationi ſunt Iehouæ labia fallacia, qui autem agunt fideliter, accepti ſunt ei.*

[a] Mat. 5. 16.
Eſa. 57. 4.
[b] Eccl. 7. 8.
[c] Pſ. 1. 1.
[d] Pro. 12. 22.

LAVS DEO.

---

1 000418

Digitized by Google

Digitized by Google

Errata.

Epiſt. ad Regem. A.3. erratum Opus, *emendatio*, Opere. *Epiſt. ad Reg. A.7. emendatio* aurea.

Pagina 4. linea 32. Emendat o. deglutire. p.11. l.18. e. maximeq́. p.13. l.30. e. ſuſceperit. p.15 l.23. tripode. p. 19. l.6. e. Suffraganeos. p.20. l. vlt. e. in margine adde Britannomach. pag 309. p 23. l.11. Ieſuita & deleatur. p 28. l.4. e. poſt Tigur nec. pone Oecolampadius. p 30. l.19. e. Augiaum. p.34. l.5. e. ordinaſſe. ibid. in marg. e. Victor & præfixo. p.35. l. vlt. e. non in Epiſcopum. p.39. l.1. e. omnium. p. 42. l.15. Ieſuita. deleatur. p.43. l.39. e. minimum. p.46. l.8. e. Cyrenenſis. ibid. l.33. acommodat. p 48. l.2. e. poſſint. p.50. l 32. e. vuas ſolet p.51. l.41. e. conſenſu. p.59. l.19. e. in. deleatur. p. 61. l4. Siricius. p.63. l.44. e. Soterq́. p.100. l.12. e. dilatationem. p.101. l.5. e. par erat. p.103. l. vlt. e. eodem die feſtum diem. p.105. l.41. e. collecto. p.106. l.8. e. quinquaginta. ib. l.10. e. aliquid. p.108. l.13. e. ſubſcripſit. p. 114. l.3. e. tam. p.116. l.43. e. & pro vt. p.117. l.4. e. ipſe. p.119. l.19. e. tot. ibid. 34 e. quid. p.120. l.32. in marg. e. Poli. p 125. l.36. e. veterum. p.126. in margine deeſt loci citatio ex Auguſt. p.128. l.9. e. quis. p.131. l.38. poſt ſpectantibus, hæc verba inſerenda : Si non acceperit, vltionibus. *p.132. l.21. e. hiſce. p.146. l.1. poſt operi. adde.* initium. *p.175. l. vlt. e. meam. p.178. l.42. e. ſchiſmate. p.179. l.4. e. eſſet. p. 184. l.37. pone num.4. p.185. l.22. pone num.5. &* ORTH. *deleatur. p.189. l.3. e. Magiſtri. ib. ad Porrbo pone num.3. ib. ad Argumentum, num.4. ib. floribus. p.218. l.20. e. hác. ib. 22. gratiæ. p.222. l.8. e fateor. p.242. l.22. e. ſi. p.240. l.38. e. vtrâque. p.245. l.36. e. non. p.251. in Tab. e. examinantur. p.252. l.12. e. Bathoa. ibid. l.26. e. quodcunque. p.262. in Tab. e. non propheticâ. ib. e. Regum. p.263. l.4 ea coniungis, quæ Deus diſiunxit. legendum : ea diſiungis, quæ D. coniunxit. ib. l.19. e. acetum. p.294. l.39. e. indicat. p.298. l.42. e. demonſtrant. p.313. l.9. e. ſubiunxit. ibi. 34. túnc. p 314. l.43. e. medico. p.316. l.39. e. conſtat. p.323. l.27. e. quia. ibid. 38. e. azymos. p.325. l.45. eodem, deleatur. p.334. l.4. e.* ORTH. *p.336. l.6. e. ſacratus. p. 340. l.6. e. quod p.342. l.9.10. ſupple numeros ex Regiſtro. p.344. l.41. e. minis. p.360. l.8. e. fama. p. 403. l.9. Suffraganeorum. ibi. 37. e. méque. p.412. l. vlt. e. quod. p.448. l.27. e. acceptam. p.451. l.13. e. omnino. p.462. l.44. e. meis. p.466. marg. Sigon. p. 468. l.35. e. exſecuiſſent. p.469. l.42. e. viginti. p.471. l.37. e. Duarenus. p.474. l.12. e. plenam. p. 489. l.12. e. antea. p.494. l.43. e. perfectiùs. p.498. l.43. e. progreſſus, p.504. l.7. e. Guntchrani. p.506. l.41. e. tum. ib. l. vlt. e. interrog ? p.507. l.32. e. Cenomania. p.510. l.35. e. confundi. Sal. p. 511. l.44. e. vtile. p.524. l.13. e. reditus. p.525. l.41. Henricus Chichley Archiepiſc. Cantuar. Scribendum, Henr. Beaufort, Epiſc. Winton. vt liquet ex Antiquit. Britan. pag. 252. p.529. l.23. e. Mediolanenſi. p.533. l.37. e. maximi. p.536. l.26. e. erigendis. ib. l. penult. e. ne is. p.543. l.29. e. Sacerdotium. p. 550. l. penult. e. Sacerdos. p. 585. l.3. e. Alani. p. 592. l.8. e. adiutâ. p.617. l.18. e. debet. p.618. l.32. e. quod. p.620. l.4. e. irretitus. p.623. l 10. mutuati. p.625. l.19. e factam. p.627. l.25. e. repreſentatio. p.632. l.13. e. accipe. p.635. l.7. e. Sacramenta. p.636. l.23. e. impertiat. p.637. l.22. e. depinxit. p.638. l.17. e. quoties. p.639 l. 13. e. publicè. ibid. l.24. e. priuato. p.642. l.39. e. ne. p. 647. l.15. Verba ſunt* PHIL. *p.648. l.14. e. iudicauerint. p.656. l.20. & dele. p.659. l.10. e. gradatim. p.662. l.14. e. haudquaquam. ibid. l. penult. conſecratos. p.667. l.6. e. monſtroſa. p.668. l.9. e. receptum.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google